FR. PUSTET,
New-York & Cincinnati.
52 Barclay Str., 204 Vine Str.

0251.02
Sea 92

Rev. M. Connelly

Sep. 1872

THEOLOGIA
MORALIS UNIVERSA

Gius. Barni inc.

S. Alfonso M. De Liguori

Milano presso E. Oliva

THEOLOGIA
MORALIS UNIVERSA

AD MENTEM S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

PIO IX PONTIFICI M.

DICATA

AUCTORE

PETRO SCAVINI THEOLOGO COLLEG. J. U. D.

EQUITE SS. MAURITII ET LAZZARI

Romanæ Academiæ Religionis Catholicæ, Arcadiæ, Catholici Instituti Parisiensis et Societatis Academiæ Augustanæ socio

ECCLESIÆ CATHEDRALIS NOVARIEN. CANONICO PRÆPOSITO

URBIS ET DIŒCESIS VICARIO GENERALI EMERITO, ETC.

EDITIO UNDECIMA

Accedit cum nostro Collatio Codicum Civilium Austriaci, Galliarum, Parmensis, Status Ecclesiastici, Mutinensis, Etruriæ ac Reipublicæ Ticinensis.

LIBER PRIMUS

DE ACTIBUS HUMANIS ET DE CONSCIENTIA, DE LEGIBUS, DE OBLIGATIONIBUS, DE PECCATIS AC DE CENSURIS.

ALMA COLLEGE 139.02 LIBRARY Alma, California

Property of CLgA Please return to Graduate Theological Union Library

2172

MEDIOLANI

APUD ERNESTUM OLIVA EDIT.-BIBLIOP.

1869.

Proprietas Literaria

Typ. Patronato.

EPISTOLA REGNANTIS PONTIFICIS MAXIMI AD AUCTOREM

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Dilectus Filius Religiosus Vir Joannes Carolus Magni *Minister Generalis Fratrum Ordinis Minorum Conventualium Nobis tuo nomine obtulit Opus latine a te conscriptum, tribusque Voluminibus in lucem semel atque iterum editum, cui titulus* Theologia Moralis Universa in usum Clericorum Diœcesis Novariensis. *Quod quidem Opus benevolo libentique animo excepimus, tibique vehementer gratulamur, quod in hisce Theologicis Institutionibus conficiendis nihil antiquius habueris, quam salutares* **Sanctissimi ac Doctissimi Viri Alphonsi Mariæ De Ligorio** *doctrinas magis magisque propagare, iisque Ecclesiasticæ præsertim Juventutis animos imbuere. Itaque susceptum a te consilium summopere commendamus, teque in Do-*

mino hortamur; ut pro eo quo polles ingenio atque doctrina, sacras disciplinas ad fidelium utilitatem, et ædificationem alacriori usque studio excolere, atque illustrare pergas.

Tam vero dum pro munere gratias agimus, enixis tuis votis libenter annuimus, tibique veniam facimus, ut tertiam ejusdem tui Operis editionem Nobis dedicare possis. Ex quo vel facile intelliges qua te præcipua benevolentia prosequamur, cujus etiam pignus esse volumus Apostolicam benedictionem quam toto cordis affectu tibi, Dilecte Fili, amanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem
Die 7 Aprilis, Anno 1847
Pontificatus Nostri Anno Primo.

Pius PP. IX.

(*Fac simile.*)

Foris

—

Dilecto Filio
PETRO SCAVINI *Canonico Præposito*
Ecclesiæ Cathedralis Novariensis.

Novariam.

PIO IX

PONTIFICI MAXIMO

RESTITUTORI FELICIUM SÆCULORUM

PETRUS SCAVINIUS.

Duodecimus annus est, Pater Sanctissime, ex quo Institutiones exaravi Theologiæ Moralis universæ, ut epheborum commodis consulerem, qui apud sacra Novariensis Diœceseos Seminaria in spem christiani nominis adolescunt. Quo in opere conscribendo eo præsertim spectabam, ut auream doctrinam Alphonsi De Ligorio, planiori quo fieri posset ratione concinnatam, sacrorum alumnis proponerem. Hic enim media via insistens, a severiori tetricaque disciplina, quæ mortales a pietate deterret, non secus atque a laxiore, quæ Religionis fundamenta convellit, mihi sapientissime recedere visus est. Quemadmodum vero Vir doctissimus, veterum hæreticorum erroribus refutatis, scripta sua ad leges atque instituta Ecclesiæ Romanæ diligentissime exegit; ita ego ipsius vestigiis ingressus, pravas illorum opiniones refellendo, qui post Ligorii tempora christianam sapientiam pervertere conati sunt, singula Romanorum Pontificum in hanc rem Decreta, et Sacrorum Conciliorum responsa subtexui, quæ ad praxim potissimum pertinerent.

Ceterum quum exemplaria hujusce operis, jam semel atque iterum typis evulgati, nunc penitus desiderarentur, tertiam hanc editionem adornandam suscepi. Et quo gratior legentibus accideret, doctrinarum perversitatem pro opportunitate etiam notavi, quæ nostræ ætatis mores præsertim inficiunt, quasque in celeberrima Encyclica Tua QUI PLURIBUS *ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos* tam paterno animo, tantaque sententiarum altitudine lamentaris.

Sed omnium maxime hanc editionem commendat amplissimum Nomen Tuum, quo ipsam decorari pro singulari Tua humanitate passus es, Pater Sanctissime. Quo immortali beneficio ita sum affectus, ut plura omnino videar consecutus, quam homini fas esset optare; præsertim quum non minus præclare mecum actum esse videam, quam cum Ligorio ipso, quem in lucubratione mea ducem sum secutus. Si enim Vir Ille sanctissimus Benedictum XIV nactus est, cujus Nomen libro suo inscriberet, Is mihi Pontifex contigit, qui ita Principatum est auspicatus, ut universi orbis terrarum, nedum christianæ reipublicæ, admirationem sibi conciliaret.

Hic mihi liceat, Pater Sanctissime, felicissimum illum diem memorare, quo Pontifex Maximus, omnibus plaudentibus, renunciatus, bonum omen dedisti populo Romano. Siquidem Tu nomen a Pietate mutuatus, in hominum memoriam revocasti et ingentia molimina, quæ Pium VI olim illustraverant, et invictam inter tot calamitates mansuetudinem, qua Pius VII memoria nostra enituerat. Quumque non parvam Tui expectationem concitasses, incredibile prorsus memoratu est, quanta gloria illam sustineas et tuearis. Quod quidem testantur civiles motus oblivione deleti, sumptus præcisi, publicus census auctus, leges religioni, optimis disciplinis, agrorum cultui et commerciis fovendis opportunæ, viri excellentis ingenii et spectatæ virtutis ad publica munera admoti, aut in provincias legati ad regni necessitates inspiciendas, atque alia complura, ex quibus patet apertissime, Te decem jam menses sic regnare, ut Romana gens imperio Tuo recreata, jam supra ceteras caput extollere et nova quasi luce in omnium oculis nitescere videatur. Quæ omnia tam commode ceciderunt, ut si antea dubitatum fuisset, utrum Pontifices casu, an Deo afflante crearentur, id profecto nunc desiisset dubitari.

Verum hic finis jam sit. Neque enim minus mihi videndum quid modestia Tua pati possit, quam quid meritis Tuis debeatur. Quapropter testatus, me nihil magis cupere, quam facta dictaque mea Tibi probari, Deum immortalem precor, ut omnia consilia Tua sic velit fortunare, ut catholici nominis amplitudo virtutibus Tuis aucta in dies propagetur.

Dabam Novariæ in Insubribus, v. Cal. Majas.
Anno post Christum M. DCCC. XLVII.

AUCTORIS PRÆLOQUIUM

Mirari ne velis, Lector benevole, si inter tot ac ferme sine numero libros, quos ubique ætate nostra videre est de rebus moralibus pertractantes, novam hanc meam tuis sub oculis exhibere, et publicam subire lucem conspicias *Theologiam Moralem universam*. Nam præterquamquod, Augustino docente, *utile est plures a pluribus fieri* (libros) *diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus iisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic* [1]; non habes hic aliam, nisi Theologiam omnibus notissimam et unanimi jam fere Doctorum plausu in Catholica Ecclesia exceptam et commendatam, Theologiam, inquam, s. Alphonsi Mariæ De Ligorio Fundatoris Congregationis Ss. Redemptoris, ac olim Episcopi S. Agatæ Gothorum, de quo *illud imprimis notatu dignum est*, ut verbis utar sanctæ memoriæ Pontificis Gregorii XVI, *quod licet copiosissime scripserit, ejusdem tamen Opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen perspectum est* [2].

En tota nunc studii ac laboris mei ratio: cum nempe comperissem Opus Ligorianum tot laudibus ubique gentium efferri, utpotequod tam difficilem et simul tam ab omnibus exoptatam inter opiniones nimis rigidas et nimis benignas mediam indicet viam: imo ipso Pontificio Oraculo probante, in eo *nil censura dignum* fuisse repertum [3], adeo ut *opiniones, quas, in sua Theologia Morali, profitetur b. Alphonsus, sequi tuto possimus ac profiteri* [4]; illud cito mihi in votis fuit, ut Clericorum nostrorum Theologiæ Moralis studio proludentium usui posset facile accommodari et præ manibus ad pensum quotidianum ipsis exhiberi. Sed quid? annorum complurium experientia, et virorum præstantium auctoritas aperte me docuit, id feliciter obti-

1 L. 1 *De Trin.* c. 2.
2 Bulla canonizationis, § 7.
3 Ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis confirmato a Pio VII 18 maji 1803.
4 Ita Sacræ Pœnitentiariæ responsum confirmatum a Gregorio XVI die 22 julii 1831. *V.* Gousset, jampridem Vicarius Generalis, dein Archiep. Cardin., *Giustificazione della Teologia Morale del beato Alfonso M. De Liguori.* Monza, tip. Corbetta, 1833.

neri non posse, si iisdem Auctoris Nostri textus, qualis est, traderetur; tum ob nimiam rerum copiam; tum ob methodi ac ordinis in iis evolvendis desiderium. Adde tam ingentem illum citationum quasi cumulum, qui si Theologo jam in scientia versato gratus esse solet ac utilis, non item tyroni. Adde tot illas opinionum diversitates fusiori calamo exaratas quas facillime juvenes fastidiunt. Adde tandem defectum definitionum complurium, divisionum, dogmatum et scholasticorum principiorum, quæ licet apud omnes in confesso sint; nondum tamen studiosæ juventuti innotescunt.

Neque magis ad rem facere videntur *Compendia* illa, quæ ex magno suo Opere Auctor ipse confecit [1], vel ab aliis confecta sunt [2]; idem enim in iis plus minusve occurrit desiderium, ut legenti patebit. Hoc ipsum jampridem judicium tulerant et votum expresserant eximii Romani Censores Theologi, P. Michael Dominicus Zecchinelli S. J.; et P. Joachim Ventura Theatinus Juris Pub. Eccl. Professor. Primus ille post datas Theologiæ Ligorianæ promeritas laudes, affirmat *optandum..., ut res tam ampla et multiplex in eam doctrinæ formam redigeretur, quæ junioribus præsertim Clericis ad rem moralem tenendam aptior esset; et cujus usus instruendis maxime ad excipiendas fidelium Confessiones Sacerdotibus, facilior fieret et expeditior.* Alter vero sic habet: *optandum procul dubio erat, ut Moralis Doctrina b. Alphonsi Mariæ De Ligorio, pro qua singulare illud extat et plane gravissimum Sanctissimæ Apostolicæ Sedis Suffragium, quod nempe in ea* nihil censura dignum *invenitur, ad usum Ecclesiasticæ juventutis rei moralis potissimum studiosæ in commodiorem formam redigeretur* [3]. Quapropter si quid est in me ingenii, quod sentio quam sit exiguum; aut si qua exercitatio in rebus scholasticis, in quibus me non inficior me-

[1] 1. *Istruzione e Pratica per li Confessori.* — 2. *Homo Apostolicus.* — 3. *Il Confessore per la gente di campagna.* — 4. *Pratica del Confessore.* — 5. *Praxis Confessarii.*

[2] Nobis innotescunt:

a) *Excerpta ex libro cui titulus, Homo instructus in sua vocatione ad audiendas Confessiones, auctore s. Alphonso De Ligorio, seu sensa ejusdem.* Vesuntione et Novariæ.

b) Galani, *B. Alphonsi Theologia Moralis in compendium redacta.* Bassani, 1821.

c) *Compendium Theol. Moralis s. Alphonsi, sive Medulla* Busembaum. Iriæ, 1840.

d) Neyraguet, *Compendium Theologiæ Moralis s. Alphonsi complectens tum Operis Moralis, tum Operis Homo Apost. substantiam, solamque Auctoris doctrinam.*

e) Panzuti, *Theologia Moralis s. Alphonsi in Institutiones redacta ad usum studiosæ juventutis....* Neapoli, tertio edita, 1840.

f) Gousset, *Théologie Morale à l'usage des Curés et des Confesseurs.* Paris, 1845.

g) Moullet, *Compendium Theologiæ Moralis.* Prati, 1846.

h) *Lexicon Theologiæ Moralis ex Operibus s. Alphonsi De Ligorio.* Vercellis, 1846.

i) Gury, *Compendium Theologiæ Moralis.* 1867 cum adnotationibus P. Ballerini.

j) Grassi, *Universa Theologia Moralis juxta doctrinam s. Alphonsi Ligorii.* Æsii, 1852.

k) Schmitt, *Epitome Theologiæ Moralis s. Alphonsi...* Parisiis, 1848.

l) Colauzzi, *Compendium Theologiæ Moralis s. Alphonsi M. De Ligorio ad usum scholarum.* Patavii, 1862.

m) Frassinetti, *Compendio della Teologia Morale di s. Alfonso M. De Liguori, con apposite note e dissertazioni.*

[3] *V.* in citato Opere Blasii Panzuti hæc Romanorum Censorum vota.

diocriter esse versatum; id omne a me in tantum opus esse conferendum existimavi. Et lubenti sane animo collatum est, ita ut, ipso sancto Alphonso e cœlis certe opitulante, suum jam finem attigerit.

Vides ergo, amice Lector, tum opus ipsum, tum ejus finem et metam, tum denique auctoris mentem et scopum. Singulorum hic tibi Tractatuum exhibetur more stricte scholastico distributio; datæ suo loco scholasticæ definitiones ac divisiones; singulæ materies ad sedem propriam revocatæ; constitutæ ac suis argumentis firmatæ dogmaticæ theses: varii præcipui nominis Auctores in unaquaque materia graviori laudati. In singulis tamen scrupulose semper exhibita ipsius s. Alphonsi doctrina, inspecto tum fusiori *Opere Theologiæ Moralis*, tum etiam aliis ejusdem *Opusculis Moralibus* præcitatis, in quibus (ut Auctor ipse fatetur in præfatione) alia habentur de novo adjecta, alia vero clarius explanata.

Opportuna sic etiam occasio facta est Decisiones Sanctæ Apostolicæ Sedis recentiores tradendi; ipsas Leges Civiles ubicumque opus fuerit in medium proferendi; demum Constitutiones Synodales Novarienses præcipuas adnotandi [1]. Uno verbo id unum curavit tenuitas mea, ut studiosis Juvenibus, qui mihi semper cordi fuerunt, nihil deesset ad eorum instructionem atque profectum. Huic desiderio non omnino me defuisse [2], opusque meum haud ingrate fuisse exceptum, vel ex eo patet, ni fallor, quod brevissimo tempore præteritarum editionum exemplaria omnia elapsa sint, licet plurima; quin interea cessent expostulari quotidie.

Novam iccirco editionem libenter aggredior bonam in spem elatus fore, ut hanc quoque, quæ nova quasi veste induta in medium prodit, benigne sint excepturi Christianæ Ethices amatores. Etenim non solum in ea habentur alia clarius explicata, alia in melius reformata.

1 Quas quidem sapientes Constitutiones dabo in fine cujusque Tractatus in unum collectas. Illas autem a felicis memoriæ Eminentissimo Cardinali Morozzo Novariensi Episcopo editas et nostris et alienis putamus posse congruere; et revera plurimi habentur etiam apud exteras Diœceses, quæ eas non raro citare solent. — *V.* Abrate, *Lo Spirito del parroco.* Roma, 1840.

2 Plura etiam vulgata sunt sapientum judicia, qui Opus hoc meum summa benignitate prosequi non dubitarunt.

V. Il *Cattolico*, Giornale Rel. Lett. Lugano, vol. XXV, p. 24; XXVI, p. 105. — L'*Amico Cattolico*, Giornale rel. Milano, vol. XI. pag. 297. — *Courrier des Alpes*, Journal de la Savoie et des États Sardes; 19 fevr. 1846, n. 22 — *Ami de la Religion.* Paris, vol. CXXXI, p. 797, 31 décembre, 1846. — *Annali delle Scienze Religiose;* vol. V, fasc. 13. Roma, 1847. — *Civiltà Cattolica;* vol. VI, p. 580; anno 1851. — L'*Université Catholique*, Recueil religieux etc.; an. 1855, n. 118. Paris. — L'*Armonia della religione colla civiltà*, Giornale religioso; anno 1856, n. 195, ecc., ecc.

Accedit quod, cum obtulissem unum Operis hujus Exemplar tunc Regnanti Pontifici Gregorio XVI, Is mihi scribere dignatus est sub die 9 maji 1846, se illud *lubentissimo animo excepisse, meque vehementer in Domino commendare, quod in Ecclesiasticæ juventutis utilitate procuranda studuerim.* Sed omnium vicit expectationem singularis humanitas Pontificis Maximi Pii IX, qui non solum scopum et laborem meum *summopere commendavit;* sed mihi veniam fecit, ut tertiam hujus Operis editionem suo Amplissimo Nomine decorare potuerim.

maculæ quæ irrepserant abstersæ, menda quæ effugerant castigata; sed plura inveniuntur de novo disputata, notæ plurimæ ad praxim maxime spectantes adjectæ, demum novæ leges, nova decreta, ac præcipue monita præclarissima, quæ Immortalis ac feliciter Regnans Pontifex suis Encyclicis dabat, locis propriis diligenter exhibita. Quod quidem in ceteris quoque editionibus me facturum polliceor quoad Deus dederit; sacer est enim mihi Magni Pii hortatus, ut nempe pergam quo cœpi animo atque labore.

Item non abs re esse duxi, si ad singulos, quos proferre opus erit articulos Codicis nostri *maxime civilis* [1], fiat simul (ubi res tulerit) collatio respondentium articulorum etiam Codicis Civilis Generalis Austriaci, Galliæ [2], Siciliarum, Parmæ, Status Ecclesiastici, Mutinæ, Hetruriæ atque Ticinensis Reipublicæ [3]. Dixi *maxime civilis*; quando enim res omnino postulaverit, etiam aliorum Codicum ratio habebitur [4].

Sed præfari plura quid prodest? Lubenti ergo animo accipe, benevole Lector, qualecumque opus hoc meum, quod comitati tuæ commendo. Sed potissimum omnia et singula in eo contenta Supremo Sanctæ Apostolicæ Sedis Judicio humillime et ex præcordiis submitto probans quæ Ipsa probaverit, et ab Ipsa reprobata condemnans. Jam igitur sit:

[1] Qui Codex, a Victorio Emanuele II signatus, obligare cœpit ab anno 1866.

[2] Jus Gallicanum a paucis annis apud plures gentes acceptum est magna ex parte, ut in Belgio, in Regno Neapolitano, Pedemontano, in Republica Ticinensi, in provinciis Rheno adjacentibus, in Polonia, Ducatu Parmæ ac Lucæ.

[3] Codex generalis Austriacus civilis, qui cœpit obligare ab anno 1816, citabitur sub literis *C. A.*; — Galliarum Codex, qui perfectus fuit 1804, sub literis *C. G.*; — Codex Duarum Siciliarum, qui cœpit obligare 1 sept. 1819, sub literis *C. S.*; — Codex Parmensis, qui obligare cœpit die 10 julii 1820, sub literis *C. P.*; — Præscriptio civilis Status Romani, seu Ecclesiastici, quæ cœpit obligare 1835, sub literis *C. R.*; — Codex Mutinensis, qui obligare cœpit anno 1852, sub literis *C. M.*; — Leges Status Hetruriæ; ab anno 1814 ad 1844 promulgatæ, sub literis *C. H.*; — Codex Ticinensis Reipublicæ, qui cœpit obligare 16 junii 1837, sub literis *C. T.* Qui tamen omnes Codices in aliquibus reformati fuere.

[4] Sunt autem: — 1) *Codice di Commercio;* 1 genn. 1866; — 2) *Codice della Marina mercantile;* it. 1 genn. 1866; — 3) *Codice di Procedura civile;* 1 genn. 1866; — 4) *Codice di Procedura penale;* 1 genn. 1866; — 5) *Codice penale;* 20 nov. 1859 con modificazioni 26 nov. 1865; — 6) *Codice penale militare;* 1 genn. 1860.

QUÆSTIO PROLEGOMENA, ATQUE TOTIUS OPERIS NOSTRI PARTITIO.

1. Q. 1. *Quid est Theologia Moralis?*

R. Theologia Moralis, si ipsum vocabulum inspiciamus, est illa Theologiæ pars, quæ circa mores versatur [1]. Quemadmodum enim ea, quæ disputat circa Fidei dogmata, *Theologia Dogmatica* appellatur, et qui illi vacant, *Dogmatici;* ita hæc quæ hominum mores considerat, *Theologia Moralis*, et qui illi dant operam, *Moralistæ* vocantur. Ipsa vero Moralis Theologia ratione rei definiri potest: *illa disciplinæ Theologicæ pars, quæ humanas actiones ad morum honestatem dirigit in ordine ad vitam æternam.*

Dicitur primo: *quæ humanas actiones ad morum honestatem dirigit.* Quibus verbis habetur objectum Theologiæ nostræ, tum *materiale*, circa quod nempe ipsa versatur, et sunt actiones humanæ in se spectatæ; tum *formale*, nempe ratio sub qua ipsum materiale objectum attingit, et est ipsarum actionum dirigibilitas ad honestatem. Dirigit autem mediis tutissimis ac sibi propriis, quæ sunt:

1. *Sacra Scriptura*, in ea Dei Verbum continetur falli ac fallere nescium; et *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum* [2].

2. *Sancti Ecclesiæ Patres* nobis dati *ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi* [3]; sunt enim illi clarissimi viri, qui per duodecim prima Ecclesiæ sæcula, nempe usque ad d. Bernardum inclusive, sanctitate, ingenio, susceptisque ob defensionem et illustrationem sacræ doctrinæ laboribus ita claruere, ut gloriosum *patris* nomen ab Ecclesia obtinuerint. Qui vero talem habent doctrinam, ut per eam errorum tenebræ fuerint penitus profligatæ, obscura mire dilucidata, dubia aperte declarata,

[1] Notum est præter generales Theologiæ divisiones tum in naturalem et supernaturalem; tum in dogmaticam seu speculativam, et moralem seu practicam; tum in positivam et scholasticam; tum in polemicam seu disceptatricem, alias speciales adsignari ab accuratioribus tractatoribus, habita ratione objecti specialis, quod suscipitur investigandum. Sic distinguitur Theologia *mystica, ascetica, exegetica, patristica, casuistica, symbolica, liturgica, synodica, homilitica, catechetica, historica:* prout vel dona mysteriosa et supernaturalia; vel perfectionis exercitium et media edocet; vel Scripturæ sensum investigat; vel ex scriptis Patrum argumenta eruit; vel Casuistarum rationem sequitur; vel symbola aut liturgiam, aut concilia evolvit; vel de homilia, aut catechesi, aut historia tractat.

V. Muzzarelli, *Buon Uso della logica;* Opusc. IV: *Teologia.* — Martinet, *Instit. Theolog.;* vol. I. — Bouvier, *Institutiones Theol.* prolegomena, ubi historiam totius Theologiæ pressius enarrat. — Perrone, *Prælectiones Theol. in compendium;* Historiæ Theologicæ cum philosophia comparatæ synopsis. — Ferraris; V. *Theologia.*

[2] II *Tim.* 3. [3] *Eph.* 4.

Scripturarum ænigmata funditus reserata, insuper *Doctoris Ecclesiæ* nomine ab Ecclesia donari solent [1].

3. *Decreta Pontificum*, qui nimirum sunt *totius Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum Patres atque Doctores*, ut ait Concilium Generale Florentinum.

4. *Concilia generalia*, quorum auctoritas patet ex illis Domini verbis apud Matthæum: *ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* exhibent enim totam Ecclesiam infallibiliter docentem. His adde Concilia particularia, quæ sunt aptissima ad doctrinam Ecclesiæ declarandam tempore, quo celebrata sunt: ideo magis si accesserit approbatio S. Sedis, quæ nonnunquam illorum decreta inseruit in Corpore juris canonici.

5. *Traditio constans et firma*, cum error stabilitatem nesciat. Huc revocantur tum *antiquæ liturgiæ*, quæ testimonium publicum constituunt universæ Ecclesiæ [2]; tum *festa, vigiliæ* et *jejunia* ab immemorabili celebrata, quæ quidem fidelium mores testantur; tum *historia ecclesiastica*, aptissima probatio, siquidem in ea religio se exhibet quoddamodo vivens et in actu sub oculis in serie suorum factorum [3]; tum *acta martyrum, epigraphia, pictura, sculptura, numismatica, sarcophaga, sepulchreta* aliaque ad christianam archeologiam pertinentia, quæ totidem sunt media quibus antiqua traditio, antiqui mores ad posteros transmissi sunt atque cognoscuntur [4].

6. *Jus tum canonicum, tum civile* (si tamen canonico non contradicat); cum sint totidem morum ac judiciorum regulæ.

[1] Benedictus XIV, *De Canonizatione SS.*, l. III, par. 2, tres conditiones enumerat ad constituendum Ecclesiæ Doctorem: *eminentem doctrinam, insignem vitæ sanctitatem* et Pontificis aut Concilii generalis legitimi *declarationem*. — *V.* Vecchiotti, *Instit. Canon.* l. I, c. 3. — *V.* Ferraris; V. *Patres*. — Guttier, *De Sanctis Ecclesiæ Patribus*. — Bergier, *Dizionario*; V. *Padri*.

Origenes et *Tertullianus* qui circa eminentem sanctitatem et Ecclesiæ testimonium deficiunt, etsi non raro ob eorum doctrinam et antiquitatem inter Patres adnumerentur, proprie tamen tales haberi nequeunt; his siquidem nonnisi *ecclesiasticorum scriptorum* titulus stricte loquendo convenit, ut notant Annatus et Fessler.

[2] *V.* Knoll, *Institutiones Theologiæ theoreticæ*; v. I: *Introductio*. — Bouix, *De Jure Liturgico*. — Zaccharia, Dissertatio: *De Usu librorum liturgicorum in rebus theologicis*.

[3] *Historia ecclesiastica* est continuatio historiæ sacræ religionis et Ecclesiæ, quam Moyses exorsus est, et Lucas ultimo versu Actuum Apostolorum explevit.

[4] Ad rem Miotti. *Append.* I ad Opus Dieulin, *Il Buon Pastore nel secolo* XIX: « Il Maffei con una lucerna antichissima di metallo fatta in forma di nave, e con s. Pietro che siede in poppa a dirigere il timone, propugna la supremazia del R. Pontefice e grida: *Quel monumento parla più di un libro;* e questa verità è pur confermata da un antichissimo frammento vitreo dipinto. Il dotto Wiseman, con una medaglia fenica, conciliò un'apparente contraddizione tra un luogo del Genesi, c. XXIII, v. 19, ed il c. VII, ver. 16 degli Atti Apostolici. L'Arringhio parlando dell'Opera di Bosio e Severani, *Roma sotterranea*, assicura: che *discoprendosi in essa i riti della Chiesa nascente e il culto delle sacre immagini e l'antica venerazione delle reliquie dei Santi, alcuni eretici in leggendo convertironsi alla santa fede ed abjurarono l'eresia.* Chi volga pur uno sguardo fuggitivo sulle opere archeologiche di Bosio, Arringhio, Bottari, Lupo, Maffei, Boldetti vedrà quante armi si possono assumere a tutela dell'antica tradizione de' cristiani e delle verità fatte segno agli strali singolarmente de' protestanti. » — *V.* Zaccaria, *De veterum christianarum Inscriptionum in rebus theologicis usu*. — Guadagni, *De dignitate et utilitate Monumentorum christianorum*, etc.

7. *Auctoritas Theologorum;* nam in quacumque arte peritis credendum esse res ipsa loquitur: quod pluribus probat Melchior Canus.

8. Demum *ratio,* tam prout a natura nobis indita est, et dicitur *naturalis;* quam prout est principiis Theologicis imbuta, et dicitur *Theologica.* Utriusque magna auctoritas est, si debito modo sumatur; cum ipsius rei viscera quodammodo scrutetur [1].

Hæc sunt loca Moralis Theologiæ: ne in iis interpretandis occurrat abusus, tyrones mittimus ad eruditissimum P. Zachariam S. J. in sua *Dissertatione prolegomena* [2]. Quæ media cum illis quidem convenire videntur, quibus ceteræ Theologiæ partes utuntur; at re discrepant, cum alia credenda, nostra agenda respiciat [3].

Dicitur secundo: *in ordine ad vitam æternam;* hæc enim omnium rerum consummatio est. Unde si finis *proximus* disciplinæ nostræ est honestas in mores inducenda; finis *ultimus* erit ipsa consecutio felicitatis æternæ. Qui enim *se per bona opera exercet*, dicente s. Gregorio, *restat ut quisquis ille est, spe ad supernam patriam tendat; et nequaquam se a vitiis pro hujus mundi honestate contineat* [4]. Ex quibus patet quanta sit hujusce disciplinæ excellentia, et quam late pateat; siquidem omnia officia nostra in hoc mundo rite nos docet, et instruit qua ratione ad portum æternæ salutis pertingere possimus.

2. Q. 2. *Quomodo universa Moralis Theologia dividitur?*

R. Cum tota Theologia Moralis versetur circa actus humanos, cumque in omni actu humano considerandæ se nobis offerant: *causæ*, quæ ipsum efficiunt et constituunt; *regulæ*, quæ ipsum dirigunt; demum *motiva*, quæ ad ipsum aliquo modo movent atque alliciunt; iccirco divisio hæc divisionem suppeditat totius Theologiæ Moralis.

Primo a *causis* incipiendo, quæ actum humanum vere constituunt vel attingunt in suo esse tum physico tum morali, nobis occurrunt *intellectus* et *voluntas*, ad quam accedit *libertas* et *moralitas*. Et en prima Disputatio, quam tamen cum aliis tractatoribus inscribimus: *De Actibus humanis*.

Secundo progrediendo ad *regulas*, quæ humanum actum moderantur, illæ nobis suppeditant Disputationem *De Conscientia* tanquam regula prima humanorum actuum directrice; sicque habetur 1us Tractatus: *De Actibus humanis ac de Conscientia.* — Regula proxima et interna ad remotam et externam cito nos ducit, quæ *lex* est; ideoque sequitur 2us Tractatus: *De Legibus*, cui quidem disputationi sponte quasi sua accedit altera: *De Præceptis Ecclesiæ*, quibus speciatim

[1] Hac utitur singulari modo d. Thomas. — V. *Commentarius apologeticus de usu philosophiæ in Theologicis d. Thomæ Operibus* Fr. D. Th. Valfredi. Genuæ, 1777. — *Amico Cattolico,* Giornale. Milano; tom. XI: *Dell'Uso della ragione in materia di Religione.* — Bergier, *Dizionario;* V. *Ragione.* — Riccardi, *Andiamo alla fede colla ragione.* — *Annali Religiosi;* ser. II, vol. IX. Roma.

[2] Extat sub initio Theologiæ s. Alphonsi, edit. Taurinensi, typis Marietti, qui aliam editionem confecit, quæ est omnium accuratior, continens quidquid Sanctus in ceteris addidit, reformavit, vel explicavit (*Edit. stereotyp.*, 2 tomis, 1847.

[3] *V.* Stapf., *Theologia Moralis in compendium redacta.* Œniponti, tom. I: *Indoles Theologiæ Moralis.* — De La-Chambre, *Introduction à la Théologie.*

[4] *Homil.* XIII in Evangel.

Christianorum mores reguntur. Cum autem non tantum christianus, sed quilibet homo sua peculiaria habeat officia, quibus in suo statu obstringitur, hinc statim subsequitur 3us Tractatus: *De Obligationibus particularibus*.

Tertio ad *motiva* pervenientes, quæ actum humanum provocant et alliciunt, agendum est primo de iis motivis, quæ actum trahunt ad malum, et sunt vitia et peccata, apprehensa sub specie boni. Sicque erit 4us Tractatus: *De Peccatis*, cui adjungetur Disputatio de pœnis, quibus quædam peccata graviora ab Ecclesia puniri solent, nempe *De Censuris*. — Secundo agendum est de iis, quæ actum humanum provocant ad bonum. Sed cum bonum duplicis sit ordinis, naturalis et supernaturalis, tractandum prius de iis, quæ primo intuitu et immediate videntur actum provocare ad bonum in *ordine naturali:* et sunt virtutes morales, præsertim Religio ac Justitia. Erit igitur 5us Tractatus: *De Virtute Religionis;* et 6us *De Virtute Justitiæ*, cui additur 7us, *De Restitutione*, quæ ex ipsius justitiæ violatione oritur. Ne quid autem desiderandum remaneat, brevem ibi adstruemus Appendicem, *De Justitiæ Filiabus ac ceteris Virtutibus Cardinalibus*. — Inquirendo autem motiva, quæ immediate et natura sua actum alliciunt ad bonum in *ordine supernaturali*, seu quatenus ad illud conducunt, occurrunt virtutes Theologicæ ac Sacramenta. Erit ergo 8us Tractatus: *De Virtutibus Theologicis;* et Tractatibus 9°, 10°, 11°, 12°, materiam omnem *de Sacramentis* tum *in genere*, tum *in specie* complectemur. Atque sic tandem, Deo opitulante, Theologiæ nostræ dabimus finem.

3. Q. 3. *Quantanam est Moralis Theologiæ necessitas; et quænam præcipuæ dotes in studioso ac docente?*

R. Ad 1: Non omnes Ecclesiasticos oportet esse magnos oratores, præclaros doctores, eruditos historicos; omnes tamen de Clero morali Theologia valde instructi esse debent, cum hæc ars Ecclesiasticorum omnium sit: secus quomodo poterunt rite Sacramenta ministrare et salutis scientiam populos edocere? hinc doctus Mabillonius: *moralis Theologiæ studium præ aliis excolendum...; huic quamdiu vivitur, omnino danda erit opera* [1].

R. Ad 2: In studioso, ne inaniter laboret, requiritur præcipue *rectus finis*, nempe ut quærat quæ sunt Dei, non quæ sua sunt. *Vehemens studii amor*, hic enim est vehiculum scientiarum omnium. *Frequens oratio ad Deum*, a quo omnis scientia est. Hinc s. Nilus ajebat: *si es theologus, vere orabis; si vere oraveris, theologus vere eris* [2].

R. Ad 3: Etiam pro magistro suæ sunt dotes; qui oportet ut sit eloquio clarus, sententia non dubius, evidentia plenus, ut quidquid ex ejus fonte prodierit, in rivulis audientium sine retardatione recurrat. Ideo pertractanda accurate definiat, principia generalia exemplis illustret, rem totam practicis casibus explicet; parcus in citationibus, alienus a subtilitatibus et argutiis. Discipulorum intelli-

1 *De Studiis monast.* p. III, c. 2. 2 *V.* Riccardi, *Pratica de' buoni studi;* c. I.

gentiæ se se accommodet; librum elementorum plurimi faciat, cujus ordinem sequatur, doctrinas dilucide exponens; ejusque studio alumni quam diligentissime incumbant, ad literam illum reddendo, si velint in decursu, ut aliquid eorum memoria retineat. Pigros excutiat, debiles adjuvet, omnibus omnia factus; interroget frequenter, experimenta instituat; examina curet; sine acceptione, sine fastidio, sine præcipitantia, cordati magistri sustineat curas, non vilis mercenarii.

MONITA STUDIOSIS.

Monitum primum.

1. Ne quis inter Tyrones nostros animo perturbetur ad quasdam voces scholasticas quæ sæpius occurrent; juverit sub initio una vice pro omnibus animadvertere, quod sicut in Philosophia, in Jurisprudentia, in Medicina, ceterisque scientiis, ita et in Theologia quædam fuere inducta breviora vocabula, quæ ex tacita quadam Auctorum conventione vim habent significandi, et communi eorum consensu adhibita sunt, ad evitandas longiores verborum circumlocutiones: *thecnica* (id est *propria alicujus scientiæ vel artis)* a Græcis appellantur. Cum porro eorum usus in Scholis sit antiquissimus, cum scriptorum et doctorum omnium auctoritate innitantur, cum denique ubi semel fuerint bene percepta, in proprium finem mirifice inserviant; injustus profecto esset et irrationalis quicumque vellet eadem rejicere et aspernari. Ita igitur habenda sunt, ut valeant erosorum nummorum instar, nempe explicari debent ubi opus; rejici tamen non debent unquam. Novitatum amatores in *Thecnologia Scholastica* audiant celeberrimum Canum (l. II de Loc. Theol.): *Scholæ propria verba peculiaresque loquendi formas submovere non audeo; nam etsi disputare cupio ornatius quam solent nostri; at non debeo tamen labores duos afferre theologis, unum in rerum, alterum in verborum intelligentia.* — V. La-Motta, *Saggio intorno al socialismo;* vol. II.

Thecnicorum vocabulorum vim explicant passim: — 1) quoad vocabula maxime Liturgica vide Macri, *Notizia dei vocaboli ecclesiastici;* — 2) quoad nomina in Theologicis disputationibus a veteribus, et præcipue a d. Thoma consecrata: Zama Mellini, *Lessico peripatetico.* Item *Lexicon Philosophiæ peripateticæ*, auctore Nuntio Signoriello. Neapoli, 1855; — 3) quoad verborum significationem in re canonica atque civili: Vicat, *Vocabularium Juris utriusque;* — 4) quoad voces a græca lingua mutuatas: Marco-Aurelio Marchi, *Dizionario tecnico-etimologico-filologico;* — 5) quoad proverbia quæ sunt in usu: *Adagia quæcumque*, Pauli Manutii *studio*, etc.; labor a Tridentinis Patribus Manutio mandatus; — 6) quoad rem diplomaticam: Mabillon, *De re Diplomatica;* et Fumagalli, *Delle Istituzioni diplomatiche, ossia sui Diplomi*; vol. II. Milano, 1802.

Hic non parum inservit tum Bergier, *Dizionario enciclopedico della Teologia;* tum D'Avino, *Enciclopedia dell'ecclesiastico;* tum maxime Moroni, *Dizionario di erudizione ecclesiastica;* itemque Ferrari, *Prompta Bibliotheca canonica, juridica, moralis, theologica, nec non ascetica,*

polemica, rubricistica, historica; Opus quod studio Monachorum Ordinis S. Benedicti Abbatiæ Montis-Cassini a mendis expurgatum atque additionibus adauctum nuper impressum est; tum *Dizionario delle Date;* tum denique *Appendices* nostræ, lib. IV, ubi præcipua explicamus thecnica vocabula.

Monitum secundum.

5. Adnotationes, quæ magis ad ornatum pertinent, casus singulares respiciunt, et hodiernam maxime praxim, atque serpentes errores insectantur, si exiguæ sint, in fine cujuslibet Tractatus sub totidem alphabeti literis ponimus; si diffusæ, sub totidem Appendicibus ad Librum quartum eis locum damus, ut ita in textu doctrina nostra majori gaudeat unitate et sub uno veluti obtutu facilius tota conspiciatur.

Quod si plures citamus Auctores, id non est ad vanam ostentationem, sed ut purissimos fontes indicemus iis, qui cupiunt materiam aliquam undequaque excutere ac pensitare.

Monitum tertium.

6. Theologia Moralis differt a *jure canonico*, quia studium canonici juris situm est in addiscendis Ecclesiæ legibus; differt a *jurisprudentia canonica*, quæ quidem respicit legum ipsarum interpretationem et applicationem ad peculiares casus occurrentes; differt a *theologia dogmatica*, hæc enim disserit de fide et de rebus divinis universim, ut statuat et firmet regulas credendi; e contra Moralis Theologia, de qua ex professo agimus, disserit de virtutibus et vitiis, ut statuat et firmet regulas agendi, in foro præsertim interno. Quia tamen omnes istæ disciplinæ mutuum sibi auxilium suppeditant, hinc ferme impossibile est, ut qui de una pertractat, alias etiam non attingat: quod a nobis quoque factum est, hac item ratione, ut undequaque veritas propugnetur, et qui non potuerunt illis expresse vacare, habeant in Opere nostro quod interest magis.

Hic vide, inter plura, *Institutiones Juris Canonici publici et privati ad usum Scholarum accomodatæ*, auctore R*** vol. II. Lacostre, 1853. — Soglia, *Institutionum juris publici et ecclesiastici;* vol. II. Mutinæ, 1850. — Vecchiotti, *Institutiones canonicæ;* c. II, § 3. Taurinii, 1867. — *Prælectiones habitæ in Seminario S. Sulpitii;* vol. III. Parisiis. — Et Opus nostrum, *Novum Manuale Compendium Juris Canonici universi tum publici tum privati, methodo scholastica, accomodatum in usum Clericorum studiis theologicis proludentium.* Mediolani apud Oliva, 1865 (in tria vol.; sed nonnisi primum editum est, et agit de *Prolegomenis*, quod est præcipuum).

LIBER PRIMUS

TRACTATUS PRIMUS

DE ACTIBUS HUMANIS ET DE CONSCIENTIA

DISPUTATIO PRIMA

DE ACTIBUS HUMANIS.

?. Q. 1. *Quid est actus generatim et quotuplex?*

R. Ad 1: Actus qui ab homine fit, generatim acceptus nihil est aliud, quam *animi motus*. Homo nempe vi quadam sibi propria aliquos efficit motus tum internos et in se ipso, tum externos et in corpore, quorum principium est semper ejusdem anima. Hinc s. Augustinus actum charitatis vocat *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum* [1].

R. Ad 2: Actus triplicis generis distinguuntur, inspecto triplici modo, quo ab homine fieri possunt. — Alii videlicet fiunt ab homine mere naturaliter, quatenus nempe est animal simpliciter, uti est respiratio. Et isti dicuntur *actus mere naturales* seu *organici;* suntque homini cum belluis communes: unde ad mores non pertinent. — Alii vero fiunt ab homine, quatenus est animal rationale (seu quatenus a belluis distinguitur), non adhuc tamen ab eo fiunt agente modo rationali, id est per intellectum et voluntatem: talis est actus, quo quis sine ulla mentis advertentia ridet, loquitur, vel frontem sibi palpat [2]. Et isti dicuntur *actus hominis, actus indeliberati*, vel etiam *actus* aut *motus primo-primi:* qui pariter nihil referunt ad mores. — Alii denique fiunt ab homine agente ut homo est, cum debita nempe advertentia mentis et voluntatis deliberatione. Quia vero isti soli actus libere et determinate producuntur, et soli capaces sunt bonitatis vel malitiæ, ac digni præmio vel pœna, idcirco ii soli a Theologis in Schola, duce Angelico Præceptore, nuncupantur *actus humani;* ad rem enim habet: *actionum,*

[1] L. III *De Doct. Christ.* — *V.* Taparelli, *Saggio teorico di diritto naturale* ecc.; tomo I. — Alii actum definiunt *facultatem agendi in exercitio positam*, vel *etiam exercitium facultatis agendi.* Gury.

[2] Huc spectant etiam actus illorum, qui rationis usu vel exercitio carent, ut pueri, dormientes, deliri. Item actus illorum, qui subito iræ impetu trahuntur, non advertendo.

quæ ab homine aguntur, illæ solæ proprie dicuntur humanæ, *quæ sunt propriæ hominis in quantum est homo. Differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis in hoc, quod est suorum actuum dominus. Unde illæ solæ actiones proprie vocantur* humanæ, *quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem: unde liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis. Illæ ergo actiones proprie* humanæ *dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt: si quæ autem aliæ actiones homini conveniant, possunt dici quidem* hominis actiones, *sed non proprie* humanæ; *cum non sint hominis in quantum est homo* [1].

Diximus *a Theologis in Schola;* nam actus humanus, si philosophice ac generatim spectetur, definiri potest: *actus ab homine procedens ex intellectus cognitione et voluntatis motu.* Ponimus *voluntatis motu*, ut indicemus actum humanum in genere haberi quocumque modo voluntas moveatur, etiamsi necessario: quo sensu actus quo quis suam in genere beatitudinem prosequitur, licet necessarius, est tamen actus humanus.

Verum cum hic a nobis non considerentur humanæ actiones, nisi prout legi directivæ subjectæ sunt, atque ad mores pertinent; ideo merito uti tales eas habemus, quæ a deliberata voluntate procedunt, sive a libero nostro arbitrio, quod quidem fundamentum est imputabilitatis. Hinc illud d. Thomæ: *ibi incipit genus moris, ubi primo dominium voluntatis invenitur* [2]; et iterum: *idem sunt actus humani et morales* [3]. Et sub hoc respectu, ait Antoine, *sunt quasi synonimæ voces* humani, morales, liberi. Ex quo patet ad actum humanum stricte sumptum, seu ad actum liberum duo requiri, intellectum qui bonum sectandum aut malum fugiendum proponit, et voluntatem immunem ab omni antecedenti necessitate, quæ pro suo libitu ad hoc vel illud se determinat.

S. Q. 2. *Quotuplex est actus humanus stricte sumptus?*

R. Actus humanus proprie dictus, seu stricte sumptus, dividitur:

1. In *elicitum* seu immediatum, qui immediate a libera voluntate procedit, qui nempe perficitur et consummatur in ipsa voluntate absque adminiculo alterius facultatis, uti sunt volitiones et nolitiones pure internæ. Et in *imperatum* seu mediatum, quem voluntas imperat potentiis sibi subjectis, qui nempe procedit quidem a voluntate, sed complementum non habet nisi per ministerium alterius facultatis, vel internæ vel externæ [4]; et ideo:

[1] 1, 2, q. 1, a. 1. [2] In 2, D. 24, q. 3, a. 2.
[3] 1, 2, q. 2, a. 6. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, *Tract Præamb.*; nn. 1 et seq.
[4] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, *Tract. Præamb.*, n. 4.

2. Actus imperatus duplex numeratur: alter *internus* qui ab internis animæ potentiis tantum prodit, ut actus fidei qui fit ex libero voluntatis impulsu; alter *externus* quem voluntas per corporis organa producit, ut est deambulatio, quæ provenit a potentia exteriori, id est a potentia motrice corporis [1]. Actus imperatus non est liber libertate sibi propria, sed eam habet communem cum actu elicito, a quo imperatur et cum quo unum quodammodo integrum actum componit *(A)*.

3. Uterque actus elicitus et imperatus dividitur in *bonum* qui consonat cum recta ratione, et in *malum* qui ab ea declinat. Actus bonus iterum duplex: *naturalis* qui potest fieri ex solis naturæ viribus, et ideo præmio temporali dignus, uti amor parentum, miserorum commiseratio; et *supernaturalis* qui innititur auxilio divinæ gratiæ, uti sunt præsertim actus theologici fidei, spei et charitatis, æterno præmio digni.

4. Actus supernaturalis dividitur in *meritorium de condigno*, et est illud quod habet quamdam veluti æqualitatem cum præmio ipso, ut hoc debeatur aliquo modo ex justitia, accedente promissione præmiantis: tales sunt actus justorum, quibus ipsi merentur augmentum gratiæ et gloriæ. Et in *meritorium de congruo*, cui deest æqualitas cum præmio, quodque propterea non tribuitur nisi ex fidelitate, aut liberalitate præmiantis: tales sunt actus, quibus nos positive ad justificationem disponimus. Hoc evenit in ipsis actibus naturalibus: sic militi strenue bellanti stipendium debitum est de condigno; aliquod vero præmium, nonnisi de congruo.

5. Demum actus vel est *validus*, vel *invalidus*. Actus *validus* ille est qui gaudet omnibus requisitis essentialibus ad suum esse; *invalidus* est qui caret vel uno tantum ex essentialibus requisitis, qui proinde effectum non producit, et est tanquam si ille minime esset positus.

9. Q. 3. *Quænam et quot sunt principia actuum humanorum?*

R. Principia actuum humanorum dicuntur ea veluti elementa, ex quibus actus ipsi conflantur. Jam vero in quolibet actu humano tria considerandа se se nobis exhibent, nempe *causæ* quæ actum ipsum constituunt; *regulæ* quæ ipsum dirigunt; tandem *motiva*, quæ ad ipsum movent. Patet idcirco tria esse actuum humanorum principia:

1) *Constituentia*, et sunt intellectus et voluntas, quibus necessario conjunguntur libertas uti fundamentum et moralitas uti effectus: 2) *dirigentia*, et sunt conscientia et lex; 3) *allicientia*, et sunt virtutes atque vitia, quatenus nostræ proponuntur voluntati vel uti honesta, vel uti utilia, vel uti delectabilia.

[1] Actus internus, *actus* specialius dicitur; actus externus potius *actio* nuncupatur.

CAPUT PRIMUM

DE INTELLECTU, VOLUNTATE EJUSQUE ACTIBUS ET IMPEDIMENTIS.

10. Q. 1. *Quid est intellectus?*

R. Illa animæ nostræ facultas quæ circa objecta cognoscenda versatur, *intellectus* nomine venit. Ab hac intellectus operatione oritur cognitio sive intelligentia, sine qua patet nullum dari actum humanum proprie dictum: hinc Deus homines creando *disciplina intellectus vestivit eos* [1].

Patet autem, quod non sunt actus diversæ speciei sive rem primo cognoscere, sive cognitionem eandem repetere; et ideo memoria et intellectus non sunt duæ facultates distinctæ. Quemadmodum neque differunt inter se, intellectus *speculativus* et *practicus*, prout eum communiter distinguere solent cum d. Thoma [2]; sed idem intellectus vocatur *practicus* quando elicit cognitionem dirigentem ad opus; *speculativus* quando cognitionem elicit sistentem in sola contemplatione sui objecti.

11. Q. 2. *Quid est voluntas?*

R. Volumus, nolumus, amamus, aversamur, speramus, timemus aliquid; ergo facultatem habemus has operationes eliciendi. Hæc porro facultas est, quæ *voluntas* vocatur, quæque definiri potest: *illa facultas animi quæ propositum sibi ab intellectu objectum prosequitur vel fugit;* prosequitur, si illud uti bonum apprehendit; fugit, si uti malum cognoscit.

Ut perspicue definitio intelligatur, sciendum duplicem in homine esse facultatem, unam *cognoscentem*, alteram *appetentem*. Facultas cognoscens appellatur *mens* vel *intellectus*, et ejus officium est res, ut in se sunt, percipere ac cognoscere. Facultas vero appetens dicitur *voluntas*, et officium ejus est exhibitum sibi a mente seu ab intellectu bonum prosequi, et malum aversari et fugere. Cum vero nihil prosequi possit aut amari uti bonum, nihil abominari aut odio haberi uti malum, nisi idem prius sit cognitum, quia ex vulgari adagio *voluntas non fertur in incognitum*, et *ignoti nulla cupido;* idcirco in voluntatis definitione fit mentio intellectus, tanquam illius facultatis, quæ nempe bonum vel malum voluntati ipsi proponit *(B)* [3].

[1] Eccl. 17. [2] 1, p. q. 79, a. 2.

[3] An autem intellectus et voluntas realiter ab anima distinguantur, Thomistæ affirmant; sed negant recentiores ajentes unam eandemque hominis animam, prout rem cognoscit, *intellectus* nomine designari; prout vero in eam tanquam sibi bonam inclinat, aut ab ea tanquam mala refugit, *voluntatem* appellari.

12. Q. 3. *Quid est voluntarium et quotuplex?*

R. Ad 1: Quilibet motus voluntatis in rem aliquam per intellectum præcognitam, *voluntarii* nomine designatur. Sed Theologis communiter cum Angelico illa semper arrisit voluntarii definitio, quam tradidit Aristoteles: *voluntarium est id, quod procedit a principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actio* [1]. Dicitur 1) *a principio intrinseco*, idest ab ipsa voluntate prævia intellectus cognitione, hæc enim sunt principia interiora hominis agentis; 2) *cognoscente singula in quibus est actio*, nempe objectum, finem et circumstantias, quæ actionem comitantur; nam voluntas non fertur in incognitum. Hinc si quæ actionis circumstantia ab agente prorsus ignoretur, actio relate ad circumstantiam illam non erit voluntaria, hoc ipso quia non cognita. Sic si quis percutiat hominem ignorans eum esse Sacerdotem, reus quidem erit injustitiæ, non sacrilegii; quia sacram illam Sacerdotis qualitatem in homine percusso ignorabat.

Ex hac definitione patet voluntarium differre a spontaneo et volito: 1) a *spontaneo*, quia spontaneum est quidem a principio intrinseco et cum aliqua cognitione finis; sed materiali, imperfecta et sine advertentia ad media illa, quibus finis ipse obtinetur. Sic ebrio spontanea est vini potatio, cujus finis ipsi aliquatenus quidem innotescit, non tamen uti talis; cum cæco quodam impetu tendat in vinum [2]; 2) a *volito* quia etsi volitum sit voluntatis objectum, non tamen necessario a voluntatis ipsius influxu procedit. Sic pluvia est volita ab agricola, nec tamen dici potest eidem voluntaria; cum ea non sit in illius potestate.

R. Ad 2: Voluntarium multiplex distinguitur:

1. Aliud est *voluntarium necessarium*, et aliud *voluntarium liberum*. Voluntarium *necessarium* est illud, quod sic a voluntate proficiscitur, ut positis omnibus ad agendum præponendis, non possit non agere. Sic beati in cœlo Deum necessario diligunt; sic homo in terris necessario prosequitur felicitatem. — Voluntarium vero *liberum* est illud, quod sic procedit a voluntate, ut positis etiam ad agendum præponendis, adhuc tamen possit non agere, si ita ei libuerit. Sic adolescens post parata omnia ad ludendum paranda, potest adhuc a ludo se abstinere si velit [3].

Quidquid sit, cavendum, ne duæ facultates, intellectus et voluntas simul una confundantur; sunt enim omnino diversæ et essentialiter a se invicem discriminatæ, cum diversa omnino sint eorum munera et officia. *Hegel unificò la volontà umana coll'intelletto, e così tolse libertà, merito e demerito nelle umane azioni.* Ita clariss. La Motta, *Saggio intorno al Socialismo, ed alle Dottrine e tendenze socialistiche.*

[1] L. III. *Etich.* — Et s. Thomas, l. II, q. 6, a. 1 et seq.

[2] Ad tuendum dogma catholicum de hominis libertate contra Lutheranorum, Calvinistarum et Jansenistarum errores attente et diligentissime retinere oportet differentiam quæ est *spontaneitatem* inter et *libertatem;* neque putandum sermonem hic esse de verbis, cum ex adverso quæstio sit de re et doctrina momenti gravissimi.

[3] Ratio voluntarii perfectius reperitur in actibus necessariis, quam in liberis: quo enim fortior est amor, eo major propensio est. Unde s. Thomas, q. 22, de Verit. 2. a. 5.

2. Aliud est *voluntarium perfectum*, aliud *voluntarium imperfectum*, aliud *voluntarium simpliciter*, et aliud *voluntariumse cundum quid*. — Voluntarium *perfectum* est illud, quod procedit a voluntate cum perfecta cognitione, qua rationes boni et mali innotescant. Sive est illud quod fit ex plena cognitione rei: uti si quis perfecte sciens et volens carnes manducet die vetito. Voluntarium *imperfectum* seu semivoluntarium est quod a voluntate procedit cum cognitione imperfecta, qua nempe clare non innotescant boni et mali rationes ad usum libertatis perfectum, sed subobscure; et ideo non habetur plena deliberatio. Tales sunt actiones hominis non perfecte vigilis, sed semisopiti aut ad alia distracti.

Voluntarium *simpliciter* procedit a plena voluntatis inclinatione sine repugnantia ulla: sic actu simpliciter voluntario adolescens ad animi sui solatium vult ludum, cum possit aliud solatii genus sibi eligere, v. g. deambulationem. Voluntarium *secundum quid* provenit quidem a voluntatis consensu, sed conjunctam semper habet aliquam ipsius voluntatis repugnantiam: sic actu voluntario secundum quid nauta, urgente naufragii periculo, projicit merces suas in mare. Actus iste ex una parte est voluntarius, quia ita se gerit ad salvandam vitam; sed ex alia parte repugnantiam includit, quia si posset, mercem servaret sibi libenter [1]: unde hic aliquid habetur voluntarii simul et involuntarii.

3. Aliud est voluntarium *actuale*, aliud *virtuale*, aliud *habituale*, aliud *interpretativum*. Voluntarium *actuale* est illud, in quod immediate ac directe voluntas hic et nunc fertur. Sic voluntaria actualiter mihi est, v. g. hæc mea responsio ad quæsitum propositum. *Virtuale* est actus voluntatis jam quidem præteritus, qui tamen in aliqua re, quæ humano modo fiat, moraliter perseverare censetur tanquam in suo effectu, et ideo est illius causa. Sic v. g. in viatore, qui *cupit optatam cursu contingere metam*, passus singuli quos movet ad illam, sunt ipsi virtualiter et implicite voluntarii, etiamsi ad singulos non attendat, imo iter agens de rebus omnino diversis cogitet. Ratio est, quia passus illi proficiscuntur a voluntatis actu, quo viator ab initio voluit iter ad metam illam suscipere.

Habituale est actus voluntatis præteritus et non retractatus, sed quin sit causa ejus quod postea fit: sic v. g. heri volui quod Missa

ait: *non pertinet ad impotentiam voluntatis, si naturali inclinatione de necessitate in aliquid feratur, sed ad ejus virtutem; sicut grave tanto est virtuosius, quanto majori necessitate deorsum fertur; pertineret autem ad ejus infirmitatem, si ab alio cogeretur... Necessitas naturalis non repugnat dignitati voluntatis, sed sola necessitas coactionis.* Attamen voluntarium in Scholis regulariter sumitur pro libero.

1 Voluntarium *simpliciter* dicitur etiam *plenum; voluntarium secundum quid* dicitur *non plenum.* — *V.* Basæus, *Florum Theol. practicæ.*

hodierna applicaretur et prodesset Titio defuncto; si hodie immemor talis specialis applicationis Missam celebro prout quotidie soleo, hæc illi defuncto prodest vi intentionis habitualis, hoc est voluntatis præteritæ non retractatæ, quæ ideo dicitur habitualiter permanere, etsi non fuerit causa, quod ego Missam celebraverim [1]. — Demum *interpretativum* est illud, quod nunquam habitum fuit, sed in tali facti specie prudenter præsumi potest adesse: sic si ego quid tollam de facultatibus amici mei animo restituendi probe sciens, si ipse adesset, certe mihi commodaturum quod sumo, hæc acceptio esset amico meo voluntaria interpretative.

4. Aliud est *voluntarium expressum*, aliud *tacitum*, aliud *directum* (seu *positivum*), aliud *indirectum* (seu *negativum*). — *Expressum* est quod externe declaratur: ut si quis interrogetur an velit, et respondeat *volo*. *Tacitum* est quod non declaratur externe, sed satis ex facto aliquo, vel alicujus facti omissione colligitur adesse [2]: ut si rogem te, ut meum munus accipias, et ipse taceas: tunc silentium pro tacita assensione habetur [3].

Tandem quoad voluntarium *directum* et *indirectum* audiatur Gousset: *il volontario è* diretto *quando l'atto è voluto in sè stesso; quando la volontà conducesi direttamente, senza intermediario ad un tal atto: tal è, p. e., l'omicidio in un uomo che, volendo la morte del proprio nemico, gli ha dato di sua mano o gli ha fatto dare il colpo mortale. Il volontario è* indiretto, *quando l'atto non è voluto che nella sua cagione, il che ha luogo ogni volta che si prevede dover il tale o tal effetto risultare dall'atto che l'uomo si propone di fare, da un andamento, o da una occasione che si pone volontariamente.* Quod quidem est verum voluntatis objectum, licet indirectum; qui enim vult causam vult quoque effectum ex ea sequentem, si effectum hunc prævideat.

13. *Quid* (quæres) *requiritur, ut actus ex actione, vel omissione nostra proveniens, sit culpabilis in causa?*

R. Ut actus seu effectus ex actione vel omissione nostra proveniens sit culpabilis in causa, tria hæc requiruntur:

1. Ut adsit lex, vi cujus agens teneatur ejus causam auferre

1 *V.* Lugo, *De Sacramentis in genere;* disp. VIII, n. 72.

2 Hinc regula juris in 6, n. 43: *qui tacet, consentire videtur.* Hoc tamen intelligendum est: 1) in favorabilibus; 2) cum quis de pluribus rogatus, de uno silet, dum reliqua recusat; 3) si id specialius jus decernat, ut patet de sponsalibus quæ parentes contrahunt pro filiis silentibus; 4) ed iis, in quibus dissentire tenemur. Secus valet alia regula: *is qui tacet, non fatetur.* — « Il silenzio, p. e., che si serba udendo maldicenze e bestemmie, non sempre debb'essere preso per un segno di approvazione: spesse volte in simili casi si tace per prudenza, o per evitare un mal maggiore. » Ad rem *Gousset.*

3 Differt voluntarium *interpretativum* a *tacito*, eo quod in illo nullus, in hoc verus adsit consensus. Utrumque tamen dici solet *voluntarium præsumptum*, quia consensus præsumitur satis adesse.

vel omittere; *ubi enim non est lex, nec prævaricatio.* Nemo autem tenetur causam auferre, cum illius ponendæ jus habet repositum in necessitate, utilitate vel honestatè; quia ex juris regula *prosequenti jus suum non imputatur effectus præter intentionem secutus.* Sic nulla culpa est in illo, qui dum ob propriam et aliorum utilitatem ac directionem studet materiis sexti præcepti Decalogi, turpes quasdam patitur sui corporis perturbationes, dummodo illas voluntate sua aversetur, neque prudens adsit periculum eas approbandi; tunc potius habetur passio, quam actio. Sic etiam mulieri honeste se ornanti nullimode mala curiosorum desideria imputantur.

2. Ut agens talem effectum impedire possit: *quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest?* neque sane *ad impossibilia datur obligatio.* Quod vel ipsa civili lege firmatur, ex qua, licet quisque teneatur de damnis latis a sibi subjectis, quia tamen difficulter liber homo coerceri potest; ideo si valeat probare, se damnum impedire non potuisse, ab onere liberatur [1].

3. Ut qui ponit actionem vel eam omittit, advertat saltem in confuso talem effectum ex actione vel omissione illa secuturum esse; quia *nil volitum, quin aliquo modo sit præcognitum.* Nempe requiritur ex Angelico, ut eventus sequens sit *præcogitatus* [2], sive *prævisus et intentus*, ut ipse se explicat [3]: tunc vero, ait Sylvius, effectus censetur intentus non solum quando ex proposito intenditur, sed etiam quando sic prævidetur secuturus, ut potuerit ac debuerit impediri; tunc enim est indirecte voluntarius. Hinc si non imputatur Nóémo ebrietas, quia vehementissimam vini vim haud sciebat, ideoque nec poterat illam advertere; imputatur tamen Davidi scandalum ex ejus peccato profectum; fuit enim ab eo indirecte volitum, cum utique sciret omnium oculos in regem esse conjectos.

14. In foro tamen externo, cum animus inspici a judice non possit, res tota resolvitur ex communiter contingentibus; quæ enim communiter contingunt, prævisa censentur. Hinc ex lege civili proprietarius alicujus animalis tenetur de damnis ab illo illatis: cum enim animalia cæco ductu ferantur, quisque scire debet ipsis esse continuo invigilandum [4]. Diximus *quæ communiter contingunt;* effectus enim malus qui sequitur per accidens ex causa voluntaria, non est ad culpam imputabilis (nisi adsit circumstantia specialis, unde prævideatur effectus): v. g. vendere arma in genere nullum est malum, etsi quis illis sit abusurus, quia venditio non habet necessariam connectionem cum abusu, nec abusus fuit prævisus.

15. Q. 4. *Quænam sunt voluntarii impedimenta?*

R. Ea omnia, quæ voluntatis motus vel impediunt vel minuunt

[1] Art. 1153; — C. A. 1314; — C. G. 1384; — C. S. 1338; — C. M. 1395; — C. T. 1095.
[2] 1, 2, q. 23, a. 1. — Liguori, *Op. Mor.*; l. v, *Tr. Præamb.*, n. 10.
[3] Q. 73, a. 8.
[4] Art. 1154; — C. A. 1320; — C. G. 1385; — C. S. 1339; — C. M. 1396; — C. T. 1095.

vel quomodocumque lædunt, dicuntur voluntarii impedimenta, quatenus voluntatis actibus adversantur; eaque involuntarium constituunt. Porro involuntarium proprie loquendo definitur: *id, quod est aliquo modo contra inclinationem voluntatis.* Sic v. g. homini in carcere detento involuntaria est pœna illa qua sua libertate privatur.

Hæc autem impedimenta quæ causant involuntarium, quatuor numerantur, quorum duo propensioni voluntatis opponuntur, et sunt *violentia* et *metus;* duo vero opponuntur intellectus cognitioni, nempe *ignorantia* et *concupiscentia.*

Art. I. — *De violentia et metu.*

16. Q. 1. *Quid est violentia?*

R. Violentia (seu vis et coactio[1]) definitur: *id quod est a principio extrinseco, repugnante omnino eo qui vim patitur.* Ex quo patet ad violentiam requiri: 1) ut ea sit *a principio extrinseco*, quia nemo proprie dici potest sibi ipsi violentiam inferre; 2) ut patiens repugnet *pro viribus*, idest omni conatu; nam si quis *secundum passionem* se habeat, scilicet cum voluntate patiendi ab alio, non conferret quidem ad violentiam agendo, sed conferret *volendo pati* (ait Angelicus): unde tunc non potest dici vera violentia, aut nonnisi imperfecta violentia [2].

17. *An* (quæres) *voluntas quoad actus suos violentiam pati possit?*

R. Vel agitur de actibus imperatis, vel de elicitis tantum:

Si de *imperatis*, clare patet, voluntatem posse violentiam pati seu posse impediri in suo exercitio; sane actus imperati sive interni sive externi a voluntate ipsa exercentur ministerio alterius potentiæ, quæ quidem aliquando esse potest contra voluntatis inclinationem. Esset v. g. si voluntas imperaret intellectui, ut aliquid speciale consideret; sed intellectus aliis sit distractus; vel si imperaret motum pedibus, qui tamen catenis obstricti moveri nequeant *(C).*

Si vero agitur de actibus *elicitis*, tunc dicimus voluntatem non posse violentiam pati. Re quidem vera eliciti actus sunt ipsamet inclinatio voluntatis; ergo non possunt esse violenti, seu contra ipsam inclinationem voluntatis: alioquin voluntas eodem tempore vellet et nollet [3]. Hinc Scriptura: *velle adjacet mihi* [4]; et Anselmus: *invi-*

[1] Stricte loquendo, *involuntarium*, *coactum* ac *violentum* in hoc differunt, quod *primum* dicitur de solo agente rationali; *secundum* de solis rebus animatis sive ratione præditis, sive non; *tertium* vero dicitur etiam de rebus inanimatis, imo magis proprie dicitur de ipsis tantummodo. — *V.* Taparelli, *Saggio Teorico*; §§ 193 et 724. — Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc. V. *Vis.*

[2] 1, 2, q. 6, a. 5. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*; l. v, *Tract. Præamb.*, n. 15.

[3] Quod si aliquando videatur voluntas a tentatione cogi ad peccatum, hoc non est vera violentia; sed illecebra est et incitamentum, nam voluntas semper est quæ peccat.

[4] Rom. 7.

tus nemo potest velle; quia non potest velle nolens velle [1]. Et vel ipse Seneca gentilis: *corpora obnoxia sunt dominis, mens sui juris est* [2]. *(D).*

18. Q. 2. *An violentia tollat voluntarium et excuset a culpa?*

R. Violentia proprie dicta tollit utique omne voluntarium in ea, quæ ponitur, actione; quando enim patientis voluntas resistit agenti extrinseco pro viribus, et potentia tam interna quam externa, tunc opus agentis extrinseci nullo modo volitum est a patiente; ac proinde eidem est involuntarium simpliciter et absolute, ac nullimode imputabile. Hinc d. Augustinus excusat a peccato fœminas illas, quæ Roma a Gothis capta, vim barbare passæ sunt; quia pro totis viribus repugnaverant [3]. Hinc etiam excusatur mulier illa, cognomento Bona, quæ a marito ad idolis sacrificandum per vim trahebatur, aliis tenentibus ejus manus: *non ego feci*, merito clamabat, *vos fecistis* [4].

Diximus *proprie dicta;* si enim violentia non sit secundum se tota, non tollit, sed minuit dumtaxat voluntarium. Nam ubi voluntas non resistit quantum potest, ibi remanet in parte aliqua ratio voluntarii; et secundum majorem vel minorem resistentiam, actio erit magis vel minus voluntaria et culpabilis [5].

19. Q. 3. *Quid est metus et quotuplex?*

R. Ad 1: Metus seu timor, definiri potest: *mentis trepidatio ex repræsentatione mali vel futuri vel impendentis.* A quibusdam autem brevius definitur: *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio.* Metus differt a vi seu violentia, eo quod hæc sit semper et solummodo a principio extrinseco; ille vero proveniat tam a principio intrinseco, qualis est v. g. metus mortis provenieus ex morbo; quam a principio extrinseco, qualis est v. g. metus naufragii, metus inferni et pœnarum. Item in eo etiam differt, quod nempe vis corpori, metus vero animo inferatur.

R. Ad 2: Quadrupliciter potest metus considerari juxta illud:

Causa, modusque ineunt, tempus, natura timorem.

1. Nempe ratione causæ, a qua metus incutitur: quæ causa vel est *naturalis* sive intrinseca v. g. infirmitas, sive extrinseca v. g. naufragium, pestis, fulmen; vel *supernaturalis*, v. g. terribile Dei judicium; vel *libera*, v. g. homo minitans.

[1] *De Lib. Arb.;* c. VI.
[2] *De Consolat.:* c. 11 — *V.* Liguori, *Op. Mor.; Tr. Præamb.*, l. v, n. 19.
[3] L. 1 *De Civ. Dei;* c. 16 — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, *Tract. Præamb.*, n. 17.
[4] S. Cyprianus, *Epist.* XVIII.
[5] Aliquando non requiritur resistentia omnino absoluta, continua et externa illatæ coactioni, scilicet ubi ex una parte inutilis foret, et ex alia parte non indicat consensum, neque est de necessitate ad scandalum vel religionis injuriam avertendam. Sic martyres ducti ad templa paganorum non peccabant, quamvis propriis pedibus ambularent. Quod si ultro occurrebant morti, per violentiam ipsis a tyrannis illatæ, non cogebantur ad perficiendum malum; sed ad perferendum dolorem: quod malum non est: unde alienæ iniquitatis subjectum erant, non instrumentum.

2. Ratione modi, quo incutitur: et tunc metus est vel *justus* vel *injustus*, prout juste vel injuste ipse incutitur.

3. Ratione temporis, quo incutitur: et alius est metus *antecedens*, qui movet ad agendum, ita ut actio dicatur posita ex metu; alius *concomitans*, ita ut actio dicatur posita tantum cum metu. Quæ duo sunt omnino diversa; nam metus *antecedens* habetur cum ipse dat causam actioni: sic viator, qui in grassatione dat latroni crumenam, agit metu antecedenti; quia timet mortem, et hoc timore pro morte vitanda movetur ad crumenam tradendam. Metus autem *concomitans* habetur, quando non ipse quidem dat causam actioni, sed eam tantummodo comitatur: sic latro qui crumena viatorem expoliat, agit metu concomitanti; nam etiam hic timet, ne scilicet deprehendatur: non tamen ab hoc timore, sed ab ipsa divitiarum cupiditate latro ad furandum movetur.

4. Ratione suæ naturæ: et metus vel est *gravis*, vel *levis*. *Levis* (qui et vanus dicitur) est ille, quo timetur malum leve; vel malum grave, sed ex levi causa, aut quod facile averti possit, aut quod rationabiliter non immineat: ut si sereno cœlo timeas fulmen. *Gravis* autem metus vel talis est *absolute*, ut cum malum grave in se timetur ex gravi et vere probabili causa: qui metus dicitur cadere in virum constantem, quia illo etiam viri graves ac firmi turbari solent. Hujusmodi est metus mortis, exilii, duri vel diuturni carceris, mutilationis membrorum, servitutis, verberum enormium, magnæ bonorum jacturæ, notabilis famæ detrimenti, etc. [1] Vel metus est gravis *respective*, quo scilicet non turbatur quidem vir constans et fortis, turbatur tamen meticulosus, uti puer, senex, fœmina. Sic metus nonnullorum baculi ictuum quos vetus miles spernit, gravis esse potest, si incutiatur viro formidoloso.

Huc revocatur *metus reverentialis*, timor nempe, quo quis veretur resistere ei cui subjicitur. Hic erit gravis vel levis, habita ratione personæ reverendæ ac personæ reverentis. Quamquam bene observat Pontius, quod metus reverentialis sine apprehensione alterius mali (puta gravium minarum), non tam est metus, quam simplex reverentia, quæ de se non inducit timorem alicujus mali, sed quamdam tantummodo erubescentiam [2].

[1] Notandum diligenter est, ad metum gravem requiri præter gravitatem mali, quod timetur, hæc tria: 1) ut prudenter, sive ex gravi motivo malum imminere credatur; nam si ab eo immineat, qui aut nequeat aut non soleat malum inferre, hujus apprehensio, utpote inanis, gravem metum minime efficiet; — 2) ut malum impendens nequeat tam facile averti: non enim adeo timemus quod facile cavere possumus; — 3) ut malum illi immineat qui timore turbatur, aut iis qui vinculo vel necessitudinis arctissimo, vel propinquitatis ad quartum gradum conjunguntur cum eo, qui metum patitur; nam quod nostris fit, nobis fieri censemus. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*; l. v., *Tract. Præamb.*, n. 20.

[2] Ultra proprium patrem, Episcopum atque magistratum, dicit Sanchez cum aliis, dari etiam metum reverentialem respectu soceri, avi, tutoris et matris, si tamen sit

20. Q. 4. *An metus tollat vel minuat voluntarium?*

R. Si metus levis sit, nec tollit nec minuit voluntarium. Hinc illud juris: *vani timoris justa excusatio non est* [1]. Sane metus levis nec intellectus cognitionem, nec voluntatis electionem lædit; parum enim pro nihilo reputatur.

Imo neque per metum gravem voluntarium absolute tollitur, si casum particularem excipias, quo ita sit gravis, ut mentem e suo statu dejiciat: quia non tollitur neque intellectus cognitio, neque voluntatis propensio, quamvis hæc minuatur. Ideo d. Bonaventura ajebat: *coacta voluntas, voluntas est.* Hoc patet exemplo mercatoris projicientis merces in mare, quod profecto non ageret, si ea sibi absque vitæ periculo servare posset: in illis tamen circumstantiis id voluntate facit. Unde Augustinus: *si subtilius advertamus, etiam quod quisque invitus facere dicitur, si facit, voluntate facit* [2].

21. Q. 5. *An metus gravis excuset a culpa?*

R. Vel quæ metu gravi fiunt, intrinsece et per se mala non sunt, v. g. tempore vetito manducatio carnis. Vel sunt per se et intrinsece mala, uti apostasia a fide, perjurium, libidini indulgere.

Si 1, ordinarie loquendo, a tota culpa metus gravis excusat, non quasi tollat voluntarium sufficiens ad peccatum; sed quia lex quælibet positiva obligare non solet cum gravi incommodo juxta communem ac receptam sententiam: hinc qui ex metu mortis vel gravis damni omittit audire Sacrum die festo, non peccat.

Diximus *ordinarie loquendo;* quia si quis compelleretur metu gravi ad legem positivam violandam in verum et formalem contemptum legitimæ potestatis aut Religionis, vel cum gravi scandalo proximi aut damno publico, tunc gravis metus non excusaret a gravi culpa transgressionis; plus enim refert Religionem et potestatem legitimam non contemni, scandalum omitti et bonum publicum curari, quam evitari damnum privati. Unde ad rem Apostolus: *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem* [3]. Hinc non licebit militi metu mortis fugam arripere tempore belli; neque parocho tempore pestis oves suas deserere.

Si 2, certum est, metum utcumque gravem (modo talis non sit, ut usum adimat rationis) nunquam excusare a tota culpa; hæc enim cum includant intrinsecam et essentialem malitiam, si fiant

austera et minas exequi soleat; et etiam fratris majoris aut patrui, si cum eis habitetur et alimenta ab eis præbeantur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*; l. III, n. 717; et l. VI, n. 1036. — *Homo apostolicus;* tract. III, n. 16.

[1] Reg. 184, ff. *de reg. jur.* — *V.* Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc. V. *Metus.*

[2] *De Spirit. et litt.*; c. XXXI. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*; l. V, *Tract. Præamb.*, n. 22.

[3] 1 Ad Corinth. 8.

voluntarie, nunquam culpa carere possunt. Exemplum est in christiano illo, qui metu mortis fidem Christi negaret, de quo ad rem d. Bernardus: *cogebatur christianus negare Christum, et quidem dolens, non tamen nisi volens* [1]. Sane ut metus sit nobis gravis et rationabilis, malum quod timetur gravius esse debet malo quod eligitur; cum vero nullum gravius malum existere possit quam quod intrinsece malum est, scilicet offensa Dei, patet nunquam posse excusari peccatum ex metu alterius cujuslibet mali patratum; agens enim ex hoc metu recedit a summo et infinito bono, ne finitum malum patiatur. Hinc Christus: *dico autem vobis, ne terreamini ab illis qui occidunt corpus, nec habent amplius quid faciant; ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere in gehennam ignis* [2].

Cum vero metus hujusmodi voluntarium valde lædat, idcirco licet totam culpam non tollat, minuit tamen; et in jure Canonico dicitur *culpam extenuare* [3]. Attamen culpa non ita minuitur, ut ex lethali fiat venialis: quia per se loquendo metus gravis talem adhuc relinquit cognitionem eorum, quæ fiunt, ut sufficiat ad peccatum mortale. Excipe nisi metus tantam in aliquo produceret mentis perturbationem, ut eam dumtaxat relinqueret cognitionem, quæ in semi-dormientibus invenitur: tunc peccatum ex mortali fieret veniale, defectu nempe sufficientis deliberationis.

Art. II. — *De ignorantia et concupiscentia.*

22. Q. 1. *Quid est ignorantia et quotuplex?*

R. Ad 1: Ignorantia generatim sumpta, ait Billuart, est carentia scientiæ in subjecto capaci. Sive, ut ait d. Thomas, *ignorantia importat scientiæ privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire* [4]: seu quorum quis fuisset capax pro tali tempore et statu, uti si adultus ignoret ea, quæ noscere potuisset [5].

23. R. Ad 2: Multiplex est ignorantia:

1. Respectu objecti alia est *juris*, alia *facti*. Ignorantia *juris* in eo locum habet, qui nescit a lege divina vel humana quidpiam præ-

[1] *De Gr. et lib. Arb.*; c. XII.
[2] Lucæ, 11. — V. *Instit. Th. Mor. Semin. Mediol.* [3] *C. Sacris* 5 *de his quæ vi*
[4] 1, 2, q. 76, a. 2 — *V.* Liguori, *Op. Mor.*; l. v, *Tract. Præamb.*, n. 26. — Ferraris; V. *Ignorantia*, ubi plura auctor disserit.
[5] Differt ignorantia tum a *nescientia*, quæ indicat defectum scientiæ circa rem, quæ nostram facultatem aut statum excedit; tum ab *errore*, qui est positiva probatio falsi. Provenit autem ignorantia vel ab *inconsideratione*, quando quis mentem ad discendas res ignoratas nunquam applicuit; vel ex *inadvertentia*, quando quis distractus non attendit ad ea quæ scit; vel ex *oblivione* quando res alias notæ mentem fugerunt; vel a *passione*, ut si quis ideo negligat scire suas obligationes ut liberius suis indulgeat cupiditatibus. — *V.* Imperatori, *Elementa Logicæ et Metaphysicæ*. Novariæ, 1864: *De ignorantia, et errore atque remediis.*

cipi aut prohiberi. Sic qui perfecte quidem noscit hodie esse diem veneris, et cibos sibi oblatos esse carnem, sed ignorat carnis esum tali die esse ab Ecclesia prohibitum, laborat ignorantia juris. Ignorantia *facti* est in eo, qui legem quidem compertam habet, sed nescit hoc factum legi esse contrarium. Sic qui novit quidem legem carnis esum vetantem die veneris, sed nescit cibum in mensa sibi appositum esse carnem, iste versatur in ignorantia facti.

2. Respectu voluntatis alia est *antecedens*, alia *concomitans*, *consequens* alia. *Antecedens* ea dicitur, quæ nullimode pendet a voluntate, tamen est causa volendi quod alias non vellet, si adesset scientia: uti si quis interficiat hominem putans esse feram, adhibita sufficienti diligentia; non interfecturus si sciret hominem esse. *Concomitans* est illa qua quis ignorat quid agat; sed adhuc ageret, licet non ignoraret; ideoque neque est voluntaria, neque est causa operis: ut si quis percutiat Titium putans esse Cajum, adhuc tamen percussurus si sciret esse Titium. *Consequens* vero est illa, quæ a libera voluntate procèdit: ut cum quis negligit ea addiscere quæ scire tenetur, sit hæc ignorantia causa operis necne.

3. Ignorantia consequens alia est *directe voluntaria*, et dicitur *affectata*, uti cum quis expresse omittit inquirere de suis obligationibus, ut eas absque conscientiæ remorsu violet juxta illud: *noluit intelligere, ut bene ageret* [1]. Hæc ignorantia est in illis, qui data opera neque conciones audiunt, neque catecheses, neque consilium petunt, ne a malo proposito deterreantur. Alia *indirecte voluntaria*, uti cum quis simpliciter omittit diligentiam, quam adhibere potest et debet. Hæc autem subdividitur in *crassam* (seu *supinam*), qualis est cum nulla aut exigua pro rei gravitate adhibetur diligentia; et in *non crassam* (seu *simpliciter talem*), ad quam depellendam adhibita est diligentia, sed insufficiens.

4. Ignorantia antecedens vocatur etiam *invincibilis*, id est morali diligentia inevitabilis; quia nulla venit in mentem cogitatio aut dubitatio, ne in confuso quidem, de opposito; vel si venit, adhibita diligentia pro rei gravitate, depelli non potuit. Contra ignorantia consequens dicitur *vincibilis*, quia morali diligentia (quam scilicet viri prudentes in similibus casibus communiter adhibere solent) facile vinci potest.

24. Q. 2. *An ignorantia tollat, vel an saltem minuat voluntarium atque peccatum?*

R. Discurrendo per præcipuas ignorantiæ species. Igitur:

1. *Ignorantia antecedens* tollit omnino voluntarium quoad circum-

[1] Psal. 35 — *V.* Liguori, *Op. Mor.*; l. 1, nn. 3, 26 et 168.

stantias ignoratas, quia facit ut actio secundum illas non procedat a voluntate cum cognitione; imo sit contra totalem voluntatis inclinationem, qua quidem operans ita est affectus, ut nullimode operaretur si sciret.

2. *Ignorantia concomitans* non causat neque voluntarium neque involuntarium; quia neque inducit ad volendum, neque ad non volendum; sed per accidens se habet ad opus quod agitur.

3. *Ignorantia consequens*, si sit indirecte voluntaria, non tollit quidem voluntarium neque peccatum, quia est saltem indirecte volita in sua causa, idest in negligentia discendi; sed illud minuit, quia minuit aliquantulum intellectus cognitionem. Si vero sit directe voluntaria sive affectata, non minuit voluntarium, imo est indicium voluntarii valde intensi, sub quo respectu et peccatum auget. *Cum ergo aliquis directe vult ignorare*, ait Angelicus, *ut a peccato per scientiam non retrahatur, talis ignorantia non excusat peccatum nec in toto nec in parte, sed magis auget; ex magno enim amore peccandi videtur contingere, quod aliquis detrimentum scientiæ pati velit ad hoc, quod libere peccato adhæreat* [1].

25. Q. 3. *Quid est concupiscentia et quotuplex?*

R. Ad 1: Concupiscentia communiter definitur: *motus appetitus sensitivi*, seu motus, qui operatur non tantum in anima, sed etiam in aliqua sensibili corporis parte, saltem in corde, illud nempe intensius movens ad bonum reale vel apparens, aut ab eo quod repræsentatur uti malum, intensius retrahens. Hoc ut plenius intelligatur, sciendum est, sæpe nos in corpore nostro quasdam commotiones pati, quæ ad aliquid nos vehementer impellunt et excitant: hæ porro *passiones* dicuntur, quæ absit, ut in se malæ sint; sunt enim ab auctore naturæ, et esse possunt incitamenta virtutum: sic v. g. miles desiderio veræ gloriæ excitatus fortius dimicat.

Quia tamen in præsenti naturæ corruptæ statu plerumque homines ultra limites, intra quos stat virtus, abripiunt; ideo passiones vulgari sensu uti malæ motiones habentur, quas quidem Theologi sub nomine *concupiscentiæ*, seu *fomitis peccati* designant. Unde nomine concupiscentiæ hic intelligimus quemdam motum appetitus sensitivi adversus spiritum rebellantis, qui tendit in objectum delectabile: et hoc sensu ab Angelico definitur concupiscentia: *pronitas ad inordinate appetendum* [2] *(E).*

1 Q. 3 *De malo*, a. 7. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*; l. v, *Tract. Præamb.*, n. 26.

2 *De malo*, q. 4, a. 2. — « La concupiscenza in generale è un appetito ardente, un movimento interiore, un'inclinazione che ne tira più o meno fortemente verso un oggetto sensibile e aggradevole alla natura. » *Gousset.*

« L'uomo senza passioni sarebbe freddo, avrebbe qualche cosa d'inerte, perchè manchevole di uno de' principii più possenti di azione che Dio ha conceduto all'u-

R. Ad 2: Concupiscentia duplex est: altera *antecedens*, quæ omnem voluntatis actum antevertit, sed ad eundem trahit: sic v. g. viso inimico, statim excitatur appetitus vindictæ. *Consequens* altera, quæ ex præcedenti voluntatis actu consequitur, a quo ipsa pendet tanquam effectus a causa; uti si quis libros obscœnos legeret ad libidinem excitandam.

26. *An concupiscentia tollat vel minuat voluntarium et peccatum?*

R. Si concupiscentia sit *antecedens*, ordinarie loquendo, liberum minuit, quia ex parte impedit, quominus mens rapta ab illo objecto delectabili in quod tendit, perpendere valeat turpitudinem actus, offensam Dei, salutis perniciem, etc.: quare minuit indifferentiam libertatis et consequenter peccatum. At volontarium auget, quia auget et cognitionem delectabilitatis objecti, et inclinationem voluntatis in illud, ex quibus petitur ratio voluntarii. Diximus *ordinarie loquendo;* si enim concupiscentia sit gravissima, cum omnem rationis judicium antevertat, patet tunc nullam amplius superesse voluntarium, nullam imputabilitatem. Hinc d. Thomas: *passio quandoque est tanta, quod totaliter aufert usum rationis, sicut patet in his qui propter amorem vel iram insaniunt; et tunc si talis passio.... non fuerit voluntaria, actus omnino redditur involuntarius, et per consequens totaliter a peccato excusat* [1].

R. 2: Si vero concupiscentia sit *consequens*, ea auget quidem voluntarium quia ex dictis, obcæcando intellectum, agentem facit in objectum delectabile magis propensum. Sed non minuit liberum, quia illa concupiscentia vel est libere quæsita ad ulterius peccandum uti accidit in eo qui per turpes lectiones se ad inhonesta accendit; vel est effectus magnæ intensitatis in peccando. Ideo Angelicus: *passio consequens non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati. Et sic verum est, quod quanto aliquis majori libidine vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat* [2] *(F).*

27. Quod de concupiscentia dictum est, id ex Suarez valet etiam de *habitu*, qui est *quædam agendi facilitas ac promptitudo iteratis*

mana natura; ma in cambio l'uomo dominato dalle passioni è cieco, e si slancia sugli oggetti alla guisa de' bruti. Le passioni sono buoni stromenti, ma cattivi consiglieri; ci vuol dunque chi le consigli, le diriga: ecco la ragione. » Balmes, *Il Criterio;* c. XXII, n. 37. — *V.* Liguori, *Op Mor., Tract. Præamb.;* l. v, n. 23.

[1] 1, 2, q. 77, a. 7. — Item fieri quandoque potest, ut qui concupiscentia in malum trahitur, aliunde trahatur. Sic avarus libidinosus ad mulierem seducendam allicitur quidem a concupiscentia, sed retrahitur ab ingenti summa quam deberet exsolvere. Quare tunc concupiscentia a contrario motivo eliditur, quin peccatum minuatur.

[2] Loc. cit. a. 6. — Hinc colligimus quod motus concupiscentiæ, qui a Theologis dicuntur *primo-primi*, quippe omnem prorsus voluntatis consensum et libertatem antevertunt, sunt omnino involuntarii et inculpabiles. Motus vero *secundo-primi* qui saltem supponunt semiplenum consensum voluntatis, non tollunt omnino voluntarium, sed tamen minuunt. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*; l. v., *Tract. Præamb.*, n. 24.

actibus libere comparata. Quare qui hac tenentur, a peccatis non excusantur; imo magis magisque peccata multiplicant.

Hinc monet Bouvier: *discant juvenes libidines suas coercere; experientia enim constat, eas in teneris annis non ægre refrænari: tunc facilis et jucunda est perseverantia. Qui vero liberius eis indulgent, graves sibi imponunt catenas, quas postea difficile solvent.* Si quidem, ut ait Augustinus, dum consuetudini non resistitur fit necessitas; seu consuetudo et habitus vertitur in naturam, quin desinat esse peccatum. *Nescio,* habet d. Bernardus, *quo pravo et miro modo ipsa sibi voluntas peccato in deterius mutata, necessitatem faciat; ut nec necessitas cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas cum sit illecta, excludere necessitatem.*

CAPUT SECUNDUM

DE LIBERTATE, MORALITATE EJUSQUE SPECIEBUS.

28. Q. 1. *Quid est libertas?*

R. Libertas in genere est *immunitas a servitute et subjectione:* unde totuplex libertas quotuplex servitus, a qua exempti sumus. Triplex autem præcipue adsignari solet: *triplex nobis* (ait s. Bernardus) *proposita est libertas: a necessitate, a peccato, a miseria. Primam contulit nobis Deus in conditione naturæ; in secundam restauramur a gratia; tertia nobis reservatur in patria* [1]. Agendo de actibus humanis, duplicem libertatem distinguunt Moralistæ, unam nempe *a coactione*, alteram *a necessitate.*

Prima est immunitas ab omni violentia, seu ab omni principio extrinseco ad aliquid determinante contra voluntatis propensionem; sive est libertas qua quis sponte et libenter agit, etsi agat ex necessitate suæ naturæ: talis est libertas qua Deus seipsum diligit, qua beatus Deum amat, qua homo prosequitur bonum generatim.

Secunda est immunitas ab omni principio seu causa etiam interiori necessario determinante ad unum, licet ea determinatio sit juxta voluntatis inclinationem [2]. Sive est libertas, qua voluntas non solum sponte ac libenter agit, sed etiam cum tali suorum actuum dominio, ut possit æque non agere, seu eligere vel non eligere: et hæc sola est, quæ proprie libertatis nomen sibi vindicat, et liberum arbitrium noncupatur. Definitur autem hæc libertas *vis electiva,* seu *facultas eligendi vel non eligendi pro libitu* [3].

1 *De Grat. et lib. Arbitrio.* — *V.* Ligùori, *Op. Mor.*; l. v. *Tract. Præamb.*, n. 34.

2 *Coactio* est vis externa contra voluntatis inclinationem illata: uti si quis nolens detrudatur in carcerem: unde libertas a coactione importat dumtaxat immunitatem a tali vi, et dicitur etiam *spontaneitas. Necessitas* autem est ineluctabilis determinatio ad unum juxta inclinationem voluntatis orta ex naturali instinctu, et ideo dicitur etiam necessitas *intrinseca.* Unde libertas a necessitate importat immunitatem ab hac quoque determinatione, quamvis sit juxta voluntatis inclinationem; et dicitur libertas *electionis,* libertas *indifferentiæ,* et *arbitrii.* — *V.* Barruel, *Le Elviesi,* ossia *Lettere provinciali filosofiche.*

3 D. Thomas, 2, d. 24, q. 1, a. 1 ad 2.

Eligere autem duos saltem terminos comparationis exigit, alioquin optio seu facultas eligendi non haberetur; qui enim determinatus ad unum est, non habet objectum, in quod electio cadat. Termini autem comparationis, circa quos voluntas se exercere valet, multiplices sunt: voluntas enim vel unum eligit e duobus contradictoriis quidem, sed non pugnantibus inter se, uti sunt amor et non amor; et dicitur *libertas contradictionis*, vel etiam *exercitii*, quia per eam homo potest actum exercere, aut non. Vel ad unum per electionem se determinat ex duobus omnino contrariis, et pugnantibus inter se, uti sunt amor et odium: et dicitur *libertas contrarietatis*. Vel denique se determinat per electionem ad unum ex pluribus specie diversis, uti sunt oratio, studium, ludus; et dicitur *libertas specificationis* vel *disparitatis*.

29. Q. 2. *Utrum potentia peccandi sit de ratione liberi arbitrii?*

R. Potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrii, imo est illius imperfectio. Sane quod suam habet originem a sola debilitate cognitionis et amoris, illud est liberi arbitrii imperfectio; atqui talis est potentia peccandi. Cur enim peccamus? quia Deum nec satis cognoscimus, nec diligimus quantum diligere debemus. Hinc in cœlo, ubi Deum videbimus *facie ad faciem*, cessabit peccandi facultas, nec tamen cessabit liberum arbitrium. *Quid erit liberius*, inquit d. Augustinus, *libero arbitrio, quando non poterit servire peccato* [1]? Et s. Anselmus ait: *si posse peccare esset pars liberi arbitrii, Deus et Angeli liberum arbitrium non haberent, quod est absurdum* [2]. Merito ergo Apostolus: *ubi autem spiritus Domini, ibi libertas* [3].

Quoties igitur libertas describitur potens ad bonum ac malum, non illius essentia proprie attingitur, quæ solum sistit *in vi eligendi*; sed consideratur prout nunc est in hominibus viatoribus *(G)*.

30. Q. 3. *In quonam veræ libertatis, seu liberi arbitrii essentia proprie sita est?*

R. Bucerus, Bajus, Jansenius, aliique post Tridentinum hæretici, docuerunt ad liberi arbitrii essentiam requiri immunitatem *a coactione* seu *violentia*; non vero *a necessitate*. Sed hoc falsum omnino; essentia enim veræ libertatis est reponenda in facultate eligendi vel non eligendi, sive in immunitate ab omni necessitate.

Prob. 1 Ex Sanctis Ecclesiæ Patribus: s. Gregorius Nazianzenus ait: *arbitrii libertas parem in utramque partem motum habet* [4]. Et s. Damascenus: *arbitraria ac nobis libera sunt quæ in utramque partem æque contingere possunt, veluti moveri et non moveri, appetere et non appetere* [5].

1 *De Corrept. et Grat.*; c. XI.
2 *De lib. Arb.*; c. I. — *De Libertate Angelorum* videatur Gazzaniga, *Theol. Dogmat.* ubi agit *de libertate Christi*.
3 2 Cor. 3. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*; l. V, *Tract. Præmb.*, n. 33. *Hom. Ap.*; tract. III, n. 7.
4 In *Apolog.* 5 L. II, *Ort. fidei;* c. XXVI.

2. Ex Summis Pontificibus: s. Pius V, Gregorius XIII diris devoverunt has Baji propositiones: 1ª est: *quod voluntate fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit;* 2ª est: *sola violentia repugnat libertati hominis naturali* [1].

3. Ex Tridentino: *si quis*, ait, *liberum hominis arbitrium dixerit rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, anathema sit* [2]. Atqui liberum arbitrium, sublata potentia agendi et non agendi, res esset de solo titulo, imo titulus sine re; necessarium enim non potest componi cum libero: nam adest contradictio in terminis.

4. Ex Theologis: instar omnium sit d. Thomas, qui scribit: *dominium autem quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, et violentiam causæ exterius agentis* [3].

5. Ex ratione: liberum arbitrium, ipsa docente ratione, est vis electiva, id est potentia se se determinandi ad unum per electionem; atqui potentia hæc omnem excludit necessitatem: *eligi* enim proprie non dicitur, nisi quod potest tam fieri quam non fieri, tam poni quam omitti. Adde: liberum arbitrium et voluntarium stricte differunt; sed non differunt, nisi quod liberum arbitrium superaddat voluntario immunitatem ab omni omnino necessitate.

31. Q. 4. *An admittenda sit in homine etiam post Adæ peccatum libertas a necessitate seu liberum arbitrium?*

R. Etsi quilibet homo suo in animo invictissima gerat argumenta veræ libertatis, quam *cantant in montibus pastores et in theatris poetæ, et indocti in circulis et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacris locis et in orbe terrarum genus humanum* [4]; non defuere tamen qui in eam de medio tollendam icto quasi fœdere conjuraverint. Tales fuere: 1) Stoici, qui ferream necessitatem admittebant; 2) Manichæi, qui homines ad bonum aut ad malum a principio summe bono, vel summe malo impelli docuerunt; 3) Astrologi dicti *indiciarii*, qui in diversos siderum influxus humanas refundebant actiones; 4) Lutherani et Calvinistæ, qui pronuntiare non erubescunt hominem ad bonum per Dei gratiam, ad malum autem per concupiscentiam protrudi vi quadam ineluctabili; 5) omnes ferme hodiernæ incredulitatis magistri, uti Collinius, Hobbesius, Helvetius, Spinosa, aliique; 6) et maxime Jansenistæ, qui Jansenii magistri vestigiis inhærentes, docent per Adami peccatum liberum arbitrium extinctum fuisse; ideoque in præsenti statu naturæ lapsæ homini inesse solam libertatem a coactione.

1 Nn. 39 et 66.
2 Sess. VI, can. 5.
3 L. I *Contra Gen.*, c. 68.
4 Augustinus, *De Duab. Animab.*; c. XI.

Sed cum in Lutheranis et Calvinistis errorem hunc jam proscripsisset Tridentinum, quid Janseniani versipelles semper et falsi? Ut fucum facerent et simpliciores deciperent, verba adhibuerunt apparenter catholica, sed in se prorsus hæretica. Concedunt nimirum, dari adhuc in hoc statu naturæ lapsæ liberum arbitrium; sed simul volunt eo nomine indicari solam libertatem *a coactione* vel *a necessitate invariabili*. Nempe concedunt libertatem variare quidem, quatenus modo ad bonum, modo ad malum inclinat; sed eorum mens est, hominem aut ad unum aut aliud insuperabiliter inclinari antecedenter ab omni ejus libero actu [1]. Contendunt autem hanc libertatem in statu naturæ lapsæ ad merendum vel demerendum sufficere. Quæ omnia eo semper natura sua tendunt, ut liberum arbitrium omnino tollant, atque omnibus vitiis latam viam aperiant. Sit ergo:

32. Propositio 1ª: *De fide est, in præsenti statu naturæ lapsæ, hominem habere libertatem a qualibet necessitate intrinseca, antecedenti, etiam voluntaria et variabili ad sensum Jansenistarum.*

Prob. 1. Ex Scripturis: in *Deuteronomio* sic Moyses Dei nomine Israelitas, utique in statu naturæ lapsæ constitutos, alloquitur: *testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem: elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum, et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus* [2]. Jam vero si Israelitæ prædíti fuissent libertate ad sensum Jansenistarum, exhortatio illa fuisset nugatoria ac ridicula; cum vita vel mors non ab eorum electione, sed vel a gratia vel a concupiscentia semper esset repetenda.

2. Ex Patribus: s. Augustinus scribit: *quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere* [3]? Et sanctus Athanasius inquit: *anima libera est et sui arbitrii; potest enim ut ad bona se inclinare, ita bona quoque aversari* [4].

3. Ex auctoritate summorum Pontificum: enim vero s. Pius V, Gregorius XIII, Urbanus VIII, Innocentius X toto semper pectore adversus Jansenii et Jansenistarum doctrinas pugnavere Bullis et Constitutionibus apostolicis, uti erudite probat Canonicus Mozzi [5].

4. Ex Tridentino: definivit enim: *si quis liberum hominis arbitrium*

[1] Quare in eorum sententia quidquid a nobis fit sive bonum sive malum, illud est ex *necessitate intrinseca, antecedente, insuperabili*; quia gratiæ divinæ delectatio major seu intensior movet *insuperabiliter* voluntatem ad bonum, antecedenter ab omni nostro libertatis actu; delectatio vero major concupiscentiæ movet item *insuperabiliter* voluntatem ad malum.

[2] Deut. xxx. [3] L. 1 ad Bonif., c. II. [4] Orat. *contra Idola.*

[5] *Compendio storico cronologico dei più importanti giudizi portati dalla Santa Sede Apostolica sopra il Bajanismo, Giansenismo e Quesnellismo.*

post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit. Iterum: *si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere... anathema sit* [1].

5. Ex ratione ipsa. Sane si homo lapsus careret libertate, de qua dicimus: 1) homo teneretur ad impossibile: teneretur nempe observare præcepta divina, quæ tamen necessario frangeret, quoties ea non servaret, utpote a majori concupiscentia victus insuperabiliter; 2) homines scelesti justam haberent excusationem suorum criminum, videlicet in necessitate antecedenti peccandi. Viri autem probi frustra conatum adhiberent ad virtutem colendam, nec magis laude digni forent, quam improbi; siquidem utrique facerent, quod non possent non facere. *Qual è quello stupido,* ad rem Taparelli *(Saggio Teoretico) che non distingue le catene del galeotto da quelle del pazzo? E qual ne è il divario? se non è il libero arbitrio, per cui il primo* è un reo, *mentre nell'aberrazione del secondo noi ravvisiamo soltanto* un infelice? *(H).*

33. Propositio 2ª: *de fide est ad merendum vel demerendum, in statu naturæ lapsæ, non sufficere libertatem a coactione, sed requiri libertatem a necessitate.*

Prob. 1. *Ex Scripturis:* ex Ecclesiastico solus ille meretur mercedem æternam, *qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit* [2]. Ex Apostolo ille solus meritum consequitur et laude dignus est, qui *non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, judicavit in corde suo servare virginem suam* [3].

2. *Ex ss. Patribus:* s. Hieronymus ait: *ubi necessitas est, nec corona est* [4]. Sed audiendus s. Augustinus, quem tanto obsequio se prosequi affectant Jansenistæ: *dicere animas et esse malas et nihil peccare, plenum est dementiæ. Dicere autem peccare sine voluntate, magnum deliramentum est: et peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est et insaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est si libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum eurum tenere non possumus* [5]. Hoc testimonium decretorium est contra Jansenistas; cum indicet distinctionem libertatis a necessitate, et libertatis a coactione, atque expresse doceat *magnum esse deliramentum* in eo, qui asserit animam nostram peccare *sine vo-*

1 Sess. VI, c. 5, et can. 8. — *V.* Liguori, *Op. Mor.;* l. V, *Tract. Præam.,* n. 33.
2 Cap. 31. 3 1 Cor. 7.
4 L. II *contra Jovin.* 5 L. *De duab. Animab.,* c. 2

luntate, id est *sine libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi.* Quod certe dicendum esset, si ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas ab omni necessitate. Augustini sententiam fidelissime sectatur Angelicus sic dicens: *quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur... Hæc autem opinio est hæretica; tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus* [1].

3. *Ex communi consensu:* cur quidquid bene vel male agunt amentes et furiosi, iisdem non tribuitur laudi vel culpæ, licet voluntarie agant? profecto quia constans est et universalis omnium gentium non excæcatarum consensus, homines ideo tantum esse laude aut vituperatione, præmio aut pœna dignos, quia in iis quæ agunt, immunes sunt ab omni necessitate. Hinc merito uti hæreticam Innocentius X damnavit hanc thesim Jansenii: *ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Et s. Pius V, Gregorius XIII et Urbanus VIII proscripserunt illam Baji propositionem: *homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit* [2].

34. Q. 5. *Quid est actuum humanorum moralitas?*

R. Omnes cum d. Thoma Theologi in quolibet actu humano duplicem quasi naturam sive *esse* distinguunt, nempe *physicum* et *morale.* Actus humanus spectatus secundum suum *esse physicum*, sive in genere naturæ, est actus, qui a libera hominis voluntate proficiscitur. Actus vero humanus secundum suum *esse morale*, sive in genere moris, est ipse actus prout congruit vel repugnat regulis morum; ideoque actuum humanorum moralitas in genere est *eorum convenientia cum regulis morum, vel ab iisdem discrepantia.* Hinc tritum illud: *actionem humanam fieri vel moraliter bonam, si cum morum regulis congruit; vel moraliter malam, si ab iisdem discordat.*

35. Q. 6. *Quænam sunt regulæ morum et in quo constituendæ?*

R. Conveniunt omnes, quod morum regulæ debeant esse rectæ, certæ et obligatoriæ. *Rectæ*, secus non essent laudandæ nec tenendæ. *Certæ* quoad praxim, alioquin homo se committeret errandi periculo. *Obligatoriæ*, ut valeant homines obstringere.

Sed in quonam præcise constituendæ sint, non conveniunt: nos,

[1] Quæst. VI *De malo*, a. 4.

[2] Non tamen absolute requiritur ad merendum vel demerendum libertas *contrarietatis*; adhuc enim vera libertas a necessitate habetur in eo, qui actum potest ponere aut non ponere, vel unum eligere ex duobus specie diversis; ideoque sufficit libertas *contradictionis* et *specificationis*. Ita Sancti qui fuerunt in gratia confirmati, vere liberi erant ac merebantur, quamvis essent impeccabiles; neque enim posse peccare est de essentia veræ libertatis.

omissis obscuris quibusdam scholarum loquendi formulis, cum Continuatore Tournely aliisque communiter dicimus, morum regulas esse constituendas *in recta ratione*, ita ut bonitas moralis actus humani sita sit in conformitate et convenientia actus liberi cum recta ratione; malitia autem consistat in ejus discrepantia seu difformitate a recta ratione [1]. *Rectum factum nullo modo esse potest*, ait Augustinus, *quod non a recta ratione proficiscitur* [2].

Cum autem recta ratio duplex distinguatur, una increata quæ in mente divina existit, et lex æterna dicitur, altera creata quæ est lumen a Deo creaturæ rationali impressum, seu ipsa legis æternæ cognitio; ideo nil mirum, si vulgo etiam duæ adsignentur morum regulæ, nempe ratio humana tanquam regula proxima, et lex æterna tanquam regula remota, juxta illud d. Thomæ: *regula voluntatis humanæ est duplex: una propinqua et homogenea, scilicet ipsa humana ratio; alia vero est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei* [3]. Utramque regulam probant Scripturæ; de ista legitur: *beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini* [4]. De illa autem habetur: *in omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ hoc est enim conservatio mandatorum* [5].

36. Hinc collige, morum regulam non esse collocandam in solo utili ac delectabili; si enim quod placet vel prodest nobis, illud semper prosequi et amplecti liceret, omnia passim pessundarentur, propria cupiditas modum non haberet, et quanto quis esset audacior, tanto esset honestior: quod rectæ rationi repugnat; et Pontifex Pius IX damnavit in Syllabo propositione 58. Consentientes habemus philosophos morales, uti sunt Genuensis [6], Muratori [7], Galuppi [8], Olivieri [9], Cardella [10], Liberatore [11], Balmes [12], etc.

37. Q. 7. *Quot sunt moralitatis species?*

R. Duæ solent moralitatis species ab omnibus indicari: *bonitas* nempe et *malitia*. Bonitas consistit in conformitate actionis humanæ cum morum regulis; malitia in ejusdem conformitatis defectu.

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, *Tract. Præamb.*, n. 34. 2 *De util. creden.*, c. 12.
3 1, 2, q. 71, a. 6. — Ex quo patet, rationem creatam hanc regulam constituere non quidem per se, sed prout substat legi æternæ. Hinc Angelicus (1, 2, q. 19, a. 4) ait: *quod ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas mensuretur, habet ex lege æterna, quæ est ratio divina, unde in Ps.* IV *dicitur:* multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, *quasi diceret, lumen rationis quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona et nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, id est a vultu tuo derivatum.*
4 Ps. CXVIII.
5 Eccl. XXXII. — Libertas præexigitur ad fundamentum moralitatis; actus enim humanus ut moralis, debet procedere a ratione deliberata; ergo debet esse liber.
6 *De Principiis legis naturæ.* 7 *Philos. moral.*, c. 23. 8 *Filos. mor.*, ecc.
9 *Filos. mor.* 10 *Trattato d' Etica.* 11 *Elem. di Filosofia.*
12 *Etica* ecc. — Vide it. Barruel, *Lettere Elviesi.* — Manzoni, *Del Sistema che fonda la morale sull'utilità.* — Taparelli, *Saggio Teoretico*, § 1 e segg.

Duplici autem sub respectu considerari potest bonitas vel malitia moralis, *objective* et *subjective*. Objective spectata est ipsa actionis conformitas vel discrepantia in se, et in ipso objecto considerata independenter ab agentis voluntate: hæc dicitur *bonitas*, vel *malitia materialis*. Subjective vero accepta ea est, quæ in ipsa voluntate agentis consideratur, et libere ab eo volita est: quæ *bonitas*, vel *malitia formalis* solet in scholis appellari.

Art. I. — *De moralitatis fontibus, nempe objecto, fine et circumstantiis.*

38. Fontes moralitatis sunt ea omnia, unde actus humanus desumit suam bonitatem et malitiam. Tres autem vulgo recensentur: *objectum*, *finis* et *circumstantiæ*.

39. Q. 1. *Quid venit nomine objecti in actibus moralibus?*

R. Objectum duplex distinguitur, *materiale* et *formale:*

a) Objectum materiale est res illa, circa quam actus versatur, nempe quam actus prosequitur aut fugit: sic in furto objectum materiale est res quæ subripitur, in actu justitiæ est res aliena quæ redditur, in peccati detestatione est mala actio, quæ perpetrata fuit. Jam vero hoc objectum potest esse aliquid sive bonum ut venerari parentes; sive malum ut aliena surripere; sive indifferens uti ambulare, loqui, dormire. Rursus aliquid potest esse vel malum ex natura sua, uti ebrietas; vel malum tantum quia est prohibitum, ut manducare carnes die veneris sine licentia. Porro patet actum humanum ab hoc objecto suam distinctam moralitatem desumere, quia ab illo habet quod sit talis actio et non alia.

b) Objectum formale actuum moralium est ratio illa quæ inclinat ac movet voluntatem ut in objectum materiale tendat: sic v. g. qui odit peccatum utpote contrarium divinæ bonitati, hæc contrarietas habet rationem objecti formalis. Quia vero objectum formale est præcipue ratio ob quam actus ponitur et aliquid fit, ideo tale objectum a Theologis vocatur etiam *finis*.

40. Q. 2. *Quid est finis?*

R. Finis definiri solet: *illud, cujus gratia aliquid fit.* Hinc finis in agente dicitur etiam ejusdem intentio. Trifaria est finis divisio: 1) in finem operis et finem operantis; 2) in finem primarium et finem secundarium; 3) in finem intermedium et finem ultimum [1].

[1] Finis solet etiam dividi in finem *cujus gratia*, et in finem *cui:* prior est res, cui obtinendæ agens dat operam; secundus est persona seu objectum, cui appetitur *finis gratia*. Sic in medico sanitas est finis *cujus gratia*, ægrotus est finis *cui*.

Finis operis est ille, ad quem opus ex natura sua, et independenter ab arbitrio et voluntate operantis dirigitur: qui inde dicitur *finis proprius* et *intrinsecus*. Sic levamen pauperis est finis eleemosynæ. *Finis operantis* est ille, qui ab ipsius operantis arbitrio eligitur et intenditur, et dicitur *finis extrinsecus*, *finis proximus*, qui in re morali maxime attenditur. Sic finis medici medicinam suppeditantis potest esse vel ægroti sanitas, vel pecuniæ aut gloriæ consecutio.

Finis primarius dicitur ille, qui influit in actum uti causa efficiens, ita ut sine illo actus non fieret. *Secundarius* dicitur ille, qui allicit tantum ad agendum, quin tamen sit actionis causa efficiens: sic canonicus interessendo choro, sacerdos celebrando Missam primarie intendunt Dei cultum, secundarie stipendium. *Finis ultimus* est ille, ad quem omnia referuntur: est porro felicitas, in quam homo necessario fertur. *Finis* demum *intermedius* est qui ad alium refertur [1].

41. Certum est hominem libere agentem aliquem semper finem sibi proponere, ideoque semper agere propter finem aliquem. Nam agere libere est aliquid eligere: eligere vero est aliquid sibi proponere; hoc autem quid est aliud, quam agere propter finem? Est porro finis ultimus in executione, licet sit primus in intentione; quia ut finis obtineatur, debent certo præire media [2]. Item certum est, actum humanum suam a fine moralitatem desumere; etenim finis importat ordinem conformitatis vel deformitatis ad rectam rationem. Hinc Augustinus adducens exemplum Catilinæ qui uti Apostoli frigus, sitim et famem ferebat, ait *unde ergo discernitur parricida iste ab Apostolis nostris, nisi fine illo, quem diversissimum sequebantur* [3]?

42. Q. 3. *Quid sunt circumstantiæ?*

R. Circumstantia sic dicta quasi actum circumstans, definiri potest: *accidens quoddam actus moralis, quod ipsi addit moralitatem distinctam ab ea, quam ille actus jam participat de objecto et fine.* Requiritur ergo ut circumstantia aliquam moralitatem in actum referat: sic v. g. ad furtum refert quod in loco sacro patratum fuerit; at nihil refert quod manu dextra vel læva illud fuerit commissum.

Actum autem humanum moralitatem desumere a circumstantiis

Item in finem *qui*, et finem *quo*: ille est quem consequi intendimus; iste est ipsius finis possessio. Sic Deus est finis *qui* hominis; visio beatifica finis *quo* seu formalis. Hæc divisio non est in duos fines, sed in duas res unum finem integrantes.

[1] Sic media, quibus studet avarus ad augendam suam pecuniam, in qua collocat suam beatitudinem seu ultimum finem, dici possunt totidem *fines intermedii*. Ubi notamus hos fines plures esse posse, non tamen dari plures fines ultimos totales. Sane finis ultimus, est, ad quem omnia referuntur; at si duo essent isti fines, non omnia dici possent ad ipsos referri, neque super omnia appeti et amari: quia amor esset divisus inter duos. Huc facit illud Matth. VI: *Nemo potest duobus dominis servire.*

[2] S. Thomas, 1, 2, q. 1, a. 2.

[3] *De Moribus Manichæorum*; l. II, c. 13. — Liguori, *Op. Mor.*; l. V, *Tract. Præ.*, n. 38.

patet: etsi enim circumstantiæ non sint nisi determinationes actus accidentales, determinant tamen illum ut habentem relationem convenientiæ vel discovenientiæ cum ratione et recto ordine: talis est ex dictis circumstantia loci sacri in furto, quæ quidem injustitiæ addit sacrilegium.

43. Septem numerantur circumstantiæ notissimo Tullii versiculo:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Quis indicat conditionem personæ operantis: v. g. ecclesiastici ne an laici, liberi ne an conjugati? *Quid* designat qualitatem objecti: v. g. utrum res ablata sit sacra necne? *Ubi* denotat qualitatem loci in quo peccatum commissum est: an in templo Dei, an extra? *Quibus auxiliis* denotat media et instrumenta operandi: an ope dæmonis aut maleficii amorem quis impurum inspiraverit? *Cur* exprimit finem extrinsecum operantis: utrum quis ad sacram Synaxim accedat pietatis, an vanægloriæ causa? (verum hæc vox *cur* ad essentiam actus proprie pertinet). *Quomodo* indicat modum actionis accidentalem: intensene, an remisse, an cum plena an semiplena advertentia? *Quando* denotat tam qualitatem temporis accidentalem: an frequentaverit popinas die festo? quam temporis ejusdem durationem: an odium et detractio longo tempore perduraverit [1]?

Art. II. — *Quomodo objectum, finis et circumstantiæ influant in actionum moralitatem.*

44. Q. 1. *Quid requiritur ut actus sit bonus moraliter?*

R. Ut actus sit bonus moraliter necessarium est, ut conformetur cum prudenti dictamine rationis tum ex parte objecti materialis, tum ex parte objecti formalis seu finis, tum ex parte circumstantiarum.

Diximus 1: *Cum prudenti dictamine rationis;* nam qui imprudenter aliquid sectatur non bene agit; unde actio non est honesta, nisi præcedat judicium certum de actionis honestate, illam nempe nobis proponens vel ut honeste amabilem, si agatur de actu prosecutionis, vel ut honeste odibilem, si sermo sit de actu fugæ.

Diximus 2: Quod hæc conformitas cum prudenti rationis dictamine debeat esse ex parte *tum objecti, tum finis, tum circumstantiarum:* nam, ex notissimo axiomate, *bonum ex integro.* Hinc Augusti-

[1] Alii inter circumstantias numerant etiam *quoties;* non tamen ad rem per se loquendo ut observat Alasia; nam hoc adverbium nihil novi actui superaddit, sed indicat dumtaxat multiplicationem ejusdem actus æqualiter contingentem. Excipe, nisi per accidens multiplicatio evadat circumstantia, quatenus inducit majorem inclinationem et intentionem ad actum. De circumstantiis vide Suarez, *De Pœnitentia;* disp. XXII, sect. 6. — Kenrich, *De Actib.;* n. 46.

nus explicans illud Scripturæ: *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* [1], ait: *oculum hic accipere debemus ipsam intentionem qua facimus quidquid facimus, quæ si munda fuerit et recta et illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra quæ secundum eam operamur, necesse est bona sint: quæ omnia opera totum corpus appellavit* [2]. Quare ex Augustino ad rectitudinem actionis non sufficit habere objectum formale seu finem bonum, sed oportet etiam respicere ad id quod aspiciendum est, ut nempe opus bonum sit etiam ex parte objecti materialis et circumstantiarum.

45. Q. 2. *Undenam actus moralis fit malus?*

R. Erit moraliter malus actus, si non præcedat judicium prudens de honestate actionis ex parte sive objecti materialis aut formalis, sive circumstantiarum; nam *malum ex quocumque defectu.* Sic v. g. peccat ratione objecti materialis vir ille, qui nempe ex motivo dandi eleemosynam proximo, furatur; peccat autem ratione objecti formalis seu finis, qui ex motivo vanæ gloriæ vellet assistere Sacro; peccat vero ratione circumstantiæ qui ex motivo religionis vellet quidem ingredi templum, sed iis in adjunctis in quibus experientia doctus certo prævidit proprium lapsum.

Quare cum finis est malus, totus actus malus erit juxta illud: *si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit* [3]. Qui enim malo fine agit vult bonum, sed sub ratione mali, ideoque prout volitum est ab ipso malum est [4]: hinc Deo displicuerunt dona Caini licet pinguia, quia a malo fine provenientia. Pariter actus ex objecto malus non potest fieri bonus ob bonum finem, quo ponitur quia eos damnat Apostolus qui dicunt: *faciamus mala ut veniant bona* [5]. Hinc d. Thomas: *non est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant, quia quilibet singularis defectus causat malum* [6].

46. Q. 3. *Unde actus boni desumunt propriam moralitatis speciem?*

R. Actus boni desumunt propriam moralitatis speciem ab objecto formali proximo, a quo scilicet immediate moventur [7]: sic v. g. qui amat Deum quia in se bonum, ponit actum charitatis; qui desiderat Deum uti suam beatitudinem, ponit actum spei; qui abstinet a rebus turpibus, ut pareat Deo, ponit actum obedientiæ; qui abhorret a peccato, ne incurrat malum gehennæ, ponit actum amoris proprii

1 Matth. VI. 2 Lib. II *De serm. Domini.* 3 Matth. VI.
4 D. Thomas, 1, 2, q. 19, a. 7. 5 Rom. III. 6 *De malo,* q. II.
7 Objectum formale interdum est remotum, nempe cum non movet immediate ad aliquod objectum materiale prosequendum aut fugiendum; sed movet ad actum qui ab alio motivo informatur. Ita si ex motivo obedientiæ eliciatur actus charitatis, obedientia non est motivum immediatum actus charitatis; amatur enim Deus in actu charitatis propter suam bonitatem; ideo est tantum motivum remotum. Interdum autem objectum formale est proximum: sic Deus quatenus est bonus nobis, est objectum formale proximum in actu spei.

bene ordinati. Ratio est, quia ex communi omnium sensu, plures dantur species actuum bonorum; porro nulla est aptior regula ad eos dignoscendos, quam recurrere ad motivum immediatum illorum bonorum, a quo nempe habent ut sint.

47. *An possit idem actus habere duplicem speciem bonitatis?*

R. Affirmative, si nempe idem actus prosequatur unum idemque objectum materiale propter duo diversa objecta formalia, seu fines; nam tunc voluntas prosequitur duplicem bonitatem, cujus capax est idem objectum formale. Sic qui vult petere divinæ gratiæ auxilia tum ad adimplendum præceptum, tum ad Deo cultum exhibendum, ponit actum et obedientiæ et religionis; qui detestatur peccatum furti quia contrarium est tum justitiæ commutativæ, tum divinæ bonitati, tum æternæ beatitudini, ponit actum habentem triplicem bonitatem, nempe justitiæ, charitatis et spei.

Ex hoc infers, quod valde præstat ut bonum faciens plures sibi proponat fines, quoad res ipsa dederit, v. g. si eleemosynam tribuat intendat et fratrem sublevare et Deo placere et pœnitentiam agere de suis peccatis, etc., ita ut multiplicatis bonis intentionibus multiplicentur et merita.

48. Q. 4. *Undenam ipsi actus mali desumunt suam propriam moralitatis speciem?*

R. Actus mali desumunt propriam moralitatis speciem a virtutibus quibus opponuntur; sicut enim ad pietatem spectat venerari parentes, ita est contra pietatem eos spernere. Quare si idem actus opponitur diversis virtutibus ex parte objecti tum materialis tum formalis et circumstantiarum, in eodem actu invenientur plures malitiæ species. Sic qui furatur in loco sacro ad se inebriandum committit triplex peccatum, alterum contra justitiam ex parte objecti materialis quia surripit rem alienam, alterum contra temperantiam ex parte objecti formalis seu finis quia intendit ebrietatem, postremum contra religionem ex parte circumstantiæ loci sacri quem violat. Ex hoc infertur pro praxi, quod confessarius pœnitentem qui se accusat v. g. de furto, debet interrogare circa finem ab eo intentum; nam si hoc furto intenderit pecuniam sibi comparare ad puellam seducendam, nova esset in eo malitia. Ita si detraxerit proximo, quærat an fortasse hac ratione intenderit eum impedire a lucro vel aliqua dignitate consequenda.

Item actus mali specie morali differunt inter se, etsi illi opponantur uni virtuti, si opponantur modo prorsum opposito: sic præsumptio specie morali differt a desperatione, etsi ambæ opponantur uni virtuti, nempe spei; quia illam modo contrario offendunt.

Item si actus opponantur uni virtuti, quæ diversa imponat officia seu præcepta, tunc violationes horum præceptorum, quamvis sint contra eandem virtutem, specie differunt inter se; quia eadem virtus violatur sub diversa ratione. Sic peccat contra justitiam, etsi non eodem modo, qui furatur, aut detrahit, aut vulnerat proximum; offendit enim diversa præcepta ejusdem virtutis, quorum violationes cum propriam habeant malitiam, distincte sunt in confessione aperiendæ, utpote distincta peccata.

49. *An* (quæres) *ad contrahendam malitiam necessarium sit eam intendere et ab ea moveri?*

R. Ad contrahendam malitiam sufficit eam in actu ipso deprehendere; ratio est quia actio quæ aliqua ex parte judicatur contraria regulæ morum, eo ipso aberrat ab honestate. Hinc qui sectatur inhonesta, graviter peccat etiamsi in hoc non intendat turpitudinem actus, sed solum sui dilectationem. Unde legimus de peccatoribus: *facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt* [1].

50. *Quid* (quæres) *requiritur ad actus bonitatem contrahendam?*

R. In actu bono, cum idem objectum materiale possit, pro diversa ratione qua in ipsum tenditur, habere diversas species bonitatis, necessarium est ut istæ determinentur ex libertate operantis. Quare, inquit Angelicus, *ad hoc ut sit voluntas bona, requiritur quod sit bona sub ratione boni, id est quod velit bonum et propter bonum* [2]? Hinc qui jejunat ut parcat sumptibus, ex avaritia agit; nisi forte id faciat ad sublevandos pauperes, aut propter aliud honestum motivum. Ceterum necesse non est, ut operans *in actu signato*, uti ajunt, seu reflexe bonitatem actus sui intendat, v. g. ut dicat secum *volo id agere quia bonum est*, quod esset onus importabile; sed sufficit ut eam intendat *in actu exercito*, nempe ut velit rem quam scit vel judicat esse bonam, uti v. g. si in eleemosyna intendat sublevare pauperem, etiamsi hoc non velit reflexe, ideo quia bonum est.

51. *Quid* (addes) *dicendum, quando diversæ actiones malæ ad unum eundemque finem ordinantur?*

R. Si illæ actiones malæ sunt contra eandem virtutem, et suapte natura ad unum eundemque actum completum diriguntur, et uno impetu vuluntatis ad eum ordinantur, tunc communior ac probabilior sententia tenet unam esse tantum malitiam ex illo actu completo, ut dici solet de actionibus impuris antecedentibus, comitantibus et subsequentibus fornicationem. Ratio est, quia omnes illæ actiones morali hominum æstimatione habentur uti complementum illius actus completi.

[1] Oseæ, IX. [2] 1, 2, q. 19, a. 7. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*; l. v, *Tr. Præ.*, n. 37.

Si autem illæ actiones malæ non sunt contra eandem virtutem, sed contra diversas, etsi coordinentur ad unum finem et uno impetu voluntatis concipiantur, tunc propter contrariam rationem plura erunt specie peccata: ut cum quis furatur ad adulterandum, duplex peccatum committit, alterum furti, alterum adulterii, duæ enim sunt virtutes læsæ; quod valet etsi adulterium non sequatur, nam qui mulierem concupiscit, *jam mœchatus est eam in corde suo* [1].

52. Q. 5. *Quid censendum est si actus externus habeat duplicem finem, unum nempe bonum, alterum malum?*

R. Videndum est, utrum ratio mali finis superveniat actioni jam bonæ, quin substantialiter in ipsam influat: ut esset si quis ex sincero misericordiæ affectu pauperi velit dare eleemosynam; sed quia pauper petit in publico, subintrat etiam stimulus vanæ gloriæ, quin iste repellatur. An vero hæc circumstantia antecedenter se habeat, et influat in totum operis corpus, ipsum causando: ut si quis ideo faciat eleemosynam, ut laudetur ab hominibus.

Si 1, bonitas actionis imminuitur quidem aliquantisper, sed non tollitur substantialiter; quia finis malus se habet tantum concomitanter, quin in ipsam actionis substantiam influat: ut est quædam complacentia sui in eo qui opus bonum exercet. Si secus esset, ait Billuart, vix ullus vel in ipsis Sanctis reperiretur actus bonus, cum tam facile opus quodlibet bonum circumstantia aliqua leviter mala infici contingat.

Si 2, actus erit totaliter malus, quia tunc ideo actus ille eligitur, ut sit instrumentum ad malum, quod recta ratio improbat. *Cum aliquis*, ad rem Angelicus, *vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, et hic actus totus est malus, licet non ab eo omni, quod in eo est, malitiam habeat* [2]. Hoc sensu ait Apostolus: *modicum fermentum totam massam corrumpit* [3]. Erit autem tunc actus malus leviter vel graviter pro levitate vel gravitate finis; cum ipse sit regulariter tota ratio malitiæ illius.

53. Q. 6. *Quomodo distinguuntur circumstantiæ quoad illam moralitatem quam actui nostro tribuunt?*

R. Circumstantiæ aliæ dicuntur *addere speciem:* et sunt quæ bonitati vel malitiæ desumptæ ex objecto materiali et formali, addunt novam speciem bonitatis vel malitiæ. Sic malitiæ furti quæ committitur in loco sacro, illa circumstantia loci sacri addit novam malitiam sacrilegii. Aliæ vero dicuntur malitiam, vel bonitatem tantum

[1] Matth. v. [2] In II, d. 38, q. 1, a. 4.
[3] I Cor. I — *V.* Liguori, *Op. Mor.;* l. v, *Tract. Præam.*, n. 39; et l. VI, n. 683, 270. — Contenson, *Theol. cordis*, ubi hac de re eleganter pro more suo.

augere vel minuere intra eandem speciem: et sunt illæ quæ eandem speciem malitiæ vel bonitatis faciunt tantum majorem, vel minorem. Sic major vel minor pecuniæ quantitas furto sublata, vel in eleemosynam tributa facit majorem, vel minorem furti malitiam aut eleemosynæ bonitatem. Istæ dicuntur etiam circumstantiæ *aggravantes*, vel *attenuantes* seu *minuentes*.

Id autem duplici modo contingere potest: graviter, seu, ut ajunt, *notabiliter;* et leviter, seu *non notabiliter*. Circumstantia notabiliter augens in materia quantitatis, seu quæ sita est in numero, pondere et mensura, tunc censetur, quando seorsim sumpta et disjuncta ab ipso actu sufficit ad constituendum peccatum mortale: v. g. si supponamus libellas quinque in furto constituere materiam gravem, in furto libellarum decem erit circumstantia graviter augens quantitatem quinque libellarum. In aliis vero materiis censetur adesse circumstantia notabiliter augens, quando excedit modum ordinarium peccandi: v. g. si quis per annum integrum perseveret in odio. Si horum nihil occurrat, circumstantia censetur leviter augens: ut si quis furaretur sex libellas; vel si post gravem rixam aliquantulum temporis permanserit in odio.

54. Si vero circumstantiæ transferant peccatum de veniale in mortale, tunc dicuntur mutare speciem, non objectivam, quam tantummodo augent; sed *theologicam* seu *demeritoriam*. Sic furtum unius libellæ non differt quoad virtutem cui opponitur, a furto libellarum centum; differt tamen quoad culpam, nempe theologice, quia furtum unius libellæ utpote leve peccatum non meretur gratiæ et gloriæ privationem uti furtum libellarum centum, utpote mortale.

55. Q. 7. *An ipse actus externus addat intrinsecam bonitatem, vel malitiam actui interno?*

R. Affirmant Scotistæ, quia externe operari bonum vel malum est certe aliquid majus, quam illud tantum concupiscere. Attamen Thomistæ cum communiori negant docentes, actum externum prout nempe est mera executio actus interioris, nullam addere actui interno bonitatem, vel malitiam moralem *intrinsece et per se*. Constat ex Scripturis, ubi voluntas efficax pro facto reputatur; ait enim Deus Abrahamo: *quia non pepercisti filio tuo... benedicam tibi* [1]: et tamen pepercit. Ratio autem est, quia omnis moralitas ab intrinseco seu a voluntate desumitur; nec externus actus ullam habet imputabilitatem propriam et distinctam ab imputabilitate actus interni: quamvis sit illius veluti consummatio. Unde in solatium piorum, qui desideriis bonis flagrant, quin ea implere possint, ait d. Thomas:

1 Gen. xxii. — *V.* Liguori, *Op. Mor.;* l. v, *Tract. Præam.*, n. 60.

tantum meretur qui habet voluntatem pèrfectam aliquod bonum faciendi, quantum si faceret illud.

Diximus *intrinsece et pèr se*, quia per accidens actus externus bonitatem vel malitiam sæpius addit actui interno; atque ita in praxi Thomistæ consonant cum Scotistis. Sic Angelicus postquam dixisset, actum externum nullam actui interno bonitatem vel malitiam tribuere, excepit: *nisi contingat ipsam voluntatem* (per actum exteriorem) *secundum se fieri meliorem in bonis, vel pejorem in malis.* Porro regulariter ita evenit: et sane quoties contingit actum externum esse causam aut occasionem, ob quam actus internus pejor evadat; vel quia actus ipse internus multiplicatur, donec per exteriorem obtineat executionem suam; vel quia majorem habet durationem, cum statim actus exterior perfici nequeat?

Præterea nonne per actum exteriorem magis hebetantur sensus, et proniores fiunt ad malum potentiæ ipsæ exteriores? scandala interdum nascuntur? contrahuntur censuræ? oritur obligatio restituendi? Ideo quia regulariter aliquid ex his accidit, bene ait Habert, eum qui externe operatur peccatum, majus malum committere, quam qui illud tantum concupiscit. Adde: actus externus est interioris complementum, et ex toto unus exurgit actus moralis, ideoque semper est in confessione aperiendus. Merito ergo hæc propositio ab Alexandro VII damnata est sub n. 25: *qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam (I).*

56. Q. 8. *An admittendi sint actus humani indifferentes* [1]*?*

R. 1: Certum de fide est, non omnes actus humanos esse indifferentes in se secundum suam speciem, seu objectum; cum quidam sint de se boni, uti v. g. actus Fidei, Spei et Charitatis: quidam de se mali, uti v. g. fornicatio, odium Dei. Ratio, quia sunt quædam objecta de se rationi consona et quædam dissona.

R. 2: Etsi non de fide, attamen certum est, dari actus quosdam in specie et in abstracto prorsus indifferentes: qui scilicet ex natura sua non sunt neque boni neque mali quoad mores. Actus enim humanus consideratus in sua tantum specie et in abstracto, est ejusdem naturæ cujus est objectum; atqui varia dantur objecta, quæ ex se et intrinsece neque bona sunt neque mala, sed plane indifferentia ad bonitatem vel malitiam, ut ambulare, flores colligere, etc. Ergo dantur etiam actus humani indifferentes in specie. Hinc

[1] Actus humanus potest considerari vel in propria tantum specie, uti loquuntur Scholastici, et in abstracto; vel in individuo et in concreto. In specie et in abstracto est actus consideratus in ordine ad solum objectum, ad quod extenditur, uti deambulatio in se, abstrahendo a quolibet deambulationis fine, et a circumstantiis quibuscumque. In individuo et in concreto est actus consideratus non solum in ordine ad objectum, sed etiam ad agentis finem et circumstantias. — *V.* Liguori, *Homo Ap.;* tr. III, n. 21.

Hieronymus: *bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare* [1].

R. 3: Tota quæstio est, an dentur aut dari possint actus indifferentes in individuo agente cum deliberatione. Affirmant Scotistæ; nam actus, qui nec bonitatem nec malitiam contrahunt ex objecto, fine et circumstantiis, sunt indifferentes in individuo; atqui dantur tales actus: ut est v. g. spuere, confricare manus, etc. Nulla sane est obligatio hæc ponendi, nec qui ea ponit, intendit finem positive honestum; ergo istæ actiones in individuo ipso sunt indifferentes quoad mores.

Verum probabilius docent Thomistæ cum Bellarmino, Suarez, Valentia, etc., nullos omnino dari actus humanos indifferentes in individuo, quoad bonitatem scilicet vel malitiam moralem in ordine naturali. *Omne verbum otiosum*, ait Christus, *quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* [2]: est autem *otiosum verbum* (interprete Gregorio Magno) *quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret* [3]. Omnis ergo hominum sermo, qui non habeat talem necessitatem vel intentionem, habet insitum vitium; ergo nulla vel minima res in individuo indifferens esse potest. Et Angelicus sic nervose argumentatur: *oportet, quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi et habet rationem mali; si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necesse est autem, quod vel ordinetur vel non ordinetur ad debitum finem: unde necesse est, omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem in individuo consideratum bonum esse vel malum* [4].

Diximus *quoad bonitatem vel malitiam in ordine naturali;* nam quoad meritum vel demeritum in ordine ad vitam æternam, utique dantur actus indifferentes in individuo. Sic actus fidei et spei, quibus impii divina gratia excitati tendunt ad justitiam, nec merentur salutem æternam, quia impii gratia sanctificante sunt destituti; nec digni sunt morte, quia illi actus sunt dona Dei ac Spiritus Sancti impulsus, non quidem habitantis sed moventis [5]. Hinc in Concilio generali Constantiensi damnata fuit hæc Joannis Huss contraria propositio: *nulla sunt opera indifferentia, sed hæc est divisio immediata humanorum operum, quod sunt virtuosa vel vitiosa.*

1 Epist. LXXXIX. 2 Matth. XII. 3 L. VIII, *Mor.* c. 17.
4 1, 2, q. 18, a. 9 — *V.* Taparelli, *Saggio Teorico*, vol. I.
5 Ita *Tridentinum*, sess. VI, c. 6; et sess. XIV, c. 4. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*; l. V, *Tract. Præamb.*, n. 41. — *V.* Gury, Tournely, etc.

57. Dices: *ambulare, in horto flores colligere vel olfacere, sputa ejicere, fricare barbam vel manus ad frigus pellendum, etc., non sunt actus mali in se; attamen non referuntur ad bonum; ergo sunt indifferentes.*

R. Similes actus plerumque indeliberate et ex sola imaginatione fiunt, ideo non sunt morales Quod si fiant deliberate, tunc vel ponuntur juxta dictamen rationis modo naturæ nostræ congruenti, et proprio pondere ad divinum naturæ auctorem referuntur, et boni sunt; vel ex aliquo fine inhonesto aut aliqua vitiata circumstantia ponuntur, et tunc mali sunt. Etiam ludere ad recreandum animum et sublevandum corpus spectat ad virtutem, cum id referatur ad debitum finem a Deo intentum [1].

58. Hinc patet non necesse esse, ut singulae actiones actu referantur ad Deum, ut bonæ sint; præceptum enim referendi actu opera in Deum cum sit affirmativum, non obligat pro semper, sed solum pro tempore illo quo tenemur ex aliqua circumstantia actum nostrum referre in finem ultimum. Ideo generatim satis est, ut velimus honeste et bene agere; hoc enim implicite est revereri Deum et actiones nostras ad illum uti principium omnis recti ordinis virtualiter referre. Optimum tamen consilium est sæpius hanc operum relationem in Deum excitare, tum quia hi sunt totidem actus amoris, tum quia fervor spiritus hoc pacto mirum in modum fovetur *(J)*.

[1] D. Thomas, in II, d. 40, a. 5. — *V.* Gonet, Gury, Gousset, Patel, Becanus.

DISPUTATIO SECUNDA

DE CONSCIENTIA

CAPUT PRIMUM

DE CONSCIENTIÆ NATURA ET OBLIGATIONE.

59. Q. 1. *Quid est conscientia?*

R. Conscientia, si nominis etymologia spectetur, idem sonat ac *cordis scientia*, quasi nempe sit scientia earum rerum, quæ in animo nostro sitæ sunt: ita d. Bernardus. Vel ex s. Antonino sic dicitur a *conclusione* et *scientia*, quasi idem sit ac *concludens scientia*. Vel demum sic dicitur, quia importat ordinem scientiæ ad aliquid, ita ut idem sit ac *cum alio scientia*, ut juxta magis propriam significationem docet Angelicus, qui proinde conscientiam definit *applicationem scientiæ ad opus aliquod particulare* [1].

Sed moraliter spectata conscientia communiter definitur: *judicium rationis practicum, dictans ex principiis morum generalibus, quid in particulari hic et nunc agendum ut honestum et bonum; quid vero fugiendum ut inhonestum et malum.* Brevius autem definiri potest: *actus intellectus, dictans quid hic et nunc amplectendum sit, aut fugiendum.* Dicitur 1) *actus*, non potentia vel habitus; cum conscientia sit applicatio scientiæ ad ea quæ agimus; 2) *actus intellectus;* nam conscientia est judicium de agendis, quod pertinet ad intellectum; 3) *dictans quid hic et nunc* etc.: unde patet conscientiam, ut est regula actuum humanorum, versari præcipue circa actus futuros [2]; licet aliquando versetur etiam circa præteritos judicando, utrum illi ponendi essent uti boni, an fugendi uti mali.

[1] 1, p. q. 79, a. 13; et q. 17 *de verit.*, art. 2.

[2] Rejicimus tanquam aperte falsam eorum sententiam, qui conscientiam antecedentem, quæ refertur ad actus futuros, non admittunt, quasi nequeat hominis conscientia judicare actionem antequam posita sit: nempe si *conscientiæ moralis* nomine intelligimus, prout hactenus intellexerunt omnes Philosophi atque Theologi, *judicium*, seu *dictamen practicum*, quid quæso, impediet quominus ipsum possit exerceri etiam super actionem nondum positam, id est an bona et licite ponenda, an vero mala et omittenda? Nos enim loquimur de conscientia morali, non autem de conscientia psycologica, videlicet de sensu intimo.

In primo casu illos approbat et laudat, uti contingit in justis qui cum Apostolo jure merito dicere possunt: *gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ* [1]. In secundo casu eos redarguit atque vituperat, uti contingit in peccatoribus et in damnatis in inferno, ubi *vermis eorum* (dicente Scriptura) *non moritur* [2].

60. Ex hac conscientiæ definitione patet etiam discrimen inter *conscientiam* et *synderesim*. Synderesis (sic dicta a verbo greco Συνοτηρεω, quod sonat ac *conservare*) est *judicium habituale speculativum* principiorum generalium, v. g. *peccatum esse vitandum, virtutem esse diligendam*, etc. Conscientia vero est *judicium actuale practicum*, quo principium generale applicatur actioni peculiari, v. g. *non debeo condiscipulum meum hac injuria lacessere; debeo hac in re superioribus meis tanquam Deo ipsi obtemperare* [3].

61. Q. 2. *An conscientia habeat vim obligandi, et undenam?*

R. Ad 1: Certum est conscientiam habere vim obligandi quammaximam: ratio est quia agere contra conscientiam præcipientem aliquid faciendum vel omittendum, semper includit voluntatem peccandi; cum hoc nihil sit aliud, quam facere id quod prohibitum judicamus. Hinc Angelicus: *secundum hoc enim ligare conscientia dicitur, quod aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurrit* [4]. Sane si res ita non esset, eccur voluisset Deus quemlibet hominum conscientia esse præditum? et veracem, incorruptum et inexorabilem hunc *nocte dieque suum gestare in pectore testem?* Conscientiæ vim sentiebant et aperte fatebantur ipsi gentiles: *magna vis est conscientiæ, Judices* (inquiebat Tullius pro Milone in Senatu), *et magna in utramque partem, ut neque timeant qui nihil commiserint, et pœnam semper ante oculos versari putent qui peccarint.*

R. Ad 2: Hujus obligationis radicem sic explanat d. Bonaventura: *conscientia est sicut præco Dei et nuntius; et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo; sicut præco cum divulgat edictum regis, et hinc est, quod conscientia habet virtutem ligandi* [5]. Et Chrysostomus [6]: *hoc tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eo quod divinum est, et a Deo cervicibus nostris impositum.* Imo nullus est actus moralis sine conscientia; nam repugnat, ut actio alicui ad bonum vel ad malum imputetur, si de ea sibi ipse non sit conscius: at *conscire sibi* conscientia est *(K)*.

[1] II, Cor. 4.

[2] Marc. 9. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I. n. 2. — Remorsus conscientiæ, in viatoribus, inter præcipua Dei beneficia numerari debent; etenim, pœnam atque vindictam præseferunt, ast vere paternam, et qua nulla datur salubrior; ostendunt nimirum hominem quidem a Deo, sed Deum nondum discessisse ab homine.

[3] « Qui tum rationem practicam, tum moralem sensum sedulo excolit, ac ejusdem dictamen prompto animo exequi consuevit, illum sibi habitum comparat, quem *conscientiositatem* dicimus. » Stapf, *Theol.*, § 77. — *V.* Ferraris; V. *Conscientia*, ubi probamus quæ scripsit doctus auctor, non quæ aliena manus posuit.

[4] Q. 17 *de verit.*, a. 4. [5] In II, d. 39, a. 1, q. 3 [6] Hom. *ad pop. Anth.*

CAPUT SECUNDUM

DE CONSCIENTIÆ DIVISIONE.

62. Ad rem nostram quod attinet conscientia potest considerari: 1) ratione objecti, circa quod judicium practicum versatur; 2) ratione assensus in ipso agente. Porro ratione objecti conscientia alia est *vera*, alia *erronea* (seu *falsa*), alia *perplexa*. Ratione assensus alia est *scrupulosa* et *laxa*, alia *certa* et *dubia*, alia *probabilis* et *improbabilis*.

ART. I. — *De conscientia vera, falsa atque perplexa.*

63. Q. 1. *Quid est conscientia vera, et an differat a recta?*

R. Conscientia vera ea est, *quæ ex veris principiis recte concludit aliquid esse licitum, quod revera tale sit.* Hanc sequi tenemur; nam ipsa Deum nobis repræsentat vere præcipientem vel vetantem aliquid; ergo qui conscientiæ veræ obedire recusat, recusat obedire ipsimet Deo. Hinc Innocentius III habet: *quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam* [1].

Conscientia autem vera, stricte loquendo, non eadem est ac conscientia recta, quamvis nonnunquam promiscue usurpentur; nam *verum* dicitur juxta quod est, *rectum* autem juxta quod apprehenditur. Nempe *verum* est illud, quod revera in se tale est; *rectum* vero est illud, quod fit juxta prudentiæ regulas. Unde conscientia recta prædicari potest etiam de eo, qui laborat conscientia falsa invincibiliter; nam iste prudenter operatur, cum operetur ex intima persuasione insuperabili. Et ideo ejus conscientia est recta: « ut liquet, inquiunt Salmanticenses, exemplo Jacob accedentis ad Liam, qui tunc sibi hunc discursum vel formaliter vel virtualiter efformavit: *licitum est accedere ad propriam uxorem; sed hæc est mea uxor, ut prudenter judicare debeo; ergo mihi licitum est nunc ad eam accedere* [2]. »

64. Q. 2. *Quid et quotuplex est conscientia erronea?*

R. Conscientia erronea (seu falsa) ea est, *quæ dictat tanquam verum et licitum, quod tamen in se falsum est et illicitum.*

Duplex distinguitur: *invincibilis* et *vincibilis*. Invincibilis est, quæ moraliter vinci non potest; cum nulla cogitatio neque dubium erroris, ne in confuso quidem, veniat in mentem operantis, dum ponit actionem vel ejus causam. Vincibilis vero ea est, quam operans

1 C. *Literas* de restit. spol.
2 Tract. XX *De princip. Moral.* c. III, punt. 2.

potest quidem et debet vincere, quia errorem jam advertit, vel saltem de eo dubitat, atque simul advertit ad obligationem illam vincendi; attamen vincere negligit. Hæc autem subdividitur pro ratione ignorantiæ, a qua oritur, in *affectatam*, in *crassam* (sive *supinam*), et in *pure vincibilem*.

65. Q. 3. *An peccet qui sequitur conscientiam erroneam?*

R. Vel conscientia est erronea vincibiliter, vel invincibiliter:

Si est *erronea vincibiliter*, qui agit, semper peccat, sive juxta sive contra conscientiam operetur; nam si agit *juxta*, cum eam deponere possit et debeat, temere operatur eam non deponendo; si vero agit *contra*, eligit quod judicat esse malum, et hoc profecto peccatum est. Verum gravius ordinarie peccat qui agit *contra*, quia magis explicitum demonstrat affectum suum ad peccatum; quam ille, qui *secundum* illam operatur: cum iste agat ex ignorantia quæ minuit peccatum. Exemplum esset, ajunt Salmanticenses, in illo qui vincibiliter credit mentiendum esse ad tuendam vitam proximi. Aliquando tamen gravius peccat qui *secundum* illam operatur, ut si conscientia vincibilis ei dictet, quod debeat furari ad elargiendam eleemosynam. Aliquando vero æqualiter peccat sive agat *juxta* sive *contra*, uti esset si quis erronee judicaret, sibi dari præceptum obligans ex justitia ad furandum ut creditori faciat satis. Ratio istorum est, quod gravitas violationis sumitur ex gravitate præcepti quod violari creditur.

Si est *erronea invincibiliter*, conscientia sic errans sequenda est; nam licet illa actio, quam dictat conscientia, recta non sit in se, est tamen recta juxta conscientiam agentis: ita ut quotiescumque conscientia ei suggerit sic agendum, teneatur juxta illam operari, et peccat contra agendo; nam *quod non est ex fide, peccatum est* [1]: nempe quod non est ex intima persuasione quod sit licitum, peccatum est, ut interpretantur communiter Patres apud Estium [2], et patet ex contextu *(L)*.

66. *Quodnam* (quæres) *peccatum est agere contra conscientiam vincibiliter errantem?*

R. Peccatum illius, qui contra conscientiam vincibiliter errantem operatur, habet eandem speciem et gravitatem, quam quis putat suæ actioni vel omissioni inhærere; quia iste vult interpretative talem malitiam ac gravitatem, qualem in objecto apprehendit. *Actus*, inquit Angelicus, *judicantur secundum voluntatem agentium* [3]; et d. Bernar-

[1] Rom. 14. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, n. 3.
[2] Chrysostomus, Theophilactus, Patres Concilii Lateranensis IV, c. 41. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, n. 6.
[3] Lectio 11 in c. 14, Epist. *ad Rom.*

dus: *tantum malum, quantum crediderit.* Sic qui falso existimat tali die esse obligationem jejunii, et non jejunat, peccat mortaliter contra legem jejunii. Unde patet in praxi teneri pœnitentem in confessione aperire, si egerit contra conscientiam peccaminose errantem.

Agens tamen contra conscientiam vincibiliter erroneam non incurrit pœnas latas contra transgressores illius legis, contra quam ex errore putat se agere; quia pœnæ infliguntur transgressoribus legis veræ, non putativæ: sic v. g. qui percutit laicum putans illum esse clericum, non incurrit excommunicationem. Aliunde pœnæ stricte accipiendæ sunt.

67. Q. 4. *Quid agere debet laborans conscientia vincibiliter errante?* R. Qui laborat conscientia vincibiliter errante, debet eam deponere non temere, sed prudenter.

Temere eam deponunt qui nullo præmisso examine eam illico contemnunt, ut liberius peccent; vel Doctores quærunt loquentes *sibi placentia* [1]; vel ratiunculis quibuscumque, modo libertati faveant, cito acquiescunt. *Prudentes* autem eam deponunt qui Deum orant, ut det illis *intellectum ad scrutandam legem suam* [2]; qui sincero veritatis detegendæ studio consilium petunt a prudentibus et piis. Non tamen necesse est, ut multi consulantur Doctores, sed sufficit ut unus vel alter interrogetur, ratione materiæ gravitatis. Imo regulariter sufficit pro illiteratis et maxime scrupulosis judicium parochi, vel sui confessarii, vel alterius superioris.

Quod si conscientia vincibiliter erronea hic et nunc deponi non possit, et adsit agendi necessitas, tunc habita intentione se se instruendi suo tempore, erit illa pars seligenda, *in qua minus mali appareat.* Sic ulteriori culpæ non imputabitur, sed error ex vincibili fiet invincibilis; cum actu deponi nequeat, et ejus causa fuerit retractata. Si tamen proximo illatum sit damnum, debet resarciri; nam subsequens terractatio culpæ per actum contritionis non facit, ut primitus libere posita non fuerit causa efficax damni; neque ut damnum non sit ex ea secutum. Damnum enim non tam est considerandum tempore quo fit, quam tempore quo ponitur efficax ejus causa; unde sola contritio non sufficit ad illud avertendum, sed de facto impediendum est, vel resarciendum.

Diximus: *in qua minus mali appareat;* nam si agens elegerit id quod sibi majus malum videtur, peccat juxta excessum mali apprehensi: cum libere hunc excessum eligat.

68. Conscientiam autem sui pœnitentis invincibiliter errantem judicare poterit confessarius: 1) si res ignorata non sit circa prima

[1] Is. 38. [2] Psalm. 118.

principia moralia, vel circa conclusiones iis proxime connexas; hæc enim a natura ipsa in omnium cordibus insculpta sunt. Hinc si quis fateatur, se in anteacta vita aperte inhonesta perpetrasse, sed illa non habuisse uti peccata, ne facile ei credas.

2. Si non sit circa obligationes proprii status: hæc enim ignorantia ordinarie est culpabilis in causa. Hinc docet s. Thomas non excusari judicem qui in sententia ferenda errat, propterea quod leges ignorat, quas didicisse tenebatur ratione sui officii [1].

3. Si pœnitens satis diligens sit et accuratus in iis adimplendis, quæ ab aliis hominibus ejusdem conditionis peragi solent; vel si advertens, se per ignorantiam violasse præceptum, doleat atque tristetur: per hæc enim recte præsumitur illius bona fides. Quæ si desint, merito judicabitur pœnitens errare vincibiliter.

69. Q. 5. *Quid est conscientia perplexa?*

R. Conscientia perplexa dicitur ea, *qua quis putat se peccare tam si hanc, quam si illam contradictionis partem elegerit.* Talis conscientia esset v. g. in illo, qui assistens infirmo, putat se peccaturum esse tam si infirmum deserat, ut Missæ intersit, quam si ex adverso Missam omittat, ut in cura infirmi domi moretur.

Qui laborat conscientia perplexa, si potest actionem sine gravi damno suspendere, tenetur illam suspendere, quousque peritos consuluerit; nam quisque vitare debet illud, quo putat Deum offendi. Si vero actionem suam suspendere non potest, ut ordinarie evenit, tenetur minus malum eligere; alioquin peccat in excessu, quia in eo liber est. Quod si nequeat discernere quodnam sit minus malum, tunc quamlibet partem eligat non peccat; quia est quidem liber physice ratione actus, liber tamen non est moraliter ratione peccati: neque peccatum esse potest *in eo quod nullo modo caveri potest* [2].

Art. II. — *De conscientia scrupulosa et laxa.*

70. Q. 1. *Quid scrupulus ac conscientia scrupulosa?*

R. A s. Antonino scrupulus definitur: *vacillatio quædam consurgens cum formidine ex aliquibus conjecturis debilibus et incertis.*

Conscientia ergo scrupulosa ea erit, *quæ levibus fundamentis innixa formidat;* seu potius *judicat talem actionem esse peccatum cum tamen non sit; vel esse peccatum grave, cum tantum sit leve.* Ex his patet, quis sit homo vere scrupulosus; errant enim toto cœlo qui scrupulosum vocant christianum illum, qui salutis suæ sollicitus et

[1] Opusc. *De Consc.*, q. 17, a. 5. — Vide dicenda, n. 166.
[2] S. Augustinus, l. III *De lib. Arbitr.*, c. XVIII, n. 50 — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 10.

filiali in Deum suum amore perductus scrutatur, *omnia opera sua* [1], ne forte in aliquo Deum ipsum offendat: iste non scrupulosus, sed timoratus appellandus est.

Cumplurima mala scrupuli causant: nempe animi pacem extinguunt; mentem excruciant; hominem ineptum faciunt ad pietatis officia; sensum Divinæ bonitatis imminuunt; nonnunquam gravibus vulneribus animam sauciant, quando videlicet tot anxietatibus victus scrupulosus efformat conscientiam gravis peccati, et operatur; in graves etiam corporis morbos, in amentiam, aut in desperationem aliquando scrupulosum adducunt. Huc faciunt hi versus:

Pace caret, mentem excruciat, fit ineptus et æger,
Æterno exosus, peccans, spe nudus et amens.

Si scrupulositas in Confessario reperiatur, magis noxia est; quod enim quis sit scrupulosus cum se ipso, *infirmitas* est: quod sit cum aliis scrupulosus, *contagio* est: cum id esse non possit sine ministerii irrisione ac desperatione pœnitentium. Caveat ergo toto cœlo Confessarius a scrupulis, si velit utiliter muneris sui partes exercere: unde *si* illi proveniant ex ignorantia, studiis vacet; *si* ex nimia subtilitate, ne plus sapiat quam necesse est, sciens se non mathematicum agere, sed moralistam; *si* vero ex quadam, ut ita dicam, pervicacia, qua vult ut omnes idipsum sentiant quod ipse, sciat unumquemque suum donum habere, et alium quidem *sic*, alium vero *sic*, et ideo quærat quod justum est, non quod suum est [2].

71. Q. 2. *Quibus mediis uti debet scrupulosus ad scrupulos pellendos?*

R. Præcipua media ad scrupulos pellendos

Sunt Deus et Sancti, scrupulis sua pharmaca, Rector.

1. Nempe instanter ac confidenter se Deo commendare, *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* [3].

2. Protectorem invocare aliquem Sanctum, qui in vita scrupulis fuerit agitatus, ut fuit inter ceteros s. Ignatius primis suæ conversionis annis: *similitudo* enim *miseriæ* homines magis movet [4].

3. Scupulorum causas destruere, ut illorum effectus cesset. Superbus ergo suæ prudentiæ ne innitatur; pertinax frangat suum judicium; rudis instruatur; otiosus operetur; timidus Dei bonitatem meditetur; melancholicus solatium capiat; infirmus curetur, aliquando enim ex sanguinis incensione malum procedit, etc.

4. Proprii directoris judicio se totum committere; nam scriptum est: *vir obediens loquetur victoriam* [5]. Imo hoc unicum dici potest

[1] *Job*. 9. — Scrupulus dictus est a parvis lapillis, latines *crupis*, qui viatorum quandoque se pedibus ingerunt et fastidium generant valde molestum.

[2] Ita liber a s. Alphonso, ac Benedicto XIV laudatus, *Istruzione per i novelli Confessori, Opera di un Missionario divisa in due parti*.

[3] II, Cor. 1. [4] Augustinus, *Ser.* IX ex quatuor noviss.

[5] Prov 24. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 2, 12. — Ceterum quoad directionem scrupulosi perplura disputabimus, l. IV, in append.; quæ quidem omnibus confessariis scitu sunt perutilia.

scrupulorum remedium, quod summopere commendant s. Bernardus, s. Antoninus, s. Franciscus Salesius, s. Philippus Nerius, s. Theresia, beatus Dionysius carthusianus, ven. pater Avila, s. Alphonsus noster, aliique sine numero. Sane cum scrupulosorum ratio plane impotens sit, aliud non restat, nisi ut illi per rationem alienam gubernentur. In hoc nullum temperamentum admittatur.

72. Q. 3. *Quid conscientia laxa, quæ causæ, effectus et remedia?*

R. Ad 1: Conscientia laxa est, *qua quis ex motivis levissimis judicat esse licitum quod est illicitum, vel esse malum leve quod est grave:* qui huic conscientiæ indulget utique peccat, cum ea sit facile superabilis. Huc revocatur tum conscientia *laxa simpliciter*, quæ libertatem plus justo extendit; tum conscientia *pharisaica*, quæ magna parvi et parva magni facit (dicta a conscientia Pharisæorum culicem scrupulose excolantium, sed camelum deglutientium [1]); tum conscientia *cauteriata*, quæ ex diuturno peccandi habitu peccata etiam gravissima nihil pendit, judicando bonum malum, et malum bonum sine ullo remorsu [2].

R. Ad 2: Conscientiæ laxæ causæ sunt: *vita mollis*, quæ enervat; *neglectus orationis*, qui nos omnino dejicit; *nimia temporalium sollicitudo*, quæ nos terrenos facit; *peccandi consuetudo*, quæ tollit peccati horrorem; *familiaritas* cum vitiosis, quibus assuescimus; *luxuria*, quæ impedit, quominus christianus ad spiritualia tendat. Hinc sequentes versus:

Mollities, missæque preces, nimis anxia mundi
Cura, frequens lapsus sociique, cupidinis arcus.

R. Ad 3: Effectus laxitatis sunt: *cæca animi tranquillitas* post peccatum; *insensibilitas* ad pia monita; *irrisio* piarum exercitationum; *impœnitens cor thesaurizans sibi iram in die iræ* [3]. Hinc versus:

Cæcutiens, durum, pia spernens, neque dolens cor.

R. Ad 4: Præcipua sunt laxitatis remedia: 1) dierum aliquod secessus, dicente Domino: *ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus* [4]; 2) frequens oratio cum novissimorum meditatione juxta illud: *memorare novissima tua et in æternum non peccabis* [5]; 3) quotidiana conscientiæ discussio secundum illud: *redite prævaricatores ad cor* [6]; 4) optimorum librorum lectio; nam in lectione nos alloqui-

[1] Matth. 23. — *V.* Alasia, Gury, Voit.
[2] 1, Tim. 4. — Cauterium est a græco *caio, ardere:* conscientia ideo *cauteriata* dicitur, quia omnem peccati sensum amisi, sicut caro ferro candenti inusta, quæ insensibilis effecta est: et tunc iniquitas sicut aqua bibitur. [3] Rom. 3.
[4] Os. 2. — *V.* Liguori, Epist. *Sull'utilità degli Esercizi in solitudine;* it. *Meditazioni per otto giorni.* — Belleccio, *Exercitia s. Ignatii:* hæc elegantissime italice donavit pater Bresciani. — Vigitelli, Petitider, Diertins, etc. *Exercitia.* — Stapf, § 571 et seq.
[5] Eccl. 7. [6] Is. 46.

tur Deus, sicuti nos in oratione alloquimur Deum; 5) promptum confugium post peccatum ad Pœnitentiæ Sacramentum, ne animæ vulnus incrudescat; 6) malorum fuga et conversatio cum bonis; nam *qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficitur* [1]. Hinc illud:

Secessus, preæ, examen, pia lectio, crebra
Sit confessio, sit fuga, sint hæc pharmaca laxo.

Art. III. — *De Conscientia certa et dubia.*

73. Q. 1. *Quid est conscientia certa et quotuplex certitudo?*

R. Ad 1: Conscientia certa ea est, *qua quis prudenter et absque rationabili errandi formidine judicat, aliquid in particulari esse bonum vel malum, licitum vel illicitum.* Seu exactius: *est prudens ac firmum judicium congruentiæ vel disconvenientiæ cum morum regulis de actu, quem ponere hic et nunc, vel prætermittere meditamur.* Ex quo patet discrimen inter conscientiam *veram* et *certam;* veritas enim respicit objectum, ita ut tale in se revera sit, qualem judicatum fuerit. Certitudo autem moralis respicit subjectum quatenus quis prudenter judicat rem illam ita esse, licet forsan in se talis non sit [2].

74. R. Ad 2: Duplex distinguitur certitudo moralis: directa et reflexa. *Directa* oritur ex principiis propriis et intrinsecis rem ipsam afficientibus. Sic judex hac certitudine innititur, quando condemnat reum, eo quod processus causæ illi subministret certissima criminis argumenta. *Reflexa* e contrario petitur a principiis generalibus rem ipsam afficientibus tantum extrinsece, ex quibus tamen recte arguitur licitum esse in praxi illud, quod in se et directe non potest demonstrari licitum. Sic judex, ex rationibus intrinsecis causam immediate afficientibus, dubius est, an Titius sit absolvendus, an vero condemnandus; sed ex illo principio reflexo atque generali: *in dubio favendum est reo,* sine hæsitatione concludit Titium esse absolvendum [3] *(M).*

75. Q. 2. *Quid est conscientia dubia et quotuplex dubium?*

R. Ad 1: *Conscientia dubia est suspensio judicii circa bonitatem vel malitiam alicujus actus in particulari.* Id nempe evenit, quando conscientia assensum suum suspendit pro utraque parte dubii, et re-

1 Prov. 13.

2 Hinc est, quod conscientia potest esse certa, quin tamen sit vera, uti est conscientia invincibiliter errans: certa videlicet *subjective;* non tamen vera *objective.*

3 Ista principia dicuntur *reflexa,* eo quod a proprio, immediato et directo eorum objecto ad aliud per ratiocinationem quasi *flectantur,* ut per ea possit recte definiri pro praxi proposita controversia. — *V.* Liguori, *Op. Mor.,* l. I, nn. 55 et 69.

manet anceps et hæsitans circa actionis suæ moralitatem. Cum porro conscientia sit judicium rationis practicum, et hic non habeatur nisi judicii suspensio, patet, conscientiam dubiam non esse conscientiam veri nominis et proprie, sed improprie tantum et usu Scholarum acceptam [1].

R. Ad 2: Dubium dividitur:

1. In positivum et negativum. *Positivum* est quando pro utraque parte stant rationes æquales, aut ferme æquales. *Negativum* est cum ex neutra parte suppetunt rationes, vel non suppetunt nisi admodum leves. Sicut statera stat in suspenso sive in æquilibrio tam si nulla, quam si æqualia in utraque lance pondera ponantur [2]: a pari homo dubius hæret in sua inquisitione, tam si nullas habeat rationes, quam si habeat æquales pro duplici contraria opinione.

2. In dubium juris et dubium facti. *Dubium juris* est quando dubitatur vel de lege, vel de ejus obligatione, vel de legitima legislatoris potestate: v. g. an jejunium tali die revera in lege præceptum sit? an lex jejunii in tali casu obliget, necne? an legislator possit in tali casu jejunium præscribere? *Dubium facti* est quando dubitatur circa aliquod factum, v. g. an medicina quam sumpturus sum, sit salutaris an venefica; an qui latet in sylva, sit homo an potius sit fera?

3. In dubium speculativum et in practicum. *Speculativum* est quando dubitatur de bonitate vel malitia actionis in se, abstrahendo a præsentibus circumstantiis: v. g. an pingere die festo sit opus servile, necne? *Practicum* est quando dubitatur, an actio singularis cum circumstantiis suis et in ordine ad finem agentis sit licita an illicita? v. g. an liceat mihi in his circumstantiis constituto facere opus servile die festo? an liceat mihi servo hac in re domino meo præcipienti obtemperare? Quare inter utrumque dubium intercedit discrimen quod intercedit sane latissimum inter verum et licitum. Dubium nempe *speculativum* licet in obliquo et secundario seu consequenter respiciat etiam licitum; in recto tamen et principaliter respicit verum. Dubium vero *practicum* respicit directe, immediate et primario ipsum licitum [3].

[1] Unde aliis sic placet conscientiam dubiam definire, ut sit: *status animi, qui sibi conscius est, se non habere sufficientes rationes, ut certo judicet sibique persuadeat, se cognoscere moralitatem specialis actus de quo quæritur.* At non recedendum a communi usu.

[2] Hæc similitudo est s. Basilii, *Ep.* CCIV *(edit. Maur.) ad Neocæsarenses.*

[3] Oportet ut lyrones nostri bene penitusque percipiant prædictam differentiam inter dubium speculativum et dubium practicum, si multos velint in quæstionibus de conscientia dubia errores præcavere. Audiant itaque auctorem libri cui titulus: *Dottrine di s. Alfonso difese*, ecc. Monza, 1850, p. 58, edizione terza: « Dubbio speculativo e quello che ci tiene indecisi sulla questione considerata assolutamente in sè mede-

Pro duplici hac dubii specie etiam ipsa conscientia dubia potest, imo debet cum s. Alphonso dupliciter dividi, nempe in conscientiam *dubiam speculative* et in conscientiam *dubiam practice*.

76. Q. 3. *Utrum, stante dubio speculativo, possit haberi moralis certitudo de honestate actionis?*

R. Affirmative: stante dubio speculativo, potest haberi moralis certitudo de honestate actionis. Dubium enim speculativum non excludit practicam hanc moralem certitudinem; nam aliæ sunt rationes, quibus judicamus *de rei veritate*, v. g. an bellum quod hic et nunc geritur, sit in se justum necne? Et aliæ sunt rationes quibus judicamus *de honestate actionis*, v. g. an in bello prædicto liceat subditis, sic imperante Principe, præliari?

Res clarius patebit exemplo judicis, qui ex rationibus intrinsecis et directis dubius est, num Titius v. g. sit reus, an non? attamen ex illo principio reflexo ac generali, nempe *in dubio favendum esse reo*, Titium absolvit. Judex videlicet laborat quidem dubio speculativo, quia spectatis rationibus intrinsecis, dubius hæret, an reus sit absolvendus necne; sed tali dubio non obstante, efformat sibi conscientiam moraliter certam de honestate suæ actionis in reo absolvendo, illud amplexus principium: *in dubio favendum est reo*. Ex his patet quomodo actio, cujus honestas speculative et in se ipsa considerata dubia est, possit in praxi et relate ad ipsum operantem evadere moraliter certa et practice tuta.

77. Q. 4. *Stante dubio practico de honestate actionis, licetne agere?*

R. Stante dubio practico de honestate actionis, nefas est agere, sed prius dubium deponi debet; nam *omne quod non est ex fide, peccatum est* [1], sive quod non est ex intima persuasione, quod sit licitum, peccatum est. Atqui illud, quod fit in dubio practico de honestate actionis, nequit conjungi cum intima persuasione, quod sit licitum. Peccat autem ita agens peccatum ejusdem speciei, cujus est peccatum de quo dubitatur. Hinc qui dubitat actionem suam esse furtum, furto peccat, et quidem graviter, si dubium sit de re gravi; cum talis se committat illius discrimini.

Sed quid (dices) *si quis apprehendat quidem id quod agit esse peccatum, sed non advertat mortale ne sit, an veniale?*

R. Alii cum Azorio hunc semper damnant de mortali, quia quan-

sima, quale sarebbe a cagion d'esempio: *vi ha o non vi ha ingiustizia nell'esigere il lucro sulla semplice pecunia?* Che se rimanendo dubbia per me una tale questione, mi fo quest'altra: *intanto finchè resta incerta la questione, nè la legittima autorità mi toglie il dubbio, posso io lecitamente esigere il lucro?* Questo è il dubbio pratico, il quale non verte come il primo sulla natura della cosa in sè considerata, ma in ordine all'attuale mia operazione nello stato presente. »

[1] Rom. 14. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 22.

tum in se est, ejus periculo se exponit. Alii cum Vasquez censent peccare graviter vel leviter prout res in se est gravis vel levis; quia illam eligendo, ejus quoque consectaria eligit. Verum satis probabiliter Valentia et Navarrus cum aliis plurimis tenent, quod si homo iste sit timoratæ conscientiæ, qui neque in confuso advertat ad periculum graviter peccandi, neque ad obligationem rem examinandi, nec objectum sit ex se mortale, non peccat nisi venialiter; ex his enim merito infertur non apprehendi peccatum uti mortale. Mortale tamen erit, si secus esset; *quia*, uti ait s. Antoninus ex s. Thoma, *periculo se exponit mortalis* qui operatur in eo dubio [1].

78. Q. 5. *Quomodo practice dubitans de honestate suæ actionis se gerere debet, ut conscientiam practice certam sibi valeat efformare?*

R. Si dubium est inane, illud despiciendo deponat; nulla enim obligatio inducitur sine rationabili fundamento. Si e contrario dubium grave est, tunc si dubitans sit rudis, consulat confessarium, vel alium prudentem; consilium enim petere est de ordinaria Dei providentia. Si vero literis excultus sit, rem examinet ad dubium vincendum: quod si perduret, illud deponat inquirendo principium aliquod reflexum de honestate actionis, et juxta illud operetur.

Tamen si non valeat hic et nunc illud sibi efformare judicium, neque habeat a quibus consilium petat, et velit agere, eam debet partem eligere, quæ ab omni periculo peccati removet; alioquin peccaret in eo, quod se committeret discrimini [2]. Quod si neutra pars a peccato removeat, tunc dubitans ab actione abstinere debet, ut patet. At si non possit se abstinere, quia nempe est inter duo contraria præcepta constitutus, eligat quod minus malum ipsi videtur: et si utrumque præceptum æque appareat grave, eligat quod vult; sic enim agendo non peccat, cum non detur peccandi necessitas.

Quænam (quæres) *sunt principia, quibus innixa conscientia evadere potest practice certa de actionis suæ honestate aut malitia?*

R. Principium primum et principalissimum, cui innixa conscientia evadere potest practice certa de actione, est quod *lex dubia non potest inducere obligationem certam.* Ad rem Benedictus XIV: *non si*

[1] II p., t. III, c. 10.

[2] Hæc resolutio præ oculis semper habenda est in omnibus materiis dubiis, de quibus erit in totius Operis nostri decursu. Et mirum sane, quod nonnulli nos imprudentiæ accusent, quasi mens nostra sit, omne dubium illico contemnendum esse, et nullo præmisso examine, ac quasi occlusis oculis, nos tunc tuto posse, quod favet libertati, sequi. Hoc quidem imprudentissimum esset: at quis unquam docuit tale?

Nos semper loquimur de dubio, quod tale permanet, etiam post adhibitam pro rei gravitate diligentiam ad illud resolvendum, tum illud intimius rimando, tum utriusque partis argumenta sedulo pensitando vel doctos pro temporis opportunitate consulendo. En casus, quo quis valet aliquo principio reflexo practicam sibi conscientiam efformare de honestate suæ actionis, dubium vincendo. Quod quidem una vice pro omnibus dictum esse volumus.

debbono porre legami certi, quando non vi è una chiara legge che gl'imponga [1]. Ex hoc enascitur secundum principium, quod nempe *in dubio melior est conditio possidentis.* Hinc in dubio videndum est, utrum possideat lex, an libertas hominis? Nos dicimus aliquando possidere legem, aliquando libertatem: et sic quando possidet lex semper pro ea standum erit; quando possidet libertas, stari poterit etiam pro libertate, maxime si charitas et prudentia suggesserit. Ita ut qui hoc in casu adhuc voluerit legem implere, laudandus; si vero egerit contra, nullimode sit damnandus uti reus peccati.

Porro ad dignoscendum pro qua parte in dubio stet possessio, videndum erit pro qua stet præsumptio [2]. Præsumptio autem stat semper pro ea parte, quæ non tenetur per se ipsam factum probare, sed onus probandi transfert in partem alteram; *factum* nempe *non præsumitur nisi probetur.* Quod est tertium principium nobis traditum ab ipsa lege de probationibus: idcirco in dubio factum nunquam præsumitur, sed semper probandum est.

Verum si factum ipsum sit certum, v. g. si matrimonium certe initum sit, et solum dubitetur, utrum rite initum fuerit an non, tunc aliud recurrit principium; quod quarto loco adsignari potest hisce verbis contentum: *in dubio omne factum præsumitur recte factum*, sive *præsumitur factum quod de jure faciendum erat*, videlicet tunc *standum est pro valore actus (N).*

ART. IV. — *De probabilitate, de opinione et conscientia probabili* [3].

79. Q. 1. *Quid est probabilitas et quotuplex?*

R. Cum Antoine: *probabilitas est motivum grave, sed absolute fallibile, reddens opinionem verisimilem* [4]; opinio enim in genere est apprehensio unius e duobus contradictoriis cum formidine alterius: ideo probabilitas aliquid opinioni superaddit, nempe motivum solidum, etsi adhuc cum formidine de opposito.

1 *Notificatione* LXXX, alias XIII. — Vide dicenda de *Legibus*, ubi *de obligatione.*

2 Præsumptio est suppositio, quæ fit, vel fieri debet, suadente causa: seu est judicium de aliquo particulari ignoto per aliud generale notum ac ordinarie contingens: ideo præsumptio dicitur nasci *ex communiter contingentibus.* Hoc ipsa natura dictat: sic cum homo sit natura sua bonus, ideo omnis homo in dubio bonus præsumitur; ac tunc tantum uti malus habetur, quando id clare dignoscitur: quo in casu cessat suppositum, et prædicatur verum: inde natum est axioma: *præsumptio cedit veritati.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 24.

3 *Probabile*, juxta vim nominis, est id quod probari potest. Olim sumebatur pro eo, quod erat unice certum: hoc sensu Nazianzenus doctrinam de necessitate Fidei in J. C. probabilem dixit (*Orat.* XXII). In Scriptura probabile sumitur pro eo, quod est adprobatione dignum, juxta illud II, Tim. 2: *sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo.* Nunc Theologorum usu *probabile* dicitur quod absolute certum non est, gravibus tamen innititur fundamentis. — *V.* Bergier. V. *Probabile.*

4 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 40; et *Homo Apost.*, tract. I, n. 21.

Quadruplex autem est probabilitas: alia intrinseca et alia extrinseca; alia facti et alia juris. *Intrinseca* est quæ innititur rationum momentis desumptis ab ipsa natura rerum, de quibus agitur. *Extrinseca* est quæ tota fundatur in auctoritate Doctorum. *Probabilitas facti* est quæ versatur circa rei veritatem sive substantiam: uti cum quæritur, an Baptismus collatus cum lixivio sit validus, an nullus? *Probabilitas juris* est quæ versatur circa honestatem actionis, v. g. an liceat Baptismum ministrare cum lixivio?

80. Q. 2. *Quid est opinio probabilis et conscientia probabilis?*

R. Opinio probabilis, in genere morum, est *ille actus intellectus nostri, quo gravi quidem, sed fallibili fundamento innixi, et cum formidine oppositi, judicamus aliquid esse in se licitum vel illicitum.* Conscientia vero probabilis est *illa, per quam aliquis innixus opinione probabili format sibi dictamen practicum suæ actionis ex certis principiis reflexis sive concomitantibus, ad licite operandum.*

Duplici modo considerari potest quælibet opinio probabilis, vel in se et in sua probabilitate propria, vel respective et comparate ad opinionem aliam. *Opinio probabilis* (ait Staidel in notis ad Antoine) *considerari potest vel solitarie, et extra concursum alterius probabilis oppositæ; vel conjunctive et in concursu alterius* [1].

81. Q. 3. *An usus opinionis probabilis in se, et in sua probabilitate propria consideratæ sit licitus?*

R. Certum est, non licere in re morali opinionis illius usum, quam in Scholis appellant leviter et tenuiter probabilem, quæ innititur quidem aliquo fundamento, sed non tam forti ac solido, ut possit ad se pertrahere assensum viri prudentis; nam *parum pro nihilo reputatur.* Accedit: Innocentius XI damnavit hanc n. 3 propositionem: *generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca quamtumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Quare tota quæstio reducitur ad usum opinionis vere, solide et satis graviter probabilis.

Non defuerunt Doctores (*rigoristæ* ideo dicti) qui tradiderunt esse prorsus illicitum in moralibus usum opinionis probabilis cujuscumque, imo etiam probabilissimæ. Ab istorum officina prodiit notissima illa propositio ab Alexandro VIII sub n. 3 damnata contra Sinnichium, 1690: *non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam.* Verum illos refellit Angelicus inquiens: *certitudo non est similiter quærenda in omni materia: in actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia et exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa; eo quod sunt circa contingentia et variabilia. Et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in*

[1] *Tract. de Consc.*, c. IV. — *V.* Manhart, *De ingenua indole probabilismi*

paucioribus a veritate deficiat [1]. Sane cum opinio est vere probabilis, gravi nititur fundamento et assensum meretur viri prudentis; prudenter igitur agit qui eam sequitur. Hinc ipse Tullius: *nos sequimur probabilia, nec ultra quam id quod verisimile occurrerit* [2].

Dices: *ad honestatem actionis necessaria est certitudo moralis de honestate ipsa; atqui ille, qui agit cum opinione tantum probabili etsi solida et satis gravi, non habet hanc certitudinem. Opinio enim probabilis, quantacumque sit ejus probabilitas, semper conjuncta est cum formidine oppositi, ideoque cum ipso dubio.* Ergo:

R. 1: *Indirecte.* Si quid hoc argumentum valeret, rejicendus esset etiam usus opinionis probabilissimæ contra definitionem Alexandri VIII: nam ista semper conjuncta est cum aliqua formidine oppositi.

R. 2: *Directe* negando minorem; qui enim agit cum opinione vere et graviter probabili, efformat sibi dictamen moraliter certum de honestate actionis suæ ex principiis reflexis, ut patet exemplo judicis jam supra allato. — Ad probationem distinguo: opinio probabilis semper conjuncta est cum formidine oppositi speculativa, ideoque cum ipso dubio speculativo, *concedo;* conjuncta est cum formidine et dubio practico, *nego* [3]. Quæ porro omnino differunt inter se, ita ut cum prima agere quidem liceat, tametsi nefas sit agere cum secunda. Unde sic opinari pertinet ad prudentiam, uti ait Angelicus, qui dicit *prudentiam esse in opinativa parte animæ, et versari circa operabilia contingentia*, quæ nempe possunt sese aliter habere.

Ergo (subjunges) *si ita est, qui probabiliter agit, prudenter agit; atqui hoc consequens falsum est; ergo et antecedens.*

R. Consequens falsum est, si nostra actio moralis innitatur sola probabilitate, *concedo;* secus, *nego.* Nemo quidem potest opinionem aliquam sequi eo quod sit vere et satis graviter probabilis; cum ad licite operandum non sufficiat dictamen probabile, sed requiratur dictamen certum, seu certitudo moralis de honestate actionis. At eam opinionem libere quilibet sequi potest, etsi contra legem, quia (en ratio quam nunquam satis repetere possumus, quæque semper præ oculis habenda est diligenter) quia agens in tali casu recte judicat legem esse dubiam, et idcirco sibi nullam ex ea oriri obligationem: cum lex dubia ex communi Theologorum et Juristarum sententia non obliget. Et hoc modo de honestate actionis suæ non habet dictamen tantum probabile, sed vere moraliter certum in praxi *(O)*.

82. Q. 4. *An probabilitas extrinseca constituat opinionem vere et satis graviter probabilem?*

R. Affirmative: probabilitas extrinseca constituit opinionem vere et satis graviter probabilem, adeo ut liceat agere.

Prob. 1: Ex Scripturis, ubi legitur: *inclina aurem tuam et audi verba sapientum* [4]. Iterum: *ne innitaris prudentiæ tuæ* [5]; ille autem

[1] 2, 2, q. 20, a. 2. — Hoc argumentum facile extendi potest etiam ad usum opinionis vere et graviter probabilis, sive legi faveat sive libertati.

[2] L. I, *Tusc. quæst.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 54.

[3] Hoc uno principio omnia adversariorum objecta de facili solvi possunt; ac proinde fastidiosum nobis est pluribus ea prosequi. Attamen id tyrombus utile est, qui ex modo diverso, quo adversarii proprias adstruunt rationes, in responsione hærent, licet facile sit eas dissolvere, si bene evolvant hoc cardinale principium.

[4] Prov. 22. [5] Cap. 3.

dicitur non inniti prudentiæ suæ, qui auctoritati sapientum ita defert, ut ob illam aliquando operetur etiam contra id quod sibi videtur, dicens secum ipse: *in verbo autem tuo laxabo rete* [1].

2. Ex Patribus: *nulli dubium est*, inquit d. Augustinus, *gemino pondere nos impelli ad discendum, auctoritatis atque rationis* [2]. Et d. Thomas clarius: *auditor diversorum magistrorum tenentium contrarias opiniones, potest sequi quam velit, nisi aliter determinetur, esse contra Fidem et Ecclesiam* [3].

3. Ex ratione: probabilitas extrinseca, si bene perpendatur, resolvitur in probabilitatem intrinsecam; adest enim certa præsumptio, quod Doctores cum opinionem aliquam tradiderunt, penitus perspexerint rei veritatem in se; quis enim audeat cogitare eos temere fuisse locutos? *Aliquis parvæ scientiæ*, ait Angelicus, *magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur* [4]. Hinc S. Pœnitentiaria anno 1831 interrogata, an esset inquietandus Confessarius, qui in Pœnitentiæ tribunali sequitur doctrinam s. Alphonsi De Ligorio, non perpendens momenta et rationes, quibus innituntur variæ ipsius opiniones, sed ob solam tanti nominis auctoritatem, respondit *negative:* quod responsum a Gregorio XVI fuit confirmatum 22 julii 1831. Hoc autem stare non posset, nisi probabilitas extrinseca aliquando constitueret probabilitatem gravem, veram et firmam *(P)*.

83. Q. 5. *Quotuplex distinguitur opinio probabilis considerata comparate ad aliam?*

R. Opinio probabilis considerata comparate ad opinionem contrariam potest esse: 1) *minus probabilis, æque probabilis, probabilior* et *probabilissima;* 2) *minus communis, communis, communior* et *communissima;* 3) denique *minus tuta* et *tutior*.

Primo erit opinio *minus probabilis*, si nitatur minoribus rationum momentis, quam opinio opposita; *æque probabilis*, si momentis nitatur hinc inde fere æqualibus; *probabilior*, si nitatur gravioribus momentis, adeo ut opinio opposita remaneat tenuiter vel saltem dubie probabilis; *probabilissima* demum, si nitatur argumentis gravissimis omnino, ita ut opinio opposita censeatur destituta fundamento solido.

[1] Luc. 5. [2] L. III contra Academ., c. XX.

[3] *Tabula aurea.* Neque juvat proferre illa ejusdem verba (Quodl. 3, a. 10): *non possumus sequi opinionem alicujus Doctoris;* nam ibidem immediate subjungit: *contra manifestum Scripturæ testimonium, vel contra id quod publice tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem.* Hoc. s. Bonaventura tradit iisdem pene verbis. Ergo juxta istos possumus sequi opinionem *alicujus magistri*, quotiescumque hæc manifeste non adversatur Scripturæ, vel Ecclesiæ.

[4] 2, 2, a. 8. — *V.* Liguori, *Apologie*, ecc.

Secundo erit opinio *communis*, si multos; *communior*, si multo plures; *minus communis*, si pauciores; denique *communissima*, si fere omnes moraliter pro se habeat auctores.

Tertio erit opinio *minus tuta*, quæ materialiter minus recedit a peccandi periculo; *tutior*, quæ recedit magis a dicto periculo. Opinio *tutior* dicitur favere legi; quia in dato casu tenet extare legem, quæ aliquid præcipiat aut vetet. *Minus tuta* dicitur favere hominis libertati; quia in dato casu negat extare legem, sed tenet hominem libere tunc agere posse pro suo arbitrio [1].

Ex his omnibus hactenus enucleatis triplex (quæ maxime pertinet ad morum doctrinam) potest hypothesis exoriri, videlicet in conflictu duarum opinionum possunt sæpe contingere tria hæc:

1. Ut una sit minus tuta simul et minus probabilis; altera vero tutior et probabilior. Sic opinio, quæ docet mercatores ex professo gabellas fraudantes non teneri ad restitutionem, per se est minus tuta, quia non stat pro lege, et minus etiam probabilis, in nostra sententia, quia per se loquendo est minus fundata in ratione. Unde contraria opinio, quæ docet mercatores fraudantes peccare et teneri de restitutione, est tutior et nobis probabilior.

2. Ut una sit minus tuta, sed magis probabilis; altera tutior, sed minus probabilis. Sic opinio, quæ docet beneficiatum habentem bona patrimonialia ex hisce vivere debere, non vero ex ecclesiasticis reditibus, tutior est; quia qui eam sequitur, ne ipsi quidem materiali peccandi periculo se exponit, cum supponat et teneat strictam illam legem: est tamen certo minus probabilis, quia minus fundata opinione contraria, quæ docet beneficiatum ad id non obligari.

3. Ut ambæ sint æque probabiles, sed una minus tuta, et favens hominis libertati, altera magis tuta et favens legi. Sic opinio, quæ docet ecclesiasticum, qui de reditibus alicujus beneficii accipit pensionem, non teneri ex justitia ad eroganda pauperibus superflua suæ pensionis, est nobis fere æque probabilis ac contraria, quæ docet talem obligationem adesse; quia utraque satis est ac fere æque fundata. Sed prima illa est minus tuta, quia liberando a tali justitiæ lege favet libertati; e contrario hæc secunda tutior est, quia stat pro hac ipsa lege, eam supponens [2]. — Hic positis, videamus quid in hac opinionum diversitate resolvendum sit pro praxi, juxta s. Alphonsum.

84. Q. 6. *An liceat sequi opinionem minus tutam, et minus probabilem in concursu tutioris et simul etiam certe probabilioris* [3]*?*

[1] Hinc patet, quod opinio minus tuta et minus probabilis, sicut et tutior ac probabilior, multum differunt inter se: nam major vel minor securitas alicujus opinionis desumitur a majori vel minori ejusdem distantia a peccato: cum ex adverso major vel minor probabilitas desumatur a majori vel minori veritatis apparentia. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 31 et 40.

[2] Hic juverit notare cum s. Alphonso ad doctrinam nostram plenius intelligendam: *Cum aliquam opinionem* unice probabiliorem *appello, non ideo contrariam dicere probabilem intelligo. — Sicut pariter, cum dico de aliqua opinione* non audeo damnare, sive improbabilem dicere, *non ideo admitto ut probabilem; sed de ejus probabilitate dubito. — Item cum aliquam sententiam* veriorem *voco, intelligo oppositam non solida probabilitate mihi pollere, licet omnino non reprobem.* Ita in *Op. Mor.*, l. v, n. 76.

[3] Sæculo XVI id plures docuerunt, et *probabilistæ* vulgo appellati sunt. Primus hujus doctrinæ scholasticis terminis expositæ patronus fuisse dicitur anno 1577 P. Medina

R. Negative. Prob. 1. Scripturis, ubi legitur: *ante omnia opera tua verbum veræ præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile* [1]. Ergo ad bene agendum necessarium est determinatum judicium intellectus, quo prudenter quis putet, se licite agere. Atqui tale judicium habere nequit qui eligit opinionem minus tutam et minus probabilem in concursu tutioris et simul etiam certe probabilioris; cum ex hypothesi momenta quæ stant pro lege, superent momenta quæ stant pro hominis libertate.

2. Auctoritate Clementis III, qui eam sententiam tenendam declarat, *quæ meliori et subtiliori nititur ratione* [2]: porro ubi major est probabilitas, ibi est melior et subtilior ratio.

3. Ratione: ad licite operandum debemus veritatem inquirere et eam sequi: ac proinde ubi veritas clare nequeat inveniri, tenemur saltem amplecti opinionem illam, quæ propius ad veritatem accedit; atqui talis est opinio certe probabilior. Unde vulgare illud effatum, *id sequimur in obscuris quod est verosimilius:* sane vir prudens præfert momenta graviora levioribus; et hoc evenit in nostro casu. Denique quando opinio est *certe probabilior*, tunc mens nostra ex quadam vi suæ naturæ inclinari se sentit ad eandem amplectendam; et opinio evadit quoad praxim moraliter certa, cum pro se adeo firmum fundamentum habeat. Quare contraria opinio licet adhuc defendi possit, cum nullibi sit proscripta, a nobis tamen probari nequit [3].

Diximus *certe probabilior*, id est sine ulla hæsitatione, ideoque solide, evidenter ac notabiliter; nam tenuis præponderantia in moralibus non ita facile percipitur ex d. Thoma [4]. Hinc idem Angelicus: *quod autem parum est, quasi nihil accipit ratio* [5].

85. Q. 7. *An liceat sequi opinionem minus tutam, sed magis probabilem in concursu tutioris, sed minus probabilis?*

R. Affirmative *ordinarie loquendo*. Est contra Jansenistas, qui pharisæorum rigiditatem renovantes, et affectantes Evangelicæ veritatis studium, docuerunt semper tutiora esse sequenda *(Q)*.

Probatur 1. Ex Angelico: *certitudo*, ait, *non est similiter quærenda in omni materia, in actibus enim humanis super quibus constituuntur judicia et exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia. Et ideo sufficit probabilis*

Ordinis Prædicatorum. Anno vero 1584 ejusdem Ordinis Dominicus Bannez s. Theresiæ confessor doctrinam ipsam aperte amplexus est.

Unde patet falsum esse et historicæ veritati contrarium, quod toties a quibusdam fuit proclamatum, Patres nempe Societatis Jesu primos fuisse probabilismi inventores.

[1] Eccl. XXXVII. [2] C. *Capellanus*, de feriis.

[3] Liguori, *Dissert. de usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris.*

[4] 1, 2, q. 14, a. 4. [5] 2, 2, q. 70, a. 2.

certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat [1].

2. Auctoritate Alexandri VIII, qui hanc damnavit sub n. 3 propositionem: *non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam.* Si enim ad agendum requireretur certitudo absoluta, vel talis evidentia veritatis, quæ excludat omnem omnino errandi formidinem, ne opinionem quidem probabilissimam tenere possemus; quia opinio hæc licet inter probabiles habeat primum locum, fines tamen probabilitatis non excedit, et ideo omnem omnino errandi formidinem non excludit.

3. Ratione: nam, ista dictante, qui in concursu opinionis tutioris quidem, sed minus probabilis, amplectitur opinionem minus tutam, sed probabiliorem, præfert argumenta graviora levioribus; ergo prudenter agit, ideoque recte ac licite.

Diximus: *ordinarie loquendo*, nempe ubi de solo licito vel illicito agatur; nam iis in casibus, in quibus non agitur jam de honestate actionis, aut de simplici jure ac persuasione nostra; sed de facto et veritate rei alicujus, non licet sequi opinionem probabiliorem, sed tutior est tenenda. Quia in his casibus, si forte opinioni quamvis probabiliori subsit error, perdita sunt omnia [2]; neque enim major probabilitas immutat rerum naturam. Sunt hi casus:

1. Quando agitur de periculo damni proximi: v. g. venator, qui probabiliter judicat objectum in sylva latitans esse hominem, non potest ferire, licet probabilius putet esse feram. Nam ex una parte proximus habet jus certum vitæ suæ; ex altera major probabilitas non facit, ut si revera sit homo, ictu non pereat [3].

2. Quando agitur de fine, quem absolute curare tenemur, et ad quem major probabilitas non conducit: ita est in iis, quæ sunt necessaria necessitate medii ad salutem, ubi factum unice attenditur.

3. Quando agitur de iis, quæ requiruntur ad valorem Sacramentorum; quia Sacramenta non pendent ab hominis opinione, sed ab institutione divina: quæ ideo non habentur, nisi reapse ponantur ea, quæ Deus ad Sacramentum præscripsit. Hinc Innocentius XI damnavit

1 2, 2, q. 70, a. 21. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 54.

2 Quamquam in his facti speciebus, si strictius loqui velimus, nedum major, imo nulla adest vera probabilitas; cum et ratio et Doctorum consensus contrarium doceant: siquidem nullus discursus valet removere malum quod potest evenire, si aliter agatur. Unde quod iis in casibus sit tenendum quod securius est, est etiam magis probabile, imo practice certum: *tunc* (ad rem Stapf) *status quæstionis jam non est dubius, sed plane certus efficitur.* Quare si hos casus excipiendo ponimus, est ut morem geramus Theologorum. — *V.* Fedelini Theologiæ moralis in seminar. Veronensi professor, Opuscul. S. *Alphonsus De Ligorio seipsum vindicans.* Veronæ. 1852.

3 Hanc rationem sic lucide exponit s. Alphonsus: *Il pericolo di peccare dipende dal dettame della coscienza dell'operante, e il pericolo del danno dipende dal fatto della stessa poera.* (*Apol. e Confut.*, vol. I, p. 251. Monza, 1821.) — V. *Op. Mor.*, l. I, n. 43.

hanc propositionem: *non est illicitum in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramentorum, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi* [1]. Attamen excipe: 1) nisi suppleat Ecclesia; aliquando enim ipsa potest et censetur supplere id, quod desideratur ad valorem Sacramenti. Hoc evenit tum in Sacramento Pœnitentiæ, in quo Ecclesia aliquando supplet jurisdictionem confessarii, si forte desit; tum in Sacramento Matrimonii, quod aliquando convalidat, si invalide contractum est ob impedimentum ecclesiasticum, quod quidam aufert; 2) nisi urgeat casus necessitatis; quia cum Sacramenta sint propter homines, homini in gravi periculo vitæ ea ministranda sunt meliori, quo potest, modo. Ad salvandam autem Sacramenti reverentiam, ipsum tunc conferatur sub conditione.

4. Quando agitur de illo, qui ad tutiora adhibenda tenetur vel ex conventione tacita aut expressa, vel ex voto, vel ex præcepto superioris; quia pacta, promissiones et præcepta servari omnia jura clamant. — Hi casus sequenti versiculo exprimuntur:

Si damnum, finisque, valor, si tutius urget.

86. Q. 8. *An liceat sequi opinionem minus tutam in concursu opinionis tutioris æque, vel fere æque probabilis* [2]*?*

R. Theologi in duas partes scinduntur. Alii volunt partem tutiorem esse eligendam, eam videlicet quæ favet legi, quando adsit concursus alterius opinionis æque vel fere æque probabilis, quæ faveat hominum libertati: hi *Probabilioristæ* dicuntur, seu *Tutioristæ*. Alii vero dicunt, eligi etiam posse partem minus tutam seu faventem hominis libertati; et licet fateantur perfectius se gerere qui primam sequitur partem, docent tamen nullatenus peccare qui tenet secundam. Doctrina hæc nuncupatur in Scholis *Systema morale probabilismi moderati*, et consequenter *Probabilistæ moderati*, vel *Æquiprobabilistæ* vocantur qui illud tuentur. Probabilismi moderati usum tam firmiter, tam constanter et copiose propugnavit sanctus Alphonsus De Ligorio episcopus *animarum zelo, scriptis, verbo et exemplo insignis* [3], ut ipse ejusdem quasi pater et auctor habeatur *(R)*.

[1] Cum propositio loquatur tantum de Sacramentorum confectione, ideo contendunt Sanchez, Vasquez, etc., adhuc licitum esse uti opinione probabili in illorum susceptione. Verum nos censemus non recedendum a sententia Cardenas, La-Croix, etc., qui docent et conficientem et suscipientem, non posse ex damnata propositione sequi opinionem probabilem, relicta tutiore; cum una facti species sit virtualiter inclusa in alia, et quoad potest vitandum sit frustrationis Sacramentorum periculum. Saltem hæc secunda sententia est tenenda; quia prima fere nunquam poterit deduci in praxim a suscipientibus sine propriæ animæ detrimento. — *V.* S. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. I, nn. 49, 50, 51.

[2] Gravissimi momenti est hæc controversia, a cujus solutione pendet etiam solutio aliarum sine numero quæstionum in toto moralis Theologiæ cursu.

[3] Verba quæ de Ipso leguntur in *Romano Martyrologio.*

Hic tamen juvat advertere, quod Sanctus noster: 1) aperte negat eas opiniones vere probabiles remanere, quæ concurrunt cum aliis solide, evidenter et notabiliter probabilioribus et tutioribus: ideoque negat fas esse illas in praxi tenere; 2) fatetur in dubio practico de bonitate vel malitia actionis, aut ab actione esse abstinendum, aut tenendam partem tutiorem; 3) consentit non licere sequi partem minus tutam, etiamsi probabiliorem, relicta tutiori etsi minus probabili (in casibus supra numeratis) ubi agitur de aliquo facto, a quo non possit amoveri periculum, nisi per media tutiora. Hisce sic stantibus, nos (facta cuilibet facultate sentiendi quod sibi magis arriserit, et quin ullo modo audeamus diversimode tradentes parvifacere) non dubitamus aperte tueri expositum *Systema Ligorianum*. Sit igitur:

Propositio: *Inter duas opiniones æque vel fere æque probabiles potest homo sine peccato eligere et tenere partem minus tutam, relicta tutiori.*

87. *Primum argumentum desumitur ex natura legis.* Talis est natura legis cujuscumque ut, cum dubia est, minime obliget; atqui in concursu duarum opinionum æque probabilium, quarum una stat pro libertate, altera pro lege, lex dubia est.

Minor clare patet: dubium enim ex Angelico est contrariarum rationum æqualitas: *dubitatio*, ait, *signat motum rationis supra utraque parte contradictionis cum formidine determinandi alteram* [1]. — Major autem probatur: lex non obligat, nisi fuerit sufficienter nobis notificata; nam cum ipsa sit regula et mensura actuum humanorum, debet profecto innotescere; alioquin eos nullo modo dirigere posset; atqui lex, quæ post maturum examen remanet dubia, non est sufficienter nobis notificata. Quomodo etenim dici potest lex sufficienter nobis notificata, si de illius existentia ita disceptatur, ut æqualia sint argumenta hinc et illinc? ergo tunc tute nos pronunciamus, eam non obligare [2]. Confirmatur auctoritate ipsius Angelici,

[1] In 3 Sent. d. 17, a. 4. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. 1; *Homo Apostolicus*, tract. 1: *Dissertationes quatuor pro usu moderato opinionis probabilis; Apologie italiane;* etc.

[2] Hæc conclusio nostra mire firmatur hisce verbis Apostoli, 1 Cor. 14: *si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita et vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in aera loquentes.* Quid porro est lex dubia, nisi tuba illa, quæ dat incertam vocem? nisi illa lingua quæ dat, sed non manifestum sermonem? Lex igitur dubia, sit aliquo sensu lex, sed non dat vocem certam, non dat manifestum sermonem: non ergo debeo me parare ad bellandum contra meam libertatem, quia lex illa in aera loquitur. Porro si in dubio legis esset tenendum quod tutius est, et legi illi inhærendum, non bene locutus fuisset Apostolus, qui ad obediendum manifestum superioris sermonem requirit.

Recta est ergo, ac in ipsa *Scriptura* fundata regula illa: *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.* Iterum: *Quidquid adstringendæ obligationis causa dictum, id, nisi palam exprimatur, omissum esse intelligendum est.* — Ita Bolgeni, *Il Possesso, principio fondamentale per decidere i casi morali*, c. XI.

qui scribit: *ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent: talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur* [1]. Idem sic habet: *nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti, et ideo ille, qui non est capax notitiæ, præcepto non ligatur... Sicut autem in corporalibus agens corporale non agit, nisi per contactum; ita in spiritualibus præceptum non ligat, nisi per scientiam* [2]. Et Benedictus XIV ad rem nostram scribit: *non si devono porre legami, quando non vi è una chiara legge che gl'imponga* [3].

88. *Sed* (dices) *in concursu duarum opinionum æque probabilium habetur notitia saltem probabilis legis; ideoque sufficiens ad prudentem hominis assensum sibi conciliandum.*

Negamus: quomodo enim probabilis haberi poterit notio legis alicujus, ubi argumenta quæ illius construunt existentiam, eliduntur ab argumentis, quæ militant pro existentia libertatis? Ergo in concursu duarum opinionum æque probabilium non alia potest haberi notitia, quam notitia et scientia dubii legis; non vero notitia et scientia legis ipsius qualis requiritur, ut lex valeat obligare. Accedit argumentum a pari: scilicet in pari dubio, utrum aliquid sit revelatum necne, non tenemur credere, illud esse revelatum. Ergo a pari in æquali probabilitate, utrum illa actio licita sit necne, non tenebimur sub peccato illam ponere vel ab illa nos abstinere. Ita ratiocinatur s. Antoninus cum Gersone.

89. *At* (repones) *principium laudatum non est generale, ut debet esse omne principium, quod sit mensura morum; siquidem illud* lex dubia non obligat *quosdam excipit casus.*

Resp. Si recte loqui velimus, nullus in opinione nostra casus excipitur, ac ideo principium nostrum adæquatum est. Nam si intimis rem consideremus, ideo casus nonnulli excipiuntur, quia in illis lex non amplius habetur dubia; adest enim jam antecedens lex certa et generalis charitatis vel justitiæ, quæ clamat vitandum esse damnum proprium vel alienum. Quæ quidem lex ideo omne dubium vincit; quia apud omnes in confesso est illius præexistentia [4].

Saltem (inquies) *principium:* lex dubia non obligat, *non poterit extendi ad dubia illa, quæ sunt de lege naturali.*

Negatur antecedens; nam s. Thomas, cujus verba retulimus, loquitur profecto etiam de lege naturali, teste s. Alphonso sic dicente in eundum locum: *ivi parla* (l'Angelico) *non solo delle leggi umane, ma anche delle divine e naturali* [5]. Et sane eadem est ratio; ut enim quælibet lex liget homines in conscientia, hominibus debet esse nota.

90. *At* (dices) *saltem illud principium non obtinet, quando agitur de dubio mali intrinseci.*

[1] 1, 2, q. 90, a. 4. [2] *De veritate*, q. 27, a. 3.
[3] Notificatione XIII, nunc LXXX. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 60.
[4] Ut satis abunde notat Liguori, *Homo Apost.*, tract. I, n. 21.
[5] S. Alphonsus, *Apolog. e Confut.* vol. II, ubi subdit: *in altro luogo insegna più espressamente* (l'Angelico), *che i precetti divini o sieno positivi, o naturali, allorchè sono dubbi, non obbligano:* 1, 2, q. 19, a. 10. Quare toto errant cœlo qui in hac quæstione contendunt s. Alphonsum posuisse discrimen circa principium *lex dubia non obligat*, inter legem positivam et inter legem naturalem.

R. Negando: quod enim obtinet in dubio de lege naturali, id obtinet etiam in dubio de malo intrinseco; cum sit una et eadem omnino res. Nam conceptus, vel idea *boni* aut *mali intrinseci* ita inhæret conceptui vel ideæ legis naturalis, ut nullo modo a se invicem separari queant. Quid, quæso, vetat lex naturalis? *lex naturalis*, ait Antoine, *nil vetat nisi id, quod per se malum ac inhonestum est*, id est quod intrinsece malum et inhonestum est. Ergo ignorantia vel cognitio certa mali intrinseci erit ignorantia vel cognitio certa legis naturalis: dubium vero de malo intrinseco erit dubium de lege naturali. Atqui principium nostrum *lex dubia non obligat* ex dictis extenditur ad dubia legis naturalis; ergo etiam ad dubia mali intrinseci. Malum enim proprie dictum sive intrinsecum sit sive extrinsecum (id est peccatum) non oritur, nisi a violatione legis: *peccatum non cognovi, nisi per legem*, habet Apostolus [1]. Errant ergo pauci illi, in quorum sententia in actibus intrinsece malis conceptus malitiæ habetur sine conceptu legis prohibentis.

Inquies: *propositio:* lex dubia non obligat *æquivalet huic alteri:* lex dubia licitam relinquit actionem. *Ergo necesse est, ut antecedenter ad omnem legem ego sciam illam actionem esse licitam; sed in dubio id nequit verificari. Ergo principium* lex dubia non obligat, *non valet in dubio de intrinseca actionis licitate seu de malo intrinseco.*

R. Dist. ant. *Lex dubia licitam relinquit actionem* in ordine ad conscientiam illius, qui eam ponit, concedo; *relinquit licitam actionem* in se, nego. Si lex, quæ dubia est, realiter subsistit, utique actio in se ipsa et abstractive illicita est, neque incertitudo mea illam potest mutare, sive de intrinseca sive de extrinseca licitate agatur. At diversa omnino res est, quod actio in se ipsa sit illicita, et quod sit illicita operanti. Ut enim quis teneatur se abstinere ab operando, necesse est, ut sibi nota sit lex prohibens, qua actio illa sibi sit illicita. Quando porro quis dubitat de lege, ipsi deest etiam necessaria cognitio illicitatis actionis suæ, cum hæc ab ipsa lege exurgat; ergo illam libere ponere potest, quidquid tandem sit de actione ipsa in se.

91. Addes: *ideo dicimus possidere libertatem, quia hæc potest agere licite; sed agere licite quid est, nisi ponere actionem licitam? Supponitur itaque quod actio illa sit licita quoadusque a lege aliqua fiat illicita; atqui suppositio ista haberi nequit in dubio supra exposito.*

R. Distinguendo majorem: *agere licite est ponere actionem licitam*, quoad ipsum operantem, concedo; quoad rem ipsam in se, nego. Semper redit quod supra: unde omnes ferme difficultates una distinctione solvuntur; adversarii enim duo inter se prorsus diversa judicia confundunt, judicium nempe de honestate actionis in se consideratæ sine relatione ad operantem, et judicium de actuali licitate quoad operantem ipsum.

Instabis: *quando lex est dubia, saltem quoad suam extensionem ad casum particularem, tunc dubia pariter dicenda erit libertas et ejus possessio quoad casum illum; ac proinde tunc semper remanebit dubium practicum, quo stante, fatentur omnes nefas esse operari contra legem.*

Nego antecedens. Quando lex est dubia quoad suam extensionem ad casum particularem, remanet quoad illum certa et firma in sua possessione libertas hominis, quippe quæ legem, seu (melius dicam) legis scientiam certe præcedit. Quomodo enim ligatur libertas hominis? dicente s. Thoma, non alio modo, quam *per scientiam alicujus præcepti: nullus ligatur* (nunquam satis repeti possunt hæc verba de-

[1] Ad Rom., c. XII, v. 7.

cretoria), *nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti.* Jam vero Philosophi omnes cum laudato Angelico docent discrimen opinionem inter atque scientiam in eo consistere, quod *opinio* denotet cognitionem dubiam aut probabilem alicujus veritatis; *scientia* autem significet cognitionem certam atque patentem. Sed lex dubia non parit cognitionem certam atque patentem, ergo neque scientiam præcepti; ideo quamdiu talis, non potest ligare libertatem hominis.

92. *Secundum argumentum sumitur ex doctrina Sanctorum.* Sanctorum enim ferme omnium firmissima doctrina hæc est, in *dubiis licere partem sequi benigniorem.* — S. Joannes Chrysostomus inquit aperte: *melius est errare in misericordia, quam in severitate: ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Vis apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam autem esto benignus* [1]. — Præceptor Angelicus habet: *melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quam per nimiam severitatem* [2]. — S. Bernardus Senensis scribit: *quando diversæ sunt opiniones, ceteris paribus, humanior est præferenda* [3]. — S. Antoninus *Angelus consiliorum* appellatus monet confessarium, quod *si non potest clare percipere, utrum sit mortale, non videtur præcipitanda sententia, ut deneget propter hoc absolutionem, et faciat illi conscientiam de mortali; cum promptiora sint jura ad solvendum, quam ad ligandum* [4]. Clarius Gregorius Nazianzenus: res erat cum quodam Novatiano, qui secundas nuptias damnabat; ipsum porro sic insectatur s. Pater: *quo argumento id confirmas? aut rem ita se habere, proba; aut si nequis, ne condemnes: quod si lex dubia est, vincat humanitas et facilitas* [5].

Neque aliter sensere s. Bernardus, s. Philippus Nerius, s. Franciscus Salesius, s. Leonardus aliique, qui profecto laxitatis nequeunt esse suspecti. Paucis: omnes fere Sancti erga se tenentes Chrysostomi regulam: *circa vitam tuam esto austerus*, erga proximum usi sunt juris adagio: *in dubiis benigniora præferenda sunt.*

93. Dices: *extat generale præceptum in jure naturæ fundatum, sequendi in dubiis viam tutiorem. Hoc declararunt Pontifices Maximi, qui tanquam principium suarum decisionum illud posuerunt effatum:* in dubiis via est eligenda tutior, ita *Innocentius III* [6]. In dubiis semitam debemus eligere tutiorem, ita *Clemens III* [7]. In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus, ita *Eugenius III* [8].

R. Extant in jure aliæ regulæ contrariæ omnino, ut illa: *in dubio favores sunt ampliandi et odia restringenda.* Iterum: *in obscuris, quod*

[1] *Hom.* XLIX in Matth.
[2] Opus. LXV *De offic. sacerd.*
[3] *Serm.* III, fer. 2 post Quinq.
[4] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 78.
[5] *Orat.* IX. — Quibus verbis nil clarius. Unde si quando Patres videntur rigorosius loqui, ne dicamus sibi contradicere, dicendum eos loqui de casu, in quo nostra probabilitas malum non avertat; vel de dubio practico, ut patet Opera ipsorum evolvendo.
[6] Cap. *Illud Dominus, De Cler. excomm. depos.* etc.
[7] Cap. *Ad audientiam, De homic.*
[8] Cap. *Juvenis*, art. III *De sponsalibus.*

minimum est, tenendum. Et iterum: *nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur.* Ergo ne dicamus jus sibi contradicere, ea verba explicanda sunt. Sane si in quolibet dubio teneremur semper sequi partem tutiorem faventem legi, eccur tot Sancti (supra recensiti) tradiderunt in dubiis fas esse partem sequi benigniorem? numquid dicendi contra RR. Pontifices sensisse? absit.

Urgetur magis hæc nostra animadversio, vel in ipso dubio legis naturalis, ex jure canonico [4], ubi summus Pontifex uni conjugi dubitanti de propria coeundi potentia, expresse permisit, ut queat ad triennium petere (etiam alteram partem cogendo), et reddere debitum conjugale, et hæc est norma, praxis atque judicium omnium Tribunalium. Qua in re nemo dixerit, Cœlestinum III tenuisse viam tutiorem, cum apertissime tutius sit in tali casu abstinere ab usu conjugii: evenire enim potest, ut impotentia nullis probationibus vincatur, et ideo perpetua judicetur. Quo in casu certum esset, jam primitus matrimonium illud nullum fuisse, ideoque copulam habitam esse inter solutos.

Neque valet dicere: — 1) quod in supra memorato ac singulari casu Deus experimentum copulæ permisit; hoc enim gratis asseritur; — 2) quod experimentum copulæ tunc licet in bonum conjugii, atque ad veritatem matrimonii dignoscendam; quis enim dixerit intentanda esse mala sub incerta spe boni? — 3) quod copula illa permittitur ad majus malum vitandum, ne forsan fiat contra jus alterius; nam majus malum est se periculo exponere faciendi contra jus naturæ; — 4) quod excusari possunt conjuges, quia copulam habent affectu maritali; nam sola intentio non excusat a malo opere: neque intentio dubium excludit, imo potius a dubio ipsa excluditur intentio bona; — 5) quod eo casu possidet matrimonium bona fide initum: nam esto possideat ante experimentum copulæ, sed cognita impotentia, statim dubium exurgit circa illius validitatem; potest enim impotentia esse absoluta ac perpetua, ut revera non raro contingit. Unde si esset servanda regula ab adversariis universim tradita, quod nempe lex (saltem naturalis) antecedit humanam libertatem, ac ideo in dubio quod tutius est, præferendum, nullo modo in supra citato casu (concludit s. Alphonsus) posset copula tentari: quia nullo modo potest dici matrimonium adversus divinam legem possidere. Quare totum hoc unico argumento solvatur, nempe *in dubio meliorem esse conditionem possidentis;* cum igitur in nostro casu matrimonium bona fide initum existat, illud possidet, non obstante quocumque superveniente dubio: quod quidem, quoadusque triennali copulæ usu non vincatur, per principium reflexum contrahentes jus habent insistendi in inito matrimonio, etsi invalidum esse possit *(S).*

94. *Quomodo ergo* (quæres) *accipienda sunt objecta testimonia?*

R. Objecta testimonia accipienda vel de solis dubiis practicis vel de iis tantummodo dubiis facti, quæ conjunctum habent proprii, aut alterius damni periculum: non vero extendenda ad dubia etiam juris, in quibus agitur dumtaxat de licitate, vel illicitate alicujus actionis. Et revera in casibus relatis dubia erant practica et facti, nec haberi poterat principium aliquod certum, directum aut reflexum, quod excusaretur qui non esset secutus partem tutiorem, propter scandala aliaque mala, quæ in iis casibus vitanda erant.

Sane *primus casus* erat de quodam Episcopo, qui non obstante fama publica de sui excommunicatione, adhuc de ea dubitans temere cele-

[4] Decr. Greg., l. IV, t. XV *De frigid. et malef.*, c. 5, *Laudabilem.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 79; *Homo Apost.*, tract. I, n. 41.

brabat. Innocentius III juste illum depositione punivit; nam persistente dubio de excommunicatione, ob scandalum a Missa abstinere debebat.

Secundus casus erat de quodam Sacerdote, qui intulit cuidam viro vulnus ex quo vita decessit; deinde dubitabatur, an ille ob illud vulnus mortuus esset. Clemens III decrevit convenire, ut Sacerdos a sacrificando desisteret: idque sapienter, nam facti veritas nondum erat explorata, ut habet textus. Adde Pontificem loqui de convenientia, non de præcepto: sane conveniens erat, ut Sacerdos a celebrando abstineret, ne si deinde constaret ipsum fuisse revera homicidam, populo esset scandalo eum celebrantem conspicere.

Tandem *tertius casus* erat de quodam juvene, qui septennis puellam quandam duxit, qua mortua, postea cum consobrina illius alias nuptias contraxit. Orto dubio, an primum conjugium esset validum ob ætatem, Eugenius III præcepit, ut vir a præfata consobrina separaretur: et merito, tum quia agebatur de Sacramento, tum quia possessio stabat pro valore primi matrimonii. Hinc non dixit *quod tutius*, sed *quod certius existimamus;* quia utique certius erat judicium de separatione imponenda, cum dubietas de valore primi matrimonii vinci non posset [1].

95. *Tertium argumentum desumitur ex ratione.* Sane contra possessionem legitimam sola certitudo prævalet. Conveniunt in hoc leges omnes canonicæ ac civiles, decisiones omnium orbis tribunalium, ac demum totius generis humani sensus. Unde natum est vulgatissimum illud: *in dubiis melior est conditio possidentis* [2]. Porro antecedenter ad omnem legem quisque suam libertatem possidet; cum prius concipiendus sit homo liber; indeque lex, quæ imponatur illi [3]. Sane cum sit absurdum jussa dare alicui, qui liber non sit ad obediendum; item non minus absurdum est hominem, cui lex imponitur, non prius concipere liberum. Ergo ut contra certam hominis libertatem prævaleat lex, non sufficit æquiprobabilitas; sed ejus certitudo moralis requiritur, ut vim libertatis infringere valeat.

96. *Verum* (dices) *effatum illud:* in dubiis melior est conditio possidentis, *locum dumtaxat habet in materia justitiæ. Aliunde etiam dato, quod obtineat in ceteris rebus, cum ex alio effato* regula sit prior regulato, *lex autem sit veluti regula et libertas veluti regulatum; ideo lex est illa, quæ prius possidet, non libertas.*

R. Ad 1: nulla ratio adsignari potest, cur possessio in materia justitiæ locum habeat, non in aliis materiis. Aliter ratio suadet, cum per

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 79 et seqq. — *Homo Apost.*, tract. I, n. 37.

2 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 53 et seqq.; 78 et seqq.

3 « L'uomo è in possesso della sua libertà fisica, e quindi può, secondo quella, liberamente operare; finchè però la ragione regolatrice della libertà morale, col rappresentargli la legge vietante, non gli restringa l'anteriore libertà fisica di poter fare tutto il fattibile, a più angusti termini del giusto e dell'onesto. Posto poi che l'uomo è in possesso della sua libertà fisica di eleggere quel che può fare, la rappresentazione della legge affinchè sia sufficiente a circoscrivere e limitare la libertà naturale, dee farsi con giudizio certo, e non basta che sia fatta con giudizio dubbio, qual nasce dal concorso di due opinioni; perchè allora la ragione regolatrice non già gli rappresenta la legge, ma il solo dubbio della legge, il quale non è legge. » Ita Liguori, *Dell'Uso moderato dell'opinione probabile*, c. IV, § 1.

se ipsa possessio tribuat jus, quatenus nempe recte creditur cum fundamento inchoata: si secus esset, possessio in nullo foro vim probationis obtinere posset. Ad rem Bolgeni: *il giusto avanti agli uomini e nel fôro esterno è forse differente dal giusto avanti a Dio e nel fôro della coscienza? La giustizia umana sarà dunque difforme dalla giustizia divina? gli uomini mi comanderanno giustamente una cosa, che Iddio mi proibisce? Qual uom di senno può mai ammettere un'assurdità sì palpabile* [1]? Hic quædam quasi lis potest dici institui et moveri inter legem et libertatem: ego certus sum libertate mea, surgere vult lex ad illam exturbandam. Quid ego? quandiu lex certa non proferat argumenta suæ existentiæ, ego jus habeo insistendi in illa mea libertatis possessione [2].

R. Ad 2: iterum Bolgeni: *quel detto* regula est prior regulato, *si verifica quando si vuol dare l'esistenza a qualche cosa materiale: per esempio, quando si vuol fare una fabbrica, piantare un giardino*, ecc. *Allora si concepisce in mente l'idea della cosa, che si vuol fare, e se ne forma il disegno: questo disegno è la regola anteriormente formata, a tenor della quale si dà l'esistenza reale alla cosa. Ma quando si tratta* di leggi, *queste non sono nè possono essere regole e disegni, secondo i quali si dia l'esistenza all'uomo e si fornisca la libertà* [3]. Nimirum hæ leges aptari debent hominibus liberis, ut ipsi valeant eas observare.

97. Instabis: *qui se exponit periculo peccandi, peccat:* qui amat periculum, in illo peribit [4]; *atqui sequens opinionem faventem libertati, relicta tutiori æque probabili faventi legi, exponit se tali periculo.*

R. Nego minorem. Sacer hic textus proprie loquendo non facit ad rem; ibi enim agitur de eo, qui protrahit ad mortem usque conversionem suam: *cor durum* (ait) *habebit male in novissimo, et qui amat periculum in illo peribit.* Iste profecto peccat graviter, quia occasionem proximam peccandi usque ad mortem retinens in periculum se conjicit damnationis æternæ.

Imo neque si textus de eo accipiatur, qui se exponit periculo peccandi (ut vulgo accipi solet), facit ad rem; nam in casu nostro agens operatur practice certus de honestate actionis suæ: ita ut si de facto existat legis transgressio, hæc non sit nisi materialis; non vero formalis et imputabilis [5]. — Nonne etiam qui sequitur opinionem probabiliorem, imo probabilissimam se exponit periculo errandi? utique

[1] V. *Il Possesso* ecc., c. XII, n. 95.

[2] Utique tale judicatum corrigendum est, quando res dignoscatur se se aliter habere (ideo in jure dicitur judicium illud *momentaneum, præparatorium* ac *summarium*); at quoadusque id certo moraliter non dignoscitur, judicium illud rectum est, subsistens et firmum. Nullum est enim principium reflexum vel ab ipsis probabilioristis admissum, quod rem resolvat in se. Et miramur, quod modernus auctor non dubitet asserere, illud principium *melior est conditio possidentis*, esse simplicem tantum normam judicialem pro foro externo. Utique non est absolutum et directum principium, quia potest forsan in decursu aliter res dignosci; at quandiu id non dignoscitur, principium illud est justum et rationabile pro utroque foro; forum enim externum concludit juxta æquitatis ac rationis regulas, neque pugnat cum foro interno.

[3] L. c., cap. I, n. 4. [4] Eccl. III, v. 27. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 68 et 81.

[5] En verba s. Alphonsi: *onde se mai vi fosse la legge, operandosi il contrario, non si opererebbe allora formalmente contro quella, ma solo materialmente, e così il peccato sarebbe solamente materiale, per cui il Signore non condanna l'uomo; mentre il peccato materiale non è altro che un'azione, che sarebbe materia del peccato, se vi fosse la cognizione della legge.*

Sed nonne (dices) periculum etiam peccati materialis vitandum erit? Cito respondet Sanctus noster *negative*, inquiens: *nè può dirsi, che siam tenuti ad evitare il pericolo di ogni peccato anche materiale, perchè, se fosse ciò vero, non potrebbe seguirsi neppure l'opinione più probabile, anzi neppure la probabilissima; giacchè nell'uso della probabilissima anche vi è il pericolo del peccato materiale.* (*Apolog. e Confutazioni*, t. I.)

quia opinio licet probabilior, imo licet probabilissima, non excludit omnem erroris formidinem. Attamen probabilioristæ non attendunt ad hoc erroris periculum, utpote materiale, siquidem in praxi operantur ex recto conscientiæ dictamine. En casus noster: res eadem est pro utroque systemate.

98. *Sed* (regeres) *in dubiis melior est conditio possidentis; atqui legis æternæ possessio anterior est possessione libertatis humanæ: ergo in dubio de existentia legis vel libertatis melior est conditio legis; ac proinde potius pro lege standum est.*

R. Utique lex æterna præcedit libertatem hominis *prioritate temporis*, nam Deus semper velle debuit, ordinem naturalem servari; sed hominis libertatem non præcedit *prioritate rationis* seu *ordinis*, sive *obligationis*, in particularibus. Sane prius est concipere subditos, ac postea iis legem imponere, eosque obligare: quo sensu potest dici respectu hominis legem æternam non esse legem proprie dictam, quoadusque nempe ipsi per certam notitiam non applicetur. Scilicet lex æterna habet quidem in se aptitudinem ligandi hominem, et hoc sensu dicitur obligare *in actu primo;* sed illam suam aptitudinem exercere non potest *actualiter*, id est in *actu secundo*, nisi quando homini promulgatur; porro, ut habet Angelicus, *ex parte creaturæ non potest esse promulgatio æterna* [1].

Unde homo semper quidem in generali dispositus esse debet ad obediendum Deo; sed de facto ejus voluntati obsequi non tenetur, nisi quando illam cognoverit: *in particulari nescimus quid Deus velit, et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinæ voluntati*, ait idem sanctus Doctor [2].

99. *Ergo* (addes) *fas est sententiam tenere probabilem faventem libertati, etiam in concursu sententiæ probabilioris faventis legi; nam adhuc lex non est omnino firma, licet sit multo probabilis; atqui hoc est falsum.*

R. Nego sequelam majoris; nam quando sententia, quæ favet legi, est solide ac certe, et ideo notabiliter probabilior, lex ipsa habetur veluti satis promulgata saltem moraliter; et ideo vim suam exercere debet. Sed quando utraque sententia et favens legi et favens libertati est æque vel fere hinc inde probabilis, tunc lex nullo modo dici potest promulgata, et idcirco nullimodo dici potest obligare. Deinde cum sententia favens legi est notabiliter probabilior, assensus mentis in eam naturaliter inclinat; sed quando est æque (vel fere) probabilis ac sententia favens libertati, assensus remanet in suspenso. Adde in actionibus humanis sæpe haberi non posse omnimodam certitudinem: unde sufficit certitudo quædam resultans ex conjecturis probabilibus, quæ licet absolute loquendo certitudo non sit, respective tamen et quoad agendum ut talis habetur [3].

100. Dices: *Decreto Sanctæ Romanæ Inquisitionis* 1761 *quilibet usus opinionis probabilis fuit proscriptus; ergo non amplius licitus est.*

R. Verum est, quod proscriptum fuit folium continens plures propositiones, quarum quædam justos excesserant fines, quædam catholicum probabilismum tuebantur; sed non fuere proscriptæ omnes

[1] 1, 2, q. 90, a. 1.
[2] 1, 2, q. 19, a. 10. — Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, n. 72. Vide dicenda *De legibus*, ubi de lege æterna.
[3] Ita Angelicus, 2. 2, q. 70, a. 2.

propositiones in particulari, ac divisim [1]. Revera cum de hoc s. Alphonsus noster scripsisset Pœnitentiario Majori eum rogans, ut suo nomine responsum requireret a proprio Pontificis ore, dictus Pœnitentiarius postquam Clementem XIII fuit allocutus, respondit non fuisse damnatas omnes folii propositiones; sed aliquas tantum. Neque damnatam aliquam propositionem illarum, quæ disceptantur in Scholis catholicis. Et signanter non fuisse damnatam suam, quam defendebat, sententiam.

Imo Pius VII die 18 maji 1803 expresse confirmavit Decretum Sacræ Rituum Congregationis declarantis, omnibus beati Alphonsi Operibus tam typis editis, quam manuscriptis, ex Apostolicæ Sedis disciplina ad severam trutinam revocatis, *nihil* in iis *censura dignum* fuisse repertum. Ergo ea nihil continent *contra fidem, vel bonos mores; nihil novi vel peregrini, atque a communi sensu Ecclesiæ et consuetudine alienum: non noxa et inutilia: non Scripturis divinis aut Patribus adversantia*, si credere est Benedicto XIV, qui sic laudata verba *nil censura dignum explicat* [2].

Quid plura? Rogata ipsa Sacra Pœnitentiaria a cardinali De-Rohan archiepiscopo Vesuntinensi, atque consulta super his dubiis: 1) *An Sacræ Theologiæ Professor opiniones, quas in sua Theologia Morali profitetur sanctus Alphonsus a Ligorio, sequi tuto possit ac profiteri?* 2) *An sit inquietandus confessarius, qui omnes sancti Alphonsi a Ligorio sequitur opiniones in praxi sacri Pœnitentiæ Tribunalis hac sola ratione, quod a Sancta Sede Apostolica nihil in Operibus ejus censura dignum repertum fuerit, cum adnotatione* (quæ sane est gravissimi ponderis), *quod nempe confessarius iste non legit Opera beati Doctoris, nisi ad cognoscendam accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesque, quibus variæ nituntur opiniones; sed existimans se tuto agere eo ipso, quod doctrinam, quæ nihil censura dignum continet, prudenter judicare queat sanam esse ac tutam, nec ullatenus sanctitati Evangelicæ contrariam?*

1 Unde hæc proscriptio valde differt ab aliarum propositionum proscriptione per Alexandrum VII: nam istæ propositiones damnatæ fuerunt *omnes et unaquæque ipsarum;* at supra objectæ tantum *in globo* et *respective*, prout merebantur ut damnarentur. Uno verbo, hæc damnatio est ad modum quo proscribuntur libri mali, qui fere semper simul cum perniciosis rectas continent opiniones; attamen universim condemnantur ne fideles legendo simul cum vero hauriant falsum; nitimur enim in vetitum. Adde: si folium objectum quoad omnes et singulas propositiones esset proscriptum, vel ipse probabilioriismus esset damnatus; nam hic quoque sub initio in eodem continetur. — V. *Theologia Moralis s. Alphonsi.* Typ. Marietti, 1846, t. I, n. 85.

2 De *Canon. SS.*, l. II, c. 21 et 28. — Merito ergo Leo XII, Brevi 19 febr., anno 1825, laudavit typographum Hyacinthum Marietti Taurinensem, affirmans eundem de Religione optime meritum *Opera sanctissimi et doctissimi Alphonsi De Ligorio colligendo et in lucem edendo.* Etiam Pius Papa IX suis literis 12 julii 1847, eundem typographum ideo maxime laudat.

Die 5 julii 1831 respondit: *ad* 1) affirmative, *quin tamen inde reprehendendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur. Ad* 2) *vero* negative, *habita ratione mentis Sanctæ Sedis circa approbationem scriptorum Servorum Dei ad effectum canonizationis.* Accedit quod prædictus cardinalis De-Rohan die 22 julii ejusdem anni eam S. Pœnitentiariæ responsionem tunc regnanti Gregorio XVI exhibuit, qui ipsam confirmavit. Imo laudavit propositum Eminentissimi eandem publicandi in sua Diœcesi, et apposita pastorali Instructione ad Clerum suum commendandi. Et Pius IX mihi ipsi *vehementer gratulatur quod salutares sanctissimi ad doctissimi viri Alphonsi Mariæ De Ligorio doctrinas magis magisque propagare, iisque ecclesiasticæ præsertim juventutis animos imbuere studuerim* [1].

Ceterum ut mens nostra plenius intelligatur, adnotamus: Theologi triplicem distinguunt approbationem. Alia est *definitiva*, si nempe Ecclesia aliquam doctrinam certam ac sequendam ab omnibus declaret, adeo ut qui contra sentiat, contra Ecclesiam sentiat. Alia est *electiva* seu *positiva*, si doctrina ab Ecclesia extollatur et commendetur, uti quæ tuto in praxi teneri potest, quin tamen sint reprehendendi qui contrariam sequuntur. Alia *permissiva*, si Ecclesia doctrinam ab omni censura immunem declaret, quin tamen ideo de ipsa aliquid positive decernat, vel eam laudet.

Porro *tertiam* approbationem convenire Operibus s. Alphonsi constat ex istorum Operum revisione, in qua ab *omni censura* dicta sunt immunia. *Secundam* vero convenire patet tum ex Decreto de ejus virtutibus, tum ex Bulla beatificationis, et canonizationis ubi illius scripta quammaxime laudantur. *Prima* autem approbatio utique non convenit; judicium enim Sanctæ Sedis latum non fuit super doctrina considerata *absolute propter se*, quasi fas non sit contrariam doctrinam sequi; sed *propter aliud* et *relative*, an scilicet auctor aliquid scripserit quod rectæ fidei, communi Ecclesiæ sensui, vel bonis moribus opponatur, quod ideo ejus canonizationi obstet [2].

Ex quibus omnibus evidenter apparet, Systema Morale s. Alphonsi posse quidem impugnari si placet et derelinqui (neque enim ut infallibile prædicamus); sed non posse damnari uti veritati Evangelicæ contrarium, et animarum saluti perniciosum. *Doctrina*, ait Benedictus XIV [3], *debita cum reverentia potest citra ullam temeritatis notam impugnari, si* (nota) *modesta impugnatio bonis rationibus innixa sit, etiam postquam Dei Servus qui scripsit, inter Beatos aut Sanctos fuerit relatus. Celebris est responsio Nicolai Monachi in Epistola ad Petrum Cellensem, quæ est in libro* IX *inter Epist. Petri Cellensis:* « Sanctus ille Bernardus, quem dicis me debita exuere veneratione.... quondam Sanctorum catalogo adscriptus, nuper est in Ecclesia canonizatus, et

[1] *V.* Epistola Pii Papæ IX sub initio Voluminis.

[2] V. *Acta ex iis decerpta quæ apud S. Sedem geruntur.* Romæ, 1866, vol. I: *Append.* XVII. — *L'Ami de la Religion*, t. XXI, n. 528.

[3] *De Canoniz. SS.*, l. II. c. 21 et 28. — Et hoc sensu S. Concilii C. 18 sept. 1828, respondit card. Morozzo Novariensi episcopo, cujus autographum videri potest in Bibliotheca Seminarii Novariensis. — *V.* Gaume, *Manuel des Confesseurs* (in præf.). Paris, 1842; de quo tamen opere legantur animadversiones clariss. Marinoni apud De-Luca, *Annali Religiosi*, t. XIX, p. 66. Roma, 1844.

ab humano judicio exemptus, exemptus inquam est, ne de gloria ejus dubitemus, sed non ut minus de ejus dictis disputemus. » Non ergo bene se gerunt qui ideo nos aspernantur, quia cum illis non sentimus: libertate, qua ipsos donamus, et nos ab ipsis donari cupimus *(T)*.

ANIMADVERSIONES ET CONCLUSIO.

101. Q. 1. *Quid speciatim notandum circa Doctrinam et Opera moralia s. Alphonsi Mariæ De Ligorio?*

R. Nonnullas animadversiones ponimus extrinsecas et intrinsecas:

a) *Animadversiones extrinsecæ.*

1. S. Alphonsus *ingenio* plane singulari præditus erat, ut omnes fatentur. *Memoria* vero, *studio* ac *diligentia* pene incredibili, adeo ut sexdecim vix annos natus juris utriusque laurea in patria universitate summa cum laude decorari meruerit, Principe dispensante. Imo non secus atque antiquus Varro, omnibus egregiis actibus, optimisque disciplinis excultus fuerat atque imbutus. Historiam sacram et profanam apprime callebat, plura linguarum genera, artem oratoriam, pöesin, philosophiam, mathesin, civilis et canonici juris prudentiam, dogmaticam ac moralem theologiam. Imo neque architecturæ nec picturæ artis, neque musices erat ignarus, ut ex historicis ejus vitæ documentis lucelentissime constat; itaque ex omnibus fere scientiis artibusque nobilioribus subsidia habebat, quæ ad concinnandos, ornandos, perficiendosque libros suos conferret. Ex quibus patet quid de illis dicendum, qui Ligorium heroica sanctitate præditum affirmant; at eruditionis copia, criticæ regulis, profunditate ratiocinationis aliisque dotibus scientificis destitutum affirmant.

2. *Eruditione* inter fusiores et recentiores Moralistas præstantissimus fuit. Declarat se per annos multos plurima Auctorum classicorum volumina evolvisse, ac solertissime eorum doctrinas ponderasse: qua in re hoc maxime allicere debet, quod nempe Auctor in quacumque controversia solet exhibere omnes hinc inde Doctorum sententias et rationum momenta, quibus singulæ innituntur, in medium sincere proferens cathalogum scriptorum melioris notæ, qui stant tam pro una quam pro altera parte. Ex quo hæc consequuntur: *primum* quod studiosi habeant quasi sub uno oculo Theologos et Canonistas sine numero, quos possint libito suo consulere, quin fiant quasi servi unius libri: *secundum* quod ii qui tenent opiniones tanti Auctoris, certi et tuti sint se tenere opiniones Theologorum complurium tam doctrina, quam nominis celebritate præstantium.

3. *Sanctitate* fuit valde præclarus [1]; *hæc* enim, ut legitur in Decreto de illius virtutibus in grado heroico a Pio VII approbato, *refulsit*

1 *At sanctitas* (ajunt) *non arguit doctrinæ veritatem; quia et Sanctus potest errare.* Ita sit; attamen nemo negaverit, sanctitatem alicujus scriptoris jam esse non leve argumentum veritatis suæ doctrinæ, potissimum cum agitur de christiana ethica. In Sanctis enim minimum possunt concitati atque inordinati animi affectus, in quibus maximus reperitur istiusmodi errorum fons. Deinde non parvum argumento pondus accedit ex considerata indole seu charactere ejus sanctitatis, quæ in s. Alphonso refulsit; nam perspicuum fit ex historia ejusdem vitæ et ex scriptis suis, sanctum hunc Virum seipsum sanctificasse potissimum in promovenda per Apostolicum ministerium proximi salute, et in aliis efformandis ministris, qui huic eidem operi vacarent: hæc fuit divina s Alphonsi vocatio.

Verba sunt sapientissima episcopi Derthonensis, *Epistola ad Clerum*, 13 dec. 1846.

in Verbi Dei ministerio apud rudem derelictam plebem, dum eam præceptionibus divinæ legis imbuebat; in cathedra morum apud conscientiarum moderatores, dum doctrinæ copiam effundebat; in pastorali officio apud commissum sibi gregem, dum vigili custodia illum salutaribus pascuis enutriebat, etc. Nil ergo mirum si eminentissimus cardinalis Morozzo (cujus memoria semper in benedictione est), omnia Opera s. Alphonsi universo Clero Novariensi enixe commendaverit vel ab ipso suæ Curæ pastoralis exordio [1].

4. A præconceptis et systematicis, ut dicunt, Scholarum opinionibus fuit prorsus *alienus;* sed doctrinam suam in jure fundat: unde ad rem card. Mathieu (*Tornata* 13 *giugno* 1861 *del Senato Francese*, ubi defendit Alphonsi alumnos): « S. Alfonso De Liguori non era solo santo e gran predicatore, ma anche profondo teologo; nella sua *Teologia Morale* troverete i principii del diritto più abbondanti e meglio esposti che non da altri; sicchè il suo sistema del *Probabilismo* poggia tutto sul diritto. » Imo ut sententiam veriorem in quæstione quacumque seligeret, orare plurimum solebat, laboribus non parcere, auctores tam *pro* quam *contra* sentientes evolvere omnes, doctrinas s. Thomæ et Benedicti XIV præsertim adnotare, Academias, Professores et Theologos magis doctos, pios et bonæ famæ præconiis ætate sua illustriores consulere. Et quod caput est, *doctrinæ Sedis Apostolicæ* erat addictissimus.

5. Non interrupto *triginta annorum spatio* doctrinas suas in sacrarum Missionum ministerio diligentissime probavit, atque innumeras, admirandas ac constantes peccatorum conversiones, Dei utique opitulante gratia, peregit [2]. Ubi sunt notatu digna verba cardinalis Gousset, *Giustificazione* ecc. « Pubblicò *(il beato Liguori) il Corso di Teologia Morale*, Opera, meglio che da' libri, copiata dal cuore dell'uomo, e composta, a dir così, nel confessionale anzichè nel silenzio della cella. Stesa con ammirevole semplicità, contiene essa tutto quello che una lunga pratica, nutrita da un profondo studio ne' Padri e ne' Teologi, avea appreso a un ministro di Dio di coscienza estremamente delicata, e pronto a far sacrificio di tutto, ancor della vita, per la salvezza di un'anima sola. Le regole da lui lasciate sono quelle stesse, ch' ei mise in pratica, e con qual successo già notammo. Un anticipato giudizio si è questo, a parer nostro, abbastanza legittimo in favor di un'Opera: e noi chiederemmo volentieri, come si possa, senza un sentimento di venerazione, aprire un libro che rinchiude i secreti di un sì abile operajo evangelico. »

6. Demum quoad vixit et post mortem *Summis Pontificibus fuit acceptissimus.* Benedictus XIV eum valde commendavit, adhuc sacerdotem *prudentis auctoris* nomine insignivit, atque alios pro consilio in quæstionibus ad eum mittebat dicens: *voi avete il vostro Ligorio, consigliatevi a lui;* — Clemens XIII eum reluctantem ad Episcopatum evexit illa proferens verba: *mi basta la sua ombra per essere di giovamento alla sua Diocesi;* — Clemens XIV eum in Episcopatu manere coegit, cum ob infirmam valetudinem renuntiare vellet, sic dicens: *mi contento che governiate la Chiesa di sopra il letto;* — Pius VI declaravit se eum semper admiratione et amore prosecutum esse; — Pius VII eum *sanctissimum Antistitem nuncupavit;* — Leo XII *virum*

[1] Lettera pastorale con cui S. E. Rev. il signor cardinale Giuseppe Morozzo, arcivescovo vescovo di Novara, ecc., ecc., accompagna il *Manuale Ecclesiastico.*

[2] *V.* Giattini, *Vita del Liguori.* — Tannoja, *Della vita ed istituto di s. Alfonso Liguori.*

sanctissimum, itemque doctissimum; — Pius VIII *illustre Episcopalis Ordinis decus;* — Gregorius XVI eum in albo Sanctorum connumerando, illius Opera omnia *inoffenso prorsus pede decurri posse* solemniter decrevit [1]. — Et Pius IX adhuc in Foro Cornelii *(Imola)* Episcopatu fungens venerandum Nomen suum apposuit libello supplici ad Gregorium XVI, quo plures Antistites petebant, ut *Ecclesiæ Doctor* Alphonsus *declararetur* [2]. Pontifex autem Maximus renuntiatus, anno primo felicissimæ suæ Exaltationis, Opus hoc meum benevole excipiens, mihi vehementer gratulatus est, quod salutares Alphonsi Ligorii doctrinas magis magisque propagare, iisque Ecclesiasticæ præsertim juventutis animos imbuere curaverim. Et Brevi 25 novembris 1846 ad P. Hugnes illum commendat quod Opera Alphonsi M. Liguori *illius sanctissimi, et doctissimi viri* germanica lingua versa evulgaverit utpotequæ *optima quæque monita, consilia, præcepta copiose suppeditant, quæ ad animarum salutem tuendam, procurandam vel maxime conducunt.*

b) *Animadversiones intrinsicæ:*

1) Opera moralia s. Alphonsi *Juventutem maxime clericalem* in re Theologico-morali instruendam præcipue respiciunt, ut Auctor ipse profitetur; — 2) post plurimorum *annorum studium*, et effusas ad Deum *preces*, piissimus Auctor eadem edidit in hunc finem, ut nempe *viam mediam* inter tot diversas et secum pugnantes sententias edoceret [3]; — 2) quæstiones, quæ magis pertinent *ad praxim*, et quas diligenti annorum plurimorum exercitio didicerat, in iis continentur; — 4) ibi inveniuntur etiam textus juris tam *Canonici* quam *Civilis communis* ad rem pertinentes. Extant propositiones damnatæ a Sede Apostolica. Et quod majus est, recentiora etiam Decreta Ss. Pontificum ad Theologiam Moralem, atque ad casus conscientiæ practicos spectantia; — 5) *Episcopi innumeri* Opera hæc Parochis, animarum Rectoribus, et Confessariis propriæ Diœcesis expresse proposuerunt et enixe commendarunt. Et ideo factum est, ut *Moralis* ejusdem *Theologia* sine numero editionibus in Europa apud Italos, Gallos, Hyspanos, Germanos, Polonos; in Asia apud Indos orientales; in America apud Mexicanos; uno verbo per totum catholicum orbem evulgata summopere prædicetur.

102. Q. 2. *Quid in tanta Theologorum controversia præ oculis habendum quoad regimen animarum in foro præsertim Pœnitentiæ?*

R. In tanta Theologorum controversia illud maxime præ oculis habendum est in foro præsertim Pœnitentiæ, ut declinetur *indulgentia nimia et nimius rigor;* cum utrumque sit animabus maxime noxium. *Cavenda est*, inquit s. Bonaventura, *conscientia nimis larga et nimis, stricta; nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem* [4].

[1] *V.* Circolare di monsignor Artico, vescovo d'Asti e principe ecc. al suo Clero, 6 luglio 1843: præfixa est Operi, *Homo Apostolicus*, etc., quod edidit Marietti, 1844. — Hic præstat legere Riccardi, *Dei Mezzi di promuovere l'educazione religiosa in tutte le classi di persone*, c. VII; item *Introduzione agli studi Ecclesiastici*, c. IV.

[2] Hodie quingenti et amplius ex toto orbe Antistites, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi preces Pio IX porrexerunt, ut tanto honore s. Alphonsus donaretur.

[3] Hoc aureum medium commendat Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XII, c. 6. — Ad rem ergo concludebat cardinalis Monico circa Ligorianam doctrinam: « piacesse a Dio, che questo fosse il punto di unione, in cui si accordassero tutti i Direttori di anime: e cessassero così una volta per sempre tante controversie, che non fanno altro che dividere gli animi con pregiudizio del Clero e del popolo! »

[4] *Theol verit.*, l. II, c. 23. — Commendatus Derthonensis episcopus doctrinam s. Alphonsi laudans utpoteque media incedit via, sic laxitatis atque rigoris mala aperit: *Laxitas* præcepta de medio tollit, inordinatos appetitus sophismatibus cohonestat, malum excusat, a proximis occasionibus non removet, pravos habitus non expugnat, ad absolutionem rite non disponit.

Hæc erat firmissima s. Alphonsi sententia: *protestor* (inquit), *quod sicut confessarios illos non approbo, qui nimiæ austeritati adhærentes facile damnant usum plurium opinionum, quæ gravi nituntur fundamento; ita contra neque approbare possum eos, qui de facili opiniones sine fundamento tanquam probabiles acclamant.... Ubi agitur de amovendo pœnitente a periculo peccati* formalis, *confessarius generaliter loquendo, et in quantum christiana prudentia suggerit, benignis opinionibus debet uti; ubi vero opiniones benignæ proximum reddunt periculum formalis peccati.... dico quod ipse, ut medicus animarum teneatur uti opinionibus tutioribus, quæ pœnitentes ad se servandos in gratia conducunt*, etc. [1].

Quæ si diligenter attenderentur, nemo unus Sanctum nostrum de nimia indulgentia incusare posset. Utinam omnes hac agendi ratione contenti essent, neque in praxi ultra progrederentur qui tutiora sequenda docent! Ceterum absit ut eos, qui contra nos sentiunt, vel minimum reprehendere audeamus, quos neque Ecclesia sancta reprehendit; diversa via est, utraque tamen eos ad vitam perducet, qui ex dictamine conscientiæ operantur. Unde materiam totam de opinioni probabili et improbabili concludimus his verbis Bernardi Claramontensis: *ex quo opiniones sunt inter magnos, et Ecclesia non determinavit aliquam partem, teneat quis quam voluerit.* Duas tantum conditiones jure exigimus, quæ sunt: 1ª ut quilibet paratus sincero animo sit obedire definitionibus Sanctæ Sedis Apostolicæ omnium Ecclesiarum Matris atque Magistræ, quando ac si forte prodibunt; 2ª ut nunquam ab eorum corde et oculis elabatur illud d. Augustini oraculum sane præclarissimum: *in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus autem charitas (U).*

Et ne his verbis nos fucum facere alicui videamur, subnectimus hic *cathalogum Auctorum*, quos utraque sententia habuit patronos præstantiores, ut sic quisque valeat, si velit pro suo arbitrio et ingenio eos per se legere, attente perpendere et perscrutari. Excludimus tamen quos laxos vel laxistas appellant, ut sunt præcipui *Antonius a S. Spiritu, Caramuel laxorum facile princeps, Leander, Martinus a S. Josepho, Pasqualigus, Sancius Joannes, Zanardi* et alii nonnulli, qui licet probi, satis docti ac fine bono perducti; incaute tamen in opinionibus compluribus communiter censentur benignitati nimium indulsisse (quarum quidem opinionum cathalogum videre quis poterit penes Gonet *De opinione probabili).* Quod si Auctores complures laudis honore nuncupamus, non ideo ceteros minoris facimus. Hic id unum nostræ curæ fuit, eos tantum referre titulos, quos vel reperimus in operibus Alphonsi nostri, vel scimus passim prædicari.

Auctores plures citat etiam Gury, *Compendium Theol. Moralis* in fine; Bergier, *Dizionario Teologico;* Croix, in initio suæ *Theologiæ;* Bonacina, *Operum moralium*, t. III; Carrière, sub initio ejus Operum, *De matrimonio, de contractibus*, et *de justitia et jure.* Sed maxime vide

Severitas magis noxia est: consilia præcipit, levia in gravia traducit, nullum illi satis ut Sacramenta permittat, conscientias aggravat; homines anxietatibus vexat, quibus fit ut ipsi animo concidant, a Sacramentis abstineant, de salute desperent; fidem amittant. Accedit aliud damnum gravissimum: non enim fideles dumtaxat, sed rigor ipsos torquet confessarios; cum nempe jam ex se hocce ministerium totum hominem requirat, qui severioribus principiis sunt imbuti ac boni sunt ministri, continuo anguntur magnopere timentes, ne suo muneri unquam faciant satis, sicque tandem ab hoc Sacramento ministrando deterrentur, abhorrent, alieni fiunt. — V. *Il Sacerdote santificato,* ecc., ecc. *Lett.* II.

1 V. *Op. Mor.*, l. I, nn. 77 et 84.

tom. VIII additamentum *Bibliothecæ* Ferraris, edit. Migne, Parisiis: ubi plurimorum habetur index biographicus et bibliographicus; in quo tamen plus æquo gallicanismo indulgendo, laudantur auctores, qui potius censuram merentur, ut exempli causa patet ad nomina *Fleury, Arnaldus, Duguet, Richerius, Tamburinius*, etc.

103. A) *Auctores qui in dubio stant plus minusve pro sententia favente legi.*

Alasia Joseph-Antonius Collegii Theologorum Taurinensium socius et Collationum moralium in Seminario præfectus (inter recentiores omnibus valde notus et celebris, claritate, ordine, stylo et rerum copia merito præstantissimus). Scripsit *Commentaria Theologiæ Moralis.* — *Antoine* Gabriel e Societate Jesu, gallus (qui inter rigidos auctores nostri temporis, ex s. Alphonso *Op. Mor.*, l. VI, n. 505, non infimum habet locum). Multa paucis sapienter complectitur; et Benedictus XIV gratum habuit ut ejus Opera moralia a selectis viris perlustrata et notis prædita prælegerentur studiosæ juventuti Collegii Urbani *De Propaganda* et in usum Missionariorum adhiberentur (hodie tamen ibi traditur *Theologia Moralis* Gury); + 1743. — *Armilla aurea* Bartholomæi *Fumi* (Placentini, dominicani); scripsit *Summam Casuum conscientiæ;* + 1567. — *Ægidius*, romanus; *doctor fundatissimus* nuncupatus; archiep.; + 1316.

Bailly Ludovicus, parisiensis; ejus *Theologia Dogmatica et Moralis ad usum seminariorum* prohibita fuit *donec corrigatur*, decreto 7 dec. 1852; + 1669. — *Ballerini* Petrus et Hieronymus, veronenses, scientia clari; primus + 1764; alter + circa annum 1767. — *Bertrand*, aquitanus et *doctor famosus* suo tempore nuncupatus; episcopus et cardinalis; + 1334. — *Billuart*, belga, ordinis Prædicatorum (perspicuitate, soliditate et eruditione merito prædicatur; probabiliorista admodum moderatus); + 1757. — *Blancus.*

Cabassutius, natione gallus, literis et prudentia insignis; + 1685. — *Cajetanus*, Thomas De-Vio, ex Gaeta oriundus et inde dictus Gaetanus, dominicanus; cardinalis, vir scientia et ingenio perclarus; + 1534. — *Collet* Petrus, ex congreg. Mission., gallus; perdoctus, sed ex rigidioribus non ultimus; + 1770. — *Comitolus* e S. T., italus, styli elegantia perspicuus; scripsit *Responsa moralia et consilia;* + 1626. — *Concina* Daniel, italus, dominicanus; doctus, eruditus, disertus, sed perrigidus; + 1756. — *Collationes Andegavenses* (Conférences ecclésiastiques du diocèse d'Angers); eruditione refertæ et illustratæ a card. Gousset. — *Contensonius*, gallus, dominicanus; valde commendatur etiam Verbi Divini præconibus ob singularem oratoriæ facundiam: edidit *Theologiam mentis et cordis;* + 1674. — *Continuator Tournely* (Collet supralaudatus). — *Cuniliati*, venetus, ordinis S. Dominici, concinnitate præstat; + 1759.

Dens, doctus et pius professor Mechlinensis, qui ad praxim præcipue nos conducit. — *De-Prado* Joannes Martinez; hispanus; dominicanus; + 1668. — *Dettori*, recentissimus in Regio Taurinensi Athæneo Theologiæ moralis professor (ingenii acritate, styli elegantia et eruditione celebratus).

Esclapetius. — *Estius* in Hollandia natus, *doctor fundatissimus* a Benedicto XIV nuncupatus; + 1613.

Fagnanus Prosper, romanus; peritus jureconsultus et secretarius S. Congregat. Concilii; probabilioristarum facile princeps; + 1678. — *Franzoja* (vel ipso Concina nonunquam rigidior). — *Fromageau*, Lutetiæ natus; habet *Decisiones Casuum conscientiæ;* + 1705. — *Furno*.

Gazzaniga; in Dogmatica præstat; professor in Vindobonensi Universitate. — *Gastaldi*, episcopus (doctus). — *Genettus*, patria Avenionensis, episcopus; + 1702. — *Gonetus*, dominicanus, gallus, vir clarus pietate et scientia; + 1681. — *Gonzales Thyrsus* (præpositus generalis Societ. Jesu), hispanus; + 1715. — *Gotti*, italus, dominicanus, scientia illustris; cardinalis; + 1742.

Habert, parisiensis, episcopus; + 1668. — *Hennus*, natione germanus, monachus moribus et luciditate doctrinæ commendandus; claruit sæculo XVI.

Juenninius Gasper, natione gallus; ejus *Institutiones Theologicæ ad usum seminariorum* relatæ sunt in Indicem librorum prohibitorum 25 sept. 1708, *donec corrigantur;* + 1713. — *Institutiones Theologiæ Moralis* in usum Clericorum seminarii Mediolanensis Diœcesis; 1851 (recte, sed non satis pro necessitate temporum).

Le Tombeur. — *Liebermann*, in diœcesi Argentinensi professor. — *Luraschi*, Novocomensis professor.

Michael De-Elizalde. — *Merbesius*, natione gallus; + 1684. — *Mercorus*, dominicanus; cremonensis; + 1658. — *Merenda*, italus; + 1657. — *Montazet*, episcopus Lugdonensis; prohibitus decreto 17 dec. 1792.

Natalis Alexander, natione gallus; + 1724; eruditionis copia celebratur. — *Neessen*, belga; pietate et scientia clarus; + 1679.

Panormitanus, etiam *Abbas* De-Tudeschis, siculus, archiep. Panormitanus; + 1445. — *Parato*, in Taurinensi Athæneo doctus professor. — *Patutius* Vincentius, italus, dominicanus; Venetiis docuit (ex rigidioribus qui plus æquo calamum exacuit); + 1769. — *Petra*, neapolitanus, cardinalis, scientia commendatur; + 1747. — *Petrocorensis*. — *Piselli*. — *Pontas*, gallus, eruditus; + 1728. — *Pramaggiore*, italus; consiliis commendandus; + 1863.

Rebaudengo, canonicus præpositus diœcesis Salutiensis, facilis eloquio. — *Rebellus*, natione hispanus, e S. J.; + 1608. — *Ricci* Aloysius, italus; + 1624. — *Rulfus*, Montis-Regalensis (ejus manuscripta extant in Bibliotheca seminarii Novariensis in plurimos tomos distributa); rerum copia, ordine ac claritate commendandus.

Sættler, doctor argentinensis, probabiliorista moderatus; nitidus et concinnatus; ejus Theologiam illustravit Rousselot Theologiæ moralis professor in seminario Gratianopolitano. — *Sainte-Beuve*, doctor sorbonicus. — *Scarpazza*, dominicanus, cremonensis; + 1794. — *Schram*, benedictinus Banthensis; pius et doctus. — *Sylvester*, pedemontanus; primus calamum in Lutherum cæpit acuere; in jure versatus; + 1823. — *Speroni*, italus (theorico-practicus). — *Staidel*. — *Stuardi* (*Commentaria* clarissimi Alasia contraxit, nonnihil addendo de suo).

Tournely, gallus, facilis eloquio, valde et merito ubique gentium laudatus; Bullæ *Unigenitus* acerrimus defensor; + 1729.

Vatolus. — *Vernier*, gallus, in practicis doctrinis versatus; + 1834. — *Victoria*, dominicanus, natione hispanus, *lumen* ejus regionis appellatur; + 1546. — *Vigand*, germanus.

104. B) *Auctores qui in dubio stant plus minusve pro libertate.*

Abelly, episcopus gallus, doctissimus; + 1691. — *Aichner;* lucide et accurate catholicam doctrinam edocet. — *Albertus Magnus*, dominicanus, natione suevus; episcopus sapientia singularis; + 1282. —

Alvarez Didacus, hispanus, archiepiscopus Tranensis; + 1635. — *Abreu*, lusitanus (parochos maxime docet). — *Amort*, natione bavariensis, valde doctus et a Benedicto XIV commendatus; + 1775. — *Anacletus Reinfestuel*, bavarus, ordinis Minorum, eruditus; floruit sæc. XVII. — *Andreucci*, quem multi habet Benedictus XIV. — *Anglius*, hispanus, episcopus Bosanensis, valde commendatur; + 1580. — *Anguirre*, cardinalis. — *S. Antoninus*, patria florentinus, archiep., *angelus consiliorum* merito salutatus; + 1459. — *Arsdek*, hibernus, e S. J.; + 1683. — *Aversa*, italus, minorita; floruit sæc. XVII. — *Azorius*, e S. J., hispanus; valde celebratur a Bossueto; vir ingenio clarus; + 1607.

Bannez, dominicanus, hispanus, per annos triginta Theologiam docuit, a confessionibus s. Theresiæ, pietate et scientia emicat; + 1604. — *Barbosa*, lusitanus (episc. Uxentinus) jurisperitus perdoctus; + 1649. — *Becanus*, belga; e S. J., *malleus Calvinistarum* nuncupatus; doctus et pius quem commendat Dupin; + 1624. — *Bernardus Claramontensis*, — *Bertagna*, taurinensis, moralium disciplinarum sapiens illustrator. — *Bissus* Bernardus, patria genuensis, valde doctus (nomine academiæ Cassinensis scripsit contra Thyrsum Gonzales); + 1716. — *Bolgeni* Borgomensis, vir scientia et eruditione clarus; e S. J.; + 1811. — *Bonacina*, mediolanensis, episcopus; rerum copia, eruditione et doctrinæ nitiditate inter summos; + 1631. — *S. Bonaventura*, card. episc., subtilis ingenio et clarus eloquio, *doctor seraphicus* nuncupatus; + 1274. — *Bossius*, barnabita; floruit sæculo XVII. — *Bouvier*, gallus, cenomanensis episcopus, pietate et doctrina clarus; Romæ decessit 1855, quo venerat occasione proclamationis Dogmatis de Immaculata B. M. Virginis Conceptione. — *Busembaum*, natione germanus, concinnitate admirandus, clarus prudentia, doctrina illustris; + 1668 (illius normam ac methodum secutus est s. Alphonsus Liguori; idem a Croix, Zacharia et Franzoja commentariis est donatus).

Candidus, siculus, ordinis Prædicatorum; scientia et meritis clarus. Scripsit *Illustrium Disquisitionum moralium, quibus omnes conscientiæ casus maxime practicabiles explicantur;* + 1653. — *Cardenas*, hispanus; + 1690. — *Cassinenses* (monaci Montis-Cassini); docti illi s. Benedicti filii nostro ævo, summo studio novam editionem *Bibliothecæ* Lucii Ferraris, emendatam et auctam publicarunt: qui nostram *de Conscientia* disputationem contractam, iisdem ferme verbis reddiderunt, sub Litera *Opinio probabilis;* additiones Cassinenses. — *Carrière* ex congreg. S. Sulpitii; rerum copia et perspicuitate commendandus in quæstionibus maxime hodiernis definiendis; + 1863. — *Castelvetere* (Bernardus a); doctus. — *Charmes*, provinciæ Lotharingiæ, capucinus; doctus. — *Coninkius*, belga, omni politiori literatura ornatus; + 1763. — *Cornejus*, italus, floruit sæculo XV. — *Covarruvias*, toletanus, segoviensis episcopus; vir clarus; + 1577. — *Croix*, belga, e S. J., vir doctus et practicis rebus versatus (quem Benedictus XIV laudibus cumulavit); + 1714.

Dearriaga, hispanus; + 1667. — *Delbene*, italus; floruit sæc. XVII. — *De Lugo* Joannes, hispanus, cardinalis doctissimus: « qui post s. Thomam (ait s. Alphonsus, *Theol. Mor.*, l. III, n. 552) non temere inter alios Theologos facile princeps dici potest; cum in dubiis discutiendis hic auctor sæpe, nullo præeunte, falcem ita ad radicem ponit, ut rationes quas ipse in medium adducit, difficulter solvi queant. » + 1660. — *Diana*, siculus, aliquando benignior; + 1663. — *Duval*, natione gallus; Richerii infensus hostis; + 1638.

Elbel, germanus, Minorita; sana nitidaque doctrina præstat, ac casuum resolutione; floruit sæc. XVIII. — *Escobarius*, hispanus, e S. J

vir zelo et doctrina fulget; + 1669. — *Eula*, theologus Montis-Regalis; nuper erudite et facili calamo scripsit resolutionem *Casuum de re dogmatica, morali et liturgica.*

Fagundex, e S. J., hispanus, doctus et pius; + 1645. — *Faure* (ejus doctrinam multi faciebat Pius VI). — *Ferrarius* Lucius, patria Solero prope Alexandriam in Pedemontio; eruditione et doctrina eminens; ordinis Minorum; coetaneus Benedicti XIV qui doctissimum auctorem doctissimus suis in Operibus non raro citat. — *Filliucius*, patria senensis, e S. J., scripsit *Moralium Quæstionum de christianis officiis et casibus conscientiæ ad formam cursus*, etc.; + 1622. — *Frassinetti* (non minus facilis doctrina quam eloquio); genuensis; + 1868.

Gallego. — *Gamachæus*, turonensis; scientia, eruditione et ratiocinio laudatur; + 1625. — *Gaume*, natione gallus; plura egregie dictavit circa morum doctrinam hisce temporibus. — *Gomes*, hispanus; + 1545. — *Gousset* (cardin. archiepisc.) ingenio maximus, doctrina purissimus, operibus plenus; + 1867. — *Graffius*, natione italus, Theologus celeberrimus; fl. sæc. XVI (abbas Cassinensis). — *Granadus*, hispanus, e S. J.; + 1632. — *Gravina*, italus; + 1718. — *Grassi*, canonicus pœnitent. cathedralis Æsinæ, qui suam Theologiam moralem elaboravit juxta doctrinam sancti Alphonsi; claritate laudandus. — *Gury*, e S. J., brevis, sed lucidus; plurimos etiam festive resolvit casus conscientiæ; + 1866.

Holzmann, e Germania oriundus.

Isambertus, gallus; per multos annos cum laude Theologiam docuit; + 1642. — *Iturriaga*; eruditus. — *Ieremia* P. Franciscus *(A)*, qui sententiam suam methodo mathematica demonstrare aggressus est.

Kenrick, archiepisc. baltimorensis, eruditissimus ac spectatæ pietatis, qui pro suis dogmaticam ac moralem Theologiam edidit; + 1863.

Layman, germanus, e S. J., plurimi habendus ob rationum momenta ac doctrinæ perspicuitatem; imo ex Muzzarelli *doctissimus Theologus* nulli fere *secundus*; + 1643. — *Leander*, hispanus; + 1670. — *Ledesma*, episc., hispanus, pereruditus; + 1604; — *Lessius*, belga; Theologus insignis tum pietate tum doctrina, quam per viginti annos Lovanii docuit; et a d. Salesio magnopere laudatus; + 1623. — *Liberius a Jesu* ordinis Carmelitarum, cui patria Bellinthiacum in agro Novariensi; nomine a baptismate *Stephanus De-Milliis*. Per triginta octo annos scholasticam Theologiam Romæ docuit; Congregationis fidei propagandæ præfectus. Primo edidit *Controversias dogmaticas adversus hæreses utriusque orbis*, t. I; sed prohibitum librum decreto 11 martii 1704, reformavit; et postea undecim volumina scripsit *Controversiarum scholastico-polemico-historico-criticarum*; + 1719. — *Lopez*, hispanus, dominicanus; + 1596. — Lupus *Christianus*, natione germanus, scientia et eruditione perspicuus; + 1681. — *Lyonnet*, gallus, doctus. — *Lorca* (De) Cisterciensis; + 1612.

Macadus, lusitanus, e S. J.; + 1653. — *Malderus*, belga, episc.; + 1633. — *Mannhart*, e S. J., qui maxima cum laude scientias professus est; + 1773. — *Martinez*, hispanus, dominicanus; + 1668. — *Mazzotta*, italus, solida et perspicua gaudet doctrina; + 1748. — *Medina*, dominicanus, hispanus, episc. doctissimus; + 1581. — *Moya*, hispanus, e S. J., per viginti annos Theologiam docuit; + 1686. — *Molina*, hispanus; pondere rationum et doctrinæ soliditate celebris, e S. J., per viginti annos Theologiam docuit; + 1600. — *Montesinos*, hispanus; + 1621. — *Masi*, qui summatim et accurate exhibet morum doctrinam in suo *Quantumsatis ad Confessarios Opusculum.*

Nider, natione germanus, dominicanus; claruit styli elegantia sæculo XV. — *Navarrus*, hispanus; inter antiquiores maxime casuistas eminet; + 1585.

Palaus (etiam *Castro-Palaus*), hispanus; eruditus ac copiosus; e S. J., scholasticam Salamanticæ magna eruditionis fama docuit; + 1633. — *Pallavicini*, e S. J., romanus; cardinalis insigniter clarus; + 1667. — *Paludanus*, natione gallus, dominicanus; illustrior defensor doctrinæ s. Thomæ; + 1333. — *Perez*, hispanus; *doctor mirabilis;* + 1649. — *Pavone* (de Congregatione Ss. Redemptoris) dignus s. Alphonsi alumnus — *Perrone* Joannes, e S. J., quem nominasse laudasse est *(istancabile nell'occuparsi continuamente a sostenere i diritti della Chiesa, e a confutare gli errori de' suoi nemici*, ex Pio Pp. IX (Lit. 15 julii 1863, ad auctorem). — *Pickler*, germanus, e S. J., scientia insignis; + 1736. — *Pontius* Basilius et Joannes; + 1629, 1645. — *Potestas* Felix, siculus; + 1702. — *Possevinus*, mantuanus, e S. J., notis omnibus clarus; + 1611.

Reginaldus, gallus, e S. J.; scripsit *Praxim Fori*, et *Confessarii Consilia;* + 1623 (a d. Salesio valde laudatur). — *Reuter*, germanus (concinnitate et ordine rerum ac dotrina celebratur); + 1762. — *Roncaglia*, italus (optimus consiliarius); + 1737.

Sa Emanuel, hispanus; + 1596. — *Salmanticenses* (theologi Collegii Salamanticæ in Hispania, qui universam Theologiam pro suis multo studio, mirabili luciditate ac optima methodo ed iderunt; fl. medio sæculo XVIII). — *Sanchez* Thomas, hispanus, sapientissimus et piissimus; + 1649. — *Schilder*, belga, e S. J.; + 1667. — *Segneri* Senior, italus; doctrina, pietate ac zelo excellens, eloquio autem princeps, e S. J.; + 1694. — *Serra*, italus; + 1775. — *Sfondratus* Cælestinus (cardin.). — *Sylvius*, belga; magna pollet auctoritate utpote doctissimus, et quem Benedictus XIV plurimi facit; + 1649. — *Sporer*, germanus, Minorita; claritate fulget ac plura pro praxi docet; + 1720. — *Stapf*, Ecclesiæ Cathedr. Brixin. canonicus; pietate, prudentia et consiliorum opportunitate mire clarescit. — *Suarez*, hispanus, e S. J. (a Paulo V et Benedicto XIV *doctor eximius et pius;* et a Bossueto *totius scholæ modernæ repræsentator* nuncupatus); + 1617. — *Schneier*, e S. J., qui in suo *Manuale* paucis plura nitide edocet.

Taberna, natione gallus; + 1686. — *Tamburinus*, siculus; rerum experientia et dictionis venustate præclarus, qui annis viginti Theologiam moralem Romæ docuit; + 1675. — *Talento*, in Nicæensi seminario professor; luciditate et soliditate clarus. — *Tannerus*, germanus; auctor acris ingenii ac seduli; + 1632. — *Tappia* archiep. segonensis, dominicanus; + 1657. — *Teseda*, dominicanus. — *Terillus*, anglus; + 1668 (pro sua sententia notat biscentum auctores a se lectos). — *Toletus*, hispanus, cardinalis, rerum brevitate, ordine et soliditate præclarus; + 1596 (quem studiosis proponit Salesius).

Valentia, hispanus; adversus hæreticos acerrime dimicavit; doctrina illustris; + 1603. — *Vasquez*, hispanus, *Augustinus Hispaniæ* appellatus; + 1604 (a Mabillonio valde laudatur, et ex Benedicto XIV *clarissimum lumen*). — *Vecchiotti*, qui in suis *Institut. canon.* plures quæstiones morales scite ac practice resolvit. — *Viva*, italus, e S. J.; *eximiæ sapientiæ* vir ex Benedicto XIV; + 1641. — *Voit*, germanus; doctrina et practicis resolutionibus commendandus, etsi non ita nitidus; floruit sæculo XVIII.

Zacharia, e S. J., italus; doctus inter doctissimos; + 1795. — *Zerola*, italus, episc.; + 1597.

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM PRIMUM

(A) Pag. 21.

105. « Gli atti *interni* così vengono appellati, finchè rimangono dentro di noi: tali sono i nostri pensieri, i nostri desiderii, i nostri affetti, i nostri giudizi avanti che siano manifestati col discorso o con qualche altro segno. Gli atti *esterni* sono quelli che si producono di fuori, come i nostri discorsi, i nostri andamenti, e in generale tutte quelle fra le nostre azioni, dove il nostro corpo ha qualche parte. Importante è pel Canonista questa distinzione; imperocchè gli atti che sono solamente interni, per quanto sieno delittuosi, non vanno soggetti alle pene ecclesiastiche: *de internis non judicat Ecclesia.* » Ita Gousset, *Teologia Morale per uso de' parrochi e confessori,* vol. I.

106. Duplex vero actus, qui in voluntate maxime distingui solet, id est *elicitus* et *imperatus*, clarius patebit aliquo exemplo practico: supponamus hominem gravi injuria ab alio lacessitum, et malo vindictæ amore succensum. Hujus porro voluntas eum imprimis, a quo injuria sibi irrogata est, odio prosequitur et vindictam contra eundem determinat. Jam vero duplicem hic habemus voluntatis actum: *primum*, quo voluntas odit contumeliosum illum; *alterum*, quo vindictam in ipsum determinat. Uterque erit elicitus: quare? quia uterque in sola ipsa voluntate perficitur, neque ullus adest alterius facultatis sive exterioris sive interioris concursus. Sed semel vindicta determinata, vindicatoris voluntas adhuc progreditur: imperat nempe *phantasiæ*, ut acceptæ injuriæ magnitudinem contempletur; imperat *memoriæ*, ut ejusdem minime obliviscatur; imperat *intellectui*, ut circa vindictæ circumstantias occupetur, et perpendat tum media eam peragendi, tum etiam bona (juxta suum conceptum) inde obventura; imperat denique *toti corpori*, ut in illam vindictam perficiendam concurrat facultatibus suis omnibus: *oculis*, nempe attente contumeliosum secernendo, *manibus* ferrum arripiendo, et *pedibus* in hostem incurrendo. Multos hic habemus actus, et omnes imperatos, quia omnes proveniunt quidem *originaliter* a voluntate; sed perficiuntur ope diversarum facultatum, quæ ad ipsius voluntatis imperium moventur et agunt. Ex quibus constat:

1. Quare actus humanus dicatur voluntarius, non intellectualis, etsi intellectus primo concurrat; est nempe ratione dominii quod voluntas exercet in facultates omnes.

2. Quanta sit voluntatis nostræ efficacia, et quanti facienda sit excusatio illorum, qui ut ducant in malum dies suos, resipiscendi impossibilitatem adstruunt; volenti enim nil impossibile: neque Deus in necessariis deest. Hinc illud vulgare: *voluntas est motor in toto regno animæ et omnia obediunt ei;* et Rom. VII: *velle adjacet mihi.* Hoc notent inter ceteros juvenes (nomine studiosi), qui desidem agentes vitam videntur fruges consummere nati; oh si voluntas esset in illis! nihil enim, ex Augustino, ita est in facultate hominis quam hominis voluntas, quæ (gratia opitulante) omnia vincit, si vera sit ac constans, tum *exteriora impedimenta,* ut patet exemplo Christophori Colombo;

lum *interna obstacula* et *habitualem torpedinem*, ut constat exemplo Victorii Alfieri; imo et vel ipsi *ingenii tarditati* mire subvenit, uti evenit in Petro Lombardo et Suaresio; neque frangitur auxilii humani *inopia*, ut constat inter ceteros de Patre Mattew fundatore societatis Temperantiæ; neque eam *infirmitas corporis* prosternit, ut probatur exemplo s. Gregorii Magni. — *V.* Dubois, *Il santo Prete*, n. 32; *Pratica dello zelo ecclesiastico*, n. 93; — Balmes, *Il Criterio;* art. *Forza della volontà, fermezza, energia.* — Margotti, *Roma e Londra*, c. XXV.

107. Inter tot exempla unum ponamus recens, quod quidem enarrat cl. card. Wiseman, *Rimembranze degli ultimi quattro Papi* (Pio VII, Leone XII, Pio VIII, Gregorio XVI) *e di Roma ai tempi loro.* Cap. VI habet: « Il dottor Blake fu creato vescovo di Dromore nel 1833; ed ora ch'egli è andato a ricevere il guiderdone meritato dalle amabili sue virtù, ed è rimossa ogni delicatezza rispetto a quello che riflette onore sopra di lui, posso riferire ciò che riseppi da lui medesimo intorno alla sua carriera giovanile. Quand'era studente in Roma, disse, ch'egli era singolarmente lento, e riputato stupido; il che proveniva, almeno in parte, da una gran confusione nella favella, accompagnata da balbuzie. In una occasione arrischiandosi di framettere il suo parere in certa discussione occorsa tra i suoi compagni, l'un d'essi lo interruppe villanamente dicendo: *Che cosa ci avete a far voi, che siete l'asino del collegio?* La ferita riuscì pungente, ma salutare; il mansueto ragazzo non rispose, ma si ritirò accorato nella solitudine; si pose a riflettere a ciò che gli era stato detto pubblicamente dal compagno, senz'essere ripreso da nessuno e col tacito consenso di tutti. Sì, tal era il nome che gli davano, e tale l'opinione eziandio de' suoi più cortesi amici; se non gliene aveano parlato, si trovò uno che glielo rinfacciò. Ora che si dovrà fare? il rimprovero vuol essere cancellato, rivocato quel nome; le cagioni di esso vere o immaginarie si vogliono rimediare ad ogni costo; questo debb'essere l'impegno perseverante della sua vita scolastica; non dee dimenticarlo giammai.

» Prese subito i suoi provvedimenti; e perciò scrisse su una striscia di carta, *L'asino del collegio*, a lettere chiare e tonde, e la collocò sul suo scrittojo, dove inosservata dagli altri gli starebbe sempre dinanzi agli occhi. Nelle ore di applicazione regolare, quivi rimirava quella carta; nelle ore di studio straordinario, nel mentre che gli altri erano in ricreazione, quest'aculeo pungente gli stava al fianco. Adottò una pronunzia lenta e ponderata che lo accompagnò durante la vita, ma che rimediò perfettamente al suo difetto originale; in breve sorse onorevolmente così nella sua classe, come nella stima dei suoi condiscepoli (i giudici più severi, ma più giusti), i quali per altro ignoravano l'incantesimo che faceva il segreto della sua buona riuscita. E così traversò tutti i gradi rispettabili della sacra sua professione, finchè ne raggiunse la più elevata dignità. M'è accaduto spesso di trovar vantaggioso quest'aneddoto a rincorare uno studente sconfortato; quantunque, già s'intende, abbia celato il nome. »

(B) Pag. 22.

108. Quicumque intimum animi sui sensum attente consideraverit, facile percipiet ad actum humanum concurrere *voluntatem* transcurrendo per quosdam veluti gradus:

Nempe: 1) occurrit prævia *intellectus cognitio* alicujus finis animum allicientis, quia voluntas non fertur in incognitum; 2) finis cognitio-

nem subsequitur quædam *simplex volìtio*, quæ est primus actus, quo voluntas finem jam cognitum uti in se bonum et amabilem respicit; 3) succedit *deliberatio efficax* finis illius attingendi. Cui statim comitatur *mentis conversio* ad media pro fine illo obtinendo. Hæc media vel nondum in promptu sunt et incerta; vel sunt certa et jam in oculis parata. In primo casu accedit *consilium*, discursus nempe quidam interior in intellectu consistens, qui media hæc attente perquirit ac perpendit: in secundo cito accedit *voluntatis consensus;* 4) venit *fruitio*, ille videlicet actus, quo voluntas nostra in fine jam consecuto quiescit, et de eo secum delectatur.

(C) Pag. 27.

109. Quæres: *an actus imperatus sumat suam qualitatem seu speciem ab actu imperante?*

R. Si actus imperatus est actus externus, hic sane desumit suam speciem ab actu interno voluntatis illum imperante; nam actus externus se habet in hoc casu ut objectum materiale in quod voluntas imperans fertur ex aliquo motivo; ergo ex hoc motivo voluntatis desumit actus externus suam speciem et determinat suam qualificationem. Sic potest genuflecti vel ex motivo pœnitentiæ, vel ex motivo honorandi Deum seu religionis, vel propter utrumque; atque ita genuflexio spectabit modo ad virtutem pœnitentiæ, modo ad virtutem religionis, modo ad utrumque.

Si vero actus imperatus est actus voluntatis, qui propterea erit etiam elicitus, tunc distinguendum est. Vel actus imperans et imperatus fiunt ex eodem motivo, et tunc ambo spectant ad eandem speciem, quamvis sint duo actus distincti; uti si ames Deum propter se, et quia vides amorem proximi valde placere Deo, imperes tibi actum amoris proximi propter Deum; nam una est amborum actuum ratio. Vel actus imperans et imperatus, fiunt ex diverso motivo, et tunc spectabunt ad species diversas. Hoc accidit v. g. quando quis timet pœnas sibi a Deo infligendas ob suum peccatum et hoc timore excitatus imperat sibi actum perfectæ contritionis, nempe quia offendit Deum infinite bonum: tunc duo occurrunt actus, alter timoris servilis Dei, alter charitatis. V. dicenda *De fontibus moralitatis.*

(D) Pag. 28.

110. Dices: *potest Deus voluntatem hominis immutare; non ergo mens nostra est sui juris.*

R. Deus potest utique voluntatem hominis immutare, id est eam ex nolente facere volentem per gratiam suam agendo modo libertatis proprio, *concedo;* potest eam immutare, id est eam quoad actus elicitos cogere, *nego.* Certe nemo dixerit, Deum qui voluntates humanas creavit liberas, eas in cunctis actibus gubernare non posse, quin earundem libertati noceat. Huc facit illud Augustini (Tract. XVI in Joan.): *ramum viridem ostendis ovi, et trahis illam; nuces puero demonstrantur et trahitur: et quod currit trahitur, amando trahitur; sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur.* En quomodo libere nos trahit Deus. Ceterum ad conciliandum supremum Dei dominium in actiones hominum cum ipsorum libertate, non una est sententia Theologorum.

Molinistæ tuentur, quod Deus novit per scientiam, quam vocant *mediam*, quid unusquisque per propriam libertatem faceret si in his vel illis adjunctis constitueretur, cum his vel illis divinæ gratiæ auxiliis. Adeoque si velit obtinere aliquem actum bonum et ipsam perseverantiam finalem, dat homini auxilia quæ prævidit per eam scientiam fore efficacia, idest cum effectu conjuncta. Contra vero cum vult permittere peccatum et ipsam æternam damnationem, dat illis auxilia quidem sufficientia, sed quæ per malitiam humanam prævisa sunt fore sterilia. Hac ratione juxta ipsos intelliguntur illa verba Scripturæ: *Perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum;* et nihil fit contra ipsam divinam voluntatem. Peccatum enim ipsum non fieret, nisi Deus, tamen citra omnem affectum erga ipsum, illud permitteret.

Thomistæ contra propugnant, Deum physica prædeterminatione voluntates humanas ad actum applicare. Hæc autem prædeterminatio juxta ipsos: 1) est necessaria, ita ut sine ipsa voluntas non posset agere; 2) est inacquiribilis a creatura, cum tota pendeat a libero arbitrio divino; 3) est insuperabilis, nempe posita prædeterminatione non potest amplius voluntas omittere actum ad quem datur. Sub hac tamen prædeterminatione defendunt voluntatem non perimi, quia Deus prædeterminat voluntatem juxta suam naturam, ad quam pertinet esse liberam. — V. Liguori *Opera Dogmatica contro gli eretici*, sess. v, nn. 100 et seqq. — Bossuet, *Traité du libre Arbitre.* — Muzzarelli, *Lettera a Sofia intorno alla setta dominante del nostro tempo.* — Sales, *Trattato dell' amor di Dio*, l. II, c. 12; et l. IV, c. 7.

(E) Pag. 33.

111. *Gall* medicus germanus, qui Parisiis obiit 1828, cum adverteret homines nasci, unumquemque cum propensionibus specialibus, earum rationem in cerebri conformatione quæsivit: tot autem in cerebro distinguebat organa, quot sunt in homine inclinationes; et inclinationem dominantem exterius per specialem *cranii* protuberationem innotescere contendebat. Hæc scientia dicitur *Cranioscopia*, *Craniologia*, *Frenologia*.

Plures ex celebrioribus medicis hanc doctrinam oppugnarunt, ac multa congesserunt facta dicto systemati contraria; sed aliqui illud admiserunt. Imo nonnulli eo abusi sunt ad libertatem labefactandam: inaniter tamen; illis enim inclinationibus ac passionibus non obstantibus, quilibet se sentit suorum actuum dominum, et gratia non deest ad illas efficaciter superandas. Præstat audire d. Bonaventuram: « diversæ membrorum dispositiones secundum artem physionomiæ diversos effectus ac mores indicant in homine; non quod ista signa necessitatem imponant moribus hominum, sed ostendunt inclinationem naturæ, quæ tamen teneri potest freno rationis..... Item propter signa exteriora non statim proferendum est judicium, quia forte signum est per accidens et non per naturam, et forte victum est per contrariam consuetudinem et freno rationis tenetur. Unde narrat Aristoteles, quod discipuli Hipocratis detulerunt Philemoni excellenti physionomo pictam imaginem Hipocratis, qui pronuntiavit de ipso quod esset vir luxuriosus. Illis autem indignantibus et culpantibus Philemonem, quod de optimo viro, taliter judicasset, retulerunt hoc Hipocrati; qui confessus est Philemonem hoc recte judicasse; sed ex amore philosophiæ et honestatis dixit se concupiscentias cordis sui

vicisse, et accepisse per studium, quod naturæ fuerat denegatum. » *Compendium Theologiæ veritatis*, l. II, c. 48 et 49.

V. Bergier, *Dizionario;* V. *Frenologia.* — *Pensieri di un Cattolico credente.* — Dieulin, *Il buon Pastore del secolo XIX*; t. I: *Influenza del temperamento sulla vocazione;* inter cetera habet: *la grazia può render l'uomo virtuoso su tutti i vizi di una perversa natura.... S. Francesco di Sales era dotato di un carattere assai irascibile, e s. Vincenzo di Paola di un umore aspro e violento; nullameno col soccorso di Dio, e con eroici sforzi sopra sê stessi riportarono vittoria completa;* adeo ut in contrariam converterint eorum indolem. Quod tamen heroicum est; cum satis sit ipsum temperamentum ad recta dirigere quin extinguatur, et sane gratia ordinarie loquendo non immutat naturam, sed eam accipit et perficit.

(F) Pag. 34.

112. Q. 1. *Graviterne, an leviter peccat qui positive non resistit, sed negative se habet ad motum appetitus sensitivi circa objectum sub mortali prohibitum, quando nempe ex positiva resistentia non timet illum fieri majorem?*

R. Certum est, esse mortale motum illum permittere, si inde timeatur periculum consensus; nam eadem obligatione, qua quis tenetur vitare peccatum, tenetur etiam vitare periculum peccandi. Hoc autem periculum judicabitur adesse, tum ex qualitatibus pœnitentis, si v. g. sit tenuis virtutis, qui jam alias consenserit; tum ex materia delectationis, si multum sit periculosa in se, ut communiter censetur, si superveniat delectatio venerea; quia hujusmodi commotiones, quando sunt vehementes, plerumque si positive non repellantur (saltem per actum simplicis displicentiæ) trahunt secum consensum voluntatis. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 6.

Quo tamen consentiendi periculo præcluso, vera sententia docet, cum Angelico, non esse mortale, sed veniale tantum motibus illicitis positive non resistere (2, 2, q. 74, a. 4). Et sane peccatum mortale non potest esse in sensualitate, sed solum in ratione; quia consensus ad graviter peccandum non provenit ex appetitu, sed ex voluntate quæ cum non consentit positive, non committit mortale. Committitur tamen veniale, in quantum homo cavere debet, ne appetitus malus turbet vel leviter, atque trahere incipiat post se voluntatem.

113. Q. 2. *Quæ regulæ practicæ ad repellendas tentationes impuras?*

R. Notandum 1: ad repellendas tentationes carnales quoad *sensum* valde prodest, ut commotiones compescantur, partes commotas vestibus tegere et comprimere, ut advertit quidam auctor modernus.

Quoad *mentem* autem præservandam a consensu, prodest sane cogitatio de passione Jesu Christi, vel de pœnis inferni vel de morte, etc., et etiam de cruciatu remorsus quem patitur anima post peccatum patratum. Magis vero necessarium erit in hujusmodi concupiscentiis ad orationem recurrere; castitas enim nonnisi a Deo obtinetur *(Sap. VIII)*; et ordinarie Deus illam non dat nisi petentibus *(Joan. XVI)*. Hinc tentatus auxilium imploret a Domino, a Deipara immaculata, et Sanctis puritatis amatoribus, ut a s. Aloysio, Philippo Nerio, etc. Præ omnibus autem sufficiet et erit remedium aptius (quia brevius et facilius) invocare confidenter et pluries veneranda et potentissima nomina Jesu et Mariæ. Maxime etiam juvabit ferventem actum amoris erga Deum

elicere, propositum renovando mortem potius subeundi, quam peccandi. — Sufficit etiam in actu commotionis animum ad alia divertere, cum hoc etiam actu sit positive resistere, ut bene advertunt Sporer, Continuator Tournely, Contensonius et Croix. Et si motus sint leves, melius erit tunc eos contemnere sine positiva resistentia, ex Croix cum Bonacina.

Notandum 2: non esse obligationem motibus carnalibus resistendi positive, si justa adsit causa non resistendi, nempe si quis expertus sit resistendo magis motus excitari et augeri; vel si motus ortum habeant ex actione necessaria vel utili, v. g. ex auditione Confessionum, ex lectione rerum turpium scitu utilium, ex tactu necessario ad medendum et simili. Tunc enim ex una parte causa motuum non tenemur operam relinquere, ut docent communiter cum Sporer, Contensonio, Salmanticensibus, Croix, Suarez et aliis; et ex alia neque tenemur tunc motibus positive resistere, si non facile negotium sit illos repellere. Sat est igitur tunc negative se habere cum firmo proposito nunquam consentiendi; ipsa enim non consentiendi actualis cura sufficit tunc ad liberandum hominem a culpa, saltem mortali; etsi non a veniali, si resistentia sit tepida, ut dicunt Toletus, Cajetanus, Layman, etc. Verum Croix cum Azorio et Sanchez ut certum supponit quod in casu prædicto, quando tentatio diu durat, et nimis molestum foret jugiter motus positive repellere, nullum peccatum sit eos permittere, negative se habendo. Et sic facere consulit Continuator Tournely cum Sylvio his qui sunt timoratæ conscientiæ. — Hactenus s. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. v, nn. 8 et 9.

112. Q. 3. *Quænam remedia generatim contra motus concupiscentiæ?*

R. Generalia ea sunt quæ eorum causis opponuntur. Hinc si proveniant *ex phantasia*, hæc compescenda est, aut ad alia convertenda; si *ex objectis externis* aut *occasionibus*, hæc fugienda (nisi obstent justæ rationes, aut si ab omnibus objectis quis moveatur, tunc spernenda); si *ex complexione* vel *humorum abundantia*, mortificatio adhibenda est; si *ex timore*, ille vincendus est, seu motus non curandi. — Gury, *Compendium Theol.*, t. I, n. 16; et *Casus* etc., n. 21.

(*G*) *Pag.* 36.

113. Si peccandi potentia est liberi arbitrii imperfectio, patet quid sentiendum sit de illis, qui naturam libertatis collocant in licentia opinandi, in voluntate legem transgrediendi, in facultate religionem quamcumque eligendi, in potentia omnia ad libitum agendi, divina et humana æque subvertendo et conculcando. *Io mi rido* (audiant vel ipsum Rousseau in *Contractu Sociali*) *di quei popoli avviliti, che lasciandosi sollevare da una razza di faziosi osano parlare di libertà senza pur averne l'idea, ed avendo il cuore pieno di tutti i vizi degli schiavi, s'immaginano che, per esser liberi, bisogna essere sediziosi.* — *La libertà*, come ben rispose Alcuino, *è l'innocenza, e lungi dal consistere nell'emanciparsi l'uomo dalla legge, o nel crearsela, consiste nell'eseguirla.* Hinc vel ipse gentilis Cicero: *legum servi sumus, ut liberi esse possimus.*

Hinc absurdum dixit Melchior Gioja, quando dicere non erubuit: *il dovere non è altro che una diminuzione di libertà.* Ad rem Olivieri in sua *Ethica: espressione stravagante e maligna diretta non a farci conoscere ed amare il dovere, ma a farcelo odiare. Dunque quando il*

Signore ci comandò di amarlo, avrà ferita la nostra libertà? dunque quando la natura ci ordina di esser grati a chi ci benefica, ci toglie un grado della nostra libertà? dunque quando la madre amorosa pone attorno al fuoco o al pozzo delle sbarre, affinchè il suo pargoletto non ci cada dentro, diminuisce la libertà del medesimo?... Il dovere è un freno alla licenza, una regola, una guida della libertà, un avviso, una precauzione, un impedimento dell'abuso di lei. — Et prof. Tolomei, *Discorso d'apertura degli studi;* Padova 1853, ait: *umana libertà ed autorità non in guerra tra loro, ma sorelle sono per nascimento, anzi per sodalizio di funzioni, congiunte per comunanza di tendenze e di destinazione, inseparabili per mutuo bisogno l'una dall'altra; la vera dignità dell'uomo richiede che la libertà si coordini all'autorità, e perciò l'uomo allora si comporta da quell'ente ragionevole ch'egli è, quando l'azione sua libera uniformi all'autorità. Ecco il brevissimo raziocinio:* un fine da conseguire? *dunque mezzi da mettere in opera (libertà).* Mezzi da mettere in opera? *dunque ordine.* Ordine? *dunque legge che vi presiede e lo mantiene; dunque podestà ordinatrice; dunque norma imperiosa a cui necessariamente conformarsi: ecco legge, ordine, autorità ed insieme libertà.*

Huc referri potest illud Psalmi IX: *constitue, Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt;* homines, inquam, qui legibus reguntur, non belluæ, quæ mero instinctu ducuntur. — V. *Civiltà Cattolica,* ser. 1ª, t. II: *Libertà ed ordine;* ser. 3ª, t. VI: *Le quattro libertà di coscienza;* ser. 4ª, t. I: *La libertà al tribunale della Chiesa;* t. IV: *Il Catechismo di libertà;* t. VII: *La libertà al tribunale della ragione;* t. VIII: *La libertà tirannia;* t. VI, ser. 6ª: *I cattolici e i liberali in Italia.* — Rumière, *l'Église et la Civilisation moderne.* — *Le Opinioni che agitano il nostro secolo.* Lugano, 1850. — Orioli, *Della libertà ed eguaglianza civile.* Roma, 1850. — Carillo, *Istituzioni delle leggi civili di Napoli,* p. 330.

116. Q. 1. *Quodnam est subjectum et objectum libertatis?*

Ad 1: subjectum libertatis aliud est *immediatum,* et est facultas illa, quæ dicitur libera; aliud *mediatum* seu *denominationis,* et est natura seu suppositum, cui libertas convenit. Hoc posito dicimus: libertatis subjectum immediatum est sola voluntas; quia libertas est vis electiva; eligere autem solius est voluntatis: mediatum vero est omnis et sola natura intellectualis; nam omnis et sola natura intellectualis cognoscit finem et media, ut media ad finem conducentia; et ipsa sola potest unum præ alio eligere. Etiam animalia bruta quædam agunt judicio, sed non libero; quia non ratiocinatione, sed ex naturali instinctu hoc judicant. Sed homo agit judicio, et judicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione qualibet rationis: ideoque agit libero judicio potens in diversa ferri; ex d. Thoma, 1, p. q, 83, a. 1. — *V.* Tullius, l. I *De Officiis,* c. IV. — Bossuet, *Traité de la Connaissance de Dieu et de soi-même.* — Liguori, *Op. Mor.,* l. V, *Tract. Præambuli,* n. 32. — Balmes, *Etica elementare,* etc.

R. Ad 2: objectum libertatis dicimus illud omne, circa quod humanæ voluntatis libertas potest exerceri. Jam vero finis ultimus ut talis consideratus seu bonum in communi, non potest esse objectum et exercitium humanæ libertatis; felices enim omnes esse volumus non ex electione, sed ex naturæ ipsius impulsu. Illud ergo constituemus in omnibus bonis particularibus sive veris sive apparentibus; bona enim particularia sive vera, sive apparentia nobis exhibentur cum admixtione alicujus mali sive veri sive apparentis, aut saltem

uti finita, defectibilia et insufficientia. Ea itaque possunt a nobis eligi vel non eligi, retineri vel respui, et sub hoc sensu dicuntur constituere objectum et exercitium libertatis humanæ. — *V.* D. Thomas, 1, 2, q. 10, a. 2.

117. Q. 2. *Quodnam libertatis impedimentum?*

R. Quod adversatur libero dicitur libertatis impedimentum: hoc autem est necessarium quod generice definitur *ad unum determinatio.* Quæ quidem determinatio seu necessitas:

1. Alia est *exercitii*, alia *contrarietatis.* Illa determinat ad actum, quin potestatem relinquat ab eo abstinendi: hac necessitate se ipsum amat Deus; neque enim potest abstinere ab amore sui. Hæc vero determinat ad unam actus speciem sine potestate ad oppositum: hac necessitate Christus Dominus ferebatur in bonum, ita ut non posset agere malum.

2. Alia est *antecedens*, alia *consequens.* Antecedens (seu absoluta) est quæ antecedit usum rationis ac voluntatis: ut contingit in motibus primo-primis. Consequens (seu hypothetica) est quæ sequitur liberum voluntatis consensum ac determinationem: sic necesse est velle studere, cum quis se determinavit ad studendum.

3. Tandem alia est *coactionis* (seu physica), et hæc idem est ac violentia, quæ oritur a principio extrinseco, et est determinatio ad aliquid contra propriam inclinationem, ut cum quis nolens in carcerem truditur. — Alia est necessitas *naturalis*, seu *intrinseca*, quæ nempe sita est in quadam determinatione, seu propensione voluntati insita ab ipsa natura, cui non potest resisti, prout est necessitas beatitudinis: hac necessitate beati Deum diligunt. — Alia est necessitas *moralis*, quæ inclinat et determinat voluntatem ad aliquid, cui etsi difficulter, absolute tamen resisti potest: ut esset necessitas in veteratis habitibus comparata.

(H) Pag. 39.

118. « Il fatto prova, che dove si predica la dottrina più severa, ivi maggiore è il libertinaggio. Per confessione del card. Gousset, ciò stesso avvenne in Francia, quando le dottrine severe erano le più in voga. » (Frassinetti, *Manuale pratico del Parroco novello*, n. 390).

Signanter quoad Jansenistas, quam latam vitiis aperiant viam, proprio systemate, sic perbelle describitur in libro per integrum legendo: *La Lega della Teologia moderna colla Filosofia;* Novara; tip. Miglio, ecc.; ubi Jansenista sic loquens inducitur:

« La grazia necessitante ella è, miei signori, un maraviglioso calmante de' rimorsi della coscienza. È un segreto specialissimo per vestire l'indifferenza su tutto ciò che concerne la Religion rivelata. È un oppio potentissimo, che legando in sopore le potenze dell'anima, perciò che risguarda le opere della grazia, le ravviva e conforta a tutte le operazioni della natura. Ognuno, per quanto idiota si voglia supporre, presto ne cava per sè la nitida conseguenza. — O il Signore ne concede la grazia necessitante al bene, e allora necessariamente e volontieri opererò bene. O il Signore a me la nega, con tutti i miei sforzi necessariamente, e volentieri opererò male e dovrò peccare: questa conseguenza ognuno la sente, e sa applicarla facilmente a sè stesso. Quindi Dorindo dice divotamente a Cammilla: » Noi siamo ne- » cessitati ad amarci. Che abbiamo a farci? I gradi della nostra terrena

» concupiscenza superano i gradi della celeste, onde necessariamente e » dolcemente ci è forza di seguire le leggi fisiche di questa mutua » attrazione terrena. Se avverrà che la grazia trionfatrice faccia crescere » in noi i gradi della celeste dilettazione, allora necessariamente, e con » piacere seguiremo ambedue le leggi della forza repulsiva; voi a oriente, » io a ponente. Ma fintanto che ella non discenda sopra di noi, Dorindo » deve essere di Cammilla, e Cammilla di Dorindo. »

» Se qualche volta Cammilla turbata e inquietata da qualche lasso Moralista raccomandasse a Dorindo di pregare Dio, di gemere, e di sospirare a Lui per ottenere questa forza di repulsione: » Ah! questo » istesso pregare, le risponde Dorindo in tuon divoto, è una grazia, è » un dono che Dio nega all'uno, e concede all'altro. In questo stato nè » io, nè voi abbiam libera la lingua all'orazione, e conviene riposare » in seno alla nostra attrazione terrena, e ne' profondi arcani imper- » scrutabili della Predestinazione. »

» Vedete, miei signori, dove va finalmente a colpire la nostra dottrina? Ella va a mandare tutto in fumo la rigidissima morale già da noi predicata, e di cui ci vestiamo come di un mantello per venire sconosciuti all'attacco del fondamento di tutta la morale. Eccovi sotto il velo, e col favore di un dogma di fede cattolica, introdotto quel tanto da voi favorito fatalismo, che la vostra filosofia fin qui con tutte le vostre speculazioni non potè giungere a persuaderlo. »

119. Immanem hanc Jansenistarum doctrinam ab Hobbesii impietate desumptam fuisse, evidentissime probat comes De-Maistre in suo Libro *Della Chiesa Gallicana*, c. IV: *Analogia di Hobbes e di Giansenio*, sic inquiens: «Non so se abbia osservato qualcuno, che il dogma capitale del Giansenismo appartiene interamente ad Hobbes: è noto, che questo filosofo ha sostenuto che tutto nel mondo è necessario, e che per conseguenza non si dà libertà propriamente detta o libertà di elezione: noi chiamiamo (dice egli) *agenti liberi* quelli che operano con deliberazione; ma la deliberazione non esclude la necessità; imperocchè la elezione era necessaria con la deliberazione.... È uno stravagante fenomeno insegnare nella Chiesa i principii di Hobbes; eppure non vi ha, come si vede, il minimo dubbio sulla rigorosa identità delle due dottrine: Hobbes e Giansenio erano contemporanei: non so se l'uno abbia letto l'altro, o sia l'uno lavoro dell'altro; in questo caso starebbe a pennello dir dell'ultimo: *pulcra prole parens*, e del primo: *pulcro patre satus.* »

120. Plura solent contra veram libertatem opponi tum ex Patribus, tum ex Scriptura: quæ omnia facillime solvuntur, si hoc maxime advertatur. Nempe Patres a toto contextu sunt dijudicandi; cum enim eorum temporibus exorta nondum esset hæc quæstio, non ita rigorose sunt locuti. Hinc aliquando *voluntarium* ac *spontaneum* pro *libero* sumunt; item *necessitatem* cum *vi* et *coactione* confundunt.

Scriptura vero, quando videtur hominibus electionem denegare, vel loquitur de motu indeliberato, ut Rom. VII: *non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio.* Vel loquitur de voluntate efficaci, ut Matth. VII: *non potest arbor bona malos fructus facere;* nempe homo habens voluntatem efficacem, quandiu illam habet, non potest malum agere. Vel tantum vult innuere, hominem propriis viribus nihil posse in ordine salutis, quo sensu iterum Rom. IX: *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* — *V.* Billuart, Perrone, Knoll; item Bergier, *Dizionario;* V. *Libero arbitrio.*

Sed dices: *in quonam ergo liberum arbitrium hominis per Adæ peccatum dicitur læsum et viribus attenuatum?*

R. Ita dicitur non solum quia per Adæ peccatum voluntas hominis expoliata fuit dono justitiæ originalis et speciali providentia, quæ sic regebat homines, ut sua in potestate teneret omnes corporis et animi motus; sed maxime quia propter ignorantiam, propter vitiatum corporis temperamentum, et effrenatam concupiscentiam, indesinenter ad malum impellentem, voluntas nostra bonum honestum ita fastidit, ut nihil salutare velle et agere possit sine auxilio gratiæ potentioris ea, qua indiguerit Adam in statu innocentiæ. Imo sine gratia homo lapsus ne potest quidem actus honestos mere naturales arduos exercere, quos tamen cum ordinario Dei concursu actuali elicere potuisset in statu innocentiæ. Hinc ad rem d. Augustinus: *libertas periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit* (ad Bonif. *contra Pelag.*). Nempe ut proprie loquamur cum doctissimo Perrone (*Prælect. Theol. Compendium*), dum homo per peccatum excidit e statu originalis justitiæ, nihil amisit ex essentialibus naturæ suæ, sed solum dona eidem naturæ gratuito ex pura Dei liberalitate superaddita: seu, quod idem est, si statum peccati excipias, homo nunc nascitur prout a Deo constitui poterat sine immortalitate, sine immunitate a concupiscentiæ lucta. En mens Tridentini dum definit: *Si quis non confitetur.... totum Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit* (sess. v, Decret. *de pecc. orig.*). Idest læsus fuit homo per lapsum tum in supernaturalibus tum in naturalibus gratuitis, non vero in naturalibus naturæ humanæ propriis. Hinc patet ignorantiam, concupiscentiam aliaque incommoda, quibus urgemur, non alio sensu vocari posse læsiones seu vulnera naturæ, quam habito respectu ad statum primævum protoparentum, minime vero absolute et in se.

(I) Pag. 50.

121. Dices: *Susceptio realis Sacramenti confert majores effectus, quam sola voluntas illud suscipiendi; ergo actus externus actui interno aliquid substantiale superaddit.*

R. Quod realis Sacramenti susceptio conferat majores effectus, quam sola illud suscipiendi voluntas, provenit ex privilegio Christi, qui vult ut externa Sacramenti susceptio valeat ex *opere operato;* non vero ratione majoris bonitatis in suscipiente. Attamen d. Thomas (2, d. 40, q. 1, a. 3) docet ex bono actu exteriori provenire aliquod præmium, non quidem essentiale, sed accidentale. Sic Martyres qui facto pro Christo passi sunt, habent præmium accidentale, seu quandam veluti *aureolam* super illos, qui martyrium quidem expotarunt, sed revera non potuerunt eodem coronari, licet æquali amoris fervore in Christo mortui sint. Quod quidem valet etiam de doctoribus et virginibus; laureola enim ex d. Thoma (*Suppl.* 96, a. 1) est: *præmium seu gaudium quoddam accidentale ob excellentem victoriam de hoste in hac vita reportatam.* Porro sicut triplex est hostis, mundus, caro et diabolus; ita triplex excellens victoria cui laureola tribuitur, *martyrum* qui mundum, *virginum* quæ carnem, *doctorum* qui diabolum vicere. — *V.* Ferraris; V. *Martyrium.* — Liguori, *Dissertazioni teologico-morali,* diss. IX, § 7.

Ad rem D'Avino, *Enciclopedia dell'Ecclesiastico;* V. *Aureola:* « La parola *aureola* viene da *laurus*, alloro. L'aureola è di tre sorta, e la differenza delle medesime viene misticamente significata nella para-

bola proposta da G. C. in s. Matteo al c. XIII, ed in s. Luca al c. VIII, nella quale si parla del frutto ricavato da chi seminò il grano nella buona terra, e che vien distinto in tre gradi, cioè *trigesimo*, *sessagesimo*, *centesimo*. Nel 1° viene significato il frutto e l'aureola delle *vergini;* nel 2° quella dei *dottori;* nel 3° quella de' *martiri;* e da ciò appunto dipende l'intelligenza di quella strofa nell'inno di s. Giovanni Battista:

» *Serta* terdenis *alios coronant* — *Aucta crementis* duplicata *quosdam*,
» Trina *te fructu cumulata* centum — *Nexibus ornant:*

strofa nella quale si vuole esprimere che quel gran Santo meritò l'aureola di *vergine*, perchè si conservò puro ed intatto; quella di *dottore*, perchè predicò la verità ed annunziò la venuta dell'aspettato Messia; quella di *martire*, perchè morì per la giustizia.

» Alcuni distinguono l'*aurea* dall'*aureola* come suo diminutivo, attribuita quella ai Martiri, e questa ai Dottori o predicatori; ond'è che al serafico P. s. Francesco, che fu martire di desiderio ed addottrinò migliaja di persone non men col suo esempio che colle sue fervorosissime, benchè semplici predicazioni, si attribuisce l'aurea e l'aureola cantandosi nell' inno del suo solenne Officio:

» Auream *victor meruit* — Aureolam *dum docuit.* »

(J) Pag. 52.

122. *Quænam* (quæres) *sunt conditiones, ut actiones nostræ bonæ sint et honestæ, non peccaminosæ?*

R. 1. Joannes Huss ad honestatem actionis necessarium esse docuit, ut ea fiat in statu gratiæ. Bajus ex eodem principio inferebat: *omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est; omnia opera infidelium sunt peccata.* Verum hæc doctrina proscripta fuit primum in Concilio Constantiensi sess. XXIV contra Huss, et deinde a summis Pontificibus in propositionibus Bajanis.

2. Jansenius contendebat, malam esse actionem omnem, quæ virtualiter saltem ad Deum non refertur ex motivo charitatis sive perfectæ, sive imperfectæ, hoc est quæ non refertur ad Deum perfecte dilectum. Hanc sententiam falsam et erroneam appellat Gonet; ex hac enim doctrina sequeretur, justificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis operatur, quod proscriptum fuit a Tridentino, sess. VI, can. 31. Item sequeretur, *attritionem, quæ ex gehennæ metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non esse bonum motum et supernaturalem*, quæ propositio proscripta fuit ab Alexandro VIII.

3. Non videtur necessarium ad honestatem actionis, ut eam explicite referamus ad Dei gloriam, sive ut agamus ex motivo honorandi Deum; neque ut intendamus expresse ultimum nostrum finem sive æternam felicitatem. Secus non liceret agere nisi ex motivo charitatis perfectæ.

4. Sufficit ergo ut velimus opus honestum qua tale cognitum, v. g. succurrere pauperi, honorare parentes, obedire mandatis et generatim opera virtutum exercere. Nam ex probatis nulla est obligatio dirigendi quamlibet actionem ad ultimum finem; et aliunde hæc opera per se honesta sunt; ergo in tali agendi modo nullum potest esse peccatum: hoc porro agere quisque facillime potest.

123. Ut autem opus sit non solum honestum, sed meritorium vitæ æternæ, insuper requiritur ut fiat in statu gratiæ et divinæ amicitiæ; et

accedat Dei acceptatio et promissio de compensatione vel retributione facienda. Ita communiter. — Utrum vero necessarium insuper sit ut opus per charitatem ad Deum referatur, communius negant, nam in Scripturis sæpe promittitur vita æterna operibus misericordiæ, observationi mandatorum: *beati misericordes; si vis ad vitam ingredi serva mandata* (Matth. XIX, XXIX). Et Tridentinum (sess. VI, cap. 16) proponens Apostoli verba, *abundate in omni opere bono scientes quod labor vester non est inanis in Domino* (I Cor. XV), deducit, nihil ipsis justificatis amplius deesse, quominus illis operibus, quæ in Deo sunt facta, censeantur vitam æternam promeruisse.

Sed quid de illo Apostoli: *Omnia ad gloriam Dei facite; omnia in nomine Domini Jesu Christi?*

R. Apostolus illis verbis vel solum dedit consilium ad perfectius agendum; vel melius dicendum est quod bona opera, quamvis nullo modo fiant ex motivo charitatis, eo ipso quod fiant ex fine honesto, censeantur per se referri ad gloriam Dei, et qui mandata servat vere glorificat Deum, faciendo quod est ei gratum; et agit in nomine Christi, hoc est ex motivo virtutis Christianæ seu a Christo præceptæ et commendatæ in Evangelio. — Liguori, *Op. Mor.*, l. V, *Tr. Præam.*, n. 44. — Tournely, *De Actibus humanis*, c. III.

Quidquid sit, optime se geret animarum pastor, si fideles hortetur, ut quolibet primo mane, ubi de lecto surrexerint, se et sua opera totius diei Deo offerant, et egregiam hanc praxim repetant, quum novum opus aggrediuntur, vel illa verba usurpando: *sanctificetur Nomen tuum*, vel nomen Jesu ex corde proferendo, vel quid simile peragendo quod divinæ charitatis ignem in eis accendet, et eorum opera fortunabit ac perficiet. — *V.* Talento, *Institutiones Theol. Moralis*, t. I.

Omnibus autem valde est commendandum, ut frequenter illam solatio et cælesti jucunditate plenissimam d. Ignatii a Lojola orationem secum in animo devote recitent: *Suscipe, Domine, universam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, tu mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis; nec aliud quidquam ultra posco.*

124. Quæres: *an voluntas nostra, ut bona sit debeat necessario in omnibus conformari voluntati divinæ?*

R. Observandum est, voluntatem humanam conformari divinæ dupliciter: aut in *volito materiali*, et est quando ipsa vult idem objectum seu eandem rem quam vult Deus; aut in *volito formali*, et est quando voluntas hominis vult sub eadem ratione qua vult Deus. Generatim omnes tenemur habere in omnibus voluntatem nostram divinæ conformem saltem negative: id est nunquam licet id quod vult Deus improbare, aut contra murmurare; Deus enim omnia disponit sapienter. Item certum est nos teneri voluntatem nostram conformare voluntati divinæ aliquid præcipienti vel prohibenti, in volito tum formali tum materiali; nam tenemur ea facere quæ Deus præcipit et ea omittere quæ prohibet. In illis autem quæ tantum sunt divini consilii, ut servandi virginitatem, etc., non tenemur voluntatem nostram conformare divinæ quasi ea debeamus implere, quia secus non essent amplius de simplici consilio; sed satis est quod illa habeamus uti valde bona et salutaria: quæ enim consulit Deus non possunt talia non esse. Quantum vero ad ea quæ Deus solummodo permittit, uti sunt peccata, sufficit quod illorum permissionem non reprehendamus; at non possumus peccata illa positive velle, quia non licet velle peccata.

Quoad cetera tenemur semper conformare voluntatem nostram vo-

luntati divinæ in *volito formali;* nam volitum formale divinæ voluntatis seu ejus motivum, scilicet ultima ratio volendi, est bonum commune et divinum, seu bonum commune totius Universi, prout ultimate ordinatur ad ipsum Deum et ejus gloriam; omnia quippe propter semetipsum fecit Dominus. Ut igitur voluntas humana sit recta, debet omnino quæ vult referre ad bonum commune et divinum tanquam ad ultimum finem. Neque ideo quis turbari debet, quia in suis operibus de hac conformitate ne cogitat quidem; nam appetendo bonum verum et honestum, virtualiter implicite bonum appetit divinum, a quo est omne bonum.

Non tamen tenemur conformare voluntatem nostram divinæ in *volito materiali;* neque hoc est repugnare voluntati Dei, quia repugnantia est sub ratione diversa. Sane contingit aliquid esse bonum secundum unam rationem particularem, quod non est bonum secundum rationem universalem: sic bonum est uxori velle suum maritum vivere; non tamen est bonum quod judex illum vivere velit, si sit latro vel aliter noxius reipublicæ. Ergo voluntas humana potest esse bona volens quippiam secundum bonam aliquam rationem particularem consideratum; quod tamen Deus non vult secundum rationem universalem ac boni communis: sic filius vult patrem vivere ratione pietatis ac boni suæ familiæ: Deus vero vult illum mori alia ratione, v. g. ob peccata vel quia id postulat naturæ cursus. Unde Augustinus: *aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult; tanquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori* (Ench., c. CI). Hinc etiam concluditur, licitum esse tristari de morte carorum, quod ipse permittit Sapiens inquiens: *super mortuum plora, deficit enim lux ejus* (Eccl. XXII); et Christus ipse lacrymatus est in morte Lazari amici sui (Jo. XI). Non enim tristamur secundum eam rationem, secundum quam scimus esse volitam a Deo; sed secundum aliam. Sicut ille qui vult patrem vivere propter affectum pietatis, quem Deus vult mori, si justus sit hanc suam voluntatem divinæ supponit, ita ut non impatienter ferat, si Dei voluntas contraria impleatur. Huc facit illud Augustini: *quod placuit Domino bono, non displiceat servo; quod placuit medico, non displiceat ægroto* (L. I de Sym. ad catec., c. III). Est doctrina Angelici (1, 2, 9, 19); vide Billuart, Sylvius, etc. — Angelini, *Il Pianto dei giusti nella perdita dei loro cari.* Malta, 1860. — Sarasa, *Ars semper gaudendi ex principiis divinæ Providentiæ et rectæ conscientiæ deducta.*

125. Nostrum esse debet ad hanc conformitatem fideles hortari, utpote conjunctam cum perfectione et animi tranquillitate. Ad quam quidem assequendam hæc mire inserviunt: 1) nempe operari diligenter quantum in se est; sed eventum relinquere divinæ Providentiæ, sese illi ex animo committendo; 2) de alienis curiosus non inquirere; 3) sorte sua contente vivere, meliora inquiete non expectando, nec beatiori invidendo. — *V.* Theodoretus, *De divina Providentia*, sermones. — *Della divina Provvidenza*, ecc. Milano, 1868. — Liguori, *La Monaca santa:* Conformità alla volontà di Dio. — Boudrand, *L'Anima elevata a Dio*, t. II, lez. 28. — Perazzo, *Thomisticus ecclesiastes.* V. *Conformitas.* — Opusc. *Del buon Uso dei mali della vita* (Collez. de' buoni libri. Torino). — Item Scaramelli, Quadrupani, Scupoli, Sales, etc.

Pius VII Decr. 19 maji 1818 concessit indulgentiam centum dierum semel in die etiam defunctis applicabilem iis qui corde contrito ac devote recitaverint hanc jaculatoriam: *Sia fatta, lodata ed in eterno esaltata la giustissima, altissima ed amabilissima volontà di Dio in tutte le cose.*

(K) Pag. 54.

126. Q. 1. *An conscientia possit tuto appellari judicium practicum?*
R. Injuriam Theologis generatim atque Philosophis ipsis ii faciunt, qui contendunt absque errore non posse conscientiam appellari *judicium practicum*, sed eam dicendam esse *judicium speculativum semper præcedens judicium practicum.* Plato, Aristoteles, Laertius et omnes Græcorum Scholæ scientias partiebantur in *speculativas* et *practicas;* et *practica* vocabant judicia illa quæ versarentur circa actiones humanas: horum exemplum secuti sunt Itali tum Philosophi tum Theologi et Literati omnes.

Sed *scientia* (dices) pertinet ad ordinem idearum; *praxis* vere ad facta realia. — Futilis difficultas et puerilis! Nam *scientia speculativa* dici utique poterit pertinere ad ideas et earum ordinem; sed *scientia practica* semper dicenda erit pertinere ad facta realia, saltem in sensu communi, quo nempe *scientiæ practicæ* vocabulum fuit hactenus in Scholis omnibus usurpatum.

127. Q. 2. *An conscientia distinguatur a sensu intimo?*
R. Licet conscientia lato sensu dici possit *sensus intimus*, quatenus per eam anima fit conscia præsentis suæ affectionis, v. g. doloris aut gaudii; proprie tamen et stricte loquendo conscientia maxime differt a sensu intimo, ideoque caute est præcavendum, ne simul duo hæc confundantur. Etenim sensus intimus est illa perceptio, qua mens de præsenti suo statu admonetur, quin tamen intercedat ullum judicium *practicum* de licitate vel illicitate actionis, id est quin ulla intercedat comparatio inter actionem quæ ponitur, et legem moralem, ut judicari possit, an actio illa bona sit, an mala. Cum ex adverso conscientia proprie accepta sit actus ille, quo intellectus noster judicium exercet circa moralitatem actionis quæ ponitur, quodam veluti syllogismo innixus, cujus *major* propositio est lex; *minor* est opus, quod ponitur; *conclusio* est sententia, quæ affirmat opus illud licere, vel non. Sic v. g. adolescens qui disciplinam aspernatur, facile sibi se peccare probabit, si dicat: *disciplinam aspernari peccatum est, cum scriptum sit:* filii, diligite disciplinam et nolite abjicere eam; *atqui talem actum ponendo disciplinam aspernor, quia ipse disciplinæ adversatur; ergo eum ponendo pecco.*

128. Q. 3. *An detur humanus actus sine conscientia?*
R. Nullus datur actus humanus sine conscientia. Ad rem ait clarissimus Audisio, *Introduzione agli studi Ecclesiastici*, l. III, c. 7: « Le scuole avendo sin qui concordemente insegnato, a ciò che l'uomo dicasi operare umanamente e moralmente, essere indispensabile l'intervento della coscienza nell'individuo operante, ossia la consapevolezza morale di quel che si fa; pare quindi uno scostarsi dal parlare teologico: 1) il dire umana una qualche azione posta senza il precedente giudizio della coscienza; 2) il riconoscere una moralità delle azioni, generata senza l'intervento e l'opera della stessa coscienza; 3) l'ammettere due specie di moralità, una *deliberata* e l'altra *indeliberata.* Sarebbe anche troppo arduo a concepire come l'uomo possa essere principio libero e signor delle sue azioni, senza averne coscienza e consapevolezza.

» I maestri di Teologia, formulando il senso comune dell'umanità, per coscienza intendono quel *dettame dell' intelletto che pronuncia sulla bontà o reità dell'azione in particolare.* Il qual dettame proclama alla natura ragionevole la volontà divina: epperò, se la volontà ossia la

legge divina è la regola rimota delle azioni umane, la coscienza ne è la prossima, cioè l'applicazione. Onde lucidamente e nervosamente dice il Dettori: *Illa itaque* (lex) *quædam veluti norma ac libella, hæc* (conscientia) *normæ libellæque applicatio; illa index, hæc præco.* Questo banditore o monitore divino, che è la coscienza, non solo è mandato ai sapienti e alle culte e incivilite nazioni, ma a tutti gl'individui dell'umanità che sono giunti all'uso della ragione: perchè la ragione è partecipazione della legge eterna fatta all'individuo, affinchè la applichi incontanente quand'egli ha conseguito una capacità morale, e con essa misuri e componga le sue azioni. Rettamente il Billuart comincia il Trattato della coscienza: *Omnes docti et indocti, conscientiam clamant.* »

129. Q. 4. *An plus obliget conscientia præcepto superioris?*

R. Plus obligat conscientia, quam superioris præceptum. *Conscientia*, ait Angelicus, *non ligat, nisi vi præcepti divini...; comparare igitur ligamen conscientiæ ad ligamen, quod est ex præcepto prælati, non est aliud quam comparare ligamen præcepti divini ad ligamen præcepti prælati. Unde cum præceptum divinum obliget contra præceptum prælati, et magis obliget quam præceptum prælati, conscientiæ ligamen erit majus, quam ligamen præcepti prælati* (Q. XVII *de verit.*, a. 5). Hinc in Scriptura dicitur: *obedire oportet Deo, magis quam hominibus* (Act. V). Et d. Petrus ad Judæorum principes, iniqua eidem præcipientes, ajebat: *si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate* (Act. IV).

130. Ex conscientiæ vi et obligatione deducitur, quantum deploranda *illa conscientiæ libertas*, quam ætate nostra tantopere jactitant: quamtumque deceat Moralistas omnes icto fœdere hanc pestem fidei exitiosam strenue aggredi, obtemperando exhortationibus et mandatis Pii Papæ IX, qui suis in Literis eam insectatur, et maxime Encyc. VIII dic. 1864, *Quanta Cura*, quam videre est Lib. IV, ad Append.

Ad rem auctor laudati Operis, *Saggio intorno al Socialismo e alle dottrine e tendenze socialistiche* (par. III, c. 8): « Si dice volersi libertà di coscienza: chi può negare alla coscienza d'essere libera di fatto, e d'essere la regola prossima delle azioni dell'individuo? Ma se è *coscienza*, cioè la scienza intima dell'uomo che sa ciò che si fa nell'operare moralmente, è necessario che ella consideri l'atto morale e ne giudichi, e conosca nelle sue relazioni colla legge, senza di cui l'atto morale non sarebbe più morale; la coscienza non può essere libera se non di scegliere fra il bene ed il male, o fra beni di diversa natura; una coscienza informe è quasi coscienza nulla. Per lo che è necessario che ella, che è la regola prossima dell'uomo, abbia una regola rimota per l'uomo, ma prossima per lei, che le somministri gli elementi ed il criterio dei suoi giudizi, la qual regola è la legge di cui ella non sia legislatrice a sè stessa. Quando pertanto si dice *coscienza libera*, che cosa vuol dire? Forse coscienza irresponsale, eslege? Non è più coscienza. Forse coscienza che si fa legge da sè? Non è questa più legge. Spesso sotto quell'equivoco si intende solo libertà dalle leggi positive dei poteri umani e dalla legge cristiana in quanto ha del positivo; ma poichè queste leggi ed autorità s'incarnano nel diritto naturale, e la obbedienza a queste finisce per essere una forma d'obbedienza a Dio, si ritorna a negar la coscienza stessa col volerla far libera. È adunque più che equivoca la espressione. Così si suol dire che *gli uomini devono essere uguali in faccia alla legge*, specialmente alla civile; si capirebbe se si dicesse che le *leggi devono essere uguali per tutti* (il che però è un errore. Dove non c'è uguaglianza naturale, nè vi è nè fu, nè sarà mai legislazione che non

tenga conto di tali differenze); ma dire che gli uomini sono eguali in faccia la legge, in faccia a Dio, ecc., sono parole che non hanno senso alcuno preciso, e inducono facilmente ad errore nell'applicazione. Si potrebbe fare una collezione numerosa di detti assiomatici siffatti, che in sostanza sono enimmi o spropositi, e nondimeno compongono il più ricco capitale dei pensatori odierni. — V. *Civiltà cattolica*, ser. 3ª, t. VII: Un campione della libertà di coscienza. — Balmes, *Il Protestantismo comparato al Cattolicismo.*

131. Res tota mire etiam explanatur in Opuscolo, *Monsignor vescovo Caccia ed una Commissione di sacerdoti milanesi, Osservazioni* del sacerdote Felice Vittadini, ecc., Milano 1861: « No, quando il non eseguire è disubbedire, allora non v'ha libertà di coscienza, nè di volontà e di azione (intendiamo la *morale* libertà), per la semplicissima ragione, che *la libertà di disobbedire* non vi fu mai, non v'è, non vi sarà mai, finchè l'ordine sarà ordine, finchè Dio, autore dell'ordine naturale e umano, lo vorrà osservato; finchè Dio avrà l'autorità di volerlo. Se voi in questo caso pretendeste mai di *aver la libertà di coscienza*, voi pretendereste la libertà di essere suddito e nel tempo stesso di essere disubbidiente, cioè pretendereste la libertà della contraddizione e dell'assurdo. Negate finchè volete, voi negherete sempre l'evidenza. Non ostante tutto questo, voi avete ancora una libertà, non di coscienza che è assurda in presenza della legge; ma *di volontà e di azione;* sì ed anche allora che i superiori ecclesiastici minacciano pene canoniche a' trasgressori delle leggi; voglio dire, che ad onta delle loro leggi e sanzioni, voi potete ancora disubbidire. Il che viene a dire che dinanzi ai superiori ecclesiastici e civili, con vostra buona pace, voi non avete la libertà di disubbidire; pure non siete violentati da forze esterne ad ubbidire; o, come dicono, non avete quella libertà che si dice *morale;* ben avete quella che si dice *fisica* o *assoluta.* Ed ecco la ragione per cui, secondo s. Tommaso, si dice nell'Ecclesiastico che « Dio dapprincipio creò l'uomo e lasciollo in potere » de' suoi consigli (c. XV): » *Dio*, dice il s. Dottore, *lasciò l'uomo in potere de' suoi consigli, non perchè* (notate bene) *sia lecito a lui il fare quello che vuole; ma perchè a fare quello che far si dee, non è costretto da necessità di natura, come le creature irragionevoli; sì da libera elezione procedente dal proprio consiglio* (2, 2, q. 104, a. 1 ad 1). »

(L) Pag. 56.

132. Qui sequitur conscientiam invincibiliter errantem an acquirat sibi meritum, non concordant in unum auctores; tres enim habemus sententias principales. *Prima* docet nullum meritum oriri ex actione illa utpote in se ipsa mala; neque enim error etiam invincibilis in agente valet mutare naturam rei. *Secunda* vero tenet ex tali actione utique meritum oriri, cum ea sit bona operanti, qui, quantum in se est, agit juxta morum regulas. *Tertia* autem, in quam consentimus, docet operantem mereri, non quidem ratione objecti, quod est malum; sed ratione finis, qui est bonus. Nempe qui hac ignorantia laborat, duo efformat quasi judicia: unum generale quo vult bonum; alterum particulare, quo scilicet ponit hoc medium ad bonum illud obtinendum. Primum porro judicium est meritorium, non vero secundum. Sic in eo qui invincibiliter credit sibi esse mentiendum ad salvandam vitam proximi, duo habentur judicia: unum universale et antecedens, quo vult salvare vitam proximi, et hoc bonum est et meri-

torium, cum procedat a charitate et verum sit: alterum particulare, determinatum et subsequens, quo putat sibi esse mentiendum ad proximum salvandum, et hoc in se meritorium non est, cum in se malum sit, quamvis excusetur per ignorantiam invincibilem. Hinc subditus, qui ex recta intentione prælato suo obtemperat, meritorie operatur ex d. Bernardo, quamvis materialiter erret contra legem: *nec plane*, ait, *condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas* (De Præc. c. XII). In hanc sententiam consentit Angelicus: *actus*, inquit, *humanus judicatur virtuosus vel vitiosus secundum bonum apprehensum, in quod per se voluntas fertur; et non secundum materiale objectum actus* (Quod l. III, a. 27).

Quæ autem opponuntur testimonia, intelligenda sunt de bono absoluto et si mpliciter sumpto; non de bono respective et per accidens, prout a conscientia invincibiliter apprehensum est. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. I, n. 6. — Alasia, *De Actibus humanis.*

(M) Pag. 61.

133. Dices: *principium reflexum non potest facere plusquam principium directum; atqui in hypothesi principium directum non parit certitudinem moralem; ergo neque reflexum.*

Distinguo majorem: principium reflexum non potest facere plusquam principium directum, si sermo sit de veritate opinionis, *concedo;* si sermo sit de ejusdem usu, *nego.* Oportet nempe attente distinguere veritatem opinionis ab usu ejusdem; aliud enim est quærere, utrum hæc opinio vera sit objective, an non: et aliud est quærere, utrum liceat hac opinione uti in praxi, licet sit dubia. Jam vero quando disputatur de ipsa opinionis veritate, certe apparet, non posse majorem effectum producere principium reflexum, quam principium directum. Sed res ita non est, quando disputatur de opinionis ejusdem usu; tunc enim potest contingere, ut principium directum opinionem relinquat in statu dubii quoad veritatem objectivam, id est in se, et principium reflexum eam constituat in statu certitudinis quoad honestatem subjectivam, id est in subjecto agente. Uti patet in milite, qui speculative dubius est de justitia belli quod gerit; sed practice concludit sibi fas esse nihilominus pugnare in bello ipso, innixus videlicet illo principio utique reflexo: *in dubio possidet præceptum superioris: ideo illi obediendum est.*

Sed (inquies) *ex hoc sequeretur absurdum, quod nempe de eodem objecto haberi posset dubium simul et certitudo.*

Nego sequelam: dubium enim et certitudo in hoc casu non sunt de eodem objecto. Videlicet dubium respicit *veritatem* opinionis in se; certitudo respicit *honestatem* actionis in illo, qui tali utitur opinione. Sic nonne posset miles esse dubius, an bellum sit injustum, et simul esse certus moraliter, quod licitum sibi sit illud inire ex principio reflexo jam declarato, quod constituit certitudinem honestatis moralis?

(N) Pag. 65.

134. Clarius patebit doctrina de *principiis reflexis*, si ad praxim reducatur exemplis:

1. Titius v. g. incolit domum, et ideo præsumitur habere jus in illam, et eam possidere; sed quid? insurgit Sempronius, qui ipsum vult exturbare. Cujusnam erit onus probandi? profecto Sempronii, et

sufficit Titio, si dicat se fuisse atque adhuc esse dominum domus illius: etenim est in possessione.

2. Dubitatur v. g. an lex condita sit, necne? ex primo principio, cum *lex dubia nequeat parere obligationem certam*, clare deducitur nos non teneri legem illam implere. — Si vero dubitetur, an lex jam certe condita et promulgata, fuerit abrogata, necne? tunc tenebimur legem implere; quia tunc lex possidet ex altero principio: *in dubio melior est conditio possidentis.*

3. Dubitatur v. g. an lex sit justa, an injusta? lex ista vim suam habet ob quartum principium, quod nempe *in dubio præsumatur factum quod de jure faciendum erat;* legislator enim de jure tenebatur condere legem justam: tenendum ergo legislatorem egisse quod ab eo de jure agendum erat.

4. Dubitatur v. g. an ad jejunium teneatur adolescens, de quo incertum est, an expleverit annum ætatis suæ 21? item dubitatur de sene, an pervenerit ad annum 60, quo completo in multorum sententia a jejunii lege liberatur? Ex allatis principiis patet responsio, nempe adolescentem non teneri ad jejunium, quia tunc possidet ejusdem libertas; ex adverso teneri senem, quia possidet præceptum jejunii. — Idem dicendum v. g. de eo, qui est in sabbato, et dubitat utrum pervenerit hora mediæ noctis an non? iste non potest manducare carnem, quia adhuc possidet præceptum abstinentiæ. E contrario autem si quis de hora mediæ noctis serio dubitet in feria quinta, tunc poterit carnem manducare, quia adhuc possidet ipsius libertas. Alia exempla vide apud s. Alphonsum, *Opus Mor.*, l. II, nn. 27 et 95; et l. I, n. 32.

135. *Sed* (dices) *principia, ex quibus regula desumitur circa honestatem actionis, debent esse moraliter certa, ut certa conclusio deducatur; atqui talia non sunt dicta principia, cum plures ea negent.*

R. Dicta principia certa sunt in se et ab omnibus admittuntur, ac leguntur passim in utroque jure civili et ecclesiastico; discrepantia est tantum in illorum applicatione: porro nos, utpote generalia, ea ad omnia applicare merito non dubitamus. Neque ullam sufficientem causam adducere possunt adversarii, cur ea ad particularia velint restringere, ut patet discurrendo de singulis: quod satis est ut tuti esse possimus. Neque enim in contingentibus certitudo physica requiritur, sed sufficit moralis; alioquin rigorismus induceretur. — Adde neque probabilioristarum principia inconcussa in se esse et ex omni parte; quantumcumque enim certi simus nos bene agere, tamen evenire potest, ut in se, re cognita, aliter sit agendum; nam res subjective certa potest esse, objective falsa. Sic si tu dubitas, an voveris Deo aliquid, puta calicem, in sententia probabilioristarum teneris de voto: sed quid si jam redito voto, certo cognoscas te revera non vovisse? nonne laborasses falso supposito? nonne reddidisses quod non debueras? Unde patet nulla esse reflexa principia, quæ radicitus quæstionem solvant in se; attamen liberant a formali peccato, quatenus nempe tum probabilistæ tum probabilioristæ illorum principiorum usu efformant practicum judicium de honestate actionis.

(O) Pag. 67.

136. Verba: *qui probabiliter agit, prudenter agit* et vera et falsa esse possunt, nempe sub diverso respectu.

1. *Vera*, si accipiantur hoc sensu, quatenus probabilitas in causa est, ut per discursum ad aliquod principium deveniamus certum ac fir-

mum. Unde qui ad nauseam usque nobis opponunt hoc effatum, et magno eloquio ejus impromptitudinem adstruunt, aerem verberant. Item notandum, quod aliquando Theologi moralistæ (et ipse Angelicus) brevitatis gratia sententiam quam amplectuntur, probabilem simpliciter appellant: quod quidem non est velle agere cum formidine; illud enim *probabile* (si alia ratione non destruatur) in eorum sententia dicit certitudinem, per illum nempe discursum, quem subintelligunt, ut supra innuimus. Hoc autem et in præsenti Opere nostro notetur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 58 et 80.

2. *Falsa*, si ideo tantum actio ponatur, quia est probabilis ejus honestas; nam ad agendum requiritur moralis certitudo. Et en quomodo Alphonsus Noster respondet iis, qui ipsum de puro probabilismo incusant (Apol. v, nn. 1, 3, 4): *taluni mi tacciano dicendo che io sono un probabilista... io non sono nè un probabilista nè equiprobabilista in modo* (notentur verba) *che io dica essere per sè lecito il seguire l'opinione equiprobabile: dico non però... quando vi sono due opinioni egualmente probabili, benchè l'opinione meno* tuta *per sè non possa seguirsi, mentre (siccome ho detto) la sola probabilità non dà fondamento bastante a lecitamente operare; nulladimeno quando l'opinione, che sta per la libertà, è di egual peso di ragioni, che l'opposta che sta per la legge (ho detto di egual peso, perchè quando fosse meno probabile, già si è detto di sopra, che allora dee seguirsi l'opinione che sta per la legge, la quale benchè in qualche modo anche sia dubbia, il dubbio nondimeno è largo) allora entra il dubbio stretto e rigoroso, che fa sospendere affatto il giudizio della mente, se la legge vi sia, o non vi sia, onde s'ignora allora l'esistenza della legge che proibisca l'azione. E perciò in tal caso la legge non si può dire sufficientemente promulgata; allora solo è sufficientemente promulgato il dubbio, se vi è o non vi è la legge: ma non è promulgata la legge; e pertanto non essendo allora promulgata la legge, non può ella indurre obbligo certo di osservarla.*

137. Dices 1: *Ab uso opinionis probabilis ortæ sunt tot sententiæ in Theologia morali valde laxæ et moribus noxiæ. Tot etiam prodierunt propositiones condemnatæ. Ergo talis usus est proscribendus.*

R. Ad 1: Falsum est ab usu opinionis vere graviterque probabilis ortum habuisse sententias laxas, opinio enim vere et graviter probabilis innititur vero et gravi fundamento, etsi possit esse falsa: sententia autem laxa omni vero et gravi fundamento caret; ergo hanc ab illa, uti effectum a causa, derivare repugnat. Morum autem corruptela oritur quidem ab usu sententiæ laxæ, hoc ipso quia caret vero et gravi fundamento; non vero ab usu opinionis vere et graviter probabilis, ob rationem contrariam *(V.* Bergier, *Dizionario;* V. *Probabilismo).*

R. Ad 2: Falsum pariter et consequenter est, ab usu dictæ opinionis ortas esse propositiones condemnatas. Istæ originem habuere vel a mentium humanarum imbecillitate, vel a nimia ingeniorum quorundam audacia atque effrenata licentia: quæ duo locum habere possunt tam in iis, qui tenent opiniones probabiles, quam in iis, qui eas despiciunt. Sane si Pontifices existimassent usum illius opinionis esse fontem tot malorum, quomodo fieri potuit, ut de rivulis obtruncandis curam haberent, fontem autem nunquam extinguere voluerint: quod uno decretorio judicio tam facile potuissent efficere?

138. Dices 2: *Usus opinionis vere graviterque probabilis in rebus moralibus est novus, et majoribus nostris inauditus; ergo amandandus.*

R. Sunt utique nonnulli, qui id clamitant. Sed falsum est: nam Petrus Antonius Terillus scriptor Anglus in suo celebrato Opere *De Probabilitate* clare demonstrat, tam sanctos Patres quam Scholasticos an-

tiquos omnes vel fere omnes fuisse pro usu opinionis probabilis in rebus moralibus; et sententiam contrariam non fuisse auditam in Scholis, nisi ætate Cornelii Jansenii et sectatorum ejus. Sane si usus sententiæ cujuscumque probabilis fuisset prorsus novus non quoad terminos tantum sed etiam quoad substantiam, quomodo tam subita mutatio posset explicari? Quidquid igitur nonnulli dicant, semper verum erit, quod hac de re nobis tradit celeberrimus Segneri, veteres nempe nostros eam semper tenuisse regulam in agendo, ut: 1) legi firmiter adhærerent, quin amplius daretur vel minimus disputationi locus, quando habebatur tanquam certa; 2) quando lex habebatur tanquam dubia, dubietatem deponere conarentur consulendo Doctores, si aderant; vel rem in natura sua per se ipsos perpendendo, si non aderant; 3) quando opiniones Doctorum hinc inde bene perpensæ, æqualibus rationum momentis adhuc inter se differrent, tunc unicuique fas esset amplecti illam, quæ sibi magis placeret, deposita omni peccandi formidine.

139. Si attente consulatur historia Theologiæ catholicæ, clare patebit tam inexorabilem et tam immitem quorundam rabiem contra usum cujuscumque opinionis probabilis in rebus moralibus, tunc solum exortam esse, cum primum in Ecclesia audita est scandalosa illa, et tanquam hæretica damnata Jansenii propositio: *aliqua Dei præcepta sunt impossibilia; deest quoque gratia, qua possibilia fiant.* Videlicet quia usus opinionis graviter probabilis facilem ac securam adaperiebat viam ad præcepta adimplenda, quia possibilia fiebant quammaxime; ideo a talibus contra hujusmodi usum acriter insurgendum fuisse nemo non videt.

Id probatur etiam ex eo, quod ipsi contrariæ sententiæ patroni fateantur, statim ac pater Medina expressis verbis tradidit usum sententiæ probabilis, eam opinionem cito fuisse communissime amplexatam non solum a Scholasticis privatis, sed etiam ab ipsis celebrioribus studiorum Universitatibus ferme omnibus, ab innumeris Religiosis Institutis, a gravissimis doctissimisque Episcopis atque Prælatis; imo a quibusdam etiam summis Pontificibus in aliquibus casibus, in quibus sic jubere videretur prudentia et charitas; eorumque resolutiones jugis norma ac regula fuerunt. Ut videre est *Cap.* Ex conquestione x *de restitut. spol.* l. II, *Decret.* — It. *Cap.* Literas tuas XIII, eod. tit. — It. *Cap.* Inquisitioni tuæ LXIV *de sent. excomm.* lib. v, *Decret.* Ubi non quod tutius, sed quod in se vere probabile secuti sunt RR. Pontifices.

(P) Pag. 68.

140. Q. 1. *Quid de auctoritate Theologorum in re morali?*

R. Ex his quæ fusius tradit Melchior Canus, sufficiat tria adnotare:

1. Constantem et unanimem Theologorum sententiam, quæ docet aliquid esse licitum, tantæ auctoritatis existimari debere, ut appropinquaret ad hæresim qui vellet ab ea discedere. Cum enim sive qui conciones habent, sive qui confessionem audiunt, sive qui consilium dant, tradant quod universim tenent Theologi, si isti errarent, ipsa Ecclesia erraret, communem errorem dissimulando.

2. Testimonium multorum, si alii docti contra sentiant, non pluris esse faciendum, quam vel ratio ipsorum vel gravior etiam auctoritas persuaserit; cum eo in casu numerus numero compensetur, pondere est judicandum. Inter ipsos autem auctores ii sunt præferendi qui ex professo rem pertractarunt: censentur enim rationes diligentius perpendisse. Item ii qui doctrinam quam tradunt experientia probarunt;

experientia optima rerum magistra est. Demum ii qui omni passione posthabita, sed solius veritatis amore scripserunt, ut sunt Sancti.

3. Rejiciendam esse uti irrationabilem illam quorundam opinionem, qua summo quidem obsequio prosequi se profitentur Theologos et Casistas veteres, sed recentiores floccifaciunt; non minus enim recentiores, quam veteres, ingenio, diligentia, studio, eruditione et pietatis laude scimus excelluisse quamplurimos; nec minus in Scripturis sanctis, in Patrum Operibus, in Pontificum oraculis, in Conciliorum definitionibus elaborasse. Imo recentiores maxime evolvendi sunt, qui post priorum studia in Domo Domini laborarunt, utpote qui soli referre possunt decisiones noviter datas (*De Locis theol.* l. VIII, c. 1).

111. Q. 2. *An auctor unus et solus sufficiat, ut aliqua opinio dicatur vere et satis graviter probabilis probabilitate extrinseca?*

R. Vel agitur de auctore cujuscumque notæ; vel agitur de auctore gravi, magni in Ecclesia nominis, et omni exceptione majori, uti essent v. g. s. Thomas, s. Bonaventura, s. Antoninus, etc.

Si 1, non sufficit auctor ille, ut ejus opinio habeat gravem probabilitatem extrinsecam; cum ab Alexandro VII damnata sit hæc sub n. 27 propositio: *si liber sit alicujus junioris et moderni* (quæ verba utpote generalia ex Viva intelligi debent de auctore quocumque, etiam humilis notæ), *debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Sane cum nulla fere sit laxa sententia, quam auctor aliquis non tradiderit, jam eam sequi liceret, generali illa propositione semel admissa.

Si 2, modo nihil sit contra Scripturam vel communem Ecclesiæ sensum, recte possumus sequi Doctoris illius opinionem, sic dicente Angelico: *aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo, quod sibi secundum suam rationem videtur.* Sane si ego, v. g. teneo sententiam d. Thomæ, etiam contra aliquod argumentum, quod mihi videatur probabilius, quis neget me prudenter agere, cum, mea opinione posthabita, tantæ auctoritati me defero?

Attamen regula generalis est ut non unus, sed plures auctores graves volvantur; et quoad hoc recolatur cathalogus in fine hujusce tractatus. Pro praxi notamus: 1) illa opinio est viro docto certe probabilis, quam ipse scit se diligenter excussisse, et persuasum habet, se illam absque inordinato affectu ob rationes graves, ut veram tueri; — 2) mediocriter doctus judicare potest de extrinseca opinionis probabilitate, si statum quæstionis rite intelligens, hanc inveniat assertam ab auctoribus hujus temporis omni exceptione majoribus, id est inter Theologos omnino probatos; 3) rudis audiens a viro, quem existimat probum, prudentem et doctum, opinionem aliquam esse certo probabilem, potest eam ut talem habere; non enim per se illam expendere valet. Hinc Augustinus: *bonorum auctoritas imperitæ multitudini salubrior, ratio vero aptior eruditis* (De Ord., l. II, c. 3). — Gury.

Nota: Cum doctrina nostra firmemus d. Thomæ auctoritate, de tanto Doctore erit Libro IV ad Append.

112. Ceterum hoc evenit in disciplina nostra, quod in *dogmatica* et *canonica*, ut nempe præ ceteris nonnulli emineant in aliqua illarum tractationum parte, adeo ut in illa communi Doctorum sensu ipsi magni habeantur.

Sic quoad Dogmaticam principes sunt inter Patres s. Augustinus in materia *gratiæ* et *prædestinationis;* ss. Hilarius et Athanasius in mysterio Trinitatis; s. Leo M. in mysterio *Incarnationis;* etc. — Inter Theologos vero de *Trinitate*, Vitassius; de *Gratia*, Tournely; de *Incarnatione*, Le-Grand; de *Homine*, Billuart; de *Novissimis*, Dens; —

De *B. V. Maria* generatim, Mazzola. — De M. Virginis *Conceptione* immaculata, Perrone, Cerri, Gual, Gousset et Ballerini.

In re Canonica ceteros antecellunt de *Beneficiis*, Garcias; de *Episcopis*, de *Parochis*, Bouix et Barbosa; de *Visitatione Sacrorum Liminum*, Lucidi; de *Canonicis*, Scarfantonius. itemque Bouix; de *Legatis*, Montazo et De-Luca; de *Reservationibus*, Rigantius; de *Dispensationibus*, Pirrus Corradus, Rosa, De-Justis et Giovine; de *Ordinibus*, Hallier. Qui autem auctores hac de re in Curia Romana inter ceteros magni habentur, sunt ex *Italis* Monacelli, Petra, De-Luca, Ferraris, Rigantius, Devoti, etc.; ex *Hispanis* Gonzales, Barbosa, Suarez, Sanchez; ex *Germanis* Piring, Engel, Reiffenstuel, Schalzgrueber, Zallinger, Laurenius, etc. — V. Aichner, *Compendium Juris ecclesiastici*, et nostrum *Novum Manuale Compend. Juris canonici;* append. *De juris canonici scriptoribus.*

Ita in disciplina nostra prædicantur: *De Actibus*, Alasia et Billuart; *de Conscientia*, Manhart; *de Præceptis*, Natalis Alexander et Mayol; *de Sacramentis*, Chardon, Drouen, Billuart; *de Ritibus*, Quarti, Assemanus et Lauguet; *de Baptismo*, Tournely; *de Confirmatione*, Vitassius; *de Pœnitentia*, Lugo, Salmanticenses; *de Extrema Unctione*, Sainte-Beuve; *de Ordine*, Perrone, Hallier; *de Censuris*, Bonacina; *de Obligationibus*, Continuator Tournely; *de Justitia et Jure*, Lugo, Molina, Carrière et Lessius; *de Legibus*, Suarez et Alasia; *de Matrimonio*, Sanchez, et hodie maxime Carrière, Perrone; *de Casibus reservatis*, Pauwels et Bertagna; *de Simonia*, Suarez; etc. — Huc facit opus plurimis tomis distributum: *Theologiæ Cursus completus ex tractatibus omnium perfectissimis ubique habitis, et a magna parte Episcoporum, necnon Theologorum Europæ catholicæ universim ad hoc interrogatorum designatis unice conflatus*, etc. Parisiis, Migne, 1835. — It. *Thesaurus theologicus*. Venetiis, 1762. — It. *Thesaurus Patrum:* Introductio ad Ss. Patrum lectionem, auctore Caillau, vol. I: ubi notantur qui Patres præ ceteris consulendi in *Scripturæ* explanatione, in *morum* doctrina, in *fidei* dogmatibus, etc. — It. Opusc. *De optima legendorum Patrum Methodo*, auctore Natali Argonensi.

113. *Sed* (dices) *argumentum pessimi turba est*, ex Seneca.

Respondeo: *utilissimum est*, ex d. Augustino *(maxime multitudini) excellentissimæ auctoritati credere, et secundum hoc agere.* Videlicet turba quidem populi indocti certe non prodest ad mores honestandos, sed prodest profecto auctoritas Doctorum gravium ac piorum. Ipsa ratio clamat, ubi veritas certa non apparet, pro illa parte esse præsumendum, pro qua stat major numerus sapientum. Accedit: si auctoritas hæc esset contra fidem vel bonos mores, Ecclesia neque tolleraret neque sileret: *quæ sunt* (ait Augustinus) *contra fidem aut bonam vitam, Ecclesia nec approbat, nec tacet, nec facit* (Epist. CXIX).

Non negamus tot aliquando surgere male sentientes vel ex ipsis qui scientia et auctoritate pollent, ita ut in errorem inducantur (si fieri posset) etiam electi. At Dei opitulante gratia, nos (etsi totus mundus arianus videatur) firmiter perseveremus in fide Christi, in obedientia Petri; non est multitudo contra Dominum et Christum ejus; sed quod Romana Sedes iniquum, injustum, sacrilegum definit, iniquum, injustum, sacrilegum est: nec hominum turba, nec doctorum cavillationes prævalere poterunt adversus eam, quæ est columna veritatis et morum magistra. « L'esempio della moltitudine è sempre stato di una gran tentazione a quelli che non sono ben saldi nella fede e nella legge. S. Tommaso di Cantuaria non era anch'egli caduto nella rete del gabinetto, se il suo Crocifero non lo avvisava? Gli avean fatto

promettere che rispetterebbe le consuetudini del re sulle persone ecclesiastiche; il Santo lo aveva promesso, *ma salvi i suoi diritti.* Bastò questa clausola per mettere in tumulto tutta la collera di Enrico. Tommaso fu preso di mira da molti vescovi ed abbati, i quali andarono a pregarlo che per lo scandalo *di una parola* non volesse mettere tutta la Chiesa in pericolo: e un di loro disse che anche Papa Alessandro voleva in questo compiacere il principe. Insomma Tommaso promise al re di mutare quella clausola. — Di lì a poco in un' altra adunanza si fece nuova istanza a Tommaso di stare alla promessa. Egli vi ripugnava; ma il vescovo Saresberiense e il Norvicense insieme col prevosto dei Templari gliene dissero tante contro la sua ostinazione *per una parola*, gli esagerarono tanto il pericolo del Clero, che Tommaso cedette, e promise di sopprimere quella clausola e vi aggiunse in conferma un giuramento.

» Dopo questo fatto egli tornava verso Vintonia, e i suoi domestici cominciarono a mormorare del prelato, chi per disapprovarlo, chi per difenderlo. Il suo Crocifero sopra gli altri si alterava per la ruina della libertà ecclesiastica. *Contro chi ve la prendete?* gli domandò Tommaso. *Contro di voi*, rispose il Crocifero, *che oggi avete perduto il buon nome e la coscienza, avendo stese le mani a Dio consacrate per giurar di mantenere gli esecrabili abusi del re.* Tommaso restò percosso da queste parole, e cavando fuori un gran sospiro: *Guai a me*, disse, *che ho commesso un sì gran misfatto!* e subito spedì a Roma per ottenerne l'assoluzione.

» Vedete voi dunque, Sofia, che il mondo è sempre stato lo stesso; che il timore di perdere la grazia del principe e le temporalità può affascinare quasi tutto un Clero; che anche gli uomini probi all'urto della moltitudine alle volte non si tengono saldi; e che insomma è verissimo che chi non è disposto a perdere tutto, non può essere discepolo di G. C. Per questo non vi scandolezzate di quanto accade; tenetevi salda alla religione de' nostri Padri, alla Sede di Pietro, alla Chiesa Cattolica; e riguardate tutti i mali presenti come mali antichi, che si rinnovano al vostro tempo. Quando voi vedrete crescere il numero dei codardi disertori, dovete dire: *Nè pur questo mi fa veruna maraviglia.* » Ad rem Muzzarelli, *Lettera a Sofia*, ecc. Foligno, 1814.

Et in Libro, *Cosa è Giansenismo*, pag. 113: « Nemmeno la volontà delle maggioranze, sebbene legittimamente rappresentate, crea il diritto e la moralità; nè è sempre interprete sicura della verità e della giustizia. Quantunque si debba aver mira ad appagar le moltitudini e le maggioranze, pure v'è qualche cosa, che sta al di sopra di tutti questi riguardi e di tutti questi interessi: *fiat justitia et pereat mundus*, diceva anche la pagana sapienza; e con una sapienza più vera, più completa, più soave dice il Vangelo: *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* » (Matth. VI).

141. *Quid sunt* **Casuistæ** *et quæ eorum auctoritas?*

R. *Casuistarum* nomine solent indicari Theologi moralistæ et Tractatores, qui in usu habent res morales præsertim graviores, post tradita principia, illustrare quibusdam dubiis vel exemplis, vel casibus practicis aut veris aut imaginatione compositis: hoc modo tyrones instruunt in Morali Theologia, ut recte valeant in Tribunali Pœnitentiæ doctrinas sibi in Scholis traditas ad casus in praxi occurrentes applicare, practicas quæstiones dissolvere, pœnitentes optime dirigere.

Non una methodo Casuistæ quæstiones morales resolvunt. Aliqui alphabetico ordine eas disponunt et pertractant, ut Pontas, Berchorius, Scarpazza, Summa Sylvestrina, Thomisticus Ecclesiastes, etc.

Plures vero totidem casibus particularibus ideo confictis eas edocent, ut Pontas et Scarpazza laudati, Gobat, Potestas, Scarsella, Gury, Speroni, Vigandt, Voit, Eula; item Facciola, *Resolutio casuum* Diœcesis Novariensis; *Casus Conscientiæ* sub auspiciis card. Lambertini; *Duplex Centuria casuum Conscientiæ* I. Fedeli, Mediol. 1857; De Ithuriaga, *Dissertationes in morales quæstiones; La Casistica*, Venezia, quæ pluribus voluminibus continetur: non tamen uno spiritu ac sensu omnes resolvuntur casus; Panzuti, *Casus conscientiæ*, etc. Et appendix nostra ad Librum IV, ubi plures habentur casus cum eorum solutione.

Ceteri tandem, qui innumeri sunt, per varios Tractatus materiam universam dividunt, atque scholastico ordine pertractant, probant et concludunt, quæstiones tamen singulas diversis practicis deductionibus illustrando. — Vide Abelly, *Declaratio librorum et opinionum Casuistarum.* — Dissertatio P. Zaccariæ, De *Casuistarum origine, progressu ac præstantia*, p. I, c. 6; et p. II, c. 14. — Bergier, *Dizionario enciclopedico;* V. *Casisti.* — Christianus Lupus, in suis Operibus.

Audisio, *Introduzione agli studi Ecclesiastici conforme ai bisogni religiosi e civili*, hæc (cap. 13, l. III) ait: « I gentili ebbero i loro Casisti; e son tali Panezio il giovane, e Cicerone nel libro degli *Uffizi*, perchè arrivando essi a questioni difficili suppongono casi e ne danno la soluzione. Le *Pandette* di Giustiniano, per la lucida e precisa esposizione de'casi, saranno sempre un modello, e una fonte agli studiosi della sapienza civile. Puffendorff, nel suo *Trattato dell'uomo e del cittadino*, può dirsi un Casista de'Protestanti. Dunque ragionevole è il metodo de'Casisti, e nella loro professione non troveresti nulla da oscurare un'appellazione illustre. » Et post multa concludit: « Essa (la filosofia) si convinca in questi due fatti solenni, e di cui la storia le è mallevadrice: *fatto* I) niun lettore e studioso diligente de'Casisti divenne mai libertino; fatto II) niun libertino divenne mai tale per essere stato alla scuola de'Casisti. » Absit ergo, ut nos pudeat inter Casuistas enumerari, vel ut illos parvi faciamus.

Ad rem etiam Dandolo, *Roma e i Papi*, t. I: « Il Digesto e le Pandette che cosa sono? un repertorio sterminato di casi (diremo) di coscienza giuridici, mercè cui i Giureconsulti romani di ogni età sono chiamati ad esporre, colle loro proprie parole, quante applicazioni notevoli studiaronsi fare a casi speciali dalle eterne generali norme dell'equo. » — Item notandum est, s. Ignatium de Lojola, in suo Opere *Exercitiorum spiritualium*, inter cetera media, quibus recte sentire volumus cum matre nostra sancta Ecclesia catholica, præscripsisse ut magni a nobis fiant Doctores quorum principem vocat Angelicum, et rationem affert eo quod ipsi dogmata *ad salutem necessaria exactius tradere* (solent) *atque definire.... ad errores hæresum confutandos.*

(Q). Pag. 70.

115. Quoad Jansenismum vide *Giansenio d'Ipri*, Opera di Gualco. Genova, 1844. — Muzzarelli, *Lettera a Sofia.* — Bolgeni, *Problema: se i Giansenisti siano Giacobini.* — *La Lega della Teologia moderna colla filosofia a' danni della Chiesa di G. C. svelata.* — Valsecchi, *Fondamenti della Relig.*, c. VI. — Liguori, *Storia delle eresie.* — Tullio Dandolo, *Roma ed i Papi*, vol. IV, § 82. — Bergier; V. *Giansenio.* — *Analecta Juris pontificii;* an. 1859: *Variations des jansenistes;* et anno 1864. — *Cosa è il Giansenismo, reminiscenze di seminario e studi di un sacerdote milanese;* Milano 1867; opus eruditione et doctrina præclarum;

a Pio IX Lit. 13 martii 1867 benigne exceptum. — Tandem nostrum *Norum Manuale Compendium canonici Juris;* tit. *de Jansenismo.*

Tametsi Jansenistarum doctrinæ vigesies et amplius a S. Sede jampridem diris devotæ fuerint, tametsi eorum dogmata sint evidentissime ferrea et homines in desperationem barbare trahant; adhuc tamen, eheu dolor! mutato etiam nomine asseclas habent ætate nostra non paucos, qui sententias ipsas vel suis in principiis, vel in consectariis tenere non erubescunt et fidelibus evulgare. Tale ac tantum erroris monstrum vivide contundit gloriosus ac feliciter Regnans Pius Papa IX (quem Deus O. M. Ecclesiæ universalis amori, votis et bono diutissime servet incolumen) in sua prima Encyclica *Qui pluribus*, die 9 nov. anno 1846, ubi inter præcipuas inimicorum machinationes, a quibus sæculo nostro Dominicum Gregem præstat attente tueri, recenset etiam tenebricosissimas eorum insidias, *qui in vestibus ovium, cum intus sint lupi rapaces, mentita ac fraudulenta purioris pietatis et severioris virtutis ac disciplinæ specie, humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt; hominesque ab omni religionis cultu absterrent, et dominicas oves maetant atque discerpunt.*

Hos ad vivum pinxit V. Monti (Canto III della *Basvilliana*):

» Dell'Ipocrito d'Ipri ei son gli schivi
Settator tristi; per via bieca e storta
Con Cesare e del par con Dio cattivi:
» Sì crudo è il Nume di costor, sì morta,
Si ripiena d'orror del Ciel la strada,
Che a creder nulla e a disperar ne porta.
» Di lor empia fucina uscì la prima
Favilla, che segreta il casto seno
Della donna di Pietro incende e lima. »

(Di, talem terris avertite pestem!)

Quanta autem sit hujus infamis, toties a Sede apostolica damnatæ Sectæ calliditas nefanda simul et impia suis in erroribus defendendis et evulgandis, nullibi clarius videri potest, quam in opere Crescimbeni, *Le Provinciali all'Italiana*. Lugano, 1829. — Item in libro valde jucundo, cui tit. *Avventure d'una Dama e d'un Abbate, ossia Storia della Congregazione dell'Infanzia* del sig. Abb. Reboulet. Monza, 1852. — Item, *La Realtà del progetto di Borgo Fontana*. Monza, 1852: « Borgo Fontana è una Certosa distante da Parigi 16 o 17 leghe: ivi circa l'anno 1621 si radunarono i capi del giansenismo e vi formarono tutta l'idea della loro ribellione: » inter quos unus erat Camus episcopus, auctor plurium romaniensum librorum et etiam Operis, *Lo Spirito di s. Francesco di Sales*. Nil mirum si diu latere potuit et cum sancto Salesio familiariter uti; ille jansenista erat. — Et sanctus Alphonsus Noster in quadam epistola (7 jan. 1766) scribit ad rem: « è uscito un libro che si nomina *La Realtà del progetto di Borgo Fontana*, dove si fa vedere l'intento de' Giansenisti di buttar a terra tutta la Chiesa di G. C. È un gran libro, perchè tutto comprova con autentiche scritture. V. S. se lo procuri e lo legga; ripeto, è un gran libro. » (Tannoja, *Della Vita ed Istituto* di s. Alfonso di Liguori. Torino, 1857.)

116. Neque hic prætermittendus est verus ille apud nos Jansenistarum malleus Pater Philippus Realis Franciscanus a Rimella vallis Siccidæ, cujus est liber cum titulo: *Sermoni istruttivi di un vecchio*

Parroco della Toscana al suo popolo colle annotazioni d'un giovine Coadjutore sopra la Bolla del Sommo Pontefice Pio VI, che incomincia Auctorem fidei; Vercelli, 1796. Ejus gloriam posteritati tradidit scriptor titulorum præstantissimus, et literis græcis, latinis et italicis Professor excultissimus, noster in hac Cathedrali collega, epigraphe sequenti ad tumulum Varalli in Cœnobio PP. Minorum:

I · X · Θ · Υ · Σ ·

CINERIBVS · ET · MEMORIÆ

PHILIPPI · REALIS

DOMO · RIMELLA · IN · SESSITANIS

SACERD · FRANCISCALIS · REFORMATI

ORATORIS · SVI · TEMPORIS · CLARISSIMI

QVI · DOCTRINAM · CATHOLICAM

AB · JANSENIANA · HYPOCRISI · ET · HÆRESI

FŒDE · LABEFACTATAM

EDITIS · PRÆSTANTISSIMIS · LIBRIS

VINDICAVIT

SODALES · P · P ·

PIVS · IN · EXEMPLVM · VIXIT · ANN · $\overline{\text{LXVIII}}$

DEC · AN · M · $\overline{\text{DCCC}}$ · $\overline{\text{VI}}$ · ID · DECEMBRES

QVO · DIE · SIC · DICITVR · AFFATVS · SVPREMVM

VIRGINEM · MATREM

O · MARIA

QVANDOQVIDEM · TV · HODIE · NESCIA · LABIS

AB · ORIGINE · VITAM . INCŒPISTI · OH · VTINAM · TVO

MAXIMO · BENEFICIO · MEA · NVLLI · OBNOXIA · CVLPÆ

FINIATVR

CAN . I . DOMINICVS VANZINIVS VARALLENSIS SCRIPSIT

DOMI PVER EDOCTVS SENEM COLERE ET OBSERVARE

---

147. *Hæc P. Philippi Jaculatoria indulgentia a Pio Papa IX nuper donata fuit ad instantiam clariss. archiep. Lucensis Julii Arrigoni, ut patet sequenti Brevi:*

» **Beatissimo Padre,**

» L'Arcivescovo di Lucca, previi i sensi della sua più profonda obbedienza e venerazione, prega umilmente la Santità Vostra a voler concedere quell'indulgenza che crederà opportuna alla recita della seguente giaculatoria a Maria Ss. Immacolata, che fu l'ultima preghiera che ripeteva con labbro moribondo il padre Filippo Reale da

Rimella in Piemonte dei Minori Riformati, morto l'anno 1806, e chiamato il *martello dei giansenisti* da monsignor Scavini nella *Sua Teologia Morale.* »

» *O Maria, che siete entrata nel mondo senza macchia, deh! ottenetemi da Dio che io possa uscirne senza colpa.* »

» Ex Audientia SS^mi^ die 27 martii 1863.

SSmus benigne concessit ut omnes et singuli fideles indulgentiam centum dierum, semel tantum in qualibet die, lucrari possint, dummodo corde saltem contrito introscriptam precationem recitaverint. Præsenti perpetuis futuris temporibus valituro absque Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

» *Pro Secret.* CARD. BARBERINO,
» Jo.-B. BRANCALEONI *Cancellarius* etc.
» (Secretaria Brevium). »

(R) Pag. 72.

148. Ut omnis quæstio circa probabile plenius dignoscatur, diversas sententias catholicorum ob oculos ponamus. Quatuor sunt:

Prima docet in æquali opinionum probabilitate, idest, in dubio, eligendam esse opinionem, quæ stat pro lege: v. g. dubitas æque probabilibus hinc inde rationibus, num votum emiseris? teneris de voto; quia illud servare tutius est. Ita Antoine, Alasia, Concina, Patuzzi, etc.

Secunda tenet, eo in casu eligi posse opinionem quæ favet libertati; ideo nullam prædicti voti adesse obligationem. Ita Alphonsus noster, qui in Monitu ad lectorem suæ Theologiæ notat: *ut autem justa methodus servaretur*, Medullam *Hermanni Busembaum præmittendam censui; non jam ut omnes ipsius auctoris opiniones approbarem, sed tantum ut ejusdem methodum sequerer, quæ inter aliorum auctorum methodos ad res morales exponendas valde accomodata mihi visa est.* Atque ideo Alphonsi *Theologia* cum attentione legenda est, ne quandoque accipiatur uti ejus doctrina quæ est doctrina solius Busembaum; nam aliquando Sanctus illam modificat, temperat ac corrigit.

Tertia sententia probat licitum esse sequi partem minus tutam, quæ scilicet stat pro libertate, modo tamen sit vere probabilis: licet contraria opinio pro lege sit æque probabilis, imo probabilior. Unde non teneris in allato exemplo ad votum, si sit probabile quod non voveris, licet appareat probabilius ex alia parte quod voveris. Ita Voit, innumerique alii: quorum tamen fere omnes nobiscum conveniunt in re, etsi non in verbis; ut enim patet eorum Opera volvendo, non ita facile excludunt opinionem probabiliorem, si ea talis sit, quam nos exposuimus, nempe *certe, sine ulla hæsitatione et notabiliter probabilior.* Si enim nonnisi levis sit præponderantia neque a nobis attenditur: et en quo sensu s. Alphonsus in suis Dissertationibus de usu probabili tuetur, licitum *esse sequi opinionem probabilem in concursu probabilioris, modo illa gravi motivo nitatur sive intrinseco scilicet ratione, sive extrinseco nempe ex auctoritate Doctorum.* Ex hoc sensu plane assentimur cl. Ballerini: vide ejus *De morali Systemate s. Alphonsi De Ligorio dissertatio*, Romæ habita 1864.

Quarta demum sententia distinguit inter legem positivam, et inter legem naturalem, ubi agitur de malo intrinseco: si dubium hinc inde æquale versetur circa legem positivam, annuit Ligorio nostro dicenti:

lex dubia non obligat; non ita vero si dubium illud sit circa legem naturalem. Hanc opinionem primus induxit auctor libri ipsa s. Alphonsi ætate Neapoli editi cum titulo: *Dissertazioni sul diritto naturale* (tom. II, Dissertazione VI, n. 6). Sed Sanctus noster non probat ullo modo eam distictionem, ut patet ex pluribus sui Operis locis, in quibus suum principium universim defendit tam pro lege naturali, quam pro lege positiva. *V.* Lib. III, nn. 172, 177, 187, 224, 226, 368, 374, 408, 430, 441, 478, 520, 562, 569, 571, 620, 629, 700, 703, 705, 760, 770, 790, 817, 829, 862, 968, 980; — Lib. IV, nn. 216, 232, 270, 274; — L. V, n. 76, 77; — L. VI, nn. 905, 906, 909, 940, 941, 950, ecc. Hac de re vide Fedelini, *S. Alphonsus a Ligorio se ipsum vindicans, dissertatio.* Veronæ. — Item legendus Della-Motta, *Saggio sul Socialismo*, t. II, pag. 401. Torino, 1854.

(S) *Pag.* 77.

149. Datur triennium ad tentandam copulam, eo quod in communi sapientum æstimatione censeatur sufficiens ad dignoscendum, num impotentia sit perpetua vel temporanea. Sunt autem alii casus in jure hanc ipsam veritatem probantes, quos refert Bolgeni in Opere *Il Possesso*, cap. XII. Errant autem, vel alios in errorem pertrahere nituntur ii qui asserunt s. Alphonsum allato capite *Laudabilem* usum fuisse *per transennam*, ut ajunt, et mere accidentaliter, non vero ad probandam legis dubiæ extentionem etiam ad dubia quæ sunt de lege naturali. Nam septies ab ipso adducitur in rem et inculcatur: scilicet dissert. I, object. II, p. 37, edit. Modœtiæ; dissert. II, n. 30; dissert. III, n. 20; dissert. IV, n. 33; dissert. Ital. *Dell' Uso moderato* ecc., c. V, n. 18; et brevi dissertatione, § *Aggiungiamo*, p. 413; item apol. IV, § *Inoltre scrissi*, p. 176, ecc. — *V.* Fedelini laudatus, *S. Alphonsus a Ligorio se ipsum vindicans.* Item, *Difesa della Dissertazione: S. Alphonsus se ipsum* etc. Venezia, 1852.

« Ad una delle due (ita in libro, *Dottrine di s. Alfonso De Liguori difese* ecc.; seconda edizione. Bologna, 1850) bisogna venire: O si ha da negare, che l'uso *cum non sua* (uxore) sia intrinsecamente male, nè però contro la legge naturale; o si ha da dire, che in dubbio la Chiesa ritiene che la legge naturale non obbliga. Imperocchè dove si ammetta che l'azione sia intrinsecamente male, e si ammetta insieme che il dubbio in cose di tal natura lascia la natural legge in tutto il suo vigore, che autorità ha la Chiesa di *rallentare*, di *rilasciare*, di *dispensare? Numquid Ecclesia in lege naturali poterit dispensare?* (Liguori, *Dissertazione dell'uso moderato dell'opinione probabile).* Ma la Chiesa realmente concede, che durante il dubbio non si tenga conto della legge naturale, come se non ci fosse; dunque la Chiesa ha per vero che la legge dubbia, benchè naturale, non obbliga, dunque la Chiesa ritiene, che in questo caso un principio riflesso giovi a formarsi un dettame certo. »

150. Ceterum etiam concedendo quod contendunt probabilioristæ, in dubiis nempe omnibus semper standum pro lege; non tamen ita facile est demonstrare id securius et tutius esse. Qui enim hanc imponit obligationem, exponit hominem periculo peccati formalis, quia docet experientia contingere sæpius, ut miseri homines hac audita doctrina, credant vel saltem dubitent inesse culpam mortalem ubi non est: sicque rerum difficultate victi, ex erronea conscientia *mortaliter* peccent et damnentur. Quapropter celeberrimus card. Pallavicini sic

scribit: *si induceretur opinio, quod semper teneremur facere actionem quæ securior est etiam a transgressione materiali, hæc opinio non esset tutior, sed maxime exposita periculo subsequentis transgressionis formalis: quare tutior est opposita.* Unde en responsio ad difficultatem: *multa sunt quæ tutius est facere, sed simul etiam tutius est non se credere obligatum ad ea facienda, nisi moraliter nobis constet de tali obligatione.*

Brevius rem solvit noster Auctor sic inquiens: *ma per abbreviarla diamo la risposta conveniente che chiude la bocca ad ognuno.* Dimando: *che dice insomma la regola dei Canoni?* in dubiis pars tutior eligenda est. *Bene: dunque semprecchè la coscienza sta nel dubbio* (in dubiis), *non può operare senza rimorso e senza peccato. Ma che conta la suddetta regola, quando l'uomo con qualche principio riflesso formasi il dettame pratico moralmente certo? allora esce già dalla dubbietà e dai termini coi quali parla il testo, e non può dirsi più che sia* in dubiis (V. *Apologia e Confutazioni*, vol. I).

Ad rem etiam clarissimus Taparelli (in suo opere, *Saggio teoretico di diritto naturale*, § 262, ecc.): » suppongasi che la debolezza delle sue cognizioni lasci l'agente nell'incertezza del suo dovere; egli è chiaro che l'operare mentre così tituba, vale quanto un volersi esporre al rischio di violare il *diritto*. Mai dunque non opererà nell' incertezza una volontà *retta*, cioè tenace del diritto, checchè le dicano argomenti più o meno forti di semplice probabilità, cioè di probabilità che non formi morale certezza; sempre in tal caso può dirsi in forse di violare il diritto; mai dunque se è retta, non oserà avventurarsi all'opera. Che farà dunque? o prenderà il partito ove è certo il non fallire, perchè apertamente conforme alla perfezione del diritto, o cercherà nei dettati del senso morale principii superiori che determinare possano la moralità subbiettiva nell'incertezza dell'obbiettiva.... Questi dettami che derivansi da principii non propri dell'obbietto, a cui l'azione direttamente è rivolta, sogliono dirsi *principii riflessi*, etc. »

(T) Pag. 83.

151. Miramur, quod Editores Parisienses *Cursus completi Theologiæ*, t. II (edit. Migne), asserere non dubitaverint, quod confessarius qui in praxi tenet responsionem datam a S. Pœnitentiaria et a Pontifice probatam quoad s. Alphonsi auctoritatem, *sequitur in praxi methodum valde periculosam; nam sic agendo negligit studium Theologiæ, et se exponit gravi periculo errandi.* Absit omnino quod tantum nefas vel cogitemus; quid enim id sibi vult? nisi quod Sancta Sedes approbaverit methodum periculosam, et in periculo errandi posuerit confessarium, cum tanta animarum pernicie? hoc jansenistam sapit. Præterquamquod falsum omnino, quod ita negligatur studium Theologiæ : qui opinionibus s. Alphonsi studet, nonne toti Theologiæ studet, quippe qui de omnibus quæstionibus disserit? nonne studet opinionibus ac sententiis diligenter perpensis, ad trutinam pluries vocatis, examinatis, discussis, ponderatis, et a celebrioribus theologis ex omni undequaque regione probatis? — *V.* Gaume, *Les trois Rome*, etc., t. II : *Visite au P. Mautone; détail sur saint Alphonse*. Paris, 1847.

152. *Quid* (quæres) *de illo qui habet opiniones s. Alphonsi uti certo improbabiles et falsas?*

R. Tunc eas sequi non potest; secus ageret contra propriam conscientiam. Aliter dicendum est si, licet opinio s. Alphonsi non tibi videatur quidem probabilis, sed nec certo judicas improbabilem et falsam; tunc eam habere potes uti vere probabilem ex judicio reflexo, scilicet innixus auctoritate tanti Doctoris, conscientiam efformare potes et doctrinam ejus in praxim deducere; potes enim facile judicare eximium hunc Moralistam doctum et sanctum multo melius te ipso rei rationes perscrutari novisse.

« *Mais*, dites-vous, *comment peut-il se croire en sûreté de conscience en adoptant sans examen une opinion controversée, qui est peut-être la moins sûr et la moins probable?*

« R. Il se croit en sûreté de conscience parce qu'il croit pouvoir juger prudemment qu'une doctrine qui est exempte de toute censure, est saine en tout... Il se croit en sûreté de conscience, parce que la Pénitencerie, l'organe du Saint-Siége pour ce qui a rapport à la direction des consciences, a décidé qu'on doit point l'inquiéter, *non inquietandus*. Il se croit en sûreté de conscience, parce qu'il ne pense pas que l'opinion qui lui paraît plus probable, d'après l'examen, soit réellement plus probable que celle qu'il adopte de confiance, sur l'autorité de s. Liguori. » Hactenus Gousset, *Lettres à M. le Curé*, in quo egregie more suo percellit et profligat auctorem anonymum, qui aliud ejus Opus *Justification de la doctrine de s. Ligori*, incredibili audacia impugnaverat. — *V.* Gury, *Casus conscientiæ*, t. I, n. 72.

« Veramente (ad rem Frassinetti, *Manuale pratico del Parroco novello*, n. 382) vi fu un tempo, che i vecchi ricordano tuttavia, nel quale s. Alfonso era accusato impunemente di rilassatezza, e i suoi principii si combattevano con quell'ardore col quale si dovrebbero combattere le dottrine sovvertitrici del buon costume; ma adesso quel tempo è finito. S. Alfonso riscuote sì grande venerazione, inspira cotanta sicurezza, gode una stima così universale, che non fu d'altri mai dopo s. Tommaso. Per tutte le cinque parti del mondo la Morale Teologia, che può dirsi essere alle mani di tutti e regolare tutte le coscienze, è la sua. »

(U) Pag. 86.

153. « Sarebbe desiderabile (ait Frassinetti, *Compendio della Teologia Morale di s. Alfonso M. De Liguori;* ediz. terza), che si trovasse un modo facile col quale ciascuno, anche dotato di mezzano ingegno e di mezzana istruzione, potesse conoscere quali sieno le opinioni sufficientemente probabili da potersi ridurre alla pratica con bastante sicurezza.... A tale oggetto sembrami doversi stabilire come principio certo da tenersi in pratica, che *possa seguirsi qualunque opinione, la quale sia sodamente probabile*, che cioè sia tale da tirarsi il consenso degli uomini prudenti, i quali non si lasciano muovere da ragioni effimere e leggiere, o mal fondate....

» Premesse queste cose, pare che sia da conchiudere che non possa mancare ai confessori una regola facile e spedita per conoscere quali sieno le opinioni teologiche veramente probabili, quelle che rendono dubbia la legge che vuol supporsi loro contraria, le opinioni perciò che possono seguirsi nella pratica sicuramente. Questa regola è di *osservare se quelle date opinioni abbiano il suffragio degli uomini prudenti*, quali sono senza dubbio da supporre i Teologi. Mettiamo per esempio: voglio conoscere se sia opinione veramente probabile che il

cristiano arrivato ai sessant'anni non resti più obbligato al digiuno. Apro s. Alfonso (*Op. Mor.*, l. III, n. 1036), e trovo che ventidue Teologi giudicano per lo meno probabile questa opinione; io quindi senza esaminare le ragioni intrinseche che possono trovarsi in favore di questa opinione, giudico che avendo ella il suffragio di ventidue uomini prudenti, sia opinione veramente probabile, la quale si possa seguire in pratica dai sessagenari, e che perciò renda, rispetto ad essi, dubbia la legge del digiuno, sicchè più non li obblighi.

» Ciò che si dice di questa opinione deve dirsi di tutte le altre sulle quali tace la Chiesa, e che sono sostenute da uomini prudenti, quali ripeto sono da supporsi i Teologi. Tutte queste opinioni si possono seguire con sicurezza dai confessori e dai penitenti, senza che sieno obbligati a ponderare le ragioni intrinseche che militano in favore di esse. La quale ponderazione per molti sarebbe troppo difficile, e per molti impossibile.... A questo fine gioverà molto studiare la Teologia morale sopra sant'Alfonso, il quale riportando le varianti opinioni dei Teologi, mette per ciascuna quasi il catalogo degli autori che la difendono; e perciò facilmente si può vedere quali sieno le opinioni che abbiano il suffragio di uomini prudenti, che debbano per questo riputarsi veramente probabili, e sieno quindi tali da potersi ridurre alla pratica con sicurezza. » (*Dissertazione* III).

Hæc tamen accipe cum limitatione, de qua supra n. 148, si nempe opinio certe probabilis sit, et gravi nixa fundamento.

LIBER PRIMUS

TRACTATUS SECUNDUS

DE LEGIBUS GENERATIM ET ECCLESIÆ PRÆCEPTIS.

Ab illa morum regula quam proximam vocant et internam, nobis panditur via ad externam et remotam; videlicet Tractatum *De Conscientia* alter sponte sequitur *De Legibus* et *Ecclesiæ Præceptis.*

DISPUTATIO PRIMA

DE LEGIBUS GENERATIM

CAPUT PRIMUM

DE LEGIS NATURA GENERATIM ET EJUS DIVISIONE.

154. Q. 1. *Quid est lex generatim accepta?*

R. Lex generatim accepta suum, ut sentit Angelicus, nomen habet a *ligando;* quia proprium munus est legis cujuscumque subditos quasi ligare atque obstringere ad aliquid faciendum vel omittendum. S. Augustinus vero cum Tullio eam ab *eligendo* appellari voluit, eo quod unicuique ostendat quid eligendum sit. Potest autem lex definiri: *regula agendorum* vel *omittendorum.* Sed melius definitur cum s. Thoma: *quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata* [1].

Dicitur: 1) *ordinatio,* id est præscriptio, et in hoc differt lex a consilio; 2) *rationis,* id est secundum rectam rationem; quia hæc ordinatio debet rectæ rationi congruere: alioquin non esset homine digna, utpote deficiens a rectitudine. Imo tunc non haberet rationem legis, sed magis violentiæ cujusdam; 3) *ad bonum commune* tanquam ad suum objectum; quia lex intuetur in societatis conservationem, in pacem publicam, in delictorum coercitionem, in litium

[1] 1, 2, q. 90, a. 4. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, n. 90; *Homo Apost.*, tract. 11, n. 1.

extinctionem, et similia quibus bonum commune continetur; 4) *ab eo qui curam communitatis habet;* cum enim leges ferre sit actus jurisdictionis ac superioritatis, illæ dari non possunt, nisi ab eo, qui tali auctoritate potitur, seu a communitatis superiore; 5) *promulgata,* quia promulgatio pertinet ad legis naturam, vel saltem est ejus necessaria conditio: secus frustra lex constitueretur, cum impleri non possit quod nullimode innotescit.

155. Q. 2. *An idem sit lex et præceptum?*

R. Lex et præceptum, etsi passim accipiantur indistincte, differunt tamen sicut genus a specie; nam omnis lex est etiam præceptum, sed non omne præceptum est lex. Porro lex differt a præcepto, seu mandato:

1. Ratione *jubentis;* nam lex fertur a persona publica in totam communitatem. Præceptum vero a persona quidem superiore, sed *vel* privata in personas privatas, uti dominus cum servo; *vel* etiam publica, sed agente cum personis privatis et singularibus, uti Princeps cum aliquo e suis subditis, aut cum aliquo particulari cœtu.

2. Ratione *subjecti;* lex enim etiam ad futuros extenditur, præceptum e contrario non complectitur nisi præsentes. Ratio est: lex lata est pro communitate, quæ semper durat licet membra ejus varientur; unde patet etiam futuros homines obligare, nempe statim ac incipiunt esse partes communitatis. At cum præceptum adhæreat personæ singulariter determinatæ, persona extincta, et præceptum extingui debet.

3. Ratione *temporis;* nam lex per se perpetua est, et vivit etiam legislatore defuncto; præceptum vero expirat morte præcipientis: v. g. si superior alicui particulari prohibuisset egredi sine licentia e Diœcesi, superiore mortuo, cessaret in posterum hæc contra illum lata prohibitio. E contra si per legem generalem id omnibus subditis prohibuisset, etiam superiore mortuo, lex in suo primo robore permaneret.

4. Ratione *loci;* quia lex immediate afficit territorium, in quo promulgatur, mediate vero personas in eo degentes; præceptum ex adverso afficit immediate ipsas personas, iisque firmiter inhæret. Ita si sacerdos fuerit a suo superiore suspensus, hæc pœna eum comitatur etiam in aliena Diœcesi, neque potest in ea celebrare. E contrario si per edictum generale in sua Synodo Episcopus suo Clero prohibuisset ingredi liquorum officinas (vulgo *caffè)* sub excommunicatione latæ sententiæ, hanc pœnam non incurreret clericus, qui eas ingrediatur extra Diœcesim suam *(A).*

156. Q. 3. *Quænam sunt legis causæ, actus et effectus?*

R. Ad 1: causa legis multiplex: efficiens, materialis, formalis et finalis. Causa legis *efficiens* est qui communitati præest; *materialis* est quidquid a lege præcipitur; *formalis* sunt verba legis, quibus nempe ea exprimitur; demum causa *finalis* est bonum commune, ob quod fertur ipsa lex: *finis legis est bonos homines facere*, ait Angelicus ex Aristotele [1]: quod multis probat Suarez.

R. Ad 2: legis actus quadruplex est, qui hoc versu continetur:

Præcipit ac prohibet, permittit, denique punit.

Nempe vel actus est ex suo genere bonus, et lex illum *imperat;* vel est ex suo genere malus, et *prohibet;* vel indifferens, et *permittit:* quæ quidem permissio est virtualiter præceptiva, quatenus præcipit, ne actus impediatur fieri. Ut autem sibi obediatur, lex pœnam sancit non obtemperantibus, et ideo ponitur illud *punit.* Alii quintum actum recensent, nempe præmio afficere; sed illum excludit Angelicus, quia hoc *potest ad quemlibet pertinere; sed punire non pertinet nisi ad ministrum legis* [2], videlicet punire gravi pœna, quæ a criminibus efficaciter retrahat homines.

R. Ad 3: legis effectus est duplex, obligatio subditorum et eorum bonitas: 1) subditorum obligatio; cum concipi nequeat jus imperandi in superiore sine necessitate obligationis in subdito. Hinc illud: *decretum necessitatem facit* [3]; 2) subditorum bonitas; si enim subditus fideliter sectetur quæ lege continentur, esse nequit quin et ipse conducat ad bonum societatis et bonus civis evadat.

157. Omne autem legis præceptum vel affirmativum est, vel negativum: 1[m] obligat ad actum bonum eliciendum, v. g. ad eliciendum actum amoris in Deum; 2[m] obligat ad omittendum actum malum, v. g. ad omittendum actum odii in Deum.

Præceptum affirmativum dicitur *obligare semper*, id est tempore opportuno, quatenus actus præceptus eliciendus est quoties advenerit tempus statutum. Sed non dicitur *obligare semper et pro semper*, seu in omni instanti; cum sit onus importabile, quod homo semper agat. E contrario præceptum negativum dicitur *obligare semper et pro semper;* quia actus malus nunquam est faciendus, imo tempore omni omittendus est: quod quidem continuo et facile ab omnibus potest fieri [4].

158. Q. 4. *Quomodo dividitur lex?*

[1] 1, q. 92, a. 1. [2] 1, 2, q. 92, a. 2.

[3] Gratianus, *Dist.* IV, c. 6, Decr. 1[a] pars.

[4] Omnia fere legis præcepta etsi secundum expositionem videantur esse vel tantum affirmativa vel tantum negativa, prout vel aliquid præcipiunt simpliciter, vel prohibent; attamen in se includunt utrumque. Sic præceptum dilectionis proximi secundum formam affirmativum est, implicat tamen etiam negativum præceptum: ut affirmativum obligat ad proximum amandum, et ei succurrendum juxta illud Joann. I, c. 3: *non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate;* uti negativum vetat odium ceterosque actus amori benevolentiæ contrarios juxta regulam a Deo Tobiæ datam (c. 4): *quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* — *V.* A. Goritia et Charmes.

R. Prima et generalis legis divisio est in legem *æternam, naturalem, divinam-positivam,* et *humanam.* Quod sic explicatur: duplex est hominis societas; una cum Deo O. M. a quo conditus est; altera cum hominibus, quibuscum dies et vitam agit. Ad utramque porro conservandam et fovendam quadruplex illa necessaria lex est: 1) *æterna* in ipso Deo, qua velit hominem nunquam ab ordine deflectere; 2) *naturalis* in homine, qua ipsi intimetur et nota fiat illa Dei voluntas; 3) *divina positiva,* qua homo ad finem supernaturalem, ad quem conditus est, certo dirigatur; 4) *humana,* qua procuretur omne, quo pax humana et publicus ordo conservari valeat et promoveri: simulque avertatur quidquid pacem illam queat perturbare et illum ordinem subvertere [1].

CAPUT SECUNDUM

DE LEGE ÆTERNA, NATURALI ATQUE DIVINA POSITIVA.

159. Q. 1. *Quid est lex æterna?*

R. Divo Augustino sic placuit legem æternam definire: *lex æterna est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans* [2]. Nempe Deus a tota æternitate vidit et statuit ordinem, quem unaquæque res suæ naturæ consentaneum requirebat: at Deus *negare seipsum non potest* [3]; ideo ordo ab æterno constitutus velle debet, ut perpetuo et immutabilis conservetur.

160. Legis æternæ existentia, mentem vix convertendo in præcipua Dei attributa, demonstratur. Si enim Deus est *summa Bonitas,* necessario debet bonum diligere et malum aversari. Si est *summa Justitia,* non potest non probare quæ æqua sunt, et non improbare quæ sunt iniqua. Si est *summa Veritas,* necessario veritatem amore, mendacium odio prosequi debebit. Uno verbo si est *summa Sapientia,* ordinem ex vi suæ naturæ in deliciis habere, perturbationem vero detestari tenetur. Hæc autem omnia Deus respueret, nisi lex æterna admitteretur; cum non sit lex æterna, nisi ipsa *Dei voluntas ordinem naturalem conservari jubens et perturbari vetans.* Hoc agnovit vel ipse gentilis Tullius ajens: *legem æternam ortam esse simul cum mente divina* [4] *(B).*

[1] Neque dicas hæc omnia jam a lege naturali satis præscribi; nam hæc lex naturalis singulariter non præscribit: quæ autem præscribit, non omnia præscribit modo evidenti et qui ab omnibus facile percipi possit. Adde nihil obstare, quod vinculo vinculum addatur. Adde sic efficacius homines impelli ad observantiam mandatorum, videlicet temporalibus pœnis, quas lex humana adnexas habet.

[2] Ep. XXII *contra Faust.*, c. 29. — *V.* Alasia, Suarez.

[3] II, Tim. ».

[4] Lib. II *De Legibus.*

161. Q. 2. *Quid est lex naturalis et an necessaria?*

R. Ad 1: Legem naturalem sic cum Angelico definimus, ut sit *participatio legis æternæ in rationali creatura, dictans et præscribens illud esse agendum quod est intrinsece bonum, et illud fugiendum quod est intrinsece malum* [1].

Dicitur: 1. *Participatio legis æternæ;* quia ipsa lex naturalis a lege æterna dimanat, et idem utraque jubet et vetat: utraque jubet quæ sunt ordinatissima, et vetat quidquid ab ordine deflectit. Naturalis nuncupatur, quia ipsam hominis naturam afficit, et videtur a Deo naturæ auctore manu quasi sua cordibus nostris insculpta: et ita inhæret, ut homo sine illa nequeat omnino concipi, dicente Psalmista: *signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* [2].

2. *In rationali creatura,* et ita lex naturalis distinguitur a lege generali, qua omnia creata reguntur.

3. *Dictans et præscribens illud esse agendum quod est intrinsece bonum, et illud fugiendum quod est intrinsece malum:* illud autem est intrinsece bonum quod est conforme, et illud intrinsece malum quod est difforme legi æternæ; adeo ut sine hac lege nihil esset bonum, vel malum secundum se.

R. Ad 2: Lex naturalis nobis necessaria est. Nos intellectu et appetitu rationali constamus: ut verum a falso, bonum a malo secernamus, intellectum habemus; ut autem quæ honesta sunt et æqua sectemur, habemus appetitum rationalem. At quomodo recte ac semper utrumque præstare possemus, si perpetua aliqua nobis ratio non adesset a firmissimis naturæ judiciis deducta? Si id ab hominum placitis penderet, nihil esset stabile: *Si populorum jussis* (ait Tullius), *si principum decretis, si sententiis judicum jura constituerentur, jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere; si hæc suffragiis aut scitis multitudinis probarentur* [3].

162. *An* (quæres) *lex naturalis certa sit et existat?*

R. Legis naturalis existentiam vel ipsi perditi homines admittant necesse est; cum nemo possit negare se ipsum. Quisquis enim ad se paululum attendat, illico sibi inesse intelligit (etiam post Adæ peccatum) principia quædam, quæ ineluctabiliter assensum ad bo-

[1] 2, q. 91, a. 2; et q. 93, a. 1. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 101.

[2] Ps. IV. Dices: « *se il diritto risultante dalla natura non induce vera obbligazione, ma tutta la nostra obbligazione dipende dalla volontà di Dio, dunque non vi sono più azioni morali intrinsecamente virtuose o viziose; ma tutte son tali perchè comandate, o proibite dall'arbitraria volontà di Dio. Ma rispondiamo, che le azioni comandate o vietate dalla legge divina naturale sono intrinsecamente buone o male: perchè sono comandate o vietate necessariamente da Dio.* » Liguori, *Apol.* V.

[3] L. I *De Legibus.*, c. 15. — *V.* Gerdil, *Principes métaphysiques de la Morale chrétienne*, l. III; it. *Dell'Origine del senso morale.* — Genuensis, *De Lege naturæ.* — D. Thomas. *Contra gentes*, c. 129.

num extorquent: *justitiæ tanta vis est, ut ne illi quidem* (ait Tullius), *qui maleficio aut scelere pascuntur, possint sine ulla justitiæ particula vivere* [1]. Hinc Apostolus: *cum... gentes naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt... ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Deus occulta hominum* [2]. Ex his patet, quam gravis sit legis naturalis transgressio; qui enim ipsam violat, insurgit *contra* conscientiam suam, quæ fortiter pulsat; *contra* Deum, quem ignorare non potest illius esse auctorem. Unde ex eodem Apostolo transgressores dicuntur *digni morte:* et in hac morte potest dici positam illius *sanctionem* [3].

Hujus autem legis præcepta exhibet Decalogus, qui quidem solet definiri: *lex naturalis et divina, in decem præcepta distributa, digito Dei in duabus tabulis inscripta, et per manus Moysis Hebraico populo data.* Additur et *divina;* quia legem illam hominum moribus deturpatam iterum positive instauravit Deus per Moysen, ut sic cito ab omnibus et sine errore cognosceretur [4]. Ergo merito Tridentinum anathemate percussit Lutherum, qui docuit *decem præcepta nihil pertinere ad christianos* [5]. Nam præterquamquod Christus ea confirmavit [6], omnibus illa conveniunt; cum in hominis ipsius natura fundata sint, si una excipiatur determinatio diei sabbati quoad sanctificationem festorum. — Quæ exhibent hi versus:

Unum cole Deum. Nec jures vana per Ipsum.
Sabbata sanctifices. Habeasque in honore parentes.
Ne sis occisor; mœchus; fur; testis iniquus.
Non cupias nuptam. Non rem cupias alienam.

163. *Sed* (quæres) *an lex naturalis præcedat libertatem, an potius libertatem subsequatur?*

Lex naturalis duplici ratione potest considerari: tum ratione suæ originis, quam habet a Deo; tum ratione suæ obligationis, qua refertur ad hominem. Si 1, certe lex naturalis est anterior libertate hominis, eamque præcedit, quatenus nempe ab æterno fuit constituta. Si 2, lex naturalis est in tempore posterior libertate hominis eamque subsequitur, quatenus nempe hæc lex non promulgatur, sive non significatur in sua vi et in suis præceptis, nisi homini jam condito in propria libertate secundum illud: *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui, adjecit mandata et præcepta; si volueris mandata servare, conservabunt te* [7]. Ergo prius homo fuit con-

1 *De Officiis*, l. III, c. 9. 2. Rom. II.
3 Rom. I. Sanctio seu constitutio pœnæ in transgressores est de omni lege; nam lex imponendo necessitatem virtutis, consequenter facit, ut ejus transgressores pœna sint digni, saltem apud Deum. — *V.* Suarez, *De Legibus*, l. I, c. 16. — Alasia, *De Legibus, dissert.* II, c. 11, a. 5.
4 Exod. XX. 5 Sess. VI, can. 19. 6 Matth. XIX.
7 Eccl. XV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 88 et seqq.

stitutus in *manu consilii sui*, et postea eidem *adjecta* fuere præcepta Dei; et sane prius est *esse*, quam *esse tale*.

Quod dictum est de lege naturali, idem valet de lege æterna, de qua lex naturalis participat. Nempe lex æterna præcedit quidem libertatem hominis *prioritate temporis*, non vero *prioritate ordinis* seu *applicatione:* licet enim in Deo non adsit neque prius neque posterius ratione temporum, quia temporis successio in ipso admitti non potest: adest tamen, saltem juxta nostrum concipiendi modum, ratione ordinis in decretis divinis. Sic *prius* esse debuit ratione ordinis in Deo prævidisse in propria sapientia hominis lapsum, et *posterius* in propria misericordia determinasse ejus redemptionem.

Hæc porro ordinis ratio habetur etiam in casu nostro: *prius* nempe dici debet Deus sibi proposuisse hominem conditum et liberum a quocumque vinculo legis, *posterius* vero sibi proposuisse legem ipsi tradendam. Quod clare innuunt citata verba Ecclesiastici, quibus declaratur, hominem *ab initio* fuisse constitutum a Deo, atque relictum in *manu consilii sui;* deinde vero ei fuisse *adjecta mandata (C).*

164. Q. 3. *An lex naturalis obliget omnes et universalis sit?*

R. Legem naturalem obligare omnes homines etiam pueros rationis usu pollentes, patet ex eo, quod omnibus, nemine excepto, talis lex a Deo insculpta sit, et in ipsa hominis essentia suum habeat fundamentum. Hinc gravissime erravit Macchiavellus, quando sic Principem suum allocutus est [1]: *sæpe res et pubblicum bonum te cogunt fidem lædere, charitatem et humanitatem cum Religione negligere.* Numquid enim bonum publicum separari unquam poterit a legis justitia, a charitate, ab humanitate, a Religione? Hæc vero obligatio legis naturalis est cum quocumque damno et incommodo: hæc enim lex non præcipit aut prohibet, nisi quod est intrinsece bonum vel malum, quodque proinde in se semper est idem.

Obligat autem independenter a lege divina scripta seu revelata; inquit enim Apostolus: *quicumque sine lege* (scripta) *peccaverunt, sine lege peribunt* [2]; id est peribunt propter peccata contra legem naturalem patrata. Si aliter esset, homines in statu legis naturæ sine legis ullius obligatione remansissent, saltem usque ad cognitam legis scriptæ promulgationem per Moysen: quod dicere est absurdum *(D).*

Diximus *pueros rationis usu pollentes;* si enim rationis usum non haberent, non peccarent contra facientes; cum non agerent libere. Attamen peccaret qui hosce pueros, vel amentes induceret ad legis naturalis violationem, v. g. ad ebrietatem, ad venerea, ad furtum, etc., utpote causa moralis et libera; et aliunde in pueris etiam et perpetuo amentibus lex naturæ habitualiter inhæret. Idem videtur dicendum de illo qui eos inducit ad blasphemias; esto quod illas proferre mere narrative non sit intrinsece malum: sed hic profe-

[1] L. *Il Principe*, c. XVIII. *Opus prohibitum.* [2] Rom. II.

runtur enuntiative ex parte inducentis; si enim illa verba considerentur simul cum voluntario influxu illius, qui ad ea proferenda impellit, proferuntur ab amente modo significativo. Prout quisque judicaret se lædi, si de ipso amens ab alio inductus proferret verba detractoria: tunc sane actio tribuitur principali agenti, qui alterius opera utitur quasi instrumento [1].

Si autem lex naturalis obligat omnes, patet quod ipsa universalitate pollet. Hoc firmat consensus omnium populorum, qui licet barbari, inculti, corrupti, tamen prima rationis principia omnes semper uno ore professi sunt. Ad rem Augustinus: *numquid lex naturalis non erat in populo Israel? erat plane, quoniam et ipsi homines erant: sine lege autem naturali essent, si præter naturam humani generis esse potuissent* [2].

165. Q. 4. *An lex naturalis ita perspicua sit, ut nequeat ignorari?*

R. Ut quæstio plenius intelligatur, præmittendum legis naturalis præcepta alia esse *primaria*, alia *secundaria*, alia *remota*. Præcepta primaria sunt quæ primo intuitu, et sola quasi verborum expositione innotescunt et apprehenduntur ab hominibus *et secundum rectitudinem* (verba sunt Angelici) *et secundum notitiam:* v. g. *alteri ne feceris, quod tibi fieri nolis; Deus est diligendus, virtus amanda* [3]. Secundaria vero dicuntur, quæ a primariis immediate et satis evidenter deducuntur, quemadmodum sunt præcepta Decalogi. Remota tandem quæ ope ratiocinationis a principiis primariis vel secundariis deducuntur, ut sunt præcepta de non faciendis usuris, de scandalis vitandis et alia id genus. Quo posito:

R. 1. Consentiunt Theologi non dari ignorantiam invincibilem circa legis naturalis præcepta primaria; imo neque circa secundaria in semetipsis spectata, nisi forsan aliquando in rudibus, ad breve tempus. Nam, uti ait Suarez, *natura ipsa ac conscientia ita pulsat in actibus eorum, ut non permittat ea inculpabiliter ignorari.* Diximus *in semetipsis spectata;* quia si cum quibusdam circumstantiis conjungantur apparenter a peccato excusantibus, ignorari poterunt etiam invincibiliter. Sic invincibiliter ignorari non potest furtum in se spectatum esse illicitum; sed contingere potest, ut quis bona fide sibi persuadeat illud esse licitum, quando agitur de egeno hic et nunc sublevando, quamvis non sit in extrema necessitate.

R. 2. Si agatur de præceptis remotis, unanimis sententia est cum d. Thoma, ignorantiam invincibilem circa eadem dari posse: *necesse est,* ait, *quod omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, sed*

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, n. 155.
[2] In Ps. CXVIII, *Serm.* XXV.
[3] 1, 2, q. 94, a. 4. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. 1, n. 5.

diversimode. Quædam enim sunt, quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse facienda, vel non facienda.... Quædam vero sunt, quæ subtiliori consideratione rationis a sapientibus judicantur esse observanda, et ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplina, qua minores a sapientibus instruantur [1]. Rudes ergo indigent instructione, ut præcepta juris naturæ remota addiscant; ergo ea possunt invincibiliter ignorare.

Imo hæc ignorantia dari potest in viris doctis et piis: argumento sit controversia qua Angelicus Doctor s. Thomas, et Doctor Seraphicus s. Bonaventura disputant, an judex damnare possit reum juridice convictum, quem tamen scientia privata certo scit innocentem? Affirmat primus; inficiatur secundus: uterque tamen dicendus est omnia per se fecisse ad veritatem agnoscendam. Alteruter ergo *erravit*, ita loquitur Antoine; *et tamen neuter opinionem ante obitum retractavit; ergo si non datur ignorantia invincibilis legis naturalis in re quapiam, alteruter in gravi peccato diem clausit extremum; cum sit gravis culpa docere culpabiliter errorem circa præcepta divina, sicque damnatus est* [2].

166. *An* (quæres) *detur ignorantia invincibilis in obligationibus proprii status vel officii?*

R. Generatim loquendo non datur hæc ignorantia; qui enim cuipiam statui se mancipat uti ecclesiastico aut religioso, vel qui aliquod munus suscipit obeundum uti judicis, medici, notarii, advocati, magistri, ducis, principis, confessarii, episcopi, etc., eo ipso tenetur illius status aut officii obligationes callere, vel in iis instrui. Et qui eas ignorat, negligens instrui, aut ne deinceps teneatur eas observare aut ob voluntariam negligentiam, ejus ignorantia peccaminosa semper erit, graviter vel leviter pro gravitate vel levitate rei et damnorum; atque errores quos cum tali negligentia deinde patraverit, omnes culpabiles erunt, etiamsi in iis perpetrandis actualem advertentiam de malitia non habeat: eo enim quod talem statum suscepit, ad obligationem se instruendi jam satis advertit.

Diximus *generatim loquendo;* nam excipe: 1) si agatur de quæstionibus non ita ad manus et reconditis; 2) si quis in suo munere sufficienter se curaverit instrui, et nihilominus in re quapiam ob inadvertentiam erraverit, ut patet [3].

167. Q. 5. *An lex naturalis sit indelebilis?*

R. Utique indelebilis est lex naturalis: *quantum* (ait Angelicus) *ad principia communia lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali; deletur tamen in particulari operabili, se-*

1 1, 2, q. 100, a. 1.
2 *V. Dissertatio* s. Alphonsi De Liguori in *Op. Mor.*, l. 1, nn. 170 et seqq, ubi scite et erudite pro more quæstionem resolvit. — Et infra *De peccatis ignorantiæ.*
3 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, n. 170.

cundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem [1]. Ratio autem est: cum lex naturæ sit hominibus ingenita et innata, non potest funditus deleri, quin ipsa hominum natura deleatur. Hinc d. Augustinus sic Deum alloquitur: *lex tua scripta est in cordibus hominum, quam nec ulla quidem delet iniquitas* [2]. Quod est conforme Scripturæ, quæ quidem legem naturalem vocat *fœdus sempiternum* [3].

168. Q. 6. *An in legem naturalem contingat mutatio vel dispensatio?*

R. Stricte loquendo, ne divina quidem auctoritate, potest in juris naturalis præcepta contingere mutatio aut dispensatio:

Non 1) *mutatio;* ut enim in ea admittatur mutatio, oportet quæ ipsa lex præcipit, in toto aut in parte fieri vel noxia vel inhonesta, vel saltem minus utilia; illa autem quæ prohibet, evadere vel bona vel minus mala, vel indifferentia: atqui id nunquam contingere potest. Sane lex naturæ non præcipit, nisi quod est intrinsece honestum et bonum; nec prohibet nisi quod est intrinsece inhonestum et malum, quodque tamdiu erit malum in omni sua parte, quamdiu perdurabit ipsa ratio Sapientiæ æternæ.

Neque 2) contingere potest *dispensatio;* quid aliud est dispensare in lege, quam aliquem liberare ab obligatione legis ejusdem, manentibus tamen omnibus circumstantiis, sub quibus lex viget et obligat? Atqui in lege naturali ne Deus quidem id agere potest. Absit enim ut dicamus posse Deum permittere, ut quis agat quod sit intrisece malum et inhonestum, v. g. ut quis Deum ipsum blasphemiis prosequatur; vel ut omittat quod omittere ex natura rei dedecet naturam rationalem, v. g. ut quis omittat Deum colere. De hac lege perbelle Tullius: *nec erit alia Romæ, alia Athenis; alia nunc, alia posthac; sed et omnes gentes, et omni tempore una lex, et sempiterna et immortalis continebit, unusque erit quasi magister et imperator omnium Deus. Ille legis hujus inventor, disceptator, lator: cui qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam hominis aspernabitur* [4].

Diximus *stricte loquendo;* quia divina auctoritas in iis, quæ in rerum essentiis non fundatur, potest, justa interveniente causa, circumstantias mutare, sicque efficere, ut obligatio ante existens evanescat et relaxetur. Quod esset quidem in legis naturalis præceptis aliquo modo dispensare, sed improprie et indirecte. Sic cum Deus sit supremus rerum omnium Conditor, ac vitæ hominum eorumque bonorum Dominus, potuit præcipere Abrahamo, ut filium

[1] 1, 2, q. 94, a. 6. [2] L. II, *Conf.*, c. IV. [3] Isa. XXIV.
[4] Lib. III *De Rep.* — *V.* D. Thomas.

sibi suum sacrificio immolaret: permittere Hebræis, ut vasa Ægyptiorum mutuo accepta non amplius restituerent, in ipsos nempe transferendo dominium [1].

169. Q. 7. *Quid est lex divina positiva?*

R. Lex divina positiva definiri potest: *lex exterius data a Deo hominem dirigens ad finem supernaturalem.*

Dicitur: 1) *lex exterius data*, ut distinguatur a lege naturali: hæc enim datur interius per lumen rationis: illa vero manifestatur exterius per sacras Scripturas et per divinas Traditiones: ideo appellatur etiam *positiva*, quasi exterius sub oculis posita; 2) *a Deo*, ut distinguatur a lege humana, quæ fertur ab homine; 3) *hominem dirigens ad finem supernaturalem*, quia sicut lex naturalis ducit hominem ad finem naturalem; ita lex divina positiva eundem ducit ad finem supernaturalem atque felicitatem æternam.

170. Lex divina positiva est in rebus moralibus necessaria:

1. Relate ad ordinem supernaturalem; quia homo ad hunc ordinem conditus, indiget legem eidem proportionata. Neque enim ad illum potest pervenire solius legis naturalis auxilio; cum sit altioris ordinis et facultates naturales excedat.

2. Relate ad ordinem ipsum naturalem; quia *propter incertitudinem humani judicii* (verba sunt Doctoris Angelici), *præcipue de rebus contingentibus et particularibus, contingit de actibus humanis diversorum esse diversa judicia, ex quibus etiam diversæ et contrariæ leges procedunt. Ut ergo homo absque omni dubitatione scire possit quid ei sit agendum et quid vitandum, necessarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua constat, quod non potest errare* [2]. Sic Deum esse colendum naturalis ratio sat omnibus ostendit: verum circa modum hujusmodi cultus, quot sententiæ ethnicorum! Hinc de illis habet Apostolus: *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt* [3]. Necesse ergo erat, ut lex divina falli ac fallere nescia per revelationem id nobis panderet. Pandit autem: nam *multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio* [4].

171. Duplex est legis divinæ positivæ divisio:

a) Alia dicitur *pure positiva*, alia *non pure positiva.* Illa præcipit vel prohibet quæ a lege naturali neque præcipiuntur, neque

[1] Hoc modo sustinentur etiam relaxationes a Ss. Pontificibus tributæ circa vota, juramenta, etc., quæ tamen essent de jure naturæ servanda. Nempe Pontifex divinæ interpres voluntatis declarat, hanc vel illam causam sufficientem esse, ut a Deo remittatur contracta obligatio; hanc vel illam causam ita rem immutare, ut honestum evadat quod prius deforme erat. Seu, ait s. Thomas, *determinat quid sit Deo acceptum* in ea speciali circumstantia (2, 2, q. 88, a. 12). — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, n. 189.

[2] 1, 2, q. 91, a. 4. — *V.* Liguori, *Riflessioni sulla verità della divina Rivelazione.*

[3] Rom. 1. [4] Hebr. 1.

prohibentur: tale erat præceptum Judæis datum, quo vetabantur manducare carnes nonnullorum animalium. Ista vero præcipit vel prohibet quæ a lege naturali præcepta jam sunt, vel prohibita: talia sunt singula Decalogi præcepta, si sabbati determinatio excipiatur.

b) Alia dicitur *lex vetus*, alia *lex nova*. Lex vetus a Deo lata est in veteri Testamento, et populo Israelitico per Moysen promulgata versus annum 2518 a constitutione mundi. Quæ quidem quamvis bona esset, *immaculata, convertens animas* [1], cum tamen non esset nisi novæ Legis figura, ideo quoad præcepta cærimonialia ac judicialia ex se cessare debuit, ista adveniente, juxta illud: *umbram fugat veritas* [2]. — Lex nova a Christo fuit indicta, et per ejus præcones Apostolos per totum orbem disseminata. Hæc perdurabit usque ad finem sæculorum juxta illud Christi ad Apostolos, eorumque successores: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* [3]. Triplicis autem generis documenta continet, nempe præcepta *moralia* circa virtutes; præcepta *cærimonialia* circa Sacramenta ac Missæ sacrificium; tandem mera *consilia*, sed magno præmio digna.

Cœpit lex nova obligare Judæos saltem die Pentecostes, quo eis solemniter promulgata est coram ingenti multitudine [4]: alios autem non incœpit obligare, nisi pedetentim ac successive, prout promulgatio illa ad varias nationes humano modo potuit pervenire. Quanta sit hujus divinæ legis obligatio, patet tum ex illius necessitate; tum ex hisce Christi verbis: *mandata mea servate*: *si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea* [5]. Hinc Tridentinum: *si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant, anathema sit* [6].

[1] Ps. XVIII. — *V.* Bouvier, *Institutiones Theol.*, t. IV: *De Legibus*, c. III.

[2] Ecclesia, *In hymn. Missæ Corp. Dom.* — Præcepta tamen *moralia*, quæ nempe spectant mores informandos, semper permanserunt, non quidem vi legis positivæ, sed legis naturalis, utpote immutabilis. Imo neque ipsa præcepta *cæremonialia*, quæ nempe referebantur ad Dei cultum seu cæremonias; neque *judicialia*, quæ ad rectam populi gubernationem spectabant, illico cessarunt a lege nova, sed pedetentim; *decebat enim* (ait Angelicus, 1, 2, q. 103, a. 4), *ut Synagoga cum honore sepeliretur*.

Communis opinio est, Legem veterem omnino cessasse, ac mortiferam evasisse tempore Hierosolymitani excidii, quo fuit funditus eversa et destructa Synagoga, idest circa annum quadragesimum post mortem Salvatoris. Et eo etiam tempore Legem novam pro universo orbe sufficienter promulgatam fuisse, communiter docent.

Lex vetus dicitur imperfecta, non in se, cum Deum habuerit auctorem, qui per illam attingeret scopum præfixum; sed relative ad legem perfectiorem.

[3] Matth. XXVIII. [4] Act. II.

[5] Io. XIV. — V. *De Baptismo*, c. I. [6] Sess. VI, can. 21.

CAPUT TERTIUM

DE LEGIS HUMANÆ NATURA, AUCTORE AC NECESSITATE.

172. Q. 1. *Quid est lex humana, et quotuplex?*

R. Lex humana illa est, quam *rector humanæ societatis suis præscribit subditis in ordine ad bonum commune.* Dividitur tum ratione originis, a qua procedit; tum ratione modi, quo præcipit: 1) ratione *originis*, dividitur in ecclesiasticam et civilem, quia duplex est humana societas, ecclesiastica et civilis; illa ab Ecclesiæ rectoribus dimanat: hæc a rectoribus societatis civilis; 2) ratione *modi* quo præcipit, lex dividitur in præceptivam, pœnalem et irritantem:

Lex præceptiva, quæ ab aliquibus etiam *moralis* dicitur, est quæ præcipit vel prohibet, quin pœnam in transgressores infligat.

Lex pœnalis est quæ pœnam habet conjunctam. Porro vel pœnam solam imponit, quin præcipiat quidpiam aut prohibeat: ut si dicat *qui certam frumenti quantitatem importaverit, persolvet pœnam scutorum triginta;* et dicitur lex *pure pœnalis*, aut *pœnalis* tantum. Vel lex pœnam imponit, aliquid simul præcipiendo aut prohibendo: ut si dicat *prohibetur omnis frumenti importatio sub pœna scutorum triginta;* et dicitur *pœnalis mixta*, aut etiam *lex mixta.*

Lex irritans est, quæ actum nullum et invalidum esse decernit: esset v. g. si personam ad eum actum inhabilem reddat; vel si solemnitatem in eo præscribat, qua omissa, actus sit nullus [1].

173. *An* (quæres) *Jus gentium sit lex humana?* — Affirmative ex mente Justiniani imperatoris, qui Jus gentium illud dicit, *quod, usu exigente et humanis necessitatibus, gentes sibi constituerunt*, non quidem consensu expresso, sed tacito et pedetentim. Hoc autem jus (quod moderni *internationale* appellant) universalius patet, quam aliæ humanæ leges; cum omnium fere gentium consensione firmetur. Hinc etiam fortius obligat, adeo ut transgressores habeantur ab omnibus uti publicæ tranquillitatis et humanæ societatis hostes infensi [2].

Diximus *ex mente Justiniani imperatoris;* moderni enim tradunt *Jus gentium* esse idem jus naturæ vitæ hominis sociali accomodatum. Scilicet ad jus naturæ pertinent illa præcepta: *Deum colere, nemini damnum inferre, suum cuique tribuere, pacta servare:* hæc enim præcepta hominem afficiunt ut hominem, id est hac una hominis qualitate consideratum. At Juris gentium præcepta sunt: *magistratibus obedire, subditos ab injuriis defendere;* hæc enim præcepta locum habere nequeunt nisi homini addatur qualitas socialis [3].

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, nn. 104 et seqq.

[2] Varia sunt de Jure gentium: v. g. recipiendi sunt legati etiam inimicorum; libertas concedenda est contractus ineundi; fœdera pacis ac induciarum non sunt neganda; etc. — *V.* Veratti, *Del concetto di Nazione: Saggio di Diritto internazionale.* — Taparelli, *Saggio teoretico*, § 1247.

[3] *V.* Ferrante, *Elementa Juris canonici.* — Devoti, *Instit. canonicæ.*

174. Q. 2. *An leges humanæ sint necessariæ?*

R. Attenta hominum pervicacia, certum est, leges humanas esse necessarias; historia enim et constans experientia docent, nullam societatem diu posse consistere sine legibus. Hinc omnes gentes, etiam rudiores et efferæ, proprias semper habuerunt leges, quibus tum mores componerent, tum scelera punirent, tum denique communi patriæ saluti, singulorumque incolumitati prospicerent. Hinc Tullius: *constat profecto ad salutem civium civitatumque incolumitatem, vitamque hominum et quietam et beatam inventas esse leges* [1].

Art. I. — *De auctore legis ecclesiasticæ.*

175. Q. 1. *An Ecclesia habeat potestatem ferendi leges?*

R. Lutherus atque Calvinus Waldensium et Wiclephitarum vestigiis inhærentes omnem potestatem Ecclesiæ denegarunt leges ferendi, quibus fidelium conscientiæ obstringerentur; cum Christus plenam libertatem nobis donaverit. Sed Ecclesiam posse leges ferre, *quæ ad res spirituales et religiosas pertinent:*

Prob. 1. *Ex Scripturis*, ubi Apostoli in I Concilio congregati sic fideles alloquebantur: *visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato* [2]. Duo hic certa sunt: 1) quod vocabulum *imponere* legem proprie dictam importat; 2) quod hujus legis objectum, abstinentia nempe a sanguine et suffocato, in lege naturali aut divina positiva minime fundatur: ac proinde constituit materiam legis pure humanæ. Ergo admittenda in Ecclesia legislativa potestas. Adde: nonne Apostolus *Paulus perambulabat Syriam et Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum et Seniorum* [3]?

2. *Ex Traditione:* quid sibi volunt antiquissimæ Canonum Collectiones, de quibus in Jure Canonico, nisi antiquissimam in Ecclesia potestatem ferendi leges? Profecto Concilia æcumenica (a Nicæno I, an. 325 usque ad Tridentinum an. 1564) leges positivas ediderunt, quas omnium temporum christiani venerati sunt.

3. *Ex ipsa ratione naturali:* in omni bene constituta societate necessaria est potestas legislativa, qua ea præcipiantur, quæ publicum bonum expostulat. Atqui Ecclesia est societas bene constituta atque perfecta; cum fundatorem habuerit sapientissimum in Christo

[1] L. II *De Legib.* [2] Act. XV. [3] Loco cit.

Domino, qui utique in libertatem homines vocavit, nos liberando tum a servitute peccati, tum a jugo veteris legis; non tamen ab obedientia erga illos quos posuit pastores regere Ecclesiam suam [1] *(E)*.

Consulto diximus Ecclesiam posse leges ferre, *quæ ad res spirituales et religiosas pertinent;* leges enim mere civiles ac politicas ferre nequit, nisi pro iis provinciis, quæ suæ ditioni etiam politicæ subjiciuntur. Æquitas nempe postulat, ut unaquæque potestas intra limites suos sistat.

176. Q. 2. *Quinam in Ecclesia habent potestatem ferendi leges?*

R. Habent hanc potestatem Ecclesiæ Rectores independenter ab omni civili potestate, hoc ordine:

1. *Summus Pontifex* pro toto christiano Orbe; *Petrus*, clamabat Ephesinum Concilium anno 431, *semper in suis successoribus vivit et judicium exercet;* et Concilium Florentinum anno 1439, R. Pontifex, definit, est *successor divi Petri Principis Apostolorum, et verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiæ Caput et, omnium christianorum Pater et Doctor; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universam Ecclesiam a D. N. J. Christo plena potestas tradita est.* Et Angelicus: *Papa habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi rex in regno; sed Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis quasi judices singulis civitatibus præpositi* [2]. — Hæc autem legislativa suprema potestas in Pontifices Maximos non derivat ab Ecclesia, sed a Christo immediate, qui eam tradidit in Petro notissimis illis verbis [3]: *tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam...; tibi dabo claves Regni Cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Cœlis.* Unde merito contra nefariam illam pseudosynodum Pistoriensem damnata fuit a Pio VI (anno 1794 Bulla *Auctorem fidei*), tanquam *hæretica* ea n. 3 propositio, qua statuebatur *Romanum Pontificem esse Caput Ecclesiæ ministeriale*, quatenus ipse non a Christo in persona s. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat *(F)*.

2. *Concilia Æcumenica* pro tota etiam Ecclesia: *Nationalia* pro Natione; *Provincialia* pro Provincia [4]; *Diœcesana* pro Diœcesi. Sane

1 *V.* Tassoni, *La Religione dimostrata e difesa*, t. III, p. 2ª, c. 40.

2 Suppl. q. 26, a. 3. — *V.* Gousset, *Exposition des principes du Droit*, n. 50.

3 Matth. XVI. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 104; et maxime n. 110: *De potestate Pontificis*, dissertatio. — Voit, *Richerii systema confutatum.* — Duval, *De suprema Pontificis potestate.* — Zaccaria, *Antiphebronius.* — Muzzarelli, *Il buon Uso della logica in materia di religione*, opusc. XX: *L'eresia dei due capi.* — Ferraris; V. *Papa*, art. 2. — Mariano da Civitanova, *Del Primato del Romano Pontefice ne' primi secoli della Chiesa.* Roma, 1868. — Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIX:* c. *del Papato.* — Tarino, *Il libro del buon Pastore*, nn. 39 et seqq.

4 Ipsi autem Archiepiscopi, Primates et Patriarchæ nequeunt ferre leges in provinciis aut nationibus suffraganeorum, nisi ex consuetudine id habeant, vel ex concessione Pontificis. Ita Caus. 9, q. 3, c. 7, *Nullus Primas;* et c. 8, *Conquestus;* et ex *Decret.* Greg., l. I, t. XXXI *de offi. jud. ordinarii: Duo.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 104; — Ferraris; V. *Archiepiscopus.*

unumquodque Concilium suam respective Ecclesiam repræsentat. Verum Concilia provincialia et nationalia semel celebrata mitti debent, ex Sixto V Bulla *Immensa*, ad Congregationem Concilii, ut ea expendat et recognoscat.

3. *Legatus Apostolicus* pro loco suæ Legationis; hoc enim a jure ipsi tributum est [1]. *Cardinalis* autem potest ratione suæ dignitatis in Ecclesia sui Tituli leges ferre ex eodem jure [2].

4. *Episcopus* pro suis subditis (et quidem tam intra quam extra Synodum; cum hæc diversitas per se non respiciat nisi formam). Sive enim habeat immediate a summo Pontifice suam jurisdictionem, sive tantum mediate, statim ac Episcopus tanta celsitudine donatur, ex vi sui muneris ei competit leges ferre; cum a Spiritu Sancto positus sit *regere Ecclesiam Dei* [3]: porro regimen hanc legis condendæ potestatem de necessitate includit. Hoc jus habitu accipit Episcopus sua canonica institutione; ut tamen actu exerceat necesse est tum ut Literæ Apostolicæ electionis expeditæ sint, atque iis exhibitæ, quibus exhibendæ de jure [4]: tum ut realis possessio capta sit [5].

5. *Capitulum Cathedrale*, Sede vacante: intra octo primos, a cognita vacatione, dies administratio Diœcesis de jure pertinet ad omnes canonicos collective, id est capitulariter agentes [6]. Verum quia jurisdictio in plures divisa difficulter exercetur, Tridentinum jussit, ut a Capitulo intra octo dies Vicarius Capitularis eligatur, in quem omnis jurisdictio trasfundatur; hoc autem tempore dilapso, electio ad alium devolvitur [7]. Excipe nisi Capitulum *moram*, ut dicunt, *purgaverit*, Vicarium nempe eligendo re adhuc integra, idest antequam Vicarium Capitularem Capituli negligentiam supplendo eligat Metropolita in Diœcesi suffraganea; vel senior ex suffraganeis in Metropolitana; vel vicinior in exempta, scilicet in Diœcesi quæ exempta est a jurisdictione Metropolitæ, sed immediate Sedi Apostolicæ subjicitur. Ita docent communiter.

6. *Abbates* et *Prælati exempti* pro suo territorio, ubi quasi episcopalem exercent jurisdictionem: jurisdictioni enim adnexa est

[1] C. ult. *de offic. Legati.* — Ferraris; V. *Legatus.*

[2] C. *His quæ de maj. et obed.*, et c. *queret. de elect.* — Collegium Cardinalium vero, Sede Romana vacante, si necessitas non urgeat, non potest leges ferre; sed nominationi alterius Pontificis debet statim incumbere, *ex Clement.*, l. I, tit. III, c. 2. — Ferraris; V. *Cardinalis.*

[3] Actor. XX. — *V.* Bouix, *De Episcopo*, p. V.

[4] Ex *Extrav.* I, *Injunctæ de elect.*

[5] *V.* Ferraris; V. *Vicarius Capitularis.* Idque usu universali indictum est. Verum nihil potest Episcopus in lege superioris, cum inferior in superiorem non habeat jurisdictionem. Hinc a Pio VI, Bulla *Auctorem fidei*, damnata est illa n. 8 propositio, quæ docebat Episcopum posse *ex juribus sibi originalibus, et suadente bono Ecclesiæ suæ, statuere aliquid contra leges superioris.*

[6] Cap. *His quæ*, et cap. *Cum olim. de major.* et *obedient.* — Ferraris; V. *Sedes vacans.*

[7] Sess. XXIV, c. 16 *de Ref.* — *V.* Bouix, *De Capitulo.*

legislativa potestas. Non tamen possunt *Abbatissæ* vel *Superiorissæ* monasterii proprias leges ferre, cum fœmina non sit capax jurisdictionis spiritualis exercendæ; etsi probabilius valeant uti ministræ exigere in conscientia obedientiam per votum promissam circa res præceptas, vel circa ea quæ ad profectum monialum juxta regulas conducunt; id enim necessarium est ad sustinendam observantiam, et talis est praxis [1].

7. *Ordines* denique *Religiosi* in Capitulo generali vi jurisdictionis a Papa concessæ: non autem vi voti, quod cum personale sit, non dat nisi potestatem imponendi præcepta, non vero vim legis condendæ. Ceterum consulenda sunt Statuta uniuscujusque Ordinis [2].

Diximus *independenter ab omni civili potestate;* Deus enim regibus civilia, ecclesiastica ecclesiasticis concredidit [3]. Sane Ecclesia est societas perfecta sui generis ac divinæ originis; debet ergo potestatem gubernandi habere ex se, ideoque supremam et independentem; et contrarius error damnatus fuit anno 1864 a Pio IX in *Syllabo*, propositione 19 et seqq. *(G)*.

177. Q. 3. *An in Ecclesia præter legislativam adsit alia potestas?*

R. Affirmative: in Ecclesia præter legislativam adest etiam potestas judiciaria et coercitiva per pœnas tum spirituales tum corporales.

1. Adest potestas *judiciaria*, ea scilicet quæ in foro externo exercetur, et est legitima facultas actiones subditorum examinandi et de earum bonitate vel malitia, merito vel culpa authenticum judicium ferendi. Christus enim ait, quod refractarius, si correctiones fraternæ irritæ sint, denunciandus est Ecclesiæ [4]: quod esset inutile si Ecclesia illum judicare non posset. Apostoli hanc exercuerunt: sic Petrus judicium tulit de Anania et Saphira [5]. Et Paulus dum scribit [6]: *quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* clare manifestat, se judicare posse de iis, qui intus, idest in Ecclesia sunt.

2. Potestas *coercitiva* seu coactiva per pœnas spirituales; nam legitur in Evangelio *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* [7]. Notum est autem, quod apud Judæos ille sic habebatur, qui a communione civili et religiosa excludebatur [8]. Paulus Apostolus hanc potestatem exercuit, cum incestuosum Corinthium tradidit Satanæ: porro tradere Satanæ nihil aliud est, quam aliquem ab Ecclesiæ societate segregare, omnibus ejusdem bonis ita privando, ut et anima et corpus diaboli potestati relinquatur [9].

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 52; l. I, n. 104. — Bouix, *De Jure regularium*, parte VI, c. 4. — Suarez, *De Lege.*
[2] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. I, nn. 43 et seqq. — Suarez, *De Statu religioso*, etc.
[3] Hosius apud s. Athanasium, *Hist. Arian.*, n. 44.
[4] Matth. XVIII. [5] Act. V. [6] I, Corinth. V. [7] Matth. XVIII.
[8] I, Esdr. X; Jos. XXII, XXIV. [9] *V.* dicenda *De Censuris*, c. I.

3. Potestas coercitiva per pœnas etiam corporales: Christus ipse hac usus est, qui *cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo* [1]. Et hac etiam causa factum est, ut Ananias et Saphira, quos Petrus pœna dignos pronuntiavit, præcoci morte arriperentur. Et Paulus scribit [2]: *quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?* ubi vides virgam, rigorem videlicet et pœnas. Iterum ait: *hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi* [3]: ubi vides hanc puniendi potestatem ei tributam non a populo, non a principe; sed a Deo. Idque semper fuit in usu in Ecclesia (ut probat Mamachi), quæ sua semper habuit *tribunalia*, suosque *carceres*, ubi recludebantur pervicaces; suas *virgas*, de quibus loquuntur Augustinus, Cyprianus, Gregorius M.; *mulctas pecuniarias*, de quibus ipse Augustinus, Concilium Carthaginiense V, et Benedictus XIV; *pœnam exilii*, de qua loquitur s. Gregorius, Concilium Cp. III anno 680 et Concilium Romanum anno 503. Et Tridentinum in duellantes et eorum patrinos nonne excommunicationem, omnium bonorum proscriptionem et perpetuam infamiam sanxit [4]? Hinc merito tum Joannes XXII, 1327, Constitutione *Dudum volente* [5]; tum Benedictus XIV, 1757, Brevi *Ad assiduas;* tum Pius VI, 1794, Bulla *Auctorem fidei*, propositionibus 4 et 5; tum Pius IX, 1851, in *Syllabo* 1864, sub n. 24, contrariam doctrinam damnarunt.

178. Sane id esse debet de omni bene constituta ac perfecta societate (ut argumentatur ipse Romagnosi), quæ si habet jus imperandi et regendi, debeat etiam habere jus removendi quæ eidem opponuntur, et transgressores pœnis terrendo ac puniendo. Id ipsum fatentur vel ipsi Protestantes, uti Leibnitius et Guizot, qui ultimus commendat pœnitentiale Ecclesiæ catholicæ systhema [6].

Denique necessitas aut utilitas hujus coactionis vel etiam ex eo deducitur, quia solæ spirituales pœnæ parum movere solent carnales homines; nam licet revera graviores sint, earum nocumentum non ita sensibiliter percipitur. Quod maxime locum habet cum hæreticis et nonnullis perditissimis; quia tota efficacia pœnarum spiritualium pendet ex fide, per quam Ecclesiæ potestas et veritas censurarum creditur ac timetur; at isti hæc omnia irrident ac contemnunt. Quod si timor pœnæ illos contineat quidem, sed non semper ex animo convertat, ipsi videant; terrentur ceteri, et illorum pravo exemplo alii non seducuntur.

[1] VII, Jo. II. [2] I, Corinth. IV.
[3] XI, Corinth. XIII. — *V.* Vecchiotti, *Instit. Canon.*, l. IV, c. I, § 4.
[4] Sess. XXV *de R.*, c. 19. — *V.* Mamachi, *Del diritto libero della Chiesa di possedere*, l. II et seqq.
[5] Joannes XXII, hac dogmatica Bulla, ait: *Ad fidei catholicæ fundamentum de fratrum nostrorum consilio, Dei nomine invocato, articulos prædictos, quod Papa vel tota Ecclesia simul sumpta nullum hominem quantumcumque sceleratum potest punire punitione coactiva, nisi imperator daret eis auctoritatem, velut s. Scripturæ contrarios, et fidei catholicæ inimicos, hæreticos seu hæreticales... sententialiter declaramus.*
[6] Guizot, *Corso di Storia moderna*, lez. VI. — V. *Annali religiosi*, t. XX: *Sull'origine dei Tribunali ecclesiastici.* — Gousset, *Exposition des principes du Droit*, n. 35.

179. *Ubinam* (quæres) *continentur leges Ecclesiasticæ generales* [1]?

R. Cum Ecclesia abhorreat ab imperioso *legis* nomine, constitutiones suas *canones* appellavit, id est normas ac regulas, se nempe recte gerendi; et ideo *Juris Canonici* nomen ortum est. *Fontes* autem, unde Ecclesia suas ordinationes deducit, sunt jus naturæ et gentium, sacra Scriptura, Traditio, Pontificum Constitutiones, Conciliorum generalium decreta et Patrum sententiæ. Verum Patrum sententiæ vim legis non habent, nisi utpote insertæ in Corpore juris; non enim sancti Patres fuerunt legislatores, sed doctores.

Quo posito, ut videamus ubinam generales illæ ordinationes contineantur, juxta accuratiores, triplex distinguenda canonica Collectio: *antiqua, nova et novissima.* Attamen Juris *antiqui* quod ab Apostolorum ætate extenditur usque ad sæculum XII, hodie nulla fere habetur ratio; nam illius ætatis leges in recentiori jure magna ex parte habentur insertæ. Vel igitur sermo est de Jure *novo*, quod a sæculo XII extenditur usque ad Tridentinum; vel de Jure *novissimo* quod extenditur a Tridentino usque ad ætatem nostram: 1[m] continetur in Corpore Juris Canonici; 2[m] in ipso Tridentino, in Bullis, Brevibus et Rescriptis Pontificum post clausum Corpus juris editis; item in Declarationibus Romanarum Congregationum et in Regulis Cancellariæ Apostolicæ *(H).*

Juri tamen scripto non scriptum addendum est, quod traditione et consuetudine comprehenditur. *Traditio* est legislatoris mandatum, quod viva voce populis nunciatum est, atque ad nos usque vivens pervenit et durat. Quod quidem obligatorium esse nemo dubitat; cum illud referat superioris ordinationem nobis satis manifestatam. *Consuetudo* vero est jus inductum ipsis hominum moribus liberis, uniformibus, diuturnis. Hoc aliquando tantam vim habet, ut obtineat vel contra ipsam posteriorem legem contrariam, nisi nominatim declaretur consuetudinem illam nihil obstare [2].

180. Q. 4. *Quid est Corpus Juris Canonici?*

R. Corpus Juris Canonici est complexus Legum Ecclesiasticarum in quinque Codicibus. Horum autem 1[us] est *Decretum Gratiani*, constans tribus partibus; sic dictum, quia opera Gratiani illa Decretorum Collectio facta est; — 2[us] *Decretales Gregorii IX* in quinque libros distributæ, quos sequens indicat versiculus: *judex, judicium, clerus, connubia, crimen.* Dicuntur Gregorii IX, quia ipsius jussu s. Raymundus illas collegit ex Conciliis generalibus, et Pontificum

[1] Diximus *generales*, quæ nempe omnes spectant; quoad speciales enim videnda sunt propriæ Diœcesis vel Ordinis statuta, atque legitimæ consuetudines.
[2] C. 1 *De Const.*, in 6. — V. Devoti, *Instit. Juris*, c. IV. — Et dicenda *De consuetudine.*

Constitutionibus [1]; — 3us *Liber sextus Decretalium Bonifacii VIII; sextus*, quia adjicitur quinque libris Gregorii IX, et continet Decretales ab hoc Pontifice ad Bonifacium VIII, item in quinque libros distributus; — 4us *Clementinæ Clementis V*, cujus nempe jussu collectæ sunt post Concilium Viennense, cui anno 1311 ipse præfuit: quæ pariter quinque continentur libris; — 5us *Extravagantes*, quarum aliæ sunt Joannis XXII, aliæ aliorum Pontificum usque ad Sixtum IV. Primæ retinent auctoris nomen, et sunt numero viginti in titulos varios distributæ; ceteræ nuncupantur *Communes*. *Extravagantes* ita dictæ sunt, quia extra Corpus Juris antea collectum vagabantur.

Integrum Juris Canonici Corpus diligenter emendatum Romæ edendum curavit Gregorius XIII Bulla *Cum pro munere pastorali*. At certum est librum septimum Decretalium ac Institutiones Lancellotti, quæ in fine Canonici Juris habentur appositæ, non habere vim; cum privatorum sint leges nulla Pontificia confirmatione donatæ. Pariter Decretum Gratiani, etsi pluries emendatum Romanorum Pontificum cura, et licet passim citetur, tamen *inter omnes receptum est*, ait ipse Benedictus XIV, *quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani Collectione insertum foret* [2]. Ceteræ autem partes juris canonici universim obligant, nisi contraria lege, vel legitima consuetudine abrogatæ sint *(I)*.

181. Q. 5. *Quid de Tridentino uti fonte legum Ecclesiasticarum?*

R. Ad leges Ecclesiasticas, quæ veniunt nomine Juris *novissimi*, referri debet imprimis quidquid in Tridentino sancitum est. Nullum enim Concilium generale est, in quo tot quæstiones, tamque scite fuerint examinatæ et enucleatæ; in quo tot lata fidei dogmata, totque disciplinæ et reformationis capita statuta, ut merito veluti quoddam doctrinæ Christi compendium et disciplinæ ecclesiasticæ codex irrefragabilis ab omnibus habeatur. A Paulo III indictum fuit 1542 Bulla *Initio*. Tridentum Pontifex elegit, civitatem quæ in finibus Venetorum, in extrema scilicet Italiæ ora Germaniam versus, amænissimo loco sita est. Incœptum anno 1545 ob bellicos tumultus ac grassantem pestem suspensum, translatum Bononiæ, et interruptum, tandem Tridenti absolutum est sub Pio IV anno 1563, ut patet Bulla *Benedictus*. Concilio interfuerunt ex toto orbe catholico, præter Cardinales et Legatos, Patriarchæ 3, Archiepiscopi 25, Episcopi 168, et Procuratores absentium 39.

[1] Fratres Pithæi et Bohemerus in editione *Decretalium* Gregorii IX suppleverunt quiquid omissum fuerat a s. Raymondo.

[2] *De Syn. Diœc.*, l. VII, c. 15, n. 6. Cum veneratione etiam citari solent *Capitularia Caroli Magni*, etsi nullo hodie per se fruantur robore. — *V.* Guillon, *Corso di Eloquenza sacra*, vol. XXIV. — Riccard et Gireaud, *Dizionario* ecc. V. *Capitulari*.

Convocatum fuit tum ad vindicandam fidem catholicam adversus Lutherum aliosque reformatores; tum ad restituendam Ecclesiæ disciplinam per hæresim et bella plurimum labefactatam; tum ad firmandam pacem et concordiam inter principes christianos [1].

182. Quæ ante Tridentinum celebrata sunt generalia Concilia, ad Jus novum revocantur, cum eorum canones in Corpore Canonici Juris inserti sint; et quæ postea celebrabuntur, una cum ipso Tridentino erunt reducenda ad Jus novissimum. Hic nonnulla pressius de Conciliorum generalium natura, convocatione, celebratione et auctoritate.

1. *Natura.* Concilium æcumenicum est conventus, ad quem, Romano Pontifice indicente, atque per se vel per suos legatos præsidente, totius orbis catholici Prælati vocantur, ad deliberandum de maximis Ecclesiæ universæ negotiis. Etsi hæc Concilia absolute necessaria non sint, cum omnibus ipse Pontifex providere valeat utpote plenitudine potestatis donatus a Christo; attamen plurimum conferunt, tum ut maturius veritas inquiratur, tum ut efficacius hæreticorum frangatur contumacia qui magis erubescunt universorum declinare sententiam. Hoc *maximum est*, dicente Paulo III, *in maximis rei christianæ periculis remedium;* gravissimis sane calamitatibus (ajebat Pius IX, die 1 julii 1867, ad Episcopos qui Romam convenerant pro d. Petri decimoctavo Centenario, suum ipsis animum aperiens æcumenicum Concilium sub auspiciis deiparæ Virginis ab omni labe immunis constituendi ed aperiendi); *sola certe objici potest divina Ecclesiæ virtus, quæ tunc maxime se prodit cum Episcopi a summo Pontifice convocati, eo præside conveniunt in nomine Domini de Ecclesiæ rebus acturi* [2].

2. *Convocatio.* Episcopi omnes uti judices ordinarii et connaturales vocandi sunt; ii enim jure divino majores sunt prælati post Pontificem in Ecclesia constituti ad gregem pascendum. Excipe schismaticos et excommunicatos, neque enim judices sedere debent qui potius dijudicandi sunt; aliunde non sunt (plene saltem) de corpore Ecclesiæ [3]. Nil autem refert, si non omnes vocati Episcopi, de facto conveniant; id enim vix obtineri potest; qui porro est impeditus ceteris consentire censetur. Privilegio autem et consuetudine (item cum jure suffragii vocantur) tum Cardinales qui unum corpus cum Pontifice constituunt, tum Abbates jurisdictionem episcopalem tenentes, tum Præpositi generales religiosorum Ordinum, qui utpote exempti uti Prælati habentur. Ceteri autem theologi, canonistæ, officiales, etc., non vocantur uti proprie dicti judices; sed ut res deliberandas discutiant, illustrent, probent. Sæculares autem non admittuntur nisi ut ipsorum præsentia omnes in officio contineant, vel honoris gratia.

3. *Celebratio.* Edita decreta tum fidei tum disciplinæ a Patribus subscribenda sunt, etiam ab iis, qui forsan in Congregationibus ea reprobassent; atque ad id adigi solent intentata excommunicationis pœna, ut in Tridentino factum est sessione XXV. Ordo subscribendi idem est qui sedendi: veniunt 1) Legati Pontificis, 2) per ordinem Cardinales, 3) Patriarchæ, Metropolitæ, Episcopi, 4) Abbates et Præpositi generales Religionum; qui omnes ita subscribunt: *ego N. judicans subscripsi.* Postea ceteri Ecclesiastici et Principum Oratores, sed diversa forma,

[1] Plurima de *Tridentino*, lib. IV, *Append.*, ubi de singulis generalibus Conciliis.

[2] V. *Civiltà Catt.*, ser. 6ª, vol. XI, pag. 130. — Hoc autem æumenicum Concilium Romæ habendum et die 8 decem. anno 1869 incipiendum indictum fuit Literis Apostolicis *Æterni Patris* 29 junii 1868.

[3] At vocantur ad curandam eorum cum catholica Ecclesia unitatem; sic eos Pius IX hortando invitaverat mense sept. 1868 ad Concilium subsequentis anni.

nempe: *ego N. consentiens subscripsi*; at Principum Oratores subscribunt pro eorum excellentia post judices seu Patres Concilii.

4. *Auctoritas.* Ut vim habeant in totam Ecclesiam promulgata æcumenica Concilia, a Pontifice sunt confirmanda: si enim ad ipsum spectat illa cogere iisque præsidere, tanto magis illa confirmare, ex quo totam vim exerunt suam. Ista enim jura (ad rem Perrone) suapte natura profluunt ex natura Primatus, quo in universam Ecclesiam ac in omnes Episcopos sive distributive sive collective sumptos Romanus Pontifex divina dispositione gaudet. Siquidem illius tantum est Episcopos convocare in Concilium, et convocatis præesse qui suprema tanquam caput auctoritate divinitus pollet super Episcopos omnes. Idem dic de confirmatione Decretorum, quæcumque ea demum sint, sive fidei sive morum sive disciplinæ; Ecclesia enim eatenus infallibilis est, quatenus est corpus integrum membris constans et capite: hoc autem dempto, cum acephala sit, hac dote minime fruitur. Quod si de decretis disciplinaribus sermo sit, hæc non aliter potuerunt obligationem inducere in Ecclesiam universam; quam cum ab Ecclesiæ capite sancita fuerint [1] *(J).*

183. Q. 6. *Quid de Bullis, Brevibus et Rescriptis Pontificiis?*

R. 1: *Bullarum* nomine veniunt quædam Romanorum Pontificum Constitutiones sic dictæ a bulla, seu sigillo vel plumbeo vel aureo, exhibente hinc ss. Apostolorum Petri et Pauli imagines, illinc nomen Pontificis: inhæret sigillum funiculo serico vel canapis. Graviora, ut plurimum, negotia respiciunt et expediuntur in Cancelleria Apostolica, membranis subfuscis et crassioribus, charactere Longobardico seu Theutonico exaratæ. Etiam *Encyclicæ* dicuntur, quatenus diriguntur ad Episcopos super aliquo puncto doctrinali aut disciplinari [2]. — Citantur Bullæ prolato primo, quo incipiunt vocabulo; Bullarum vero collectiones dicuntur *Bullaria (K).*

Brevium nomine intelliguntur Pontificiæ Constitutiones, quæ per Secretarium Brevium expediuntur in membranis albis atque subtilibus pro negotiis, ut plurimum, non ita gravioribus ac universalibus. Latino eoque nitido charactere conscriptæ sunt: et sigillum habent ceræ rubræ, in quo impressa est imago divi Petri piscationem agentis; ideo dicuntur expediri *sub anulo Piscatoris* [3].

Rescripta sunt rogatorum Pontificum Responsa. Duplex eorum genus: alia feruntur instar epistolarum familiarium; alia instar decretorum. Prima dare solent Pontifices cum rogantur ab iis, quibuscum

[1] *V.* Perrone, *De R. Pontifice*, pars II, sect. II, c. 3. — Muzzarelli, *De auctoritate R. Pontificis in Conciliis generalibus.* — Vecchiotti, *Instit. canon.*, l. I, c. III, § 36. — Ballerini, Billuart, Bellarminus et alii Theologi passim. Id unum notamus convocationem et assistentiam Concilio postea suppleri posse et legitimari, si defuit in aliquo. — *V.* Ferraris; V. *Concilium.* — Liberius a Jesu, *Controversiæ*, t. V, p. 3. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 104 et 110. — Gautier, *De Conciliis.*

[2] Encyclica græca vox est, ab *en* in, et *cyclos* ciclo (circolare).

[3] *V.* Cancellieri, *Notizie sopra l'origine e l'uso dell'anello pescatorio, e degli altri anelli ecclesiastici, e specialmente del cardinalizio.... e l'assegno dei titoli e delle diaconie, e sopra il colore dell'abito dei Vescovi e dei Cardinali regolari; e del berrettino e berretta rossa*, ecc. Roma, 1823.

habent peculiarem amicitiæ relationem, vel cum rogantur de consilio uti viri docti et pii. Secunda ferunt Pontifices uti Petri Successores et Ecclesiæ universalis magistri.

R. 2: Bulla et Brevia ex sensu catholicæ fidei et totius christianæ antiquitatis debent venerabiliter suscipi, summoque in pretio haberi; ut enim legitur in Jure: *omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt tanquam ipsius divini Petri voce firmatæ sint* [1]. Quantam sane iisdem vim inesse putaret antiquitas Catholica, ipsa indicat anthonomastica vox *Auctoritatis* et *Decretalium*, qua omnes Pontificum Constitutiones denotare consuevere majores nostri; quid enim sonat vox *Auctoritatis*, nisi imperium Legislatoris? quid vox *Decretalium*, nisi *Decreta spectabilia?* Et merito id constitutum est; est enim R. Pontifex omnium christianorum pater ac magister a Christo Domino constitutus. Unde hæc est gloria nostra ipsi totis viribus jugiter adhærere.

Idem dicendum est de Rescriptis *ad instar decretorum*, quibus inest vis maxima; quia per eadem exercetur jus Pontificium atque suprema Ecclesiæ jurisdictio; de istis locutus est Augustinus contra Pelagium, quando dixit: *per Papæ Rescriptum causa Pelagianorum finita est.* At si dentur ad instar *epistolarum familiarium*, non habent obligandi vim; cum dentur, magis ex animi comitate, quam ex vera auctoritate; etsi cum veneratione et gratitudine sint suscipienda.

184. Q. 7. *Quid est et quotuplex Consistorium?*

R. *Consistorium* est congregatio, quæ per Papam cum Collegio Cardinalium in forma Senatus in ejus Apostolico palatio pro rebus magni momenti fit: unde patet superexcellens tanti consessus auctoritas.

Consistorium aliud est *extraordinarium* et *publicum*, quod fit cum magno apparatu: habetur cum Papa galerum novo Cardinali imponit, cum pro canonizatione sententia definitiva publice profertur, cum princeps vel ejus legatus solemniter accipitur; præter Cardinales alii quoque prælati, Principum Oratores et magistratus romani admittuntur. Aliud est *ordinarium* et *secretum*, quod a Pontifice fit cum solis Cardinalibus: ibi Pontifex novos creat et eligit Cardinales, Episcopos, Prælatos, Regulares, aliaque tractat et communicat negotia nexum utriusque potestatis concernentia: quæ communicatio in forma solemnis *Allocutionis* ad Cardinales habitæ fieri solet [2].

185. Q. 8. *Quid de Sacris Congregationibus Romanis?*

R. *Sacræ Congregationes Romanæ* sunt Cœtus Cardinalium, quibus summus Pontifex certa tradit Ecclesiæ universæ negotia tum administranda tum definienda; earum decreta vel declarationes efferri ordinarie non solent, nisi prius consulto Pontifice. En præcipuæ:

[1] Ex D. 19, c. 11. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, n. 105. — Ferraris; V. *Breve, Bulla, Rescriptum.* — Bouix, *De Principiis Juris canonici;* et *De Curia Romana.*

[2] *V.* De-Luca, *Il Dottore volgare*, l. xv, c. 4. — Bouix, *De Curia Romana*, p. II. — Aichner, *Compend. Juris canonici*, § 104.

Prima est *Congregatio Concilii* (nempe *Tridentini*). Pro Tridentini observantia a Pio IV et V primum instituta; deinde a Sixto V, Constitutione *Immensa* 1587, donata est potestate Concilii decreta etiam interpretandi in iis, quæ morum aut disciplinæ reformationem respiciunt, si dubium præseferre videantur. Tota ex Cardinalibus coalescit, qui *Patres Sacrosancti Concilii Tridentini Interpretes* nuncupantur; eorum unus Præfecti Congregationis titulo insignitur [1].

Secunda est *Congregatio Episcoporum et Regularium*, ab eodem Sixto erecta, quæ tota pariter ex Cardinalibus constat, atque in bonam Diœceseon Episcopalium totius Orbis Catholici administrationem intendit; quæque hodie etiam Regularium utriusque sexus controversias suscipit dirimendas. Cui Congregationi Gregorius XVI, anno 1834, consultores adjunxit. — Huc accedit alia Congregatio *super statu regularium* a Pio IX Encycl. *Ubi primum* 1847 instituta tota ex Cardinalibus, cujus est statuere et perficere quæ ad cujusque religiosæ familiæ incolumitatem conferunt atque prosperitatem [2].

Tertia est *Congregatio de Propaganda* (fide) a Gregorio XV Constitutione *Inscrutabili* 1622 fundata: tota ex Cardinalibus conflata, cujus est munus in propagationem Catholicæ fidei incumbere [3]. Ad eam pertinet Collegium Romæ fundatum ab Urbano VII dictum *de Propaganda fide*, in quo ad Missionariorum officia in terris infidelium exercenda alumni ex diversis mundi partibus instituuntur. — Huic Congregationi res religiosæ Orientalium commissæ erant; cum tamen ejusdem curæ et occupationes majores fierent in dies, Pius IX Literis Apostolicis *Romani Pontificis*, datis 6 jan. 1862, instituit specialem et stabilem Congregationem sub titulo *de Propaganda fide pro negotiis ritus Orientalis*, quæ Orientalium libris corrigendis, omnibusque et singulis cujusque generis Orientalium negotiis tractandis unice operam navet, quæque constet ex nonnullis ejusdem Congregationis fidei Propagandæ Cardinalibus, atque a Generali ipsius Congregationis Cardinali Præfecto pendeat et proprium habeat Secretarium, proprios Consultores ac Officiales.

Quarta est *Congregatio Sacrorum Rituum*, quem Sixtus instituit anno 1587; in ea locum habent præter Cardinales etiam Consultores, Prælati vel Regulares. Munus ejusdem est quæ ad Liturgiam sacram pertinent definire, dubia declarando, etc; Episcopus enim non potest esse judex ad illa terminative definienda, ut respondit ipsa S. Con-

[1] *Cette Congrégation des Cardinaux interprètes du Concile de Trente n'est elle pas, de la part des Pontifex Romains, une protestation permanente contre tout ce qui, à leur insu et sans leur consentement, tendrait a dèroger aux décrets de ce Concile?* Gousset, *Exposition des principes du Droit*, etc.

[2] *V.* dicenda, *De obligationibus religiosorum*, n. 671.

[3] *V.* Bergier, *Dizionario* ecc. V. *Missioni straniere*. — Et Lib. IV, ad *Append.*

gregatio 11 junii 1605 Beatificatio atque Canonizatio Sanctorum inter officia hujus Congregationis referuntur.

Quinta est *Congregatio Indicis* (librorum prohibitorum) a Pio V primum erecta; hæc curam gerit librorum, qui publicam in lucem eduntur, ne quid per eos contra religionem et bonos mores inter Christi fideles propagari valeat in præjudicium Catholicæ fidei, vel contra bonos mores vel hominum pietatem [1].

Sexta est *Congregatio Sancti Officii*, et dicitur *Suprema*. Hujus autem officium est inquirere (et ideo dicitur etiam *Congregatio Sanctæ universalis Inquisitionis)*; et cognoscere de hæresi, de hæresis suspicione et aliis irreligiositatibus, libros etiam hac de re damnando. Item fert sententias doctrinales circa dubia sibi proposita: sic ab ea multæ editæ sunt decisiones quoad usuram et magnetismum. Hæc a Paulo III fundata, a Paulo IV aucta, a Sixto V perfecta est [2]; præsidem autem habet ipsum Romanum Pontificem, quando res est de negotio gravi.

Septima est *Congregatio Indulgentiarum* a Clemente IX anno 1669 erecta; cujus est indulgentias vulgare ac dirimere quæstiones omnes, quæ circa hanc materiam contingere possunt [3].

Octava est *Congregatio* ab Urbano VIII instituta, nempe *Immunitatis* ecclesiasticæ realis, personalis et localis. Ejus inspectio est cognitio causarum hac de re [4].

An (quæres) *obligent declarationes Sacrarum Congregationum?*

R. Si agitur de illo loco vel persona particulari, pro qua istæ declarationes eduntur, certum est quod obligant in conscientia, uti constat ex Bullis erectionis, a quibus talis facultas fuit illis tributa. Imo loquendo speciatim de decretis S. Congregationis Rituum, Sixtus V ea tanti fecit, ut semel ac a Cardinali Præfecto signata sunt, ipsam Capellam Pontificiam iisdem subjecerit. — Si vero quæratur an tales declarationes ad particulares missæ habeant vim legis pro tota Ecclesia, putant Sanchez, Bonacina, Layman et alii eas, licet sint maximæ auctoritatis, tamen non obligare omnes, nisi sint emanatæ de mandato Pontificis, et speciatim editæ pro tota Ecclesia in forma Decreti generalis; quia cum istæ declarationes fiant de rebus dubiis, in quibus extant diversæ opiniones circa legis intelli-

1 Si hæresim sapiant, libri prohibentur etiam tum a Congregatione S. Officii, tum immediate a Pontifice peculiaribus *Brevibus* ac *dogmaticis Constitutionibus*.

2 Hodie tamen in pluribus hujus Congregationis partes agere solent ipsi locorum Ordinarii tanquam Sedis Apostolicæ delegati, qui cum viciniores sint, citius propria auctoritate malo occurrere valent. — V. *De hæresi* dicenda.

3 *V.* Scotti, *Teoremi*, pars II. — Item *De Pœnitentia*, ubi De indulgentiis.

4 *V.* Scotti, *Teoremi*, pars IV. Est alia instituta Congregatio negotiis extraordinariis præposita ad providendum tot calamitatibus in præteriti ac currentis sæculi perturbationibus: vide Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, t. I, pag. 238.

gentiam, habentur uti novæ leges, quæ proinde nova indigent promulgatione in universam Ecclesiam, ut illam obligare valeant.

Verum commune est inter canonistas cum Laurenio, Barbosa, Clericato, Diana, Fagnano, Garcia, Pignatelli, Schram, Ursaja, etc. [1], declariationes Ss. Congregationum non solum vim decisivam in illo particulari casu proposito et respectu personarum proponentium tantum, sed vim legis universalis habere in utroque foro, et obligare, semel ac constat illas authenticas esse saltem evulgatione aut usu plurium annorum, vel relatione auctorum ipsas referentium. Sane illæ interpretationes seu declarationes sunt legales quæ fiunt nomine et auctoritate legislatoris; atque tales sunt illæ quæ a Romanis Congregationibus emanant: si quidem Pontifex hanc illis potestatem elargitus est; illarum enim *voce* (ut ait Benedictus XIV) Sedes Apostolica, *suas declarat sententias* [2]. Excipe nisi agatur de illis declarationibus quæ speciales respiciunt casus, quæ nempe sive ob peculiaria adjuncta, sive ob peculiarem locorum conditionem, diversimode resolvuntur: quod quidem satis colligi potest ex ipsa casus expositione et facto *(L)* [3].

Neque requiritur promulgatio: hæc enim necessaria est in legibus quæ novum jus costituunt, non item in declarationibus legum quæ legibus ipsis intrinsecæ sunt, et proinde non faciunt jus novum; sed solum jus quod antea aderat, manifestant atque declarant. Aliud est, si a S. Congregatione edantur decreta per modum novæ legis; tunc ad instar aliarum Constitutionum Apostolicarum solemnis fit Romæ promulgatio et affixio locis consuetis, ut videre est in Decretis *de apostatis et ejectis; de rebus regularium non alienandis*, etc.

186. *Quid de sacris tribunalibus Romæ existentibus?*

R. Tribunalia quæ ad jus dicendum vel gratias concedendas Romæ pro bono christiani orbis sunt instituta, sunt:

1. *Pœnitentiaria*, tribunal ad gratias quasdam in foro interno elargiendas: absolvit a peccatis et censuris Papæ reservatis, dispensat in votis, in irregularitatibus, in matrimonii impedimentis occultis; ac dubia practica *solvit in materia peccatorum, seu forum pœnitentiale alias quomodolibet concernentia, cum consilio Doctorum et Theologorum suorum:* ita in Bulla *Pastor bonus* 1744 Benedicti XIV. Ex quo patet quanta sit ejus auctoritas, et quanti sit facienda illius responsio; ideo magis quia in omni re gravi fit summo Pontifici relatio, ad cujus mentem ea resolvitur.

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 106, in hanc sententiam descendit suis limitationibus, ut videre est penes Bouix, *De Curia Romana*, p. III. Item in Opusc. *Il Vicario capitolare, il Capitolo e il Clero di Milano, osservazioni* di Neodico. Milano, Pogliani, 1862.

[2] Notificatione LXXVI, n. 8. De hac quæstione fusius Bouix, loco cit; et Zamboni, *Collectio declarationum S. C. C.*, t. VIII, supplem.

[3] *V.* De-Luca, *Annot. in Trident.*, diss. I. — Vecchiotti, *Instit. Canon.*, l. I, c. I, § 6.

2. *Dataria:* amplissimum tribunal ratione negotiorum quæ ibi referuntur, et gratiarum quæ ab eo expediuntur: ad illud nempe pertinent dispensationes pro foro externo super matrimonii impedimentis, irregularitatibus, votis, juramentis, collatio beneficiorum majorum ac reservatorum, etc. Hac de re vide Bulla *Gravissimum* Benedicti XIV, 1745.

3. *Fabrica S. Petri:* est congregatio pluribus Cardinalibus composita, cui committitur cognitio onerum ac reductio Missarum, legatorum, piarumque fundationem et similia, ut dispenset, componat ac provideat in Domino [1]. Hæc institutio a Julio II primum, a Leone X, Clemente VII, Pio IV et Sisto V, ut ita dicam inchoata, stabilitatem obtinuit a Clemente VIII. De hac tamen re etiam S. Congregatio Concilii judicium profert.

4. *Rota* (Sacra): tribunal ubi controversiæ maxime beneficiales discutiuntur. Decisiones Sacræ Rotæ frequenter citantur, et maximi sunt ponderis, cum non dentur nisi cum maturitate summa: Rota enim solet nuncupari *auriga et magistra omnium tribunalium.* Attamen non faciunt jus; nam, ut habet De-Luca, non est nisi simplex tribunal potestate instructum ferendi sententias juxta jura, et in causis particularibus partes litigantes tantum obligantes. Ejus judices *Auditores Rotæ* dicuntur; ex Sisto IV duodecim sunt: octo itali, duo hispani, unus gallus et unus germanus.

5. *Cancellaria:* est tribunal per quod Literæ Apostolicæ conficiuntur, scribuntur et expediuntur; antiquitate præstat; illi vero Cardinalis, *Vice-cancellarius* dictus, præest; sed mortuo Pontifice cessat illius jurisdictio, et sigillum pontificium rumpitur. Præcipui officiales a Pio VII designati sunt regens, custos, abbreviatores, registratores, computistæ, etc. Hoc tribunal suas speciales ac firmas regulas habet *Regulas Cancellariæ* nuncupatas [2].

187. *Quid de regulis Cancellariæ statuendum est* [3]*?*

R. *Regulæ Cancellariæ* sic dictæ a Cancellaria Romanæ Curiæ, qui iis sicut firmis regulis uti debet, sunt certæ Pontificum ordinationes, quæ respiciunt tum et maxime reservationes beneficiorum, tum judiciales processus, tum modum hæc omnia negotia pertractandi. Hinc hæ regulæ aliæ dicuntur *reservatoriæ*, aliæ *judiciales*, aliæ *directivæ*. Primus illas scripto mandavit Joannes XXII; sequentes Pontifices et præcipue Nicolaus V eas numero auxerunt; adeo ut modo

[1] *V.* Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. ult. — Ferraris; V. *Missa ut sacrificium*, a. 2; et *Congregationes R. Ecclesiæ* (art. novissimus). Ceterum vide dicenda *De Sacrificio Missæ* ubi de reductione Missarum.

[2] *V.* Moroni, *Dizionario* ecc. V. *Cancelleria Apostolica.*

[3] Quoad Cancellariæ regulas erit etiam *De beneficiis.* Item vide Ferraris; V. *Beneficium.* — Garcias, Gonzales, Rigantius, Gousset, et Moroni, *Dizionario*, h. t.

septuaginta duæ recenseantur. Sede suprema vacante, nullius fere habentur roboris; sed Sede plena, illico confirmantur et illico obligant, cum sint veræ leges, nisi iis per Concordata vel consuetudines derogatum sit, prout revera in pluribus derogatum fuit *(M)*.

188. Q. 9. *An deceat Moralistam versatum esse in Jure canonico?*

R. Utique decet Moralistam versatum esse in Jure canonico et canonica Jurisprudentia; nam *Theologis, qui Pontificum Canones ignorant, nimis multa desunt ad usus Theologiæ necessaria*, inquit Melchior Canus [1]. *Licet autem præcepta vivendi ex parte in Scriptura tradantur; tamen* (ait cardinalis Turrecremata) *doctrina morum in specie secundum gradus singulos et ordines officiorum Ecclesiæ sine Juris Ecclesiastici cognitione non habetur* [2]. Hinc Jurisprudentia canonica noncupatur etiam *Theologia directrix et practica*, quatenus nempe canonicum jus solerter rimatur, interpretatur et applicat. Et Cœlestinus Papa: *nulli sacerdotum liceat canones ignorare* [3].

Scholium. — *De temporali Romani Pontificis potestate* [4].

189. Haud possumus eos gravissime non redarguere, qui Romanum Pontificem civilis sui imperii honore ac dignitate spoliare cupiunt, ut sic melius Ecclesiæ studeat; cum potius singulari prorsus divinæ Providentiæ consilio factum sit, quod civilem Principatum hac de causa haberet, ut ad ipsam Ecclesiam tuendam plena potiretur libertate. *Namque omnibus compertum est* (ait Pius Pp. IX Allocutione *Quibus quantisque*, 20 apr. 1849) *fideles, populos, gentes, regna nunquam plenam fiduciam et observantiam esse præstituros R. Pontifici, si illum alicujus Principis vel Gubernii Dominio subjectum ac minime liberum esse conspicerent. Siquidem fideles populi et regna vehementer suspicari ac vereri nunquam desinerent, ne Pontifex idem sua acta ad illius Principis vel Gubernii, in cujus ditione versaretur, voluntatem conformaret, atque idcirco actis illis hoc prætextu sæpius refragari non dubitarent. Et quidem dicant vel ipsi hostes civilis Principatus Apostolicæ Sedis... quanam fiducia et observantia ipsi essent excepturi hortationes, monita, mandata, constitutiones summi Pontificis; cum illum cujusvis Principis aut Gubernii imperio subditum esse cognoscerent, præsertim vero si cui subesset Principi, inter quem et Romanam Ditionem diuturnum aliquod ageretur bellum* [5]?

190. *a)* Hoc adeo verum est, ut vel ipse Napoleon primus, qui aliquando Ecclesiæ civilem Principatum sacrilege usurpaverat, id ul

1 *De locis Th.*, l. VIII, c. 6. — Ferraris; V. *Jurisprudentia.*
2 *Summa de Ecclesia.* — *V.* Gousset, *Exposition des principes du Droit canonique*, n. 14.
3 Cap. *Nulli*, dist. XXXVIII.
4 De hoc fusius Parte IV, *Append.* contra omnia adversariorum objecta.
5 Idipsum Pius IX tuetur Allocut. *Si semper* 20 maji 1850; Literis Apostolicis *ad Apostolicæ* 22 aug. 1851; Literis Apost. *Cum catholica Ecclesia* 26 martii 1860; Allocut. *Novos* 28 sept. 1860; Allocut. *Jamdudum* 18 martii 1861; Allocutione *Maxima quidem* junii 1862; Allocut. *Maxima cura*, et *Syllabus* 8 dec. 1864, § 9. Tandem Allocutione 29 oct. 1866 *Non semel.*

tro fassus sit: « Il Papa, custode dell'unità cattolica, è una mirabile istituzione. Rimproverasi a questo Capo di essere un Sovrano straniero: egli è straniero, ma bisogna ringraziare il Cielo ch'egli sia tale. Sarebbe mai sì forte la sua autorità in paese non suo e davanti al potere dello Stato? Il Papa è fuori di Parigi; e questo è un bene: noi ne veneriamo l'autorità spirituale, appunto perchè egli non è nè a Madrid nè a Vienna; a Vienna e Madrid si dice lo stesso. È un bene universale, ch'egli non risieda presso di noi nè presso i nostri rivali; ma nell'antica Roma, lungi dalle mani degli imperatori alemanni, lungi da quelle dei re di Francia e dei re di Spagna, tenendo la bilancia fra i sovrani cattolici, inclinando un poco verso il più forte, e rialzandosi tosto contro di esso, quand'egli diventi oppressore. Questa è opera dei secoli, ed i secoli l'hanno fatta bene; è istituzione la più savia e benefica, che si possa immaginare nel governo delle anime [1]. »

Res ergo totius catholici orbis agitur, cum agitur de civili Romani Pontificis principatu; et catholici universi jus suum prosequuntur, dum illum vindicant atque tuentur. Ad rem cl. episc. Dupanloup in sua celeberrima Protestatione 3 sept. 1859: « Lasciati da parte i rancori delle fazioni, leviamoci alla vera altezza della questione, ponderando colla dovuta gravità, e sino al fondo delle cose, i grandi interessi cattolici impegnati in questo conflitto. Si parla di rispettare il voto dei popoli. Or bene, noi cattolici, anche noi siamo un popolo, noi siamo duecento milioni sparsi sulla superficie della terra; e sta fra i più cari e più sacri nostri interessi, che la sovranità temporale del Papa, intimamente connessa colla dignità, con l'indipendenza e colla libera azione della Chiesa, non patisca verun detrimento. Noi non permetteremo, e la coscienza cattolica non può permetterlo, almeno senza un'energica protestazione (che sarà udita da Dio, perchè protestazione del diritto e della debolezza contro la violenza e l'oppressione), no, non permetteremo che s'intacchi il Papato, o che esso sia moralmente sbalzato dal trono col vitupero di subdoli costringimenti. Si dice potersi toccare il Sovrano, senza offendere il Pontefice. Fuori di dubbio il potere temporale non è d'istituzione divina: chi nol sa? ma desso è d'istituzione provvidenziale; e chi nol vede? Certo, per ben tre secoli i Papi non ebbero che l'indipendenza del martirio, ma per fermo anche allora essi avevano diritto ad altra maniera d'indipendenza; e la Provvidenza che li sosteneva visibilmente, ma che non opera sempre per via di miracoli, stabilì sopra la sovranità più legittima che siavi in Europa, la libertà e l'indipendenza necessaria alla Chiesa. La storia il dimostra invincibilmente; tutti i grand'uomini così pensarono, ed i veri politici ben lo sanno. »

« I Papi non sono divenuti principi (ita fere Segur), se non quando vi furono obbligati per mantenersi nella loro indipendenza come capi della Chiesa. Ogni cosa vuole il suo tempo: ai tempi delle persecuzioni e del martirio le catacombe; ai tempi del trionfo e della pace, il trono. Che ci vedete voi qui di strano [2]? »

Quod vel ipsi protestantes, etsi tot falsis opinionibus affecti in catholicismum, attamen vi veritatis inducti lubenter fassi sunt. Inter ceteros doctus Guizot nuperrime ajebat: *compiendo e per compiere la sua missione religiosa, esercitando e per esercitare il suo potere spirituale*,

1 *V.* Thiers, *Storia del Consolato e dell'Impero.*

2 *Risposte brevi e familiari* etc. § 23 et seqq. — *V.* etiam brevis Allocutio Pii IX habita 25 martii 1862. (*Armonia*, Giorn. 1862, 1 apr., n. 76.)

il Papato ha avuto bisogno, assolutamente bisogno, di indipendenza e di una certa misura di autorità materiale. Esso la acquistò, dapprima in Roma, poi attorno a Roma, poi in altre parti dell'Italia, successivamente e a titoli diversi: primo come magistratura municipale, poi come proprietario territoriale, e in virtù del potere politico inerente allora alla proprietà; poi a titolo di sovranità piena e diretta. Le possessioni e il governo sono venuti al Papato come un'appendice naturale, e un appoggio necessario alla sua grande posizione religiosa e a misura che questa posizione si andava svolgendo, ecc. [1].

191. *b)* Si tantopere expedit publico bono vel ex ipsa politicorum confessione, ut Pontifex jus istud suum conservet et exerceat, ut quid adhuc nonnulli tanto impetu adoriuntur temporalem Papæ dominationem? Qui pietatem colunt, qui gloriam quærunt, qui gratitudinem curant, illam vindicare coguntur. Diximus *qui pietatem colunt;* nemo sane cordatus amat patris sui dignitatem, majestatem, potentiam deprimere ac pessumdare. *Qui gloriam quærunt;* nam splendor temporalis principatus quo Pontifex decoratus est, per totum catholicum orbem refulget; patrem etenim ac principem veneraturi concurrunt universi: at gloria patris et principis est gloria filiorum et subjectorum. *Qui gratitudinem curant;* a quonam (quæso) profligata barbaries, depulsata ignorantia, fugata injustitia? quemnam pauperum, pupillorum, populorumque jura vindicem suum salutant? quinam commercia instituit, confederationes inivit, artes fovit, omnibus uno verbo præsto fuit, cum omnia ad interitum in Italia et ubique ruerent? cuncta hæc a RR. Pontificibus nulli subditis potestati in civilibus, repetenda esse historia conclamat [2].

In eos qui in Petri patrimonium sacrilege irrumpunt, vel illud invadere, labefactare, dividere assensu, opera, consilio connituntur (parvipendentes majorem excommunicationem aliasque ecclesiasticas pœnas [3], quas ipso facto et reservatas incurrunt) apprime faciunt verba quibus d. Bernardus sua ætate rebelles Romanos coarguebat: *cur Regem terræ, cur Dominum cœli furore tam intolerabili in vos pariter provocatis, dum sacram et Apostolicam Sedem divinis regalibusque privilegiis singulariter sublimatam ausu sacrilego incessere suoque minuere honore contenditis, quam vel soli contra omnes, si opportuisset, defendere debuistis? Sic fatui Romani, non judicantes neque quod honestum est discernentes, caput vestrum atque omnium, quod in vobis est, deturpatis? pro quo magis nec vestris ipsis cervicibus parcendum a vobis foret, si necessitas exegisset? Patres vestri Urbi orbem subjugaverunt; vos Urbem properatis orbi facere fabulam* [4].

192. *c)* Hoc temporale R. Pontificis dominium nulli juri repugnat. — Non repugnat *juri humano*, cum certe nullum hac de re jus prohibens allegari possit. — Non repugnat *juri divino:* imo in veteri Testamento plura occurrunt exempla quæ nobis favent: sic Moyses, Deo auctore, et princeps temporalis et summus Pontifex erat [5]; Heli

[1] *L'Église et la Société chrétienne en* 1861.

[2] Hæc fuse probat ipse Gioberti, *Del Primato morale e civile degli Italiani.* — *V.* Alimonda. *Il Dogma dell'Immacolata;* ragion. VI: *Il Pontefice tra i morti ed i vivi.* — Boccalandro, *Dei benefizi arrecati dai Papi all'umanità; conversazioni tra un giovane ed il suo parroco.* Torino, 1867.

[3] Trident., sess. XXII, c. 11 *de R.* — Bulla *Cœnæ;* et cap. *Etsi Dominici,* v de pœn. et remiss. — Encycl. Pii IX, 26 sept. 1859, et ceteræ subsequentes.

[4] Epist. CCXLIX. En Bernardus ille, quem adversi pro se stolide citare audent, nonnullos illius textus intorquentes, mutilantes, adulterantes. — *V.* Nardi, *S. Bernardo, Santa Caterina, Carlo Magno se contrari al dominio temporale.*

[5] Exod. XVIII.

similiter fuit et Pontifex et judex politicus [1]; idem de Machabæis dicendum. — Non demum repugnat *juri naturali;* sane potestas Ecclesiastica, ut argumentatur Cercià, et potestas politica non sunt contrariæ; sed utraque bona, utraque a Deo, utraque laudabilis et una alteri servit: ac proinde sine ulla principiorum pugnantia in eodem esse possunt. Imo, re per se inspecta, et ceteris paribus, multo melius in uno quam in duobus esse possunt; siquidem si sint in uno, facilius unitas servatur et conspiratio duarum potestatum; et custoditur subordinatio potestatis temporalis ad spiritualem, ac vitatur lucta et conflictus, qui inter utramque oboriri possit [2]. Nonne in lege naturæ Sancti multi extiterunt, qui simul reges et Pontifices fuere? Melchisedech fuit rex et pontifex [3]; Noë, Abraham, Isaac et Jacob præfuerunt suis tum in religione tum in vita politica; imo olim primogenitus et rex et pontifex erat [4].

d) Dominatio temporalis R. Pontificis legitimis titulis innititur; cum ei donata fuerit a Pipino, Carolo Magno, imo potius a spontanea populorum deditione. Qua in re audiendus cl. Peraldi [5]: « Trasferita la sovranità di questi Stati nei Pontefici Romani non solo per le donazioni dei principi che li conquistarono, ma per la formale volontaria dedizione dei popoli, confermata e ratificata per il consenso di oltre a mille e cento anni; le generazioni posteriori e presenti trovano già in mano dei Papi questa sovranità, di cui non possono ripeterne l'esercizio, perchè legittimamente fatto di altrui diritto. »

Ad rem Ventura: « La Provvidenza che armonizza in un modo tanto maraviglioso le vicissitudini degli Imperi e della Chiesa, si servì della fede di certi popoli, e della pietà di certi principi, come degli errori e dei delitti d'altri popoli e d'altri principi, per costituire un Potere temporale al Capo visibile della Chiesa. In guisa che questo potere regio, uscito come un fatto necessario, logico e provvidente dalla nuova condizione religiosa e politica del mondo, è il solo che non deve nulla alla sorte delle battaglie, che non ha costato nè goccia di sangue, nè lagrime a' popoli: ed il solo che possa ricordare la sua origine senza rossore... Ma la cosa non sarebbe affatto risoluta d'una maniera seria, se il Vicario di G. C., nell'interesse della sua indipendenza ecclesiastica, non fosse che il capo politico d'un territorio molto limitato... Forse che la cristianità potrebbe vedere senza pena il suo augusto Capo solamente sovrano temporale del ducato di Modena o della repubblica di S. Marino? Era dunque necessario che il Papa avesse una sovranità politica di qualche importanza e di qualche estensione per prevenire ogni tentazione dalla parte de' principati vicini di far del Papa il loro cappellano o il loro zimbello [6] ».

193. *Undenam* (inquies) *tam inexorabile impiorum odium contra temporalem Sedis Apostolicæ principatum?*

1 1 Reg. 1 et IV. 2 Cercià, *Tract. de R. Pontifice;* Append.
3 Gen. XV et Hebr. VII. 4 D. Hieronymus, *In quæst. hebraica.*
5 Peraldi, *Del civile Principato della Chiesa Romana;* it. aliud Opus ejusdem, *Memorie sulle inviolabilità delle instituzioni del Governo Pontificio.* — V. *Civ. catt.*, vol. IV, ser. 4ª: *Ragioni e diritti de' Papi al principato.* Hic etiam citari potest Anglia et Russia, ubi *rex* est simul *papa;* verum non ita ad rem: *immensa differenza corre tra il* Papa-re *e il* Re-papa. *Pel primo il regio potere è un'appendice ed una conseguenza del potere pontificale, a cui resta subordinato e gli serve di guarentigia; pel secondo, coll'inversione dei termini, s'inverte eziandio un tal concetto, e il potere pontificale si concepisce quale appendice e conseguenza del potere regio a cui resta sottoposto e serve come di mezzo. In tal guisa la religione diventa stromento di politica; e come la politica non trae altronde l'origine che dall'uomo, umana e non divina apparisce per ciò solo una così fatta religione.* Civ. Catt. ser. 6ª, t. XI: art. *L'abolizione della Chiesa officiale in Irlanda.*
6 *V.* Ventura, *Saggio sul potere pubblico,* c. XIII, §§ 69 et seqq.

R. Cum clarissimo auctore opusculi, *La Rivoluzione:* « La rivoluzione non odia il Papa-re, che per colpire il Papa-Pontefice: « È d'uopo scat- » tolicizzare il mondo (scrive un Capo della *Vendita* dell'Alta Italia): » non cospiriamo che contro Roma: la rivoluzione nella Chiesa è la » rivoluzione *in permanenza;* è il rovesciamento sicuro de' troni e delle » dinastie: la cospirazione contro la Sede Romana non dovrebbe con- » fondersi con altri disegni. » — « La rivoluzione (diceva testè una log- » gia italiana di Carbonari in un documento segreto), la rivoluzione » non è possibile, che ad una condizione: *il rovesciamento del Papato;* » fintantochè Roma sia, le rivoluzioni di fuori, le rivoluzioni in Fran- » cia non riusciranno mai che a risultati secondari; e sebbene deboli » come potenza temporale, i Papi hanno tuttavia una forza morale » immensa. Egli è dunque contro Roma che debbono tendere tutti i » conati: per distruggerla tutti i mezzi sono buoni: appena rovesciato » il Papa, tutti i troni si sfasceranno da sè [1]. »

Art. II. — *De Auctore legis civilis.*

194. Q. 1. *An principes potestatem habeant ferendi leges?*

R. Certum est principes sæculares habere potestatem ferendi leges, sed *circa res mere civiles*, et subditos in conscientia obligandi.

Probatur 1. *Ex Scripturis:* Apostolus Petrus scribit: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia sic est voluntas Dei* [2]: ubi vides non solum principi ipsi tanquam Dei ministro, sed etiam publicis officialibus tanquam principis ministris nos subditos esse debere, sic volente Domino et propter ipsum Dominum, ideoque in conscientia. Et Paulus ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* [3]: quibus verbis omnes contra legitimos principes tumultus et seditiones rigorose prohibentur; sed submissio, et obedientia ipsis præstanda præcipitur. Onus autem obediendi in subditis supponit in principibus jus imperandi, ideo et leges condendi.

2. *Ex traditione:* omnes enim Ecclesiæ Patres atque Doctores constantissime docuerunt principum sæcularium legibus omnino esse in conscientia, ideoque sub pœna peccati obtemperandum; imo Suarez doctrinam hanc dicit esse de fide vel proximam fidei. Atqui fallax esset, imo ridicula doctrina hæc, si principes non haberent veram potestatem imperandi seu ferendi leges.

[1] Segur, *La Rivoluzione.* Torino, 1861, pag. 19.
[2] Ep. I, c. 2. [3] Rom. XIII.

3. *Ex ratione:* principes sæculares tenent a Deo potestatem regendi subditos juxta illud: *per me reges regnant, per me principes imperant* [1]; atqui nec reges regnare, nec principes imperare dici possent, si non possent ferre leges. — Ceterum advertendum hanc potestatem civilem, quam singuli principes tenent, non esse a Deo immediate, sed mediante societatis civilis consensu; jus enim divinum generatim nulli homini particulari tribuit hanc potestatem, ergo tribuit multitudini; multitudo autem illam transfert in unum vel plures, cum non possit per se ipsam exercere. At semel translata, accedit Dei auctoritas, et jus naturale ac divinum, quod statim obligat ad parendum electo vel electis eorumque legitimis successoribus (secus dici non posset, quod reges per Deum regnant, bene vero per populum): quare non licet contra ipsos insurgere. « Hinc et contra Deum faciunt, et lugubriter ac cum ingenti publicæ tranquillitatis dispendio errant, uti notat Stapf, qui omnem potestatem ex populo derivantes, principem nonnisi tanquam summum ejusdem officialem et mandatarium, et ad nutum amovibilem, sistunt [2]. » Et Pius IX in suo *Syllabo* damnavit hanc n. 63 propositionem: *legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet (N).*

Merito autem diximus principes sæculares non posse ferre leges, nisi *circa res mere civiles;* quia sicuti Ecclesia ut talis, leges civiles condere non potest, ita nec princeps sæcularis leges ecclesiasticas; quia nemo potest exercere jurisdictionem, nisi circa res suo regimini subjectas. Neque principibus, sed Apostolis eorumque successoribus commissum fuit depositum fidei nostræ, iisque solis dixit Christus: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit,* ut ait Gregorius XVI Encyclica *Commissum,* anno 1835 [3]. Hinc Pius IX in *Syllabo* laudato proscripsit hanc sub n. 39 propositionem: *reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.*

195. *Sed* (quæres) *quinam sunt principes, quibus hæc legum ferendarum potestas inhæret?*

1 Prov. VIII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.,* l. I, n. 104.

2 V. *Civiltà cattolica,* vol. IV, serie 4ª: *Dilemma proposto in un pranzo patriottico.* — Zellinger, *Instit. Juris naturalis,* § 204. — Bianchi, *Della podestà della Chiesa,* t. I, l. I. — Stapf, § 469. — Taparelli, *Saggio* ecc., § 503, etc. — Gregorius XVI, *Il Trionfo della S. Sede e della Chiesa contro gli assalti dei novatori combattuti e respinti colle stesse loro armi;* discorso proemiale.

3 Qua in re juvat præ oculis semper habere, quod Osius Cordubensis episcopus apostolica libertate ad Constantium imperatorem scribebat: *ne te rebus misceas ecclesiasticis, neque nobis his de rebus præcepta mandes, sed a nobis potius hæc ediscas: tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit: metue, ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias.* — *V.* Pallavicini, *Storia del Concilio di Trento,* c. XIX, § 14. — Torricelli, *Dissertazioni* ecc., vol. II, diss. II, n. 28.

R. Sunt qui suprema gaudent auctoritate, uti imperator pro suo imperio, rex pro suo regno, respublica pro suis subditis, et civitates ab aliena jurisdictione exemptæ, pro suo territorio. Ratio generalis est, quod præpositi communitatis perfectæ, quæ nempe sibi sufficit, ex natura proprii officii legislativam potestatem habere debent, utpote necessariam ad recte ac convenienter communitatem ipsam regendam. In guberniis autem *repræsentativis* potestas legislativa ad solum regem non pertinet, sed etiam ad legatos tum a rege tum a populo electos.

196. *Quid* (addes) *de tyrannis et usurpatoribus?*

R. Qui justo titulo possidet regnum, sed illud male administrat, plures injustitias et immanitates committendo, tyrannus *administratione* seu *regimine* dicitur (a græco verbo *tyro*, quod cruciare et vexare significat). Ipsi ejusque legibus profecto obtemperandum est, clamante d. Petro: *Subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis* [1]. Et Augustinus, ut unum ex Patribus citemus, habet: *etiam nocentium potestas non est nisi a Deo; in libro Job scriptum est, qui regnare facit hypocritam hominem propter perversitatem populi. Et de populo Israel dicit Deus: dedi eis regem in ira mea. Injustum enim non est, ut improbis accipientibus nocendi potestatem, et bonorum patientia probetur et malorum iniquitas puniatur. Nam per potestatem diabolo datam et Job probatus est, ut justus appareret; et Petrus tentatus est, ut non de se præsumeret; et Paulus colaphyzatus, ne se extolleret; et Judas damnatus, ut se suspenderet* [2]. Id tamen intelligitur si præcipiantur quæ licite præstari queunt; alioquin martyres imitari tenemur, qui mortem potius passi sunt quam tyrannorum iniqua præcipientium voluntati parere *(O)*.

Quoad usurpatorem vero seu alterius regni invasorem spectat, qui scilicet per vim occupat aliquem Statum iniquiter expoliando de eo legitimum dominum (qui tyrannus *titulo* dici solet) in ipso invasionis actu non est illi obtemperandum, cum ex una parte sit fur et latro, ex altera parte nulla sit ratio bono publici ut ei debeamus subito cedere et obedire; et ideo cum facultas adest, possumus tale dominium repellere. Si vero injuste jam occupato alieno Statu, deinde illum pacifice teneat, tunc tenemur ejus legibus bonum publicum et honestum promoventibus obtemperare ad vitanda gravissima mala, quæ aliter orirentur; non enim diu societas sine legibus, et sine supremo ordinante stare potest. Neque ideo aliquid detrahitur legitimo principi: *quia rex ejectus rempublicam administrare nequit, ideo subditi qui se invasori subjicerunt ubi is in quieta*

[1] 1 Petr. II. [2] *De nat. bon.* contra Manich.

fuerit possessione, eidem tenentur obedire, non quidem ex invasoris jure quod nullum est, sed ob universale bonum; ex quo ille etiam qui jus imperandi habet, velle non potest, ut populus intereat potius, quam invasori se submittat: quare et vi obligationis rectoriæ tenetur juramentum fidelitatis non urgere. Quamprimum autem subditi ab imperante defendi possunt, jam obligantur ad eum redire; quia juri alteri quæsito in perpetuum præjudicare nequeunt [1]. Et factum usurpationis de se nullum jus tribuit invasori, qui cum sit in mala fide non potest præscribendo sanare possessionem suam; neque enim *jus in materiali facto consistit;* quod asserere damnavit Pius IX in *Syllabo*, propositione 59 et seqq. *(P).*

197. Q. 2. *Quid de Corpore Juris civilis?*

R. Corpus Juris civilis est complexus legum, quas Justinianus imperator sæculo VI, opera præsertim Triboniani jurisconsulti celeberrimi, in unum collegit et edidit pro imperii regimine.

Constat autem tomis duobus: primus continet *a) Institutiones*, seu Elementa Juris universi in quatuor libros distributa; *b)* Leges collectas ex veterum Jurisconsultorum scriptis, et hæc collectio appellatur *Digestum,* quasi nempe auctor in ordinem ibi *digesserit* universa, quæ pertinent ad Jus civile et ad Jurisprudentiam universalem. A Græcis nuncupatur *Pandecta* (a græco *pan* omne et *dechomai* continere), quasi nempe omnia complectens, quæ Jurisprudentiam spectant. — Secundus tomus continet alteram collectionem decisionum et legum, quas postea edidit ipse Imperator sub *Codicis* nomine. Codici accedunt Constitutiones recentiores, quas vocant *Authenticas* et etiam *Novellas;* quia quasi de novo editæ sunt [2].

Hæ leges constituebant *Jus romanum,* quod cum lege ecclesiastica efficiebat *Jus commune*, ita nuncupatum, quia per tot sæcula obtinuit in orbe. Sed a sæculo XVIII omnia fere regna suos condiderunt Codices, prout innuimus in Proœmio.

198. Quoad civiles leges tria notamus cum s. Alphonso nostro:

1. Leges civiles expresse approbatæ a jure canonico, sine dubio obligant etiam in foro conscientiæ: talis v. g. est lex Justiniani *(Novell.*,

1 Zellinger, *Jus naturæ publicum,* l. III.

2 Institutiones sic citantur: *Inst. de mand.* § 1 *mandantis,* id est: Institutiones sub titulo *de mandato,* § primo, incipiente *Mandantis.*

Pandectæ sic: *L.* VII, § 4 *sed cum, de pactis,* id est: Lege septima, § quarto, incipiente *Sed cum,* in Digestis seu Pandectis sub titulo *de pactis.*

Codex sic: *L. creditor, c. d. usuris,* id est: Lege quæ incipit *Creditor* in Codice, titulo *de usuris.*

Authenticæ seu Novellæ sic: *Nov.* XXII, c. 1, id est: Novella vigesima secunda, capite primo; vel etiam sic: *in Auth. de nuptiis,* col. IV, c. 1: *Duo igitur,* id est: in Authentico titulo *de nuptiis,* collatione quarta, capite primo, incipiente, *Duo igitur.*

Codici adjuncti sunt *libri feudorum* (qui *jura militaria* vocabantur), qui sic citantur: *lib.* I *f., tit.* VII, *c. un.,* id est: In libro primo feudorum, titulo septimo, capite unico. De *Novellis* vide Lib. IV, Append.: *explicatio verborum,* etc.).

§ *per occasion.)*, qua datur triennium ad experiendam conjugum impotentiam: quæ approbata fuit a Cœlèstino III (C. *Laudab. de frigid.)*.

2. Leges civiles a jure canonico correctæ, non amplius obligant in conscientia; nam regula morum tradenda a Christo data est Ecclesiæ. Ita lex civilis (L. *Nuptiæ* 2, ff. de rit. nupt.), qua invalidabatur matrimonium filii familias sine consensu parentum contractum correcta est in jure canonico (C. *Cum locum* de spons. *Licet*, c. *Tua de spons. duor.)* et nuper in Tridentino (sess. XXIV, c. 1 *de R.)*.

3. Leges civiles a canonico jure non reprobatæ, videntur eo ipso tacite approbari; nam ibi sic dicitur: *sancta Ecclesia legum sæcularium non respuit famulatum, quæ æquitatis et justitiæ vestigia imitantur* [1]. Hinc Fagnanus et Benedictus XIV cum communi docent judicem ecclesiasticum in quæstionibus, in quibus de jure canonico nihil reperitur decisum, debere se conformare juri civili [2].

Si res ita se habet, necesse est profecto, ut Theologus moralista sufficientem juris civilis scientiam habeat; nam, ex eodem Benedicto XIV, jus canonicum et civile ita se mutuo adjuvant, ut qui optime *primum nosse cupit, alterius scientiam sibi comparare debeat.* Quæ necessitas maxime pro confessariis et animarum rectoribus facile patebit, si animadvertatur, innumeras in fidelibus occurrere factorum species, in quibus directione egent ad bene agendum etiam in rebus civilibus, in ipso foro conscientiæ: uti si sermo sit de testamento faciendo, de legatis fundandis vel exequendis, de contractibus ineundis, etc. Unde leges civiles a Moralis Theologiæ tractatoribus utiliter citantur.

CAPUT QUARTUM

DE LEGIS HUMANÆ MATERIA ATQUE SUBJECTO.

199. Q. 1. *Quidnam constituit materiam legis humanæ?*

R. Certum est a lege humana nihil juberi posse, quod sit contra legem naturalem et divinam positivam; nam potestas humana est subordinata potestati ac voluntati Dei, et inferior derogare non potest auctoritati superioris. Hinc s. Thomas loquens de legibus humanis, quæ sunt contra legem divinam, ait quod *tales leges nullo modo licet observare; quia sicut dicitur Actorum* IV: « *obedire oportet Deo magis quam hominibus* [3]. » Quoad cetera dicimus, omnes generatim actus qui possunt ab humana lege præcipi vel prohiberi ad publicum bonum, constituere materiam seu objectum legis humanæ; in hoc enim bono stat ratio legis.

200. Q. 2. *An lex humana possit præscribere virtutum actus heroicos?*

Nota. Virtutes ratione exercitii distinguuntur in communes et in heroicas. *Communes* sunt, quæ ab hominibus exercentur secundum illam rationem, quam solent servare ordinarie qui virtutem profi-

[1] C. *super specula* de privil.
[2] *De Syn.*, l. IX, c. 14. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 106.
[3] 1, 2, q. 96, a. 4. — *V.* Ward, *Del vero Fine del civile governo.* Modena.

tentur. *Heroicæ* vero illæ sunt quæ, habita ratione circumstantiarum, admirationem pariunt, arduitatem includunt, promptitudinem exigunt [1]: esset si puer rigorose jejunaret. Hoc posito:

R. Lex humana non potest præscribere virtutum actus heroicos; nam lex humana debet accommodari communi hominum conditioni, et esse moraliter possibilis toti communitati vel majori saltem ejusdem parti; atqui exercere quoslibet virtutum actus etiam heroicos non est nisi paucorum [2]. Pariter neque lex humana potest omnia omnino vitia prohibere etiam levia in generali; quia non est omnium sed perfectorum, ideoque nonnisi paucorum ea vitare: at lex debet accommodari toti vel saltem majori parti communitatis, quæ certe perfectioni non studet. Unde concludimus: lex humana potest generatim illos *externos, licet occultos* virtutum actus præcipere, qui communi bono expediunt, et ordinariæ facultati communitatis sunt accommodati; cum hic totus sit legis finis. Item eos *externos, licet occultos* vitiorum actus prohibere, qui communi bono sunt noxii et communiter declinari queunt.

Diximus: 1) *externos:* lex enim humana versatur circa externam politiam ac gubernationem, quæ ut prospere cedat, satis est regulariter, ut exterius homines valeat regere ac cohibere; 2) *licet occultos*, nam uti ait Angelicus, *omnes actus exteriores etiam occulti, licet per accidens non cadant sub judicio, cadunt tamen sub lege* [3]; lex enim non attendit quod fortuito evenit. Hinc sub excommunicatione latæ sententiæ est prohibita hæresis externa, etsi occulta.

201. Q. 3. *An lex humana possit valide præcipere, itemque prohibere actus internos?*

Nota. Actus internus præcipi potest et prohiberi tum directe sive in se, uti Scholæ loquuntur; tum indirecte seu ratione actuum externorum, quibus ipse necessario conjungitur. Potest autem actio interna cum externa conjungi vel tanquam forma constituens actum ipsum externum; talis est v. g. consensus in matrimonio: vel tanquam causa effectum suum producens; talis est v. g. voluntas occidendi in homicidio voluntario. His præmissis:

R. Si sermo est de illis internis actibus, qui cum externis necessario conjunguntur, certum est legislatorem humanum præcipere et

[1] *V.* Benedictus XIV, *De Canoniz. SS.*, l. III, c. 21.

[2] Hoc non debet intelligi de legibus iis quæ feruntur ex data hypothesi alicujus Status peculiaris, in quem subditus se voluntarie conjecerit, quem propterea *hypotheticum* vocant, *adventitium* sive *electivum*. Sic Ecclesia præcipit monialibus perpetuam clausuram. Sic hominibus gravissimi criminis reis pœnæ item gravissimæ possunt imponi; ipsis enim liberum erat se subtrahere aliter operando.

[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 100, q. 3. — *Saggio elementare di Diritto pubblico ecclesiastico* ecc., t. I, p. 3.ª

prohibere posse indirecte actus internos, quatenus nempe per se conjuncti sunt cum actibus ipsis externis, vel tanquam forma vel tanquam causa vel tanquam conditio necessaria: uti est v. g. animi consensus in venditione, cordis contritio in Confessione. Sane si legislator humanus cogere potest ad actum externum validum, v. g. ad validum contractum, ad validam Confessionem, item obligare poterit ad ea, quæ cum validitate illa necessario conjuncta sunt, et quibus omissis, actio externa frustra præciperetur. Qui enim præcipere potest ut valide facias, potest etiam præcipere ut voluntate facias; cum non aliter, quam voluntate valide facturus sis.

Si vero sermo est de iis internis actibus, qui cum externis necessario non conjunguntur, tunc quoad legislatorem civilem consentiunt omnes, eundem non posse præcipere vel prohibere in se actus internos; quia etiam sine his obtinet finem suum, nempe tranquillitatem reipublicæ, quæ facile habetur, si actus externi qui præcepti sunt, fiant; et evitentur illi qui sunt prohibiti. Sic qui solvit tributum, etiamsi invitus, modo solvat, sufficit.

Diximus *quoad legislatorem civilem*, quia de ecclesiastico disputant. Alii affirmant cum Alasia ipsum posse tales internos actus præcipere et prohibere; quia ipse tuetur bonum animarum et illimitatam a Christo accepit potestatem. Alii vero negant; *Ecclesia*, ait Benedictus XIV, *non potest per se, directe et immediate præcipere aut prohibere actum mere internum juxta communem Theologorum sententiam, quam cum s. Thoma docet Suarez; et ideo non potest hæresim quæ in exteriorem actum non prodit, censura perstringere* [1]. Cum enim Ecclesia actus mere internos cognoscere non possit, neque judicialiter eorum potest urgere executionem, vel omissionem punire; ergo neque illos præcipere vel vetare: nam de ratione veræ societatis est, ut quos imperat actus, ipsa per se cognoscere valeat, ex natura nempe ipsorum actuum, etsi nonnunquam et per accidens impediri possit a tali cognitione ex occasione aliqua extrinseca.

Unde quod homo debeat actus etiam mere internos ad salutem suam ponere, est de ordinatione Dei, non de potestate legislativa Ecclesiæ, quæ bonum quidem respicit animarum, sed mediante honestate actuum externorum [2].

[1] D. Thomas, 1, 2, q. 100, a. 9. — Suarez, *De Lege*, l. IV, c. 12.
[2] 1, 2, q. 100, a. 9. — De hac quæstione fusius agit Castropalaus.
Hic notanda: — 1) Confessarius, cum ipsum Christum ita propius repræsentet, et divinæ ejus potestatis in peccata delendo fiat particeps, ideo et actus mere internos injungere potest pœnitenti, uti internas aspirationes, etc. (Voit); — 2) etsi consuetum non sit nec consultum, ut prælati sub peccato præcipiant suis religiosis actus internos; probabile tamen est fieri posse; quia verisimile est, quod ipsi religiosi ad id se obligare intendant, cum se quasi holocaustum Deo tradant. (Busembaum.) — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 100; l. IV, n. 45.

202. Q. 4. *An lex se extendat ad actus præteritos?*

R. Negative: lex non se extendit ad actus præteritos, neque ratione culpæ, cum non sit prævaricatio ubi nondum erat lex; neque ratione pœnæ, cum hæc tantum lata sit in culpæ vindictam; neque ratione rescissionis, nisi in aliquo casu a lege expresso. Unde vulgare est, quod *lex non respicit retro.*

Consonat etiam ipse *Codex civilis* [1]; magna etenim conturbatio esset, si actus per veterem legem gesti ac consummati per novam pro libito mutarentur.

203. Q. 5. *Quodnam est subjectum legis humanæ?*

R. Omnes et solos subditos rationis usum habentes vi sua complectitur lex humana:

1. *Omnes subditos:* hoc est contra quosdam, qui vel christianos vel justos excludebant; Apostolus neminem excludit, cum dicat: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* [2]. Unde quando ait: *lex justa non est posita* [3], id solum innuit, justum non agere ex timore legis, sed ex legis amore. Imo vel ipsos legislatores lex obligat (nisi eorum dedeceat dignitatem), non quidem vi proprii mandati, sed vi legis naturalis, quæ jubet, ut ipsi æquitatis regulas custodiant et bonum exemplum præbeant subditis.

2. *Solos subditos:* quia potestas legislativa in iis, ad quos se extendit, subjectionem importat; subjectio autem non datur, nisi in subditis. Hinc non baptizati tenentur quidem præceptis Evangelicis ubi primum sufficientem Evangelii notitiam adepti fuerint, quia subditi sunt Deo, qui legem Evangelicam omnibus gentibus indici præcepit [4]; sed non tenentur legibus Ecclesiasticis, quia Ecclesiæ minime subjiciuntur juxta illud Apostoli: *quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare* [5]? Quapropter non peccaret qui, secluso scandalo et legis Ecclesiasticæ contemptu, carnes die vetito iisdem suppeditaret; quia nullius peccati ne materialis quidem causa esset *(Q)*.

3. *Rationis usum habentes*, et merito; lex enim non imponitur, nisi subditis, qui obedientiæ capaces sint atque directionis. Hinc perpetuo amentes ob defectum rationis non obligantur præceptis; quod *regulariter* tenet etiam de pueris ante septennium. Sed statim ac ipsum compleverint, iis adstringuntur: quod tenet etiam in dubio rationis adeptæ; nam tunc præsumptio stat pro rationis usu, si quædam excipias, quorum materia non adhuc ipsis congruit, ut Communio paschalis ac jejunium.

[1] Art. 2 proæm. — *C. A.* 11; — *C. G.* 2; — *C. S.* 2; — *C. P.* 7; — *C. M.* 5; — *C. T.* 3.
[2] Rom. XIII. [3] 1 Tim. I. [4] Matth. XXVIII, v. 19. [5] 1, Cor. V.

Diximus *regulariter;* quæstio enim est, an ipsi teneantur sub peccato legibus, si ante septennium usum rationis consequantur. Alii negant non improbabiliter cum Angelico [1], quia hoc eveniret per accidens; lex autem non respicit, nisi quod communiter contingit: etsi conveniens sit, ut ab unguiculis pueruli jugum Domini portare assuescant [2]. Alii multi cum Bosco, Salmanticensibus, Suarez, etc., valde probabiliter affirmant, quia per usum rationis homo jam fit subjectum capax; leges autem ordinarie non septennium, sed discretionem notant. Et hoc congruens videtur: imo admittendum si agatur de præcepto annuæ Confessionis; nam caput *Omnis* de discretionis usu loquitur [3].

204. *Quid de ebriis, et de iis qui delirant tantum ad tempus?*

R. Hi legibus humanis obligantur; quia sunt in statu habitualis rationis usus, licet per accidens ad tempus aliquod impediti. Quare si (scandalo et legis contemptu seclusis) fas est carnes ad manducandum ministrare pueris et perpetuo amentibus, id agere erit illicitum cum ebriis, et ad tempus delirantibus. Ratio, quia *primi* sunt omnino exleges; non item *secundi*, qui sunt capaces rationis et directionis, solumque accidentaliter privantur.

205. *Quid* (addes) *de excommunicatis, hæreticis et schismaticis?*

R. Excommunicati Ecclesiæ legibus subduntur, quamvis de Ecclesia ejecti; secus ex malitia sua commodum reportarent. Hæretici vero, schismatici et quicumque alii baptizati, etsi non catholici, rigorose et per se ecclesiasticis legibus obligantur; quia quamvis sint rebelles, non cessant esse Ecclesiæ subditi. Neque juvat asserere illos esse membra a corpore Ecclesiæ abscissa; nam ita appellantur quoad communionem, non vero quoad characterem. Addunt tamen cum Tarquini, adesse aliquando tales circumstantias, quibus concurrentibus censendum sit, Ecclesiam nolle legibus suis vel certa aliqua lege hæreticos obligari; quando nempe lex gravissima gignat incommoda [4]: hoc tamen Ecclesiæ est judicare.

206. Q. 6. *An ecclesiastici legibus civilibus obligentur?*

R. Affirmative: clerici legibus civilibus obligantur, si de legibus agatur, quæ non adversantur immunitatibus illis, quas Tridentinum

1 2, 2, q. 147, a. 4. 2 Ex L. *Nam ad ea ff. de Leg.*

3 *V.* Liguori, *Homo Ap.*, tr. II, n. 37; *Op. Mor.*, l. I, n. 155; l. III, nn. 270 et 1012. — *V.* Ferraris; V. *Lex*, art. 3. Attamen omnes admittunt, pueros ante septennium non incurrere pœnas transgressoribus impositas, nisi id expresse declaretur.

4 *Juris ecclesiastici publici Institutiones*, n. 64. — Et Frassinetti: « altro è che la Chiesa abbia diritto di comandare a tutti i cristiani, compresi gli eretici; ed altro è che comandi a tutti in realtà. Che cosa potrebbe aspettarsi la Chiesa pei comandi dati agli eretici, se non certissime trasgressioni e peccati, senza un'ombra di bene e di vantaggio? È perciò che parrebbe doversi dire, che la Chiesa non fa leggi se non per quelli che riconoscono la sua autorità, cioè pei cattolici, e che solo questi intende di obbligare ad osservarle. Quindi per la pratica è da notare che ritornando al seno della Chiesa gli eretici, non si dovrebbe esigere, che si confessassero di non aver ascoltata la Messa alle feste, di non aver digiunato la quaresima, ecc. » *Compendio della Teologia morale*, nota 7.

appellat *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutas.* Omnes enim partes communitatis politicæ legibus politicis obligantur; atqui clerici sunt partes communitatis politicæ. Hinc Apostolus, sine ullo personarum discrimine, inquit: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* [1]. *Dicit: omnis anima,* ait divus Chrysostomus; *ergo etsi Apostolus esses, etsi Evangelista, etsi Propheta, etsi quivis alius; neque enim hæc subjectio subvertit pietatem.*

Imo præstat, ut clerici obediendo aliis sint diligentiores: *fidelitatis exemplum,* ait Bouvier, *præbeamus populis, et verbo ac opere reddamus quæ sunt Cæsaris Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. (R).*

207. Q. 7. *An peregrini, advenæ et vagi teneantur legibus patriis?*

Nota. *Peregrinus* dicitur qui extra proprium territorium per aliquot dies, vel ad summum per minorem anni partem in alio versatur, animo ad sua redeundi, ut viatores et mercatores excurrentes.

Advena qui extra proprium territorium posuit domicilium vel quasi-domicilium. Porro communiter docent, quod ille statim domicilium acquirit, qui habitat alicubi animo perpetuo manendi: qui animus in foro externo præsumitur, si habitatio sit decennalis, vel si ibi domus sit ædificata aut major pars bonorum adsportata [2]. Quasi-domicilium vero acquirit qui alicubi manet per majorem anni partem; uti famuli et scholastici [3]. Advena æquiparatur loci incolæ.

Vagus denique est qui nullibi fixum ac determinatum domicilium habet, sed de uno in alium se locum transfert. Hoc posito:

R. Si sermo est de præceptis, quæ personas immediate afficiunt, et leges personales appellantur, certum est eas obligare peregrinos, advenas et vagos ubicumque, hoc ipso quod non eorum territorio sed eorum personis tenaciter hæreant. Hinc sacerdos in sua Diœcesi suspensus a Missa, nequit nec in Diœcesi aliena celebrare.

Si vero sermo est de illis legibus, quæ afficiunt loca, et dicuntur *locales,* tunc sententia communissima docet cum Lessio, Palao et Salmanticensibus, eos minime ligari, nisi *fictione juris,* uti loquuntur Scholastici, *in proprio territorio adhuc censeantur.* Ratio est, quia legislatoris jurisdictio ita est proprio territorio affixa, ut extra illud se extendere non possit [4]. Hinc si Episcopus sub pœna suspensionis vetet lusum aleæ, non obligantur clerici ludentes in loco exempto a jurisdictione Episcopi. Hinc qui moratur in loco ubi lex jejunii non est, potest licite comedere, quamvis in patria jejunium indictum sit; et quamvis lex jejunii sit de jure communi, sed non obti-

1 Rom. XIII. 2 *V.* Bulla *Speculatores.* — *V.* Liguori, *Homo Apost.,* tr. XII, n. 40.
3 In civili jurisprudentia nulla fit mentio *quasi-domicilii.* De domicilio civili *V. Cod.* art. 16; — *C. A.* 28; — *C. G.* art. 102; — *C. S.* 107; — *C. P.* 14; — *C. M.* 31; — *C. T.* 28.
4 Constat etiam ex c. *Ut animarum, de Const.,* in 6.

neat in loco ad quem venit: quisque enim potest se conformare loco ubi est; et est consuetudo universim inducta, ex Gousset, ut peregrini gaudeant locorum privilegiis, ubi sunt.

Diximus: *nisi fictione juris in proprio territorio adhuc esse censeantur*. Sic v. g. siquis extra proprium territorium rem suam venderet in suo territorio extantem, servare teneretur ejusdem leges in tali venditione. Sic etiam beneficiatus, qui non residet, omissionem patrare censetur in proprio territorio, et pœnas ibidem latas contra non residentes incurrit. Ibi enim res consummari censetur ubi fieri debuisset: unde delinquens habetur uti moraliter præsens.

208. *Quid* (dices) *si peregrinus e proprio territorio ideo egrediatur, ut se a legis obligatione subducat* [1]?

R. Alii contendunt cum Antoine, Collet, Concina, etc., peregrinum illum proprii adhuc territorii legibus teneri. Quare? quia: 1) leges eam semper habent adnexam conditionem, ut subditis sine causa non liceat earum effugere vim et obligationem; 2) ex juris adagio: *nemini sua fraus debet patrocinari;* 3) Sacra Concilii Congregatio illegitimum declaravit matrimonium illius, qui solo animo illud clandestine contrahendi recessit e loco, ubi Tridentinum fuit promulgatum, et se contulit ubi promulgationem non habuit.

Alii tamen cum Azorio, Bonacina, Filliucio, Palao, Salmanticensibus, Sanchez, etc., contra sentiunt. Sane peregrinus ille utitur jure suo; lex enim non prohibet exire e proprio territorio, sed prohibet tantum præcepta sua violari ab iis, qui sunt in territorio suo; ideoque non fraus et dolus, sed loci conditio peregrino illi favet: *nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur,* clamat jus [2].

209. Quæres: *qui discedit e proprio territorio ubi lex viget, teneturne ante discessum eam implere, si venturus est ubi illa non viget?*

R. Alii affirmant ipsum teneri, si eam implere commode possit; quia præceptum actu obligans actu impleri debet, si postea non potest. Sed alii negant, *nisi lex continuatim obliget:* unde non tenetur v. g. quis mane audire Missam die festo, si ante prandium venturus sit in locum, ubi non adest illud Missam audiendi præceptum. Si enim domi mansisset, legis implementum differre poterat usque ad illud

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. i, n. 156; et *Homo Apost.*, tract. ii, cap. 4, nn. 39 et 40.

[2] Quod desumitur ex declaratione S. Congregationis, ad rem non facit; nam qui discedit a proprio territorio et se confert in locum, in quo Tridentinum non est promulgatum, eo animo præcise ut ibi matrimonium clandestine contrahat, vere agit in fraudem legis, id est Constitutionis Urbani VIII, qui decretum Congregationis id prohibentis, imo annullantis probavit. Quod non currit in casu nostro, cum nulla adsit lex, quæ id expresse prohibeat; quandiu igitur non sit facta prohibitio, jure nostro uti merito possumus. Et sane si res v. g. Taurini sit minoris taxata, quid prohibet, quominus me illuc conferam, ut rem illam minoris emam? nempe lex hæc præceptum est et lex, afficiens et locum et personam.

temporis punctum, quo discessit: cum autem pervenit ad alium locum, desinit obligari [1]. Si tamen ibidem unum tantum esset Sacrum ac celebraretur ante illius discessum, teneretur illud audire; quia tunc tempore habili esset consummata obligatio. Licet prima sententia non appareat probabilior, suaderi tamen poterit uti pia.

Diximus *nisi lex continuatim obliget;* si enim lex proprii territorii omnibus momentis urgeat, omnibus momentis implenda est. Sic si in tua Parœcia speciale jejunium indictum sit, non potes illud frangere, quandiu in ea manes. Nec excusat privilegium loci, quo venturus es; quia eo nondum venisti.

210. *Saltem* (dices) *peregrini eruntne obligandi legibus loci, quo venerunt, ne dicantur sine lege vagari?*

R. Obligantur: 1. Cum agitur de talibus rerum circumstantiis, ut periculum scandali sit, si peregrinus ab obligatione subduceretur; nam scriptum est: *væ homini illi, per quem scandalum venit* [2].

2. Cum agitur de legibus Juris communis, a quibus per privilegium peregrinus suo in territorio esset exemptus; nam per discessum privilegium prorsus amitteret, cum loco affixum sit. Hinc si tu mane sis in loco, ubi ex privilegio non jejunatur, potes ibidem vesci carnibus; sed cum pervenis in locum, ubi de Jure communi viget jejunii lex, teneris jejunare. Quod videtur probabilius tenendum, etiamsi in loco privilegiato duplicem jam sumpsisses refectionem; quia redeundo in territorium legis communis, statim hac ligaris, et juberis conformari aliis subditis jejunantibus [3].

3. Cum agitur tam de contractibus, quia in iis quisque, etsi non subditus, sortitur forum loci, ubi contrahit, ut confusio evitetur: hinc illud, *locus regit actum;* quam de delictis, quia delinquens sortitur forum ubi deliquit; æquum est enim, ut scelera puniantur ubique [4].

Hisce casibus exceptis, disputant utrum peregrini teneantur legibus loci in quo versantur. Affirmant multi satis probabiliter cum Antoine et Collet; ajunt enim: *qui sentit commodum, sentire debet*

[1] Neque obest, quod prævidens impedimentum tenetur illud prævenire; quia tunc id habet locum, cum, manente vi præcepti, quis prævidet se ab illius observantia impeditum iri; non vero cum quis a præcepti obligatione futurus est liber. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 156, 157. — It. Gousset, Gury, Voit, etc.

[2] Matth. XVIII. — An peregrinus teneatur ad legem particularem illius loci in quo casu moratur, si eadem lex particularis vigeat in patria, alii negant; quia nec tenetur legibus patriæ, quia abest; nec legibus loci particularibus quia peregrinus est. Sed alii affirmant, quia utrobique manet sub influxu illius legis.

[3] Qui legi communi jam in suo territorio satisfecerit, probabilius non iterum satisfacere tenetur adveniens in locum ubi idem præceptum serius urget. Sic Italus qui in patria jejunavit vigilia s. Petri, non tenetur item jejunare in Gallia ubi reperitur quando fit jejunium ad sabbatum sequens ibidem translatum; quia non datur obligatio bis idem præceptum adimplendi; fiat tamen sine scandalo. (Gury.)

[4] Consonat lex civ. V. *Cod.* art. II, proœm.; — *C. A.* 4; — *C. G.* 3; — *C. S.* 5; — *C. M.* 10; — *C. T.* 9.

etiam incommodum, uti fert adagium. Addunt illud Ambrosii: *cum Romam venio, sabbato jejuno; cum Mediolani sum, non jejuno; sic ad quamcumque Ecclesiam veneris, ejus mores serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi* [1]. Alii distinguunt cum Suarez: si peregrinus illuc advenerit tanquam ad terminum itineris sui, tunc ipse tenebitur ad omnes leges illius loci, quia fit quasi subditus. Si vero illac tantum pertransit, non tenetur ad præcepta positiva, cum hæc tantum obligent incolas, utpote permanentes; sed tenetur ad præcepta negativa, quæ cum obligent semper et pro semper, urgent etiam simpliciter transeuntes.

Tandem alii probabilius ac communius indistincte negant cum s. Antonino, Laymano, Sanchez, Toleto, etc. quia leges non obligant nisi subditos; atqui peregrini (quod fortius valet de vagis) non sunt subditi. Nam ex jure nemo subditur alterius potestati, nisi ratione vel delicti vel contractus vel domicilii, aut quasi-domicilii, vel ratione rei sitæ in territorio, vel demum ratione originis [2].

Ad textum vero d. Ambrosii respondent, s. Doctorem expresse loqui de lege communi ac scandalo vitando, cum addat: *si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi*. Neque dicas tunc peregrinos et maxime vagos esse exleges: nam constringuntur legibus communibus; imo et particularibus, si adsit scandalum, vel si agatur de delicto aut contractibus, ex dictis.

CAPUT QUINTUM

DE LEGIS HUMANÆ VI ET OBLIGATIONE.

211. Q. 1. *Utrum leges humanæ obligent in conscientia?*

R. Doctrina est hæreticorum ferme omnium, legislatores humanos sive civiles sive ecclesiasticos non habere potestatem christianorum conscientias per se obligandi, nisi forte illas determinando circumstantias, in quibus obligat lex divina vel naturalis. Sed nos dicimus, leges humanas obligare per se in conscientia: imo hoc de fide est quoad leges ecclesiasticas a Tridentino definitum: *si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit* [3].

Prob. 1: *Scripturis*. Apostolus ait: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi a Deo. Quæ autem*

[1] Ep. CLXXXI. [2] C. ult. *De foro comp.*
[3] Sess. VII, can. 8 *de Bapt.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 106.

sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam [1]. Ex quibus patet *præceptum potestati ipsi obediendi a nemine unquam citra piaculum posse violari, nisi forte aliquid imperetur, quod Dei et Ecclesiæ legibus adversetur;* ut verbis utamur, quibus Pius IX Episcopos hortatur, ut debitam erga Potestates obedientiam ac subjectionem inculcare satagant [2].

2: *Sanctorum doctrina.* S. Bernardus scribit: *sive Deus sive homo Dei vicarius mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum; ubi tamen Deo contraria non præcipit homo* [3]. Et d. Thomas aperte tradit, quod leges humanæ, *si justæ sint, habent vim obligandi in foro conscientiæ* [4].

3: *Ratione.* Per Deum *legum conditores justa decernunt*, id est vi legis æternæ; atqui lex æterna obligat in conscientia. Adde: potestas ferendi leges necessaria est omnino, atque innata cuilibet societati ad bonum regimen; atqui ea esset prorsus inutilis, si leges non haberent vim per se obligandi etiam in conscientia. Subditi enim in hoc casu impune legem violarent, quotiescumque violatio illa posset occultari: quod frequentissime sane occurreret [5].

212. Q. 2. *An lex dubia obliget?*

R. Si post adhibitam sufficientem diligentiam ad veritatem inquirendam (libros volvendo, doctos consulendo, vel aliud pro subjecta materia agendo), et præciso scandalo vel alio notabili inconvenienti, adhuc dubium est, an lex existat, non obligat.

Patet: 1. Ex *Scripturis: peccatum non cognovi, nisi per legem*, inquit Apostolus [6]. Ergo Apostolus ad peccatum requirit legis cognitionem; at nulla cognitio, ubi lex ipsa est dubia.

2. Ex *Patribus:* unus sufficiat Nazianzenus, qui ait: *si res dubia est, vincat humanitas et facilitas* [7].

3. Ex *Jure Canonico*, ubi legimus: *nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur* [8]. Item ex Jure romano, ubi habetur: *in dubio nullus præsumitur obligatus* [9].

1 Rom. XIII. 2 Encycl. *Qui pluribus.* 3 L. IV *De Consc.*, c. IX.
4 1, 2, q. 96, a. 4.
5 Unde lex ad aliquid semper obligat in conscientia, nempe ad id, quod legislator intendit; secus esset consilium, non lex. Sic lex præceptiva obligat ad actum; prohibitiva ad actus omissionem; mere pœnalis ad pœnam acceptandam; copulative mixta ad utrumque; disjunctive mixta ad alterutrum.
Nec requiritur ut superior id explicite indicet; nam eo ipso quo intendit uti legislativa potestate, sufficienter intendit obligare sub peccato propter essentialem connexionem usus potestatis a Deo derivatæ et obligationis sub culpa. — Vide supra ubi *De humanæ legis auctore*, nn. 175 et 194.
6 Rom. VII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 94.
7 *Orat.* XXIX. — *V. De conscientia*, n. 87, ubi plura.
8 C. *Cum in jure* de off. et potest. jud. deleg. 9 Aut. quib. mod., § *natura.*

4. Ex *Scholarum consensu*, quem ita exponit Angelicus: *nullus ligatur per præceptum aliquod, nihi mediante scientia illius præcepti* [1].

5. Ex *ratione;* nam in dubio legis possidet libertas. Unde in dubio, *an* lex extendatur ad aliquid, vel *an* incœperit ejus obligatio, vel *an* sit jam promulgata, uno verbo *an* adsit lex aliquid vetans, lex ipsa erit probanda; quia antecedenter libertatis nostræ certi sumus. Hinc merito ajebat Benedictus XIV: *non si debbono porre legami certi, quando non vi è una chiara legge che gl'imponga* [2]. Certo certius lex clara non est, quandiu dubia est *(S)*.

213. Q. 3. *An lex humana obliget cum gravi damno?*

R. Ordinarie loquendo lex humana non obligat cum gravi damno. Patet ex constanti Ecclesiæ praxi, per quam præceptum jejunandi, recitandi Horas, etc. non obligat cum gravi incommodo [3]. Leges enim cum latæ sint pro omnibus generatim, debent esse possibiles secundum ordinariam hominum capacitatem, cujusmodi non est lex præseferens magnam difficultatem. Hinc d. Antoninus: *impossibile est quod vix possibile est, ut, puta nimiam habens difficultatem.* Imo leges ipsæ divinæ pure positivæ cum hoc gravi incommodo desinunt obligare, uti patet ex Christo approbante factum Davidis, qui in necessitate gravi constitutus comederat panes Propositionis, quorum esus lege illa laicis erat prohibitus [4].

Diximus *ordinarie loquendo;* sunt enim casus, in quibus lex humana cum quovis damno (ipsius etiam vitæ) potest obligare: 1) quando id postulat bonum publicum, cui bonum privatum cedere debet. Sic miles excubias agens mori potius debet, quam silere, hoste adventante; 2) quando legis violatio cederet in contemtum Dei, Religionis, Ecclesiæ aut Ecclesiasticæ potestatis, vel etiam in proximi scandalum: hæc enim plus refert tueri, quam privatum bonum [5]. Sic Eleazarus mori potius recte elegit, quam carnem porcinam manducare: cum ad id cogeretur in contemptum legis [6]. Hinc si in contemptum vel in læsionem potestatis Ecclesiasticæ tu directe compellaris communicare cum vitandis, laborare die Festo,

[1] *De verit.*, q. 17, a. 3.

[2] *Notificatione* XIII, nunc LXXX. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 67 et seqq.

[3] Grave, id est multum ponderabile esse debet incommodum, ut lex humana non obliget; secus actum esset de omnibus fere legibus; de illis maxime, quæ ex sui natura incommodum non ita leve includunt, uti est lex tributorum et jejunii.

[4] Matth. XII. — V. Alasia, Billuart, etc.

[5] His tamen in casibus non lex humana vel divina pure positiva per se obligare dici potest; sed potius vi legis naturalis, quacum tunc conjungitur. Siquidem est de ratione legis naturalis, ut pars se objiciat pro bono totius, et minus cedat majori.

[6] II *Machab.* VI. — Quod si tunc non excusaris a peccato, ideo neque a censura si in contraventores lata sit. Si secus, actum est de legibus Ecclesiæ, semel ac potentes sæculi illis adversantur; cum ad eas violandas omni molestiarum genere inducere soleant. Est ergo fortiter etiam cum proprii officii detrimento obsistendum, quando e violatione scandalum oritur, vel aperta potestatis religiosæ læsio.

celebrare in loco profano, te sistere coram judice laico et similia, etiam cum gravi damno renuere debes.

Ratio patet, ait Billuart, quia contemptus Ecclesiæ vel Religionis redundat in ipsum Deum, et ideo tunc lex humana convenit cum lege divina naturali. Hac etiam ratione in nostra sententia nefas est celebrare sine ulla veste sacra ob quodcumque grave damnum vitandum: nam licet præcepta ecclesiastica de se non obligent cum gravi incommodo, aliter est in præsenti casu; tum quia id vix potest accidere sine contemptu, tum quia hodie difficile est, ut possit fieri sine scandalo aut saltem sine magna irreverentia; quapropter hic subintrat præceptum naturale hæc mala vitandi [1] *(T)*.

214. Q. 4. *Quale peccatum est legis contemptus?*

Nota. Duplex est legis contemptus: unus *materialis*, *formalis* alter. Primus in eo est, qui legem violat, ut suis indulgeat cupiditatibus, vel quia animum non intendit ad legem; alter est in eo qui legem violat quia lex est, vel ideo quia aspernatur ipsam auctoritatem, a qua procedit lex. Hisce positis:

R. Contemptus materialis (seu late sumptus [2]) est mortalis vel venialis pro modo materiæ; cum aliud nequeat assignari, unde specialem malitiam sortiatur. Quod quidem valet, ait Angelicus, *etiamsi ex eadem causa vel alia simili peccatum iteretur* [3]. Rationem addit: *quia diuturnitas non est circumstantia trahens actum in aliam speciem; similiter nec frequentia vel assiduitas, nisi forte per accidens ex aliquo supervenienti* [4]. Frequentia tamen peccandi dispositive inducit ad formalem contemptum secundum illud: *impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit* [5].

Contemptus vero formalis est semper per se mortalis; quia contemnitur directe ipsa præcipientis auctoritas, et proinde ipse Deus, a quo auctoritas dimanat juxta illud Christi ad superiores: *qui vos spernit, me spernit* [6]. Excipe: 1) si contemnatur res ipsa præcepta quatenus parvi fiat in se; 2) si contemptus superioris non sit quatenus est superior, sed quatenus singularis persona contemptibilis, quia imprudens, vilis, idiota, rudis, indocta (modo tamen tale judicium non sit graviter temerarium): tunc contemptus non caderet in legem vel superiorem nisi indirecte; 3) si actus, quo præceptum contemnitur non contingat perfecte ad rationem actus moralis; quia non est satis deliberatus, sed subitus. Hinc ajunt Lessius, Sanchez, etc., raro adesse peccatum mortale ratione contemptus.

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 277. — Ferraris; V. *Altare*, n. 84.
2 Qui in omnibus violationibus reperitur: nam qui violat legem, aliquomodo facit contra legis auctorem. De hoc intelligendi sunt plerumque disserere concionatores.
3 2, 2, q. 186, a. 9. 4 1, 2, q. 88, a. 5. 5 Prov. XVIII.
6 Luc. X. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 132.

215. Q. 5. *Quænam excusant a transgressione legis?*

R. Excusant a transgressione legis: 1) ignorantia invincibilis; voluntas enim non fertur in incognitum; 2) timor gravis: lex enim humana ex se cum gravi incommodo non obligat, secluso contemptu, damno societatis aut religionis; 3) impotentia: tum *physica*, nam impossibilium nulla obligatio; tum *moralis*, quia legislator humanus non censetur urgere obligationem cum tanta difficultate [1].

Art. I. — *De vi et obligatione legis pure pœnalis et mixtæ.*

216. Lex pure pœnalis est quæ nullum dat præceptum, sed tantum transgressoribus pœnam imponit; lex mixta vero est quæ et præceptum et pœnam decernit. Hinc:

217. Q. 1. *An sint admittendæ leges pure pœnales?*

R. Nequit dari lex pure pœnalis hoc sensu, ut nullo modo obliget in conscientia; quia præceptum superioris, si nullimode obligaret, non esset verum præceptum. Potest tamen dari lex pure ac mere pœnalis, quæ nempe obliget in conscientia non quidem ad aliquid faciendum vel omittendum, sed tantum ad pœnam acceptandam et solvendam, si lex violata fuit et pœna applicata. En quo sensu dicimus dari leges pure pœnales. Sane tota obligatio legis pendet a voluntate legislatoris: hinc si ipse legislator intendit obligare tantum ad pœnam, dantur profecto leges hujusmodi. Quare merito docet Angelicus: *quod non omnia quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti, sed quædam proponuntur per modum ordinationis cujusdam vel statuti obligantis ad certam pœnam* [2]. Tales habentur communiter leges prohibentes sub pœna cæsiones lignorum, herbarum quæ sunt communitatis; item leges vetantes piscationem, venationem, etc. [3]. Imo censet Suarez, si per verba legis pœnalis non satis declaratur præceptum, præsumendum esse pro lege pure pœnali, nisi pœna illa intrinsece supponat culpam theologicam, uti est v. g. excommunicationis pœna.

Tribus maxime modis cognoscere possumus legislatoris voluntatem esse tantum ad pœnam: 1) si id ipse legislator expresserit,

[1] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tr. II, nn. 243 et seqq. — Et supra *De metu*, n. 21.

[2] 2, 2, q. 186, a. 9. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 144. — Unde videtur lis de nomine negare hujus legis existentiam: possibilitas haud potest negari.

[3] Ideo addunt et arma gestare pro ipsa venatione sine licentia. *Pro ipsa venatione*, non enim idem videtur dicendum (sine causa impellente) de armis insidiosis, quæ ad nocendum inventæ sunt, quæque ex *Cod. pœn.* gravissime prohibentur (etiam domi) tum carcere, tum multa. Quæ sunt ex ipso Cod. *gli stiletti, i pugnali, gli stocchi, le spade o sciabole in bastone, i coltelli fusellati, le pistole corte la cui canna non oltrepassi 171 millimetri in lunghezza, misurata internamente, i tromboni, le pistole a trombone, gli schioppi o pistole a vento, i pistoni, schioppi o carabine snodati o divisi in più pezzi, e gli schioppi a foggia di canna o bastone* (art. 455).

uti communiter agere solent superiores regulares in suis Constitutionibus; 2) si lex ita feratur, ut non videatur aliquod voluisse præceptum imponere, ut si dicat: *qui hoc fecerit, solvat talem pœnam;* 3) si talis sit communis sapientum interpretatio, a quibus in moralibus res est metienda. Si secus lex erit mixta [1].

218. Q. 2. *An leges mixtæ obligent etiam sub culpa?*

R. Communis et verior sententia docet has leges obligare et sub pœna et sub culpa; alioquin nulla esset differentia inter leges pœnales mixtas et pure pœnales, quæ obligant ad solam pœnam. Adde: leges hujusmodi sunt præceptivæ simul atque pœnales; ergo prout pœnales ad pœnam, prout præceptivæ obligant ad culpam. Neque pœna ex se præceptum tollit, sed illud magis confirmat.

Pœna autem quæ lege continetur:

1. Alia est *activa*, quæ nequit executione donari sine aliqua delinquentis actione: uti pecuniæ solutio. Alia *privativa*, quæ consistit in mera privatione alicujus rei: uti suspensio, quæ sacerdotem privat facultate munia sacra obeundi.

2. Alia est *latæ sententiæ*, et est quæ *ipso facto*, uti Scholæ loquuntur, id est sola criminis patratione incurritur per legis verba. Alia *ferendæ sententiæ*, nempe quam lex non infligit, sed infligendam decernit per judicis sententiam.

3. Alia est *condemnatoria*, per quam reus certa pœna a superiore mulctatur. Alia *declaratoria*, criminis videlicet; per eam enim judex declarat aliquem in illud incidisse crimen, propter quod pœna a lege jam statuta ipso facto incurritur.

4. Alia est *conditionalis*, si privat aliquo jure sub data conditione; alia *inhabilitans*, si inhabilem facit ad aliquid obtinendum.

219. Q. 3. *Lex quæ pœnam decernit, obligatne in conscientia ad subeundam pœnam ante sententiam?*

R. Si agatur de pœna *ferendæ sententiæ*, lex non obligat ad pœnam subeundam ante illam sententiam; quia tunc lex pœnam ipsam per se non infligit, sed tantum decernit eam per judicem infligendam. Verum si agatur de pœna *latæ sententiæ*, distinguendum: vel pœna est conditionalis, aut inhabilitans aut privativa; vel est activa.

Si pœna est conditionalis aut inhabilitans aut privativa, erit subeunda ante sententiam. Si est *conditionalis;* cum enim lex non tribuat jus nisi sub tali conditione, ea deficiente, et omne jus deficere debet. Hinc clericus, qui Beneficium curatum obtinuit, si non ordinetur sacerdos infra annum, eo ipso illo privatur; quia sub ea

[1] V. *Civiltà cattolica*, vol. v, art. 10: *La mitezza dei moderni tempi.*

tantum conditione fuit ipsi collatum [1]. Si est *inhabilitans:* cum nemo possit acquirere id, ad quod nullum habet jus; ut ergo eo expolietur, nulla requiritur sententia. Unde electio hæretici ad Beneficium est nulla; quia hæreticus ad illud jure est inhabilis. Idem ordinarie currit, si pœna sit *privativa* simpliciter, ut patet ex consuetudine ubique recepta de censuris ac pœnis similibus. Hinc absque alia sententia conjuges incestuosi privantur jure petendi [2]: ac merito; cum enim incestus fere semper occultus sit, pœna redderetur inutilis, si ille esset probandus, ac sententia requireretur. Diximus *ordinarie:* nam si reus nequeat pœnam exequi sine infamia (cum hoc esset nimis durum): tunc requirunt judicis declarationem.

Si vero pœna est *activa* et *gravis*, ut si quis se debeat positive privare jure jam acquisito, puta Beneficio, eo in casu invaluit usus, ut non incurratur ante declarationem juridicam, si non pœnæ, saltem criminis, licet dicatur: *nulla declaratione secuta.* Confirmatur ipso canonico Jure, ubi hæretici, etsi priventur ipso facto bonis suis, tamen ex eodem jure non tenentur sese iis expoliare ante sententiam [3]. Sane nimis ardua et inexorabilis lex esset, si homo deberet gravem pœnam active exequi in semetipsum: quæ ratio ipsi Concinæ *valde congrua* visa est.

At post sententiam tenetur reus in conscientia pœnam exequi, si ea nihil contineat inhumani aut inhonesti, nec sit directa sui occisio; nam justo præcepto obediendum est: sic qui pœna capitis damnatus est, tenetur manus et collum præbere carnifici, scalam conscendere et similia præstare. Sed non tenetur ipse in se mortem inferre, v. g. venenum sumendo, pugionem sibi in ventrem conjiciendo; quia hoc esset prorsus ab hominum moribus alienum, et naturæ nimium repugnans. Imo neque id posset, cum sit se directe interimere.

220. *Quid* (dices) *de pœna conventionali apposita in contractibus solvenda ab eo qui deficit datæ fidei?*

R. Affirmant alii pœnam conventionalem esse solvendam ante sententiam si petatur ab altera parte, nec sit exorbitans; quia quisque tenetur stare pactis ante sententiam quamcumque. Sed negant alii: quia nemo censetur sibi imponere pœnam, nisi secundum dispositionem juris circa leges pœnarum; hæ porro ordinarie non contrahuntur, nisi post sententiam. Cum res dubia sit, non est obligandus pœnitens citra conventionem, ut statim pœnam solvat [4].

[1] C. *Commissa*, § 7 *de elect.*, in 6. [2] Ex c. *Si quis* de eo qui cognov.
[3] Ex c. *Cum secundum* de hæret, in 6. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 147.
[4] *Come pure è da eccettuare il caso che la parte avesse mancato al patto senza alcuna ragione, e volesse aspettare la sentenza del giudice pel fine di godere d'una mora ingiusta pel pagamento.* Frassinetti. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 150.

221. Q. 4. *An ignorantia excuset a pœna lege statuta?*

R. Si ignorantia talis sit, ut excuset ab omni culpa aut saltem a gravi, excusat etiam ab omni pœna aut saltem a pœna gravi: quia nemo debet puniri, nisi in eo quod peccaverit.

Si vero ignorantia non sit talis, ut excuset ab omni culpa, aut saltem a gravi, tunc neque excusat a pœna proportionata, licet pœna hæc invincibiliter ignoretur; quia omnis legis transgressio juste punitur. Sic qui culpabiliter legem violat, si violationi adnexa sit pecuniæ solutio, in pœnam illam incurrit etsi invincibiliter ignoratam.

Excipe tamen: 1) si pœna sit improportionata, nempe gravissima meritum criminis excedens; 2) si pœna sit censura aliqua ecclesiastica, quam qui eam invincibiliter ignorat, non incurrit [1]; 3) si superior ad contrahendam pœnam requirat dolum, contumaciam, ausum aut temeritatem. Eo enim in casu non excusat quidem ignorantia affectata, quæ in jure scientiæ æquiparatur; sed excusat ignorantia crassa et supina [2].

Art. II. — *De vi legis irritantis et inhabilitantis.*

222. Q. 1. *Quid est irritatio legis et quotuplex?*

R. Lex irritans est, quæ statuit aliquem actum a principio invalidum esse, quem nempe non tantum prohibet, sed nullum efficit; seu *irritatio est abolitio actus, qui alioquin esset validus.* Irritatio duplex: pœnalis et legalis.

Pœnalis est, qua actus aliquis irritatur in pœnam peccati: sic irritatur consecutio fructuum Beneficii ab eo facta, qui Horas omittit. Ideo ignorantia invincibilis effectum hujus irritationis impedit, quia tunc lex solam malitiam punire intendit, et proinde, cessante causa, effectus etiam cessare debet; unde in dicto casu si omissio Horarum sit inculpabilis, omittens facit fructus suos.

Legalis est, qua actus aliquis irritatur ob bonum commune: sic irritatur matrimonium inter consanguineos et affines ob decentiam, et matrimonium clandestinum irritatur ob periculum fraudis. In hoc casu ignorantia invincibilis non impedit effectum irritationis, quia non tollit gravia incommoda, quæ alioquin sequerentur, si lex in omni casu non irritaret: hinc qui matrimonium clandestine contrahit, etsi bona fide, invalide semper contrahit. Imo lex irritans quando

1 Ex c. II *de Const.*, in 6. — *V.* dicenda, *De Censuris*, cap. IV.
2 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 169; et l. VII, nn. 47 et 48.

agitur de bono publico, irritat etiam non obstante quocumque incommodo: unde non valeret matrimonium cum consanguinea etiam metu mortis initum sine dispensatione.

Omnis legislator leges irritantes condere potest, quia hoc ad bonum commune requiritur ad plures fraudes et pericula a societate propulsanda. Lex autem irritans differt *a prohibente tantum*, quia hæc reddit actum quem prohibet illicitum, sed non invalidum. Dignoscitur vero legem aliquam esse irritantem tum ex usu et consuetudine recepta, tum ex legislatoris verbis, ut si dicat: *irritum declaro, nullius valoris esse decerno*, etc.

223. Q. 2. *An lex inhabilitans sortiatur effectum ante sententiam?*

R. Lex inhabilitans ea est quæ subditum inhabilem facit ad aliquid; et confunditur cum ipsa lege irritante. Porro certum est, *legem humanam inhabilitantem, saltem in foro externo*, effectum suum sortiri ante sententiam (nisi aliter ferat peculiaris consuetudo, vel ita statutum sit ut irritatio obtineat tantummodo post judicis sententiam); secus lex frustra esset data, et actus positus non esset irritus, sed tantummodo irritandus.

Diximus: 1. *Legem inhabilitantem;* si enim lex prohibeat tantum, actus esset quidem irritandus, non vero ex se irritus, nisi alio modo intentio legislatoris manifestetur. Hinc de legibus Ecclesiasticis legitur: *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem* [1]: sic lex vetans matrimonium ante promulgationem est prohibens tantum, ita ut faciat illicitum matrimonium, non vero invalidum. Quod etiam valet de legibus civilibus.

2. *Saltem in foro externo illico effectum sortiri;* utrum enim lex inhabilitans obtineat quoque in conscientia ante judicis sententiam, adeo ut teneamur etiam sub culpa abstinere a ponendo tali actu, affirma si lex sit irritans simul et prohibens, uti sunt ordinarie omnes Ecclesiæ leges, cum respiciant bonum animarum, et maxime leges statuentes impedimenta dirimentia matrimonii.

Secus vero videtur dicendum pro praxi, si lex sit irritans tantum: quia tunc finis legis sola actus irritatione sufficienter obtinetur, ut contingit in pluribus contractibus civilibus, quia civili lege declarantur nulli pleno jure, si initi sine certis normis ac solemnitatibus. Ideo non peccat qui actus illos tentat, si tamen paratus sit obedire judici, cum tales actus nullos declarat [2].

[1] Cap. *Ad Apost.* 16 de regularib. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, n. 149.
[2] Hac de re plura *de contractibus* ac *de testamentis*, ubi de solemnitatibus.

CAPUT SEXTUM

DE CONDITIONIBUS AD LEGIS VIM.

224. Q. *Quænam conditiones ad legis et obligationem?*

R. Leges, ut consequantur finem suum, oportet ut sint:

1) *Stabiles* quoad potest; nihil sane magis societatem ac judicia perturbat, quam incertæ ac continuo novæ editæ leges, maxime si unæ aliis contrariæ sint; 2) *paucæ*, cum enim nulla sit lex, quæ ansam cavillandi non præbeat, quo plures leges, eo plures cavilli; hinc Plato: *ubi plurimæ leges, ibi lites et mores improbi;* 3) *perspicuæ*, ut nempe ambiguitatibus careant et controversias celerrime solvant.

R. 2. Conditiones vero ad legis vim maxime necessariæ sunt:

1) Ut lex sit justa; hinc Augustinus: *quod fit injuste, nec jure fieri potest* [1]. Attamen lex *injusta*, si non includat culpam, est observanda, ad vitandum scandalum aut perturbationem; 2) ut sit *possibilis:* impossibile enim non potest cadere sub libertatem, ideo neque sub legem. Item proportionata viribus multitudinis: alioquin non esset in bonum, sed in gravamen subditorum; 3) ut sit clare *manifestata;* nam quandiu latet, nequit impleri.

Art. I. — *De materiæ capacitate, superioris intentione legis justitia.*

225. Q. 1. *An obligatio legis sit rei præceptæ accommodanda?*

R. Cum humani legislatoris potestas in ædificationem ipsi sit tributa, utique imposita obligatio aptari debet capacitati materiæ, adeo ut obliget superior sub gravi in materia gravi, sub levi in levi materia, nisi aliter suadeant rerum adjuncta. Quare in re, quæ undequaque levis est, nequit superior obligare sub gravi; ne dicatur obligare contra rectam rationem et bonum commune. Attamen probabilius potest obligare sub levi in materia gravi; tum quia id aliquando expedit ad melius bonum; tum quia materia gravis etiam minoris obligationis capax est, ut docent Antoine, Collet et alii.

226. *Quandonam* (quæres) *censetur superior obligare sub gravi?*

R. Id colligitur ex multiplici capite:

1. *Ex gravitate finis,* qui intenditur; etsi res præcepta sit in se levis. Sic abstinentia a pomo in Paradiso terrestri erat quidem in se res admodum levis, sed ex circumstantia finis, ad quem conferebat, erat res gravissimi momenti; per eam enim homo suam a

[1] *De Civ. Dei,* l. xix, c. 21. — *V.* Liguori, *Op. Mor.,* l. 1, nn. 92 et 99.

Deo dependentiam profitebatur. Item ratione scandali nonnulli Episcopi sub gravi prohibuere clericis vel solum ingressum in popinas. Et Jus civile sub capitis pœna prohibet quandoque militibus levia furta, ratione gravium damnorum, quæ aliunde sequerentur [1].

2. *Ex gravitate materiæ*, si nempe sit gravis vel ratione quantitatis, ut esset materia notabilis in furto; vel ratione qualitatis, ut esset hostia consecrata; vel ratione alterius circumstantiæ gravis superiori ipsi satis notæ.

3. *Ex gravitate verborum*, quibus legislator usus est: ut si præcipiat aut vetet *sub indignatione Dei, sub minatione divini judicii, in virtute sanctæ obedientiæ, ex tota potestate*, etc.

4. *Ex gravitate pœnæ* transgressoribus legis mixtæ impositæ; cum pœna culpæ proportionetur. Esset v. g. pœna exilii perpetui; excommunicationis, si sit latæ sententiæ; nam aliter dicendum probabilius, si sit tantum ferendæ in materia non gravi, cum ex una parte non sit tam magna illa pœna, quæ illico non incurritur; ex alia vero materia, quæ levis supponitur, id per se non ferat.

5. *Ex communi prudentum judicio* ac probata consuetudine, quæ quidem est *optima legum interpres* [2].

227. Q. 2. *An lex debeat esse justa, ut habeat vim obligandi?*

R. Affirmative; lex enim humana nequit obligare, quin sit conformis legi æternæ Dei, a qua omnis lex suam derivationem ac vim habet. At quomodo ei conformabitur lex, quæ injustitiam præseferat? Justa autem esse debet tum justitia *legali* in eo posita, ut publicam promoveat utilitatem; tum justitia *commutativa* in eo sita, ut legislator suæ jurisdictionis limites non excedat; tum justitia *distributiva*, quæ in eo collocatur, quod onera et præmia subditis distribuantur, proportione servata. *Secus leges*, ex Angelico, *magis sunt violentiæ quam leges; quia, sicut Augustinus dicit, lex esse non videtur, quæ justa non fuerit* [3]. Sed adverte:

1. Non omnem proportionis excessum sufficere ad legis nullitatem; sed talem requiri, quæ cedat in detrimentum commune, et in grave ac injustum onus plurium. Nam si lex sit de se justa, et tamen quidam subditi plus æquo graventur, lex adhuc erit valida et obligabit alios. Illi vero qui injuste gravantur, non obligabuntur quoad excessum, nisi per accidens, ratione scandali vel perturbationis, ad quæ vitanda quisque debet propriis etiam juribus cedere.

2. Non licere contra principes injusta præcipientes insurgere; nam præter hallucinationem quæ timetur, hoc semel admisso prin-

[1] *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. x, c. III.
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 146; et l. VII, n. 313. [3] 1, 2, q. 96, a. 4.

cipio, quot et quantæ orirentur perturbationes et mala? Quapropter omnia patienter toleranda sunt exemplo primorum christianorum, potius quam contra principes hujusmodi ad rebellionem insurgere; ac imitandus est Christus, qui *tradebat judicanti se injuste* [1] *(U).*

228. Q. 3. *An lex, quæ fundamentum habet in aliqua præsumptione, obliget in conscientia?*

Nota. Præsumptio est *suppositio, qua ex aliquibus indiciis judicatur aliquod esse verum, vel aliquod factum intervenisse.* Duplex distinguitur: alia *facti* seu *præsuppositionis;* alia *juris* seu *periculi.* — Prima est qua legislator credit aliquod factum intervenisse, super quo proinde disponit. Secunda est qua legislator ex communiter contingentibus prudenter judicat generaliter adesse verum mali periculum, v. g. doli et fraudis; ideo non attendit factum, sed habet pro ratione periculum generale alicujus mali. Quo posito:

R. Si præsumptio, in qua lex fundatur, est *facti*, et factum non subsistat, lex illa non obligat; nam tota ratio obligationis in solo facto fundatur; cum igitur hoc minime existat, superior obligare non intendit: tunc valet axioma *præsumptio cedit veritati.* Unde v. g. mulier, quæ certo scit se invalide contraxisse cum viro, non tenetur parere judici etiam sub pœnis præcipienti, ut debitum reddat; quia jussio præsumit factum, nempe validum matrimonium: quod tamen non adest. Sic si in judicio falso probatum fuerit, tuum animal intulisse damnum, non teneris solvere pœnam: et lata sententia ut solvas, licet externe (ut vitetur scandalum ac judiciorum perturbatio) tenearis solvere; tamen potes tibi occulte compensare.

Si vero præsumptio, in qua fundatur lex, est *juris*, lex obligat in conscientia, tametsi malum quod timetur, in aliquo casu peculiari non eveniat; alioquin fraus legi quam facile fieri posset: unusquisque enim illico diceret respectu sui nullum adesse periculum, et sic inutilis lex evaderet. Adde, periculum generale semper adesse; lex autem hoc spectat. Quare matrimonia absque præsentia Parochi et testium celebrata sunt invalida, etiamsi constaret nullas fuisse fraudes, nullumque doli periculum. Sic si tuum animal certe fuerit causa damni, sed falsa est præsumptio, quod id acciderit tua culpa, teneris solvere pœnam post sententiam; quia hujus legis finis non solum est punire, sed etiam reddere homines diligentiores ad vitanda damna aliorum [2]. Hoc lex civilis firmat [3].

[1] I, Petri, II. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. VIII, n. 13. Et dicta n. 196.
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 100. — Ferraris; V. *Præsumptio.*
[3] *Cod. Civ.* art. 1353. — *C. G.* 1249; — *C. S.* 1303; — *C. P.* 2313; — *C. M.* 2391; — *C. T.* 663.

ART. II. — *De legis promulgatione.*

229. Q. 1. *Quid de legis promulgatione?*

R. Promulgatio legis definitur: *publica legis denunciatio facta auctoritate superioris ad obligationem in subditis inducendam.* Promulgatio differt a divulgatione, quæ est illius veluti applicatio ad aures facta per privatos fide dignos iis, qui promulgationem ignorant.

Divulgatio non est necessaria ad legis valorem; nam si aliter esset, vix ulla haberetur lex humana obligandi vi prædita; cum ferme semper sint aliqui, ad quos legis notitia minime pervenit, nisi post tempus longissimum ab ejus pomulgatione. Quare qui legis promulgationem inculpabiliter ignorant excusantur a culpa ex defectu cognitionis, non vero ex defectu legis, quæ utpote promulgata vi obligandi potitur.

Quæ *promulgatio* est absolute necessaria ad communitatem obligandam; nam cum lex sit regula publica, cui debet communitas suis in actibus se conformare, minime poterit habere vim obligandi, nisi ei innotescat: *lex*, inquit Angelicus, *imponitur aliis per modum regulæ et mensuræ; regula autem et mensura imponitur per hoc, quod applicatur his, quæ regulantur et mensurantur. Unde ad hoc, ut lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in eorum notitiam deducitur ex ipsa promulgatione: unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem* [1]. Quare siquis sciret legem jam esse conditam et mox promulgandam, non teneretur eam implere, nisi postquam promulgata esset; nam *leges instituuntur, cum promulgantur* [2].

230. Q. 2. *Quinam esse debet modus et tempus promulgationis legis?*

R. Jure naturæ nullus est *modus* præscriptus ad promulgationem; sed sufficit, quod lex ita publice proponatur, ut facile possit ad subditorum notitiam pervenire, quocumque modo fiat; nam id unum requiritur, ut lex subditis proponatur. Hinc satis erit, si lex publice denuntietur in Diario officiali, cum ubique evulgetur; vel in civitate ubi residet gubernium, nam ita facile ad subditorum notitiam potest pervenire ob frequentem illorum ad talem Sedem concursum.

Quoad *tempus* vero pertinet, si legislator illud determinavit, patet, quod lex non obligat, nisi tempus illud effluxerit: cum enim lex pendeat a voluntate legislatoris, ipsius est modum et tempus obligationis definire. Si autem tempus legislator non determinavit, tale requiritur quod sufficiat, ut legis notitia ad omnes moraliter perveniat; quod communi prudentum judicio probabilius censetur bimestre, nisi aga-

[1] 1, 2, q. 90, a. 4. — *V.* Ferraris; V. *Lex*, a. 2.
[2] Gratianus, Dist. IV, c. *In istis*.

tur de regionibus adeo remotis, ut intra illud nequeat legis notitia ad illas pervenire, ut sunt transmarinæ in Asia, in Africa et America regiones.

Ceterum, loquendo speciatim, dicimus, quod Jure canonico ordinarie leges Pontificiæ obligant a bimestre promulgationis [1]; leges vero Episcoporum receptum est, ut obligent statim a promulgatione [2]. Tandem quoad leges civiles videatur quod in singulis regnis statutum est; variant enim [3].

231. Q. 3. *An leges Pontificiæ promulgatione indigeant?*

R. 1. Constitutiones in materia fidei ac morum nulla indigent promulgatione in omnium sensu; sed eis adhærendum est statim ac certo cognoscuntur quacumque via; verum enim et rectum singulorum conscientiæ imperant ante quamcumque promulgationis normam, vel regium placet.

R. 2. Ceteræ Constitutiones utique promulgandæ sunt; utrum autem debeant promulgari de necessitate in singulis provinciis, affirmant plures auctores graves cum Becano, Collet et Cabassutio: nimis enim durum esset obligare totius christiani orbis fideles ad leges Romæ tantum promulgatas. Excipiunt tamen Bullas jam insertas in Bullario authentico, quia hæ jam sunt corpus legum.

Verum valde communis et probabilior sententia cum Benedicto XIV docet satis esse, quod leges Pontificiæ Romæ locis et modis ibi destinatis promulgentur, ut tum habeant obligandi singulos, ad quos leges illæ spectant [4]. Ratio est ipsa auctoritas Pontificum, qui sic obligare possunt et volunt: *possunt*, quia modus promulgationis juxta omnes pendet ab arbitrio legislatoris; *volunt*, ne dicantur quod frustra apponant suis in Constitutionibus clausulam, qua declarant se intendere eas *sic publicatas ab omnibus ad quos spectant, perinde habendas esse ac si unicuique illorum personaliter intimatæ fuissent vel exhibitæ*. Adde: ex Jure canonico, ut quis ad legis Pontificiæ observantiam teneatur, satis esse quod noverit *eam solemniter editam aut publice promulgatam* [5]: quæ quidem promulgationis notitia Romæ peractæ de facili haberi potest ob eo recurrentium copiam; ideo etiam quia omnes Diœceses et regna habent Romæ suos procuratores qui ordinarie satagunt suos principales de novis Bullis quæ promulgantur, certiores facere.

1 Leg. *Leges*, c. de leg. — *V.* Liguori, *Ho. Ap.*, tr. II, n. 8; *Op. Mor.*, l. I, n. 96.

2 Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. 4.

3 *Cod. civ.* art. 1, proœm. habet: *le leggi promulgate dal re diventano obbligatorie in tutto il regno nel decimo quinto giorno dopo quello della loro pubblicazione, salvo che nella legge promulgata sia altrimenti disposto. La pubblicazione consiste nella inserzione della legge nella Raccolta ufficiale delle leggi e decreti, e nell'annunzio di tale inserzione nella Gazzetta officiale del regno.* — *C. A.* 3; — *C. G.* 1; — *C. S.* 1; — *C. P.* 1; — *C. M.* 1; — *C. T.* 2.

4 *De Syn.*, l. XIII, c. IV. — Fusius eam sententiam tuetur Sanctus noster in *Op. Mor.*, l. I, n. 96; et in *Homo Apost.*, tract. II, nn. 6 et seqq.

5 Cap. I. *Ad hæc de post. præl.* Accedit responsum S. Pœnitentiariæ ad Archiepiscopum Neapolitanum 8 nov. 1821, ut videre est in Lib. IV, Append.: *de massonismo.*

Hinc pro praxi concludimus: Bullæ Pontificiæ aliaque Decreta per promulgationem solitis modis Romæ factam, illico obtinent vim obligandi (nisi aliud in illis exprimatur); et ideo fideles ad illa tenentur statim ac talis promulgationis notitiam certam habuerint [1]: si excipias pro pluribus ditionibus illas Pontificum Bullas (nec doctrinam, nec mores respicientes), quæ ex initis cum Sancta Sede Concordatis, indigent *regio exequatur*, ut obligent illarum ditionum subditos *(V)*.

232. Q. 4. *An ad legis obligationem requiratur acceptatio populi?*

R. Semel facta promulgatione, ad hoc ut lex obliget, non requiritur populi acceptatio, sed statim tenentur subditi in consciéntia legem justam acceptare sive civilem sive ecclesiasticam.

Patet: 1) ex Apostolo dicente: *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* [2]: atqui non acceptare legem justam superioris est *resistere potestati*; 2) ex damnatione facta ab Alexandro VII hujus n. 28 propositionis: *populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam*; 3) ex ratione: si hæc populi acceptatio requireretur, quælibet legislatorum auctoritas omnino desineret: ipsi enim plus non possent evincere, quam vellent subditi: quod esset non regere, sed regi. Unde per acceptationem leges non confirmantur de jure, sed de facto tantummodo; habent enim a legislatore, non vero a populo vim suam.

Hoc autem quoad leges Pontificias est omnino indubitatum, ut contraria quorundam opinio non possit componi cum fide, uti ait cum Suarez Benedictus XIV [3]; nam R. Pontifex non a populo, sed a Christo immediate accepit potestatem legislativam pro toto christiano orbe per ea verba: *pasce agnos meos... pasce oves meas* [4]. Quod valet etiam de legibus Episcoporum, qui ab eodem Domino (vel immediate vel mediate) per R. Pontificem potestatem habent illis verbis: *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* [5].

Idem dicendum de lege civili; nam obligatio legis non oritur ex acceptatione populi, sed ex potestate, quam princeps habet a Deo independenter a populo, uti legitur in Scripturis [6].

[1] Si diaria referant novam Bullam, sicut fit a multo tempore, et nulla oriatur de authenticitate dubitatio aut reclamatio: vel quidam de Clero adeundo Episcopum vel Nuntium didicerint eos recepisse exemplaria legis Pontificiæ authentica, et sic spargatur notitia, erit testimonium sufficiens. Bouix cum communi.

[2] Rom. XIII. [3] *De Syn.*, l. XIII, c. 4. [4] Joann. XXI. [5] Act. XX.

[6] *Prov.* VIII. — Limitant sententiam: — 1) si lex per decennium non fuerit acceptata, ratione contrariæ consuetudinis; — 2) si sanior et major pars legem non observet; et ex circumstantiis præsumatur, principem non instando pro observantia nec transgressores puniendo, nolle obligare quemlibet; — 3) si lex sit contraria consuetudini vigenti, valde difficilis, et tales insuper sint circumstantiæ, ut si a principe præcognitæ essent, sine dubio legem non tulisset.

Hæc pro foro conscientiæ: in foro externo nullus auditur, sed transgressores omnes puniuntur. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. II, n. 11; *Op. Mor.*, l. I, n. 139.

233. Q. 5. *An lex naturalis egeat promulgatione; et quomodo hæc promulgatio fiat, et quando?*

R. Ad 1: non est dubium, quin etiam lex naturalis indigeat promulgatione, ut habeat vim obligandi. Hoc enim est proprium naturæ cujusque legis, ut non valeat obligare, nisi innotescat: innotescere autem non potest, nisi per promulgationem.

R. Ad 2: de modo, quo legis naturalis promulgatio contingit, audiatur s. Thomas: *dicendum quod promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam* [1]. Videlicet non contingit quidem per modum humanum, id est signis externis, v. g. edictis, vel proclamatione vocali; bene vero per lumen naturæ, quod Deus mentibus nostris propria quasi manu inseruit, et quo pedetentim legem ipsam cognoscimus.

R. Ad 3: quoad tempus promulgationis dicimus cum Theologis celebrioribus: promulgatio hæc vel consideratur in habitu, vel in actu (alii dicunt in actu primo vel secundo). Promulgatur *in habitu*, cum primum Deus eandem inserit mentibus nostris naturaliter suo tempore pedetentim cognoscendam. Promulgatur *in actu*, quando unusquisque nostrum cognitionem illam acquirit, quæ eidem dictat quid juxta rationem naturalem agendum, quid fugiendum. Ad rem Joannes Malderus Theologus Lovaniensis valde celebris et Episcopus præclarissimus: *habitu promulgatur* (lex naturalis) *ab initio nativitatis, actu autem initio rationis: ut si quis v. g. in tenebris literas principis aliquod jubentis accipiat, quibus tunc demum teneatur parere, quando eas legere poterit* [2]. — Neque sufficit ad inducendam legis naturalis obligationem ejus promulgatio habitualis, sed requiritur actualis: per hanc enim solummodo venit homo in cognitionem præcepti; quia, docente s. Thoma, *ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, oportet quod applicetur: talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum* (hominum) *deducitur ex ipsa promulgatione.* Atqui nemo in hanc notitiam deduci potest per promulgationem habitualem; ergo prorsus requiritur actualis.

CAPUT SEPTIMUM

DE LEGIS OBSERVANTIA ET EXECUTIONE.

234. Q. 1. *An præcepto satisfaciat qui illud [illegible] in statu mortalis peccati existens?*

R. Si agatur de illo legis implemento, quod [illegible] gratiæ necessario supponit, uti est præceptum paschalis Communionis, utique status gratiæ requiritur; alioquin ipsum præceptum non impleretur, cum positum sit in illo actu virtutis. Secus si pure et simpliciter actus præcipiatur: tunc non requiritur status gratiæ; nam ponendo opus, jam totum ponitur quod a legislatore præcipitur, sive illud ponatur in statu gratiæ sive non. Hinc a Pio V damnata

[1] 1, 2, q. 90, a. 4.

[2] Breviter sic idem expressit doctissimus Sylvius: *actualiter tunc* (lex naturalis) *unicuique promulgatur, quando cognitionem a Deo accipit dictantem quid juxta rectam rationem sit amplectendum, quid vero fugiendum.* — *V.* Liguori, *Apologie*, t. II, p. 86.

tat hæc Bej propositio: *non est vera lex obedientia, quæ S. non videtur.* Unde qui in peccato mortali Horas, jejunat, Sacrum audit, satisfacit præcepto?

235. Q. 2. *An ad legem implendam requiratur voluntas satisfaciendi?*

R. Negative. ad legem implendam non requiritur intentio satisfaciendi (ut dixi), nam præcepta non obligant ad obedientiam formalem, hoc est ut res fiat, qua præcipitur, sed tantum ad materialem, hoc est, ut fiat quod præcipitur. Sic qui vitio loci Missæ interest ignorans esse diem festum, satisfacit præcepto, nec tenetur ad aliam Missam, cum enim jam egit quod lex constituit.

Imo aliunde adimpletur lex (ut supponit docent Antonius, Croix, Lessius, Tournely et Suarez cum aliis communissime) si ille, qui vitavit ejus a lege præceptum, non solum removit voluntatem satisfaciendi, sed habuit voluntatem expressè contrariam non satisfaciendi. Esset si quis in festo Missam audiat summo mane expressè decidens illam audire ex mera devotione, et libet expressè volens præcepti satisfactionem transferre ad aliam Missam circa meridiem, quam audire postea neglexit. Ratio: lex non obligat, nisi ad substantiam operis injuncti; hoc ergo semel posito, non amplius est in potestate operantis, ut lex dicatur non impleri. [X]

236. Q. 3. *An ad satisfaciendum præcepto requiratur, ut ex præcepto positivo homo moveat, id est cum intentione se obligandi id quod præceptum est?*

R. Si agatur de præceptis negativis, ad satisfaciendum non requiritur talis voluntas, sed sufficit simplex et mera omissio actus prohibiti, cum in illa tantum consistat quod est in præcepto. Sic qui vitio dormiendi sine esu et sine potu, die non potest legem jejunii violasse.

Si vero agatur de præceptis positivis, dicimus illam prolatio requiri voluntatem; quia cum lex præcipit hominibus positivum, aliquem producendo requirit actum humanum; porro actus humanus debet esse conjunctus cum libertate et voluntate operandi, id est ut velit sive intendat facere hoc quod est præceptum, v. g. Sacrum audire? Homo potest dici satisfecisse præcepto de audienda Missa qui Missæ obvius aut dormiens interfuit.

Quid dicendum de verbo sui discipuli, qui morte divitis nil majoris Sacram Scripturæ audivit; quid ipsum, recessisse multa, ait non audivit?

Licet ita petere illa multa voluntate, satisfacit tamen præcepto; quia talis metus injuriæ summopere reverentialis non tollit libertatem. Ac

1 V. Ligouri, *Homo Apost.*, tract. II, n. 38.
2 V. Ligouri, *Op. Mor.*, l. I, n. 165.

ter esset, si omnino coactus fuerit per metum gravem; tunc actio non esset humana defectu liberæ voluntatis.

237. Q. 4. *An diversis legibus possit satisfieri per unum actum?*

R. Affirmative: diversis legibus potest satisfieri per unum actum, si illo unico actu totum ponatur quod per diversas leges præcipitur, nec alia sit legislatoris mens. Sic si festum aliquod de precepto occurrat in dominica, satis est semel Sacro adesse. Sic subdiaconus beneficiatus una Horarum recitatione satisfacit duplici oneri et Beneficii et Ordinis.

Tunc vero per unum actum censetur impleri totum quod præcipitur, quando præcepta cadunt in eandem materiam, atque ob idem motivum. Neque agatur de materia justitiæ, in qua attenditur æqualitas rei ad rem: ideoque quando multiplicatur materia et solutio multiplicanda est. Hinc si Cajo debeas centum ex contractu, quæ voveas restituere, et ad quæ restituenda te obligavit etiam confessarius, centum tantum uno actu restituendo satisfacis tribus illis obligationibus, nempe justitiæ, voti et præcepti confessarii; cum obligationes diversæ unam respiciant materiam ac unum motivum. E contrario si Cajo debeas centum ex mutuo, centum ex emptione, non satisfacis centum tantummodo reddendo, quia illæ obligationes cadunt quidem in eundem justitiæ materiam, sed habent diversa motiva; ideo biscentum reddere debes.

Mens legislatoris colligi potest ex natura operis præcepti, ex circumstantiis communi piorum sensu etc. Hinc etsi qui tenetur jejunare ex voto, aut ex pœnitentia, non satisfaciat jejunando die quo currit jejunium vigiliæ, cum hæc præcepta habeant motiva diversa; bene tamen satisfaceret, si illud jejunium ex voto vel pœnitentia statutum esset per mensem, in quo incidit vigilia: quia in ea facti specie talis censetur imponentis voluntas. Unde non teneretur alia die curare compensationem [1].

238. *Quid* (dices) *si duo actus diversi ponantur eodem tempore? poteritne per eosdem actus satisfieri duplici præcepto?*

Affirmative: potest duobus actibus diversis satisfieri duplici præcepto eodem tempore, modo actus præcepti non sint inter se incompatibiles et tempus diversum a lege non exigatur; tunc totum præstatur quod præcipitur. Sic qui in festo audit Sacrum, et simul orationes voto aut pœnitentia debitas recitat, duplici præcepto satisfacit uno tempore; neque enim unus actus alium excludit: et talis est praxis. E contrario in sententia nostra non satisfaceret

1 *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. II, nn. 30 et seqq.; *Op. Mor.*, l. I, n. 165.

Missæ qui tunc temporis Confessionem faceret; cum Confessio excludat attentionem necessariam ad Sacrificium [1].

239. Q. 5. *Quonam tempore servandæ sunt leges?*

R. Si leges ipsæ tempus, diem et horam implementi determinant, uti sunt eæ, quæ præcipiunt abstinentiam ab esu carnium, et Horarum recitationem, ipsæ servandæ sunt tempore definito, uti patet. Secus impleri debent ubi primum commode poterunt; alioquin illarum implementum de die in diem posset differri, atque tandem omitti; quod est absurdum. — Quod si eodem tempore duo occurrant præcepta æque urgentia, quin simul impleri valeant, eo in casu præceptum gravius observandum est, cum prævaleat.

Hinc: 1. Præceptum negativum obligans semper et pro semper præferendum est præcepto affirmativo, quod obligat, sed non pro semper. Ita non licet furari ad subveniendum pauperibus.

2. Præceptum naturale præferendum est præcepto positivo etiam divino: præceptum vero positivum-divinum præcepto humano. Sic omittendum est Sacrum in festo, ne graviter ægrotans deseratur.

3. Lex superioris præferenda est legi inferioris: v. g. lex Papæ præferenda est legi Episcopi.

4. Ceteris paribus, lex innixa virtuti strictiori præferenda est legi innixæ virtuti minus strictæ: v. g. qui non potest et eleemosynam facere et debitum solvere, tenetur eleemosynam omittere. Diximus *ceteris paribus;* quia semper est habenda ratio aliarum circumstantiarum, quæ forte ordinem invertere præcipiunt; v. g. si pauper sit in extrema necessitate, prius ipsi succurrendum est. Imo ratio circumstantiarum in aliis quoque præceptis attendenda est; nam ipsæ mutatæ et casum mutare possunt.

240. Q. 6. *An peccet ille, qui voluntarie legis humanæ implemento ponit obstaculum?*

R. 1: Causæ quæ obstant legis implemento sunt vel *eximentes* vel *impedientes*. Priores eæ sunt, quæ aliquem totaliter subtrahunt e dominio legis, uti si quis extra locum quem lex afficit, se recipiat; posteriores sunt, quæ aliquem adhuc subjectum legi remanentem ab ejus impletione impediunt: puta si die dominica discedas e loco Sacri ad villam in eodem territorio positam, sed in qua non potes amplius Missam audire. Quæ causæ apponi possunt tum *directe* tum *indirecte*, nempe prout agens eo fine illas ponit, ut legi se subtrahat, vel alia de causa movetur ad eas ponendas, inde tamen præviso obice. Iterum istæ possunt esse vel *remotæ* vel *pro-*

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, n. 166; et dicenda *de Missæ auditione.*

ximæ vel *præsentes*, prout lex quæ causis illis prohibetur, vel jam-jam obtinet, vel proxime obligabit, puta in die; vel nonnisi post notabile temporis intervallum. Quo posito:

R. 2: Licet sine peccato apponere causas totaliter *eximentes* a legis humanæ observatione (etiam directe et proxime, in nostra sententia), nisi obstet specialis prohibitio: hoc enim est jure suo uti; cuique sane licet se subtrahere dominio legis, nempe peregrinando ad locum ubi lex non viget, ut nequeat amplius ipsum attingere. Unde tu non vetaris in die jejunii te conferre ubi illud non sit indictum, atque ideo ubi non sit præcepta abstinentia [1].

R. 3: Loquendo de causis *impedientibus:*

Dicimus: 1. Non licere sine gravi ratione illas, neque indirecte, apponere aut non removere sive agatur de præsentibus, sive de proximis (quæ in moralibus æquiparantur); si secus eluderetur omnis lex: sic peccat qui somno se tradit paullo ante vel ipso tempore audiendi Sacrum, recitandi Officium, etc.; neque enim ideo subtrahitur a legis vi, quæ ipsum jam proxime urgebat: ita communiter cum d. Thoma [2]. Imo directe neque licet illas ponere vel non removere, etsi remotas; dum enim quis adhuc subjacet jurisdictioni legis, non potest velle ullo tempore ejus violationem: hinc carcere detenti aut excommunicati peccant, si non curant liberari, ideo præcise, ne liberati teneantur Missæ de præcepto adesse; tali enim voluntate est eligere ex animo legis infractionem.

Dicimus: 2. Licet apponere vel non tollere (etiam sine gravi ratione, etsi prævisas), causas remotas, sed indirecte tantum impedientes legis implementum. Ita plures cum Croix, Suarez, Gury, etc. Hinc non peccat contra præceptum audiendi Sacrum qui iter aggreditur prævidens fore, ut sequenti die dominica illud audire non possit. Ratio est, inquit Suarez, *quia præcepta positiva ad hoc non obligant, nisi quando omissiones proxime et quasi eodem tempore moraliter loquendo sequuntur; ex quo etiam efficitur ut quando non sunt directe volitæ, raro imputentur ad culpam; quia ista præcepta positiva non cum tanto rigore obligant, ut propterea teneatur quis cum tanto rigore præcavere ea omnia quæ possunt impedire eorum executionem* [3].

[1] Dictum est: 1) *legis humanæ;* id enim nullimode potest habere locum in lege naturali aut divina; cum istæ omnes ubique ac semper obligent; 2) *nisi obstet specialis prohibitio;* sic v. g. lex vetat alio ire in fraudem reservationis peccatorum, vel ad matrimonium clandestine contrahendum, etsi eo in loco quo venitur, nec reservatio sit nec præceptum Tridentini, quo solo illud matrimonium prohibetur. Vide de Pœnitentia, ubi de *reservatione;* ac de Matrimonio, ubi de *clandestinitate;* et supra disputata de *peregrinis*, n. 207.

[2] 1, 2, q. 75, a. 5. — Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, n. 152; l. III, n. 1045.

[3] *De peccat.*, disp. III, sess. 4. — Addit nota 4 Frassinelli: « io osservo che tolto il caso che partisse dal suo paese precisamente a quel fine di non poter ascoltar la Messa nella domenica seguente (nel qual caso peccherebbe ancorche partisse al lu-

241. Q. 7. *An qui uno actu violat plura præcepta condita diversis legibus super eadem materia, committat plura peccata?*

R. Affirmative si dignoscatur leges illas conditas esse ob diversos fines formales, quod tunc evenit, cum leges ipsæ trahunt actum ad aliam virtutem specialem; secus negative, quia non haberentur malitiæ diversæ. Sic qui non jejunavit die vigiliæ incidentis in Quadragesimam, etsi duplex violet præceptum, vigiliæ scilicet et Quadragesimæ, non committit tamen nisi unum peccatum; quia in utroque præcepto unica est ratio formalis et motivum proximum, nempe maceratio carnis; et ideo satis est, ut in Confessione se accuset de uno jejunio violato. Item qui Sacrum audire neglexit in die festo incidente in dominicam, violat utique duplex præceptum, unum de Sacro audiendo in illo die festo, alterum de Sacro audiendo in die dominica; et tamen committit unum dumtaxat peccatum, quia unica est ratio formalis, et unicum est motivum proximum præcepti utriusque, scilicet cultus Dei. Et ideo sufficit, ut in Confessione seipsum accuset de uno Sacro omisso [1].

E contrario violans votum et juramentum, vel votum et præceptum Ecclesiæ de eadem re, duplex committit peccatum; quia duplicem committit malitiam, cum duplex habeatur ratio formalis omnino diversa in duplici præcepto sic violato. Voti enim observatio præcipitur, ut servetur fides Deo data; observatio juramenti, ut Deus vocetur in justum testem. Item qui percutit clericum, dupliciter peccat, contra justitiam ex præcepto Dei et contra religionem ex præcepto Ecclesiæ, quæ ex religionis motivo id prohibuit [2].

242. Q. 8. *An qui totum præceptum implere non potest teneatur saltem implere partem illam quam potest?*

R. Si illa præcepti materia indivisibilis est, qui non potest servare totum, non obligatur ad partem. Sic qui voto adstrictus est Romam petendi ad visitanda Limina Apostolorum, et certo scit se eo pervenire non posse, non tenetur ne in parte quidem suscipere iter; quia nec finis nec ratio voti servaretur.

nedì); tolto questo caso, in qualunque giorno partisse compreso il sabbato, per qualunque causa lecita, non si saprebbe come condannarlo di peccato, e perchè non è certo che la Chiesa, la quale obbliga il cristiano ad ascoltar la Messa quando si trova in luogo dove può ascoltarla, lo obblighi similmente a fermarsi ivi perchè la ascolti; e perchè in caso diverso sarebbero da condannare di peccato (lo che non si fa) i naviganti, i quali senza grave bisogno intraprendono i loro viaggi negli ultimi giorni della settimana. » Hoc videtur cum grano salis accipiendum et cum gravi causa; alioquin venatores qui sabbato longinqua petunt, quin possint dominica die Missam audire, semper excusarentur; venatio enim per se est licita.

1 Item qui committeret homicidium sub pœna etiam ab Episcopo prohibitum, unum peccatum committeret; quia tam Deus, quam Episcopus habuerunt unum tantum motivum justitiæ. Item sacerdos beneficiatus omittens Officium (quoties vellet restituere fructus) unum peccatum perpetrat; quia una tantum religionis causa et beneficiato et in Sacris ordinato illud oneris impositum est.

2 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 4, 15; l. V, n. 33; et *Homo Ap.*, tract. II, n. 32.

Si vero materia præcepti est divisibilis, qui non potest totum implere præceptum, saltem tenetur ad partem, si hæc notabilis sit, id est si in ea aliquo adhuc modo servatur præceptum; tunc ad illud implendum adhuc censetur legislator obligare: et sicut *utile per inutile non vitiatur*, ita neque *pars possibilis per impossibilem*. Hinc Innocentius XI damnavit hanc sub n. 54 propositionem: *qui non potest recitare Matutinum cum Laudibus, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem* [1]. Ita qui non potest abstinere a pluribus refectionibus in Quadragesima, debet abstinere a carnibus, nisi adsit indultum: qui non potest omnibus diebus jejunare, id debet diebus quibus potest; quilibet enim dies est pars præcepti gravis et notabilis.

Hæc tamen nostra resolutio diversa esset, si ambiguum et incertum sit, num adsit potentia etiam quoad illam præcepti partem; « sicuti v. g. (ait ad rem nostram Billuart) in infirmis, in quibus vix aut ne vix determinari potest quid possunt, usquequo possunt, et non ultra. Unde si dum non possunt totam legem implere, tenerentur ad partem, foret locus gravissimis scrupulis, et continua perplexitas in determinanda parte ad quam tenerentur. Et ideo jure præsumitur de mente æqui legislatoris, quod non velit in similibus casibus obligare ad partem: ita graves Theologi [2]. »

243. Q. 9. *An possit quis renuntiare legibus in sui favorem latis?*

R. Si leges primario latæ sint in bonum communitatis, nemo potest illis renuntiare; quia bonum communitatis semper est firmum. Hinc clericus nequit renuntiare privilegio fori, ubi vigeat; cum id inductum sit in decus totius Ordinis clericalis. Neque subditus privatis conventionibus aut dispositionibus potest derogare legibus quæ respiciant bonos mores vel quæ ordinem publicum tueantur, etsi illæ vergant etiam in sui favorem [3].

Si vero leges respiciant primario bonum privati, hic utique potest legibus illis renuntiare: sane si contra voluntatem iis subjici deberet, non esset illi favere, sed onus imponere. Hinc hæres ordinarie renuntiare potest hæreditatem sibi delatam.

1 Hoc nempe axioma non valet, nisi quando partes ita connexæ sunt, ut eadem sit ratio partis utriusque, quod in præsentiarum non currit. Hic enim ratio excusans a toto est impotentia; sed impotentia minime supponitur adesse in parte.

2 *De Legibus*, dissert. IV, art. 7.

3 *Cod. civ.* art. procem. 12; — *C. A.* 878; — *C. G.* 6; — *C. S.* 7; — *C. P.* 8; *C. M.* 14; — *C. T.*

CAPUT OCTAVUM

DE LEGIS INTERPRETATIONE ET MUTATIONE.

244. Q. 1. *Quid est legis interpretatio, et quotuplex?*

R. Ad 1: Interpretatio legis nihil est aliud, quam *explicatio sensus, quem lex intendit.* Per se loquendo ea locum habet in omni lege humana; nam quantumcumque lex clara sit, impossibile tamen est, ut omnes omnino casus comprehendat; et sub una litera non raro multiplex latet sensus. Imo et in ipsa lege naturali, ubi actio possit ex circumstantiis malitia denudari: sic negamus ensem domino, qui illo sit certo abusurus, licet jure naturæ res clamet ad dominum [1].

R. Ad 2: Duplex est legis interpretatio: una, quæ dicitur *simplex;* altera, quæ dicitur *per epikiam.* Prima est pura, et quasi literalis expositio terminorum legis, qui obscuritatem vel ambiguitatem aliquam pati videntur. Altera est benigna ac rationalis declaratio, qua casus particularis ob particulares circumstantias statuitur non comprehendi sub lege, etsi legis verba sint generalia et perspicua. Ipsa interpretatio simplex subdivitur, nempe tum ratione modi tum ratione causæ.

a) Ratione *modi:* 1) alia est *declaratoria*, quæ verba legis obscura declarat; 2) alia *ampliativa*, quæ legem ad similes casus extendit; 3) alia *restrictiva*, quæ legem restringit ad designatos casus, quamvis ipsa generalis videatur.

b) Ratione vero *causæ*, quæ maxime attenditur, alia est *authentica*, alia *usualis*, alia *doctrinalis* seu *didascalica. Authentica* est illa, quæ fit ab ipso legislatore vel superiore illius aut successore: habetque vim legis, quin promulgetur, si sit pura legis ipsius declaratio; cum tunc sit ipsa lex ab eo procedens, a quo lex omnis suam habet vim. *Usualis* est illa, quæ petitur ex consuetudine: quæ quidem, cum *optima sit legum interpres*, utique obligat. *Doctrinalis* est quæ fit per Doctorum explicationem et Jurisperitorum oracula: hæc nullam quidem habet vim legis, cum non procedat a facultate legislativa; magnam tamen habet probabilitatem. Imo si universali muniatur sapientum consensu, temeritatis notam non effugeret qui eam sperneret; cum magna sit vis consensionis *(Y).*

245. Q. 2. *An lex de casu ad casum extendi debeat?*

R. Ordinarie lex non debet de casu ad casum extendi, etsi eadem ratio currat. Quia non ratio legis, sed legislatoris voluntas subditis

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, nn. 200 et seqq. — Ferraris; *V. Interpretatio legis.*

rite intimata vim legis habet et obligat; potest enim legislator de uno disponere, non de alio [1]; et hoc maxime si agatur de lege pœnali [2]. Diximus *ordinarie;* nam commune est legem extendi de casu ad casum, cum non solum eadem sed eadem et adæquata simul ratio currit, adeo ut, si non extenderetur, legislator argui posset de imprudentia vel injustitia; tunc valet illud juris: *ubi eadem est ratio, ibi eadem currit legis dispositio.* Id evenit:

1. In *correlativis:* jure etenim sancitur, ut *dispositum in uno correlativo censeatur dispositum etiam in alio.* Sic lex, quæ eximit maritum ab obligatione reddendi debitum conjugale uxori adulteræ, censetur item eximere uxorem ab eodem officio erga adulterum maritum; quia maritus et uxor sunt correlata.

2. In *æquiparatis:* sic cum electio, postulatio et præsentatio in Beneficiis inter se æquiparentur a jure, quod lex decernit circa unum, idem decernere censetur circa aliud in his, in quibus æquiparantur. Sic ova et lacticinia æquiparantur ratione abstinentiæ, et quod dicitur de primis, intelligi etiam debet de secundis.

3. In *connexis:* sic v. g. cum testamentum sit naturâ sua revocabile, quibus lex permittit conficere testamentum, utique permittit etiam illud revocare.

4. In *contentis:* sic Pius V permittens monialibus e monasterio egressum ob incendium aut epidemiam, censetur etiam id concedere ob inundationem et hostium invasionem; cum eadem currat ratio.

In his conveniunt licet agatur de lege pœnali. Neque tunc valet regula: *odia restringenda, favores convenit ampliari;* nam id procedit tantum cum dispositio legis extenditur ex interpretatione *congruitatis.* Non autem cum debet extendi ex interpretatione *necessitatis,* quæ non tam debet dici extensio, quam comprehensio [3].

216. Q. 3. *Quid de epikeja?*

R. Epikeja (seu epikia) *est exceptio casus ob circumstantias, ex quibus certum vel certo prudenter judicatur, legislatorem noluisse illum casum sub lege sua comprehendi:* græca vox est, quæ idem sonat ac *æquitas.* Sane ad æquitatem pertinet, ut legislator censeatur relaxare de sua lege, gravi interveniente causa [4]. Ut tamen detur locus epikejæ (etiam in casu particulari), oportet ut lex reddatur damnosa vel onerosa nimis.

[1] Hinc illud: *ratio legis non est lex.* [2] V. *Cod. civ.* art. 4 procem.
[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, n. 200.
[4] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. 11, n. 7; et *Op. Mor.*, l. 1, n. 201. Juxta Salmanticenses epikeja locum habere potest etiam in lege naturali et divina positiva, si actio possit ex circumstantiis a malitia denudari. Sic de lege naturali res suo domino reddi debet, et tamen negari potest gladius depositus domino, si illo sit abusurus:

Damnosa: hinc possunt cives arma capere contra hostes civitatem invadentes, licet lex generatim armorum gestationem prohibeat. *Onerosa nimis* seu *dura:* hinc excusatur ab auditione Sacri qui timet ideo notabilem jacturam bonorum, quæ moram non patiatur; nec suppetat tempus recurrendi pro dispensatione [1].

247. Q. 4. *An leges humanæ mutari possint?*

R. Licet summopere deceat legibus humanis majorem quæ potest. stabilitatem inesse, ne confusio inducatur et turbenter judicia; attamen ad discrimen legis naturalis, cujus est attributum, ut nullam mutationem admittat, leges humanæ possunt utique aliquando juste mutari. Ratio quia cum leges humanæ hominum conditiones regant, et conditiones istæ sæpe mutationem subeant, hinc leges ipsæ mutari possunt, ut hominum conditionibus sese valeant accommodare [2]. Id contingit: 1) per *dispensationem;* 2) per *derogationem;* 3) per *abrogationem;* 4) per *cessationem;* 5) per *privilegium;* 6) per *consuetudinem.*

Si nihil horum interveniat, lex semper durat, etiam legislatore mortuo; nam perpetuitas est de natura legis, ut probat Suarez.

ART. I. — *De legis dispensatione, derogatione, abrogatione, cessatione.*

248. Q. 1. *Quid est legis dispensatio?*

R. Legis dispensatio est *legitima legis relaxatio pro aliquo casu particulari.* Differt a legis irritatione, abrogatione et cessatione; quia in hisce lex pro omnibus extinguitur; in dispensatione vero vinculum legis relaxatur tantum pro particulari. Differt a simplici licentia, in qua non relaxatur, uti in dispensatione, legis obligatio; sed solum apponitur conditio, qua posita, lex non amplius locum habet: sic Episcopus potest cum causa dare licentiam ingrediendi monasteria monialium, non tamen per se ab hac lege dispensare.

Dispensatio alia est *totalis*, alia *partialis*, prout a toto vel a parte legis dispensat. Alia *tacita*, alia *expressa*, prout vel ab aliquo facto deducitur, vel verbis expressis declaratur. Alia *necessaria*, alia *libera*, prout in jure a superiore decernitur tribuenda, tali extante causa; vel ejus voluntati libera relinquitur. Hic duo notanda:

1. Cum dispensatio sit odiosa, ac veluti vulnus legis cui derogat, stricte accipienda est; nisi sit debita, vel data ex motu proprio, vel inserta in Corpore juris, vel nisi concedatur communitati, vel ob bonum commune; cum iis in casibus dispensatio illa habeatur uti favor et gratia [3].

sic de lege divina-positiva *panes Propositionis* non dabantur laicis, et tamen summus Sacerdos recte judicavit se illos David præ lassitudine deficienti dare potuisse.

Epikeja est a græco *epi*, super; et *eico*, consentaneum; vel *eicès*, clemens.

[1] S. Thomas, 2, 2, q. 120, art. 1: ex quo si observantia legis sit *nociva*, non est de necessitate interrogandus superior, etsi facile possit.

[2] D. Thomas, 1, 2, q. 67, a. 10.

[3] Item potestas alicui tributa alios dispensandi large accipitur, cum sit gratia facultativa, maxime si generaliter concessa. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, n. 186.

2. Dispensatio a quovis, etiam pro invito et ignorante, valide obtineri potest; cum id jure sit statutum [1]. Excipit Marcus Leo in sua praxi quod a S. Pœnitentiaria obtinetur; ut illud valeat, postulandum est vel a confessario vel a pœnitente vel a consanguineis ad 4^{m} gradum [2]. — Ceterum semper opus est, ut dispensatio a dispensato acceptetur, nisi in aliquo peculiari casu aliter cautum sit.

249. Q. 2. *Quotuplex dispensandi potestas, et quibus competit?*

R. Duplex est dispensandi potestas: ordinaria et delegata. *Ordinaria* est quæ aliqui competit ex vi officii sui, qualem habet legislator in lege propria. *Delegata* est quæ competit inferiori ex concessione illius, qui habet primam. Quod si hæc concedatur in ipso jure, æquiparatur ordinariæ, utpote officio et dignitati adnexa; si vero tota sit a superiore, dicitur *pure* delegata.

Hoc posito, dicimus: quilibet legislator ejusque successor potest auctoritate ordinaria dispensare cum subditis in lege propria, vel prædecessorum suorum; quia *res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Accedit: legem ferre, et legis relaxare obligationem est actus ejusdem jurisdictionis. Quod autem dicitur de legislatore et ejus successore, a fortiori dicendum de superiore; si enim superior potest leges inferioris abrogare, quanto magis poterit in iis dispensare? Hinc, ut de præcipuis dicamus:

1. Papa dispensare potest in omni jure ecclesiastico tam universali quam particulari: imo in iis etiam Apostolicis Constitutionibus, quas constat ab Apostolis ipsis fuisse editas, prout erant Ecclesiæ Præsides. Tales sunt quæ jejunium Quadragesimale respiciunt et observantiam diei Dominicæ ac similia [3].

2. Episcopus potestate officii sui, ideoque ordinaria, potest dispensare in omnibus Statutis sive Episcopalibus sive Synodalibus, independenter a Capitulo et a Clero. Neque obstat, quod Synodus ab Apostolica Sede fuerit approbata; ista enim approbatio non est specifica et absoluta, ut singula examinentur, cognoscantur ac motu proprio et certa scientia probentur. *Sed est ordinaria, communis* et *conditionalis, si juste, si canonice,* etc.: quod quidem nihil novi juris tribuit, ut cum Fagnano docet Benedictus XIV [4].

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 178 et seqq. — Ferraris; V. *Dispensatio.*
2 *Sext. Decr.*, l. III, t. IV: *Si motu proprio,* cap. 23 de præb. et dignitat.
3 Non tamen in legibus, quas Apostoli a Christo ipso tanquam auctore principali acceperunt promulganda et tradenda, ut sunt leges circa oblationem Sacrificii, et quæ formam respiciunt et materiam Sacramentorum. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 188. Item stricte loquendo neque in lege naturali, ut dictum est supra n. 168.
4 Imo Episcopus potest dispensare in sua Diœcesi a legibus latis in Concilio provinciali, modo non agatur de legibus, quarum dispensationem Concilium sibi specialiter reservaverit. Hoc enim valde expedit ad bonum fidelium. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. 5.

3. A Statutis Episcopalibus et Synodalibus valet dispensare etiam Capitulum Cathedrale, Sede vacante: cum succedat in locum Episcopi. Non tamen generalis Episcopi Vicarius sine speciali delegatione: cum id non habeat de suo jure ordinario [1].

250. *An* [quæres] *superior possit in suo territorio legitime dispensare cum iis, qui non sunt sui subditi?*

R. Cum dispensatio sit actus jurisdictionis, qui nonnisi in subditos potest explicari, patet eos tantum posse dispensari qui sunt legislatori subjecti. Certum est tamen vagos posse dispensari a superioribus loci, in quo hic et nunc resident: si secus esset, isti forenses non haberent a quibus dispensarentur a communibus, quibus ligantur legibus. Item advenæ possunt dispensari a superioribus loci, ubi morantur; cum advenæ per domicilium vel quasi-domicilium fiant eorum subditi.

Sed magna quæstio est de peregrinis, de illis videlicet qui alicubi veniunt, sed animo tantum subsistendi per aliquot dies vel ad summum per minorem anni partem, uti mercatores, viatores, devoti, qui alio veniunt pietatis causa, etc. An nempe Episcopus vel ab eo delegatus possit dispensare cum illis in votis, juramentis, jejuniis, festis circa opera servilia, ac ceteris quæ sunt de jure communi? Sunt qui affirmant, tum quia prudenter præsumuntur connivere eorum superiores, tum saltem ratione consuetudinis: quod merito probabile est. Verum sententia communissima, cui subscribimus cum Croix, Laymano, Salmanticensibus, Spower, Suarez, etc., negat: quia peregrinantes, non habentes verum animum contrahendi quasi-domicilium, non sunt subditi. Conniventia autem et consuetudo non habetur pro talibus dispensationibus, sed tantum pro absolutione peccatorum et censurarum eis adnexarum [2].

251. Q. 3. *An legislator possit in sua lege verum dispensare?*

R. Cum S. Thoma dicimus, posse legislatorem secum dispensare directe et immediate a sua lege. Ratio est quia dispensatio est jurisdictio pure voluntaria, quæ etiam erga se ipsum exercere potest: quod autem legislator sui non teneatur legibus, falsum est: large enim est quod capiat suos membros non congruat. Hinc bene S. Sic dispensare potest in votis, in jejunio ac in aliis, in quibus ipse cum aliis dispensat [3].

1 [illegible] *Regularium vide de religiosorum Regulari servum.*

2 V. Lugonis, *op. Mor.*, l. c., n. 188, 191 et 332. — Hinc missionarii pro [illegible] [illegible] [illegible] *Card.*, et nec in magna consuetudine [illegible] in Sanctuario asserunt, [illegible] [illegible] S. Sede, ut [illegible] [illegible] [illegible]

Quod pariter dicendum est cum communi Doctorum de illo, qui obtinuit facultatem universalem dispensandi cum aliis; iste enim potest etiam cum se ipso dispensare [1].

252. Q. 4. *An inferior possit dispensare in lege sui superioris?*

R. Per se loquendo inferior non potest dispensare in lege sui superioris, nisi ab ipso superiore facultatem obtinuerit. Ratio est, quia dispensatio est actus jurisdictionis; atqui inferior non habet jurisdictionem in foro superioris. Hinc Clemens VIII ait: *lex superioris per inferiorem tolli non potest.* Neque necesse est, ut superior dispensandi facultatem sibi reservet, cum jam sit de natura rei, ut ex se inferior nihil possit in lege superioris. — Ex quo deducitur: 1) hominem proprie dispensare posse in lege divina. Hinc damnata est a Clemente XI Bulla *Unigenitus* hæc Quesnelli propositio: *homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem;* 2) Episcopum dispensare non posse in lege Pontificis, nec Parochum in lege Episcopi: uno verbo nullum inferiorem in lege superioris [2].

Diximus, 1: *per se loquendo;* nam poterit dispensare inferior, si vel communi Doctorum sensu, vel consuetudine id ipsi permittatur. Sic Parochi propter consuetudinem possunt dispensare cum suis subditis (singulariter tamen), etiam præsente Episcopo, in necessitatibus frequentibus circa jejunium, et in abstinentia a laboribus diebus festivis. Sic usu inductum est, ut confessarii omnes solvant a censuris, si non sint reservatæ. Sic Prælati regulares possunt dispensare in regulis particularibus, si hoc eis non sit expresse vetitum.

Sic Episcopo communiter tribuunt potestatem dispensandi in legibus Pontificiis: 1) si in lege generaliter permittatur: *ex communi sententia canonistarum,* ait Suarez, *quoties in lege pontificia additur, ut in ea possit dispensari vel donec dispensetur, eo ipso intelligitur dispensationem committi Episcopo; tum quia alias verba illa essent superflua, tum quia potestas dispensandi ample est interpretanda* [3]; 2) quando vel expresse in jure potestas hæc continetur, vel in privilegio consuetudinis legitime præscriptæ; 3) quando *vel* ipsa urget dispensandi necessitas *vel* magna saltem utilitas, nec facile recurri potest ad Papam, *vel* in mora est periculum alicujus gravis incommodi; 4) in casibus frequenter occurrentibus, et particularibus, v. g. in jejuniis ab Ecclesia indictis, in observantia dierum festorum, etc.; 5) quando dubium est, utrum casus indigeat dispensatione; tunc enim Episcopus potest declarare casum dispensatione

1 *V.* Bouix, *De Episcopo*, p. v, c. viii.
2 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. iii, nn. 249, 256; *Homo Apost.*, tract. ii, n. 62.
3 *De Lege*, l. vi, c. 15. — Liguori, *Op. Mor.*, l. i, n. 190.

non indigere, vel ad cautelam ipse per se dispensare [1]. In quibus omnibus ipse potest aliis quoque dispensationem delegare; cum hæc potestas æquivaleat ordinariæ, utpote perpetuo adnexa illius dignitati [2].

Diximus, 2: *nisi ab ipso superiore facultatem obtinuerit;* nam certum est ex jure, quod ille qui facultatem ordinaria dispensat, potest alteri etiam delegare facultatem dispensandi [3]. Quæ tamen delegatio ut valida sit, debet ab ipso delegato vel ejus nuntio acceptari; sicuti eidem intimari debet delegationis revocatio, ut ipsa cesset, si sine limitatione data fuerit: cum enim res sit inter duos, amborum voluntates uniri debent, ut suum consequantur effectum.

253. Utrum autem delegatio expiret morte delegantis, si ea absolute data fuerit, distinguendum est: si ea data sit per modum *gratiæ factæ*, quod evenit cum commissionario seu delegato imponitur præceptum exequendi mandatum, si preces veritate nitantur, non perit delegatio, morte delegantis, etsi executio mandati nondum obtinuerit [4]. Si vero data sit per modum *gratiæ faciendæ*, quod evenit quando non præcipitur delegato eam exequi, sed ei concedendæ gratiæ licentia datur, si vera sint exposita, et tunc delegatio expirat morte concedentis, re integra, id est si nihil actum sit pro ea concedenda; secus re non amplius integra. Dicitur res *non integra*, si delegatus primum actum exercere cœpit, ut si jam vocaverit partem ad cognoscendum de precum veritate [5].

254. *An* (quæres) *delegatus ad dispensandum alium possit subdelegare, ut ipse dispenset?*

R. Negative generatim loquendo, quia hæc facultas per se non includitur in concessione superioris, nisi expressa sit; cum diversa sit potestas utendi jurisdictione et eam delegandi. Excipe:

1. Si quis esset delegatus a Principe, a Papa, vel a Sacris Congregationibus, casu quo delegatio facta sit tanquam per officium: non vero si eligatur persona specialis, aut propter suam peritiam, aut si ei committatur alicujus specialis causæ executio [6].

2. Si quis esset delegatus ad universitatem causarum, etsi non a principe: hinc viceparochi universim deputati in locum Parochi absentis vel mortui, possunt alium subdelegare [7]. Hæc tamen subdelegatio non potest esse ad totam, sed ad unam vel alteram causam tantummodo, ut commune est cum d. Thoma: *vicarius non potest totam suam potestatem communicare, sed potest partem* [8] *(Z).*

[1] Quoad dispensationes *ad cautelam* notat Benedictus XIV, *Notificat.* CI: *Diana sapienter advertit concedi a S. Pœnitentiaria vel Dataria dispensationes ejusmodi non tanquam necessarias; sed ut omni scrupulo, animique sollicitudine fideles eripiantur.*
[2] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. II, n. 55; tract. XX, n. 32; et *Op. Mor.*, l. I, n. 193.
[3] Ex I *More* ff. de jurisd. judicium.
[4] Ex Reg. XVI Juris, in 6.
[5] Ex c. 1, § *de filiis presby.* — *V.* Sanchez, *De Matrim.*, l. VIII, disputatio 28.
[6] C. fin., § 1 *De off. et potest. deleg.* — Ferraris; V. *Delegare, Delegatus.*
[7] *L.* I. v. *An ab eo, ff. Quis.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 193; l. VI, n. 566.
[8] *Quod* l. XII, a. 31. — Liguori, *Homo Apost.*, tract. XXVI, n. 82.

255. Q. 5. *Quænam sunt justæ a lege dispensandi causæ?*

R. Causæ legitimæ dispensationis tres vulgo assignantur: 1) *pietas:* sic dispensatur ab operibus servilibus in festo, qui laboribus incumbit divino cultui pertinentibus; 2) *utilitas:* sic dispensatur a simplici castitatis voto qui versatur in magno periculo illud violandi; 3) *difficultas:* sic dispensatur a jejunio qui illud servare nequit absque satis gravi incommodo. Quæ difficultas non debet esse mera impotentia nec tanta ut veram impotentiam dicat; quia tunc de se lex cessaret. Id autem definire non omnium est, sed sapientis judicium requiritur, qui attendat ad legis gravitatem, ad personarum conditionem aliaque adjuncta. Ceterum præstat, ut res tota superiori exponatur, ad quem maxime spectat judicare de causæ justitia; inferioris vero erit, modo bona fide causam exposuerit, judicium superioris expectare, reverenter recipere atque illi acquiescere *(AA)*.

256. Q. 6. *Quid si dispensatio obtenta vitio laboret?*

R. Dispensatio triplici laborare vitio potest: *vitio personarum, precum* et *formæ*.

1. *Vitio personarum:* quæ si inhabiles sint sive ad concedendum, sive ad obtinendum, dispensatio irrita est. Item est probabilius si erratum sit in nomine Diœcesis; si vero error contingat in nomine vel pronomine supplicantis, communiter tenent de jure non vitiari dispensationem, modo satis constet de persona, prout refert Dens; et tunc satis est ut in Brevis executione error corrigatur rationem reddendo. Pyrrus Corradus tamen docet ex stylo Romanæ Curiæ illam vitiari; quod Rosa, Dejustis, Croix restringunt tantum ad dispensationem in forma pauperum.

2. *Vitio precum:* hoc evenit maxime, si veritas reticeatur, vel falsum narretur, id est si dispensatio *obreptitia* vel *subreptitia* sit: « dispensa *surretizia* (ad rem Salzano [1]) è quella in cui si tace il vero; *orettizia* è quella, in cui si espone il falso. Quando ambedue sono nulle, ciò non avviene per difetto del principio da cui parte la dispensa, potendo il superiore, anche senza motivo, se non lecitamente, almen validamente dispensare; ma bensì per difetto d'intenzione nel superiore stesso, il quale non intende dispensare, se si tace la tale verità o se si dica il tale falso. Acciocchè poi si decida quando cosifatte dispense si debbano riguardare per nulle, è necessario prima distinguere, altra essere la causa principale e finale, senza la quale il superiore non avrebbe dispensato; altra essere la causa impulsiva e meno principale, senza la quale il superiore avrebbe dispensato, ma non tanto facilmente. Ciò posto, diciamo, che se la orezione o surrezione cada sulla causa principale

1 *Lezioni di Diritto*, lez. XXVI. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, n. 185. — Vecchiotti. *Institutiones canonicæ*, l. 1, c. 3, § 50. — Giovane, *De Dispensationibus*. — Pirringh, Garcias, Dejustis, etc.

della dispensa, questa si dee considerar come nulla, o che vi sia o no espressa nel rescritto della concessione la nota clausola: *si preces veritate nitantur*. Tanto ci vien suggerito dall'immortale Pontefice Innocenzo III, e ci vien confermato dalla ragion naturale. Imperocchè il superiore non intende dispensare, se non che pel motivo, senza il quale non avrebbe accordata la dispensa; sicchè il motivo non sussistendo, la dispensa è nulla. Che se la orezione o surrezione non cada sulla causa principale, ma sulla impulsiva e meno principale, fa d'uopo suddistinguere; giacchè, se è avvenuto per malizia del postulante, la dispensa è nulla; se poi per semplicità e ignoranza *(adderem vel per aliorum malitiam)*, dee considerarsi per valida: tanto decide Innocenzo III [1] ».

Si autem dubitetur, an causa non recte allegata, sit finalis, an impulsiva; vera an falsa; cum bona an mala fide, dicunt Salmanticenses, Sanchez et alii, censendam esse validam dispensationem; quia in dubio standum est pro valore actus. Item obtinere eam dicunt, si plures causæ sint expositæ, aliæ veræ, aliæ falsæ, modo una ex illis sit vera et sufficiens; jam enim adesset causa finalis.

3. *Vitio formæ;* si nempe dispensatio non sit ea formula exarata, quo ex stylo Curiæ fieri solet, et ideo suspicionem de falso ingerat; tunc veritas est indaganda. Item est si error in latinitate occurrat, qui, si gravis et manifestus, irritat dispensationem, ex Jure canonico [2]: hinc Glossa habet, *patet quod vitium latinitatis vitiat rescriptum; sed propter modicum defectum vel errorem qui vel scriptori vel nimiæ occupationi tribui potest, rescriptum non vitiatur*. Hinc Honorius III scribit: *quia rescriptum apostolicum pro eo quod in hac dictione* spoliarunt, *hæc figura* o *deerat, asseritur vitiosum, mandamus quatenus hoc non obstante in negotio ipso prævia ratione procedas* [3] *(BB)*.

257. Q. 7. *Quandonam cessat dispensatio legis?*

R. Cessat data dispensatio: — 1. Per renuntiationem dispensati; potest enim quilibet cedere juri suo. Sed præter renuntiationem dispensati expressam vel tacitam, requiritur etiam acceptatio dispensantis; secus valor dispensationis non cessat: v. g. Petrus obtinuit dispensationem ad contrahendum cum Lucia; si, posthabita hac dispensatione, ducat Cajam, Caja mortua, Luciam sine nova dispensatione ducere potest, si dispensator non revocaverit primam.

[1] Ita legitur cap. 20 *de rescript.*; item Jure civili, l. XXIX, ff. ad 1, *Corn. de falsis.* Imo dicitur etiam graviter puniendus qui id egit. L. V, *cod. si contra jus.*
Ex *Pedemontanis Constitut.*, l. II, t. II, c. 2, § 5, præter compensationem damnorum, imponebatur decem scutorum pœna.

[2] Cap. 1 *De rescript.*

[3] Cap, II *De fide instrument.* Et ita conciliantur auctores, quorum alii volunt vitium latinitatis vitiare dispensationem, alii non; nempe vitiat si grave, non autem si leve sit ac modicum.

2. Per revocationem dispensantis; *per quas enim causas res nascitur, per easdem dissolvitur.* Si revocatio sit facta a superiore in lege sua, valida est etsi sine causa, quia obligatio et deobligatio a legislatoris voluntate pendent: peccat tamen quia agit inordinate. Si vero revocatio sit facta a delegato ab ipso legislatore, tunc ea et illicita est et invalida, si justa non adsit causa; siquidem facultas inferioris est specialiter limitata, id est ne male illa utatur. Ita Salas, Salmanticenses, Sanchez, Tapia, etc.

3. Per totalem cessationem causæ finalis, cum hæc tota sit ratio dispensationis: in dubio vero, an totaliter causa cessaverit, standum est pro ipsa dispensatione, quæ possidet [1]. Ceterum ut intelligatur quandonam per cessationem causæ finalis ipsa cesset dispensatio, plures hypotheses conficiendæ sunt.

a) Si causa finalis cessaverit, quando superior literas concedit committens inferiori ut dispenset, tunc nulla evadit commissa facultas dispensandi; quia superior non intendit tale mandatum concedere, nisi ob causam hic et nunc subsistentem: ideo delegatus non potest amplius procedere ad dispensandum [2].

b) Si causa finalis cessaverit non quidem quando superior committit delegato ut dispenset, sed quando delegatus vult de facto dispensare, adhuc cessat valor dispensationis; ille enim, cui literarum executio demandatur, muneri suo non potest satisfacere, nisi sub tacita conditione *si preces veritate nitantur:* quæ conditio exigit, ut causa finalis persistat actu, quo dispensatio sortitur executionem [3]. Titius petit dispensationem ab impedimento consanguinitatis exponens pro sola causa finali et totali prolis jam a consanguinea susceptæ legitimationem: obtinet dispensationem, et dispensatoriæ literæ jam sunt expeditæ; sed antequam literæ executione donentur a delegato (seu nondum fulminata dispensatione) proles moritur: dispensatio cessat.

c) Si causa finalis cessaverit quando non solum dispensatio jam est fulminata, sed quando usus gratiæ jam inchoatus fuit, tunc dispensatio non cessat si *indivisibilem habeat effectum*, ut est ea quæ tollit inhabilitatem, impedimentum aut votum; in his enim censetur dispensatio absolute concessa, pro semper et tota simul: hinc si obtinuisti dispensationem a voto castitatis ad contrahendum matrimonium, mortua conjuge, durat dispensatio, nisi expresse fuerit con-

[1] Hinc si causa finalis, v. g. dispensandi in impedimento matrimonii, sit legitimatio prolis et reparatio scandali vel damni; si proles moriatur, vel fœtus ejectus fuit, adhuc sustinetur dispensatio ad scandalum reparandum vel damnum; quia causa finalis non cessat totaliter. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 196; *Ho. Ap.*, tr. II, n. 66.

[2] C. IX *de rescriptis.* [3] C. XXX *de præb.*, l. VI.

cessa pro speciali illo casu. Non cessat vero dispensatio, si ea sit a lege *successivum tractum habente ratione materiæ*, ut est lex jejunii quadragesimæ, vel recitandi Breviarii; eo enim in casu dispensatio censetur concessa sub clausula *si causa perduret:* unde si quis dispensatus sit ab Officio vel a jejunio ob infirmitatem, dispensatio cessabit, si ille infirmus plene convaluerit. Hac enim in re dispensatio est virtute multiplex, adeo ut pro successiva obligatione singulæ quodammodo diebus singulis dentur dispensationes, et ideo unaquæque propriam causam pro suo tempore requirit: quæ causa si quando deficiat, eo ipso tota ratio dispensationis cesset [1].

258. Q. 8. *Quid est legis derogatio et abrogatio?*

R. Licet derogatio et abrogatio eundem sensum videantur exprimere, differunt tamen. *Derogatio* legis est abolitio partis legis; *abrogatio* est abolitio legis totius. Triplici autem modo abrogatio et derogatio legis haberi potest:

1) Per legislatoris, vel superioris revocationem; etenim *res per quas causas nascitur, per eas dissolvitur* [2]. Atqui lex tam in toto, quam in parte nascitur per legislatoris voluntatem; ergo per eandem tam in toto, quam in parte dissolvi potest. Nequit tamen legislator sine causa legem licite revocare; nam potestas non est data superioribus in *destructionem.* At potest illam revocare *valide* etiam sine justa causa; cum tota vis legis pendeat ab illius arbitrio. 2) Per contrariæ consuetudinis præscriptionem (ex dicendis). 3) Per legem posteriorem universalem priori legi item universali derogantem; alioquin foret inanis posterior lex. Diximus *item universalis;* nam jure statutum est speciali legi non derogari per generalem, nisi vel fiat specialis mentio, vel aliter constet esse mentem legislatoris, vel dicatur: *nostra certa scientia.*

259. Q. 9. *Quid de legis cessatione?*

R. Legis cessatio *est pura et simplex legis per se ipsam extinctio.* Lex porro extinguitur per se ipsam: 1) si propter materiæ vel circumstantiarum mutationem lex certe evadit damnosa aut injusta; nam injustitia non ligat, et lex publico damnosa desinit habere vim legis: hinc si lex prohibeat arma gestare, subito hoste irruente, licet contra ipsum arma capere; 2) si respectu communitatis cessat totaliter ejus causa finalis; tunc valet adagium: *cessante causa, cessat etiam effectus:* et lex evadit inutilis. Ita s. Thomas cum communi: quare si jejunium expresse fuerit indictum ad pacem obtinendam, pace obtenta, cessat lex jejunii etiam sine ulla superioris declaratione [3]. Si vero lex lata sit ob plures causas, et una tantum earum cesset, adhuc viget illius obligatio; si adhuc sufficiens causa

[1] *V.* Suarez, *De Lege*, l. VI, c. 20.

[2] Romanum Pontificem canones etsi antiquissimos abrogare, et consuetudines Ecclesiarum particularium restringere posse, contra jansenistas et gallicanos invicte probat Tarquini, *Jus Eccles.* — *V.* etiam nostrum *Novum Manuale Compendium Juris.* — Et Bouix, *De Principiis Juris canonici:* de Jure nationali.

[3] 1, 2, q. 103, a. 4. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 199.

sit: hinc si jejunium sit indictum tum ad pacem obtinendam tum ad epidemiam fugandam; pace obtenta, sed adhuc epidemia grassante, jejunium subsistit.

Sed quid (quæres) *si finis adæquatus, nempe totalis legis, cesset tantum in casu particulari, id est respectu aliquot personarum?*

R. Si finis totalis cesset *contrarie*, nimirum si lex alicui reddatur nociva illo in casu, aut saltem valde difficilis, communis est sententia, eam in dicto casu non obligare: hinc si quis jejunii die non habeat nisi carnes ad vescendum, cessat prohibitio abstinendi ab illis. Si vero finis totalis in particulari cesset tantum *privative*, nempe si lex pro illo casu particulari, aut illa persona esset inutilis, non ita conveniunt. Attamen communius est, quod lex illa adhuc obliget; quia quamvis cesset finis legis in particulari, non cessat tamen ordinarie loquendo in communi; nam semper adest periculum hallucinationis, qua quisque in casu proprio faciliter decipi potest. Unde tunc evadit lex fundata in præsumptione juris, quæ semper obligat: ita d. Thomas [1]. Hinc etsi quis prudenter judicet nullum sibi obstare impedimentum ad matrimonium contrahendum, adhuc tenetur ad denuntiationes.

Diximus *ordinarie loquendo*, nam lex etsi raro, attamen cessaret etiam pro casu particulari, si nempe id clare colligi possit ex legislatoris mente: hinc cessat lex correctionis fraternæ, si nulla sit emendationis spes; nam ex una parte finis totalis et solus hujus præcepti est emendatio delinquentis; ex alia Scriptura nos monet: *ubi non est auditus, ibi non effundas sermonem* [2].

Art. II. — *De privilegio et consuetudine.*

260. Q. 1. *Quid est privilegium* [3]?

R. Privilegium (sic dictum quasi *privata lex*, vel *privans lege*) definitur: *lex privata speciale aliquod beneficium aut favorem contra vel*

1 2, 2, q. 154, a. 2. — *Sed oppositum tenent*, ait Alphonsus noster *(Ho. Ap.*, tr. II, n. 69), *plures graves Doctores, nimirum Cajetanus, Sylvester, Panormitanus, Angelus, Valentia, Sa, Cardenas, Ledesma, Granado, Henriquez, Hurtadus et Tamburini cum Navarro, Abbate et Comitolo; et Salmanticenses ac Viva vocant etiam satis probabile dicentes, quod sicut cessante fine in communi, cessat lex pro omnibus; ita cessante fine in particulari, cessat lex in particulari; cum æque in ambobus casibus lex reddatur inutilis.*

His tamen non obstantibus, ait idem Sanctus in *Op. Mor.*, l. I, n. 199, *magis mihi arridet prior sententia, eo quod fere nunquam communiter loquendo in particulari cessat omnino periculum hallucinationis.*

2 Eccl. XXXI. — *V.* Alasia.

3 Fusius de privilegiis s. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. I, app. 2ª; et *Homo Ap.*, tract. XX, nn. 18, etc., nempe ecclesiasticorum, Episcoporum ac regularium.

Privilegia nonnulli damnant; attamen extra æquitatem: etsi enim privatis concedantur, semper in publicum bonum cedunt, ubi rite tributa sint; cum ideo plurimum alliciantur homines ad præclara intentanda: quod quidem ad communem utilitatem inservit; et apud omnia gubernia illa obtinent. — *V.* Ferraris; V. *Privilegia.*

præter jus concedens. Appellatur *lex privata*, non quidem respectu personæ privilegiatæ, cui nulla imponitur lex, imo gratia confertur; sed respectu communitatis, cui imponitur obligatio non impediendi privilegii usum. Ex quo sequitur, privilegium non concedi, nisi ab eo qui legem condit; item acquiritur consuetudine legitime præscripta, cum hæc vim legis obtineat [1].

Privilegium est interpretandum eo modo, ut non sit inutile privilegiato vel onerosum, cum sit gratia. Quod si interpretatio prohibeatur, id intelligitur de sola juridica et authentica. Est porro regula generalis, privilegium large accipiendum esse, maxime si sit vel reale, vel insertum in Corpore juris, ob illius perpetuitatem [2]. Vel sit concessum sub clausula *ex certa scientia*, aut *ex motu proprio* [3]; vel sit privilegium absolvendi, dispensandi, aut communicandi illud ad alios, ut communiter docent [4]. — Clausula, *quatenus sacris canonibus non adversetur*, posita in privilegii concessione, intelligitur de iis tantum canonibus, in quibus habetur: *non obstante quocumque privilegio.* Clausula, *supplentes singulos defectus*, intelligitur tantum de defectibus, qui sunt solum accidentales; non autem de defectibus substantialibus, ut si supplicans sit excommunicatus, aut supplicatio foret subreptitia vel fraudulenta [5].

Non extinguitur privilegium per mortem concedentis, cum sit gratia facta in favorem ejus qui privilegium obtinuit; nam concessam gratiam decet esse mansuram. Hinc qui obtinuerunt indulta absolvendi a reservatis, dispensandi a casibus, recipiendi Ordines sacros extra tempora, benedicendi coronas, habendi oratorium privatum, celebrandi ante auroram, deferendi aliquem ornatum, v. g. cappam magnam, crucem, hisce facultatibus uti possunt, etiam post obitum concedentis, si concessio absolute facta sit [6].

[1] Privilegium differt a *lege*, quia privilegium immediate respicit bonum particulare; a *dispensatione*, quia hæc semper est adversa legi et plerumque fit ad unum actum, privilegium non sic; a *gratia*, *licentia*, *rescripto*, quia hæc conceduntur ad unum vel paucos actus tantummodo; etsi generatim loquendo etiam privilegium sit licentia, et gratia respectu ejus cui conceditur. *V.* Schmalzgrueber, *De Privilegiis.*

[2] Ex cap. *Olim*, 6 *de verb. signif.*; et *ex Lege ult. ff. de Const. Princip.*

[3] Si non habeat has clausulas privilegium censetur datum *ad instantiam.*

[4] Qui habet privilegium pro foro pœnitentiali, etc. absolvendi a censuris et pœnis ecclesiasticis, valde probabiliter ex Suarez, Salmanticensibus, Palao contra alios, potest eo uti etiam extra Sacramentum, etsi facultas concedatur in terminis: *sacerdoti confessario.* — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XX, n. 4.

[5] Aliæ clausulæ vide apud Salmanticenses, tract. XVIII.

[6] Aliter esset, si concessio a superiore sit facta sub clausula: *quandiu vixero.* Quod si privilegium datum sit sub clausula, *donec voluero*, alii dicunt expirare morte concedentis ad modum dispensationis; quia voluntas morte finitur. Alii probabiliter negant; quia privilegium utpote favorabile (cujusmodi non est dispensatio), ut extinguatur, debet concurrere actus positivus; cum per se favores sint ampliandi. Ceterum tradit cl. Alasia: *nostris in regionibus* (in regno Pedemontano) *usu et praxi receptum esse, omnia officia et gratias, quæ alicui conceduntur a principe, durante ipsius beneplacito, per illius obitum non extingui.* — *V.* Liguori, *De Privil.*, n. 13.

261. Præcipue dividitur privilegium: 1) in *reale* et *personale;* 2) in *gratiosum* et *remuneratorium;* 3) in *favorabile* et *odiosum;* 4) *contra legem*, et *supra* vel *præter legem.*

1. Privilegium *reale* est, quod directe et immediate conceditur alicui rei, v. g. loco, dignitati, muneri, statui. Hoc transit ad hæredes et successores in eadem re, cum rei ipsi privilegium inhæreat. Sed qui illud habent, nequeunt eodem uti extra territorium concedentis; quia censetur locale. *Personale* vero est quod conceditur immediate personæ ratione sui ipsius, v. g. ob scientiam, sanctitatem, etc. Hoc extinguitur cum eadem persona: et qui illud habent, possunt eodem uti in quemcumque pergant locum; quia personam afficit, eamque sequitur quocumque. — Privilegium censetur personale, si exprimatur nomen personæ cui conceditur, v. g. *concedimus Francisco Archiepiscopo Taurinensi.* Si sola exprimatur dignitas, *concedimus Archiepiscopo Taurinensi*, erit reale. In dubio, si odiosum, habetur uti personale; secus uti reale: ratio quia *odia sunt restringenda*, *favores ampliandi.*

2. Privilegium *gratiosum* procedit principaliter ex libertate solius concedentis; hoc sine causa revocare licet. — *Remuneratorium* e contrario alicui conceditur ratione meritorum ipsius vel alterius. Hoc revocari non potest, nisi ex justa et gravi causa et sub aliqua compensatione; nam erat quasi merces laboris.

3. Privilegium *favorabile* est quod privilegiato confert commodum, et nemini affert incommodum: tale est privilegium vescendi carnibus in Quadragesima. Hoc semper est ampla interpretatione explanandum: quia *beneficium principis late accipiendum est* [1]. — *Odiosum* vero est illud, quod uni confert commodum, alteri præjudicium; dicitur *odiosum* respectu aliorum: talis est v. g. exemptio a solvendis tributis, quæ gravant alios. Et ideo semper est strictæ interpretationis (quia *odia sunt restringenda)* licet sit a principe concessum; *nam supremus imperans præsumitur semper justitia plenus... ideoque omnes Provisiones, Rescripta et Mandata principum insitam conditionem habent, etiamsi non apponatur, nempe: Dummodo tertio non præjudicent* [2]. Hoc tamen est intelligendum de privilegiis concessis personis particularibus; quæ enim sunt concessa alicui ordini, conventui, communitati, aut ad aliam piam causam, omnia sunt interpretanda latissime, etsi adversentur Juri communi vel alicui tertio, uti comunissime Doctores affirmant; præsumuntur enim concessa ad remunerationem.

4. Privilegium *contra legem* est illud quod derogat Juri communi, ut exemptio a solvendis decimis; *ultra* vel *præter legem*, quod concedit favores in jure non expressos, ut est potestas absolvendi a reservatis. Hic autem notamus cum Gury, quod peregrini possunt gaudere privilegiis locorum quæ peregrant, etsi sint contra legem communem; constat ex consuetudine generali: sic Itali transeundo per Hispaniam carnibus die sabbati vesci possunt [3].

262. Sex modis privilegium amitti potest:

1. *Lapsu temporis* præscripti; aut cessante causa, propter quam fuit concessum; aut non servata conditione, sub qua fuit concessum. Nam privilegium non durat ultra intentionem concedentis; atqui concedens

1 C. vm *de privil.* — *V.* Ferraris; V. *Gratia, Rescriptum, Oracula vivæ vocis.*
2 *V.* Oldradus, *De Literis et Mandatis principum.*
3 Est etiam privilegium *ad instar*, si quæ uni sunt concessa, alteri communicentur accessorie; atque *pariformiter*, si quæ uni data sunt, alteri communicentur æque principaliter. Illud extinguitur, minuitur, augetur prout extinguitur, minuitur vel augetur privilegium principalis; non item istud, quod non dependet ab alio, etc.

noluit privilegium tribuere, nisi ad tale tempus et sub tali causa et cum tali conditione.

2. Per voluntariam et liberam *renuntiationem* factam a privilegiato et acceptatam a privilegiante. Quia *liberum est unicuique juri suo renuntiare*, si tamen hoc jus ipsi favorabile directe et proxime non respiciat bonum communitatis [1].

3. Per *non usum* spatio temporis ad præscriptionem sufficienti, si privilegium sit odiosum, et se obtulerit occasio illo utendi; quia in hoc casu censetur adesse tacita illius renuntiatio. Si non sit odiosum, non amittitur per præscriptionem; quia nemo est qui habeat jus querelam de eo movendi. — Diximus *et se obtulerit occasio illo utendi;* nam secus privilegium non amittitur. Sic qui usus non est privilegio ducendi aquam de fundo alieno in fundum proprium, quia fons exaruit, privilegium amisisse dici non poterit [2].

4. Per *usum* privilegio formaliter contrarium, si privilegium sit odiosum, ob præsumptam nempe privilegii renuntiationem; sic qui habet privilegium non solvendi decimas, et eas tamen solvit scienter et libere, privilegium amittit. Si vero non sit odiosum, illud non amittitur ob contrariam rationem: sic qui habet privilegium non jejunandi tempore Quadragesimæ et tamen jejunat, privilegium suum non amittit; quia jejunare præsumitur tantum ex devotione, non vero ex voluntate privilegio renuntiandi [3].

5. Per *abusum;* quia privilegium meretur amittere qui eo abutitur. Ad id tamen requiritur sententia declaratoria, nisi privilegium datum sit sub conditione illud ipso facto amittendi per abusum [4].

6. Denique per *revocationem* concedentis, aut ejus successoris privilegiato significatam. Porro privilegium regulariter intelligitur revocatum per novam legem, quamvis non adsit clausula revocatoria, quando aliter non potest nova lex suum effectum sortiri, neque enim dici debet conditam fuisse legem inutilem. Ad revocationem autem ordinarie sufficit clausula generalis, *non obstantibus privilegiis*, nisi hæc sint justitiæ, vel qualificata vel inserta in jure. Si vero revocatio dicatur facta *ex certa scientia, ex motu proprio, de plenitudine potestatis*, vel si certo constet de mente legislatoris, tunc revocatur quodcumque privilegium, exceptis onerosis, nempe concessis ob pretium a privilegiato tributum, vel ob onus ei impositum [5].

263. Q. 2. *Quid de consuetudine, prout habet vim legis?*

R. Consuetudo prout vim legis habet, definitur: *jus quoddam actibus uniformibus, diuturnis ac liberis inductum.* Obligat in conscientia, si debitis fulciatur conditionibus: constat tum ex utroque jure [6]; tum ex ratione; nam consuetudine semel inducta, lex non amplius confert ad bonum publicum: *tunc manifestatur per consuetudinem*, ait Angelicus, *quod lex ulterius non est utilis; sicut etiam manifestaretur si lex contraria verbo promulgaretur* [7].

[1] Cap. VI *de priv.*, l. XXIX, cod. *de pact.;* cap. 8 *de const.;* cap. 22 *de præb.*, arg. L. XLVII, *ff. de re judicata.* — *V.* Liguori, Schmalzgrueber et Salmanticenses.
[2] Cap. VI *de priv.* Et l. XXXIV. Unus ex sociis, § ult.
[3] Arg. cap. *cum accessissent*, 1 de const. — Arg. l. II, *ff. de via publ.*
[4] Cap. XXIV *de priv.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, append. *De privilegiis*, n. 14.
[5] Cap. I *de const.*, in 6. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XX, nn. 11 et seqq.
[6] Ex cap. *In his*, d. XI; et variis titulis *de consuet.;* l. *de quibus ff. de Legibus;* et l. *præses, c. Quæ sit longa consuet.* — Fuse Gousset, *Exposition des principes du Droit*, c. XX.
[7] 1, 2, q. 97, a. 3. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 107 et seqq.

Consuetudo alia est *universalis*, quæ in toto Regno vel tota Ecclesia viget; alia *particularis*, quæ non viget nisi in aliqua parte, v. g. in Provincia vel Diœcesi. — Item alia dicitur *juxta legem*, alia *præter legem*, alia *contra legem:* 1ª legi conformis est, et eam magis explicat; hinc consuetudo dicitur *optima legum interpres;* 2ª inducit novum jus, quod antea non existebat; 3ª abrogat legem ipsam jam latam (hæc suo nomine dicitur *desuetudo*). En consuetudinis effectus.

264. Sex communiter requiruntur, ut consuetudo fiat lex:

1. Ut *non introducatur a persona particulari;* alioquin novæ leges novis continuo locum darent, cum privatum instabilem reddat mala sua cupiditas. Sed a communitate inducenda est, quæ radicaliter sit capax ferendi legem ex consensu superioris [1]; nam consuetudo est vera lex. Non tamen ut omnes omnino e communitate eam inducant necesse est; ab omnibus enim moraliter factum censetur quod fit a parte majori.

2. Ut sit *rationalis*, eo sensu, quod sit de materia, quæ possit per legem humanam imperari. Hinc non datur consuetudo neque contra legem naturalem et bonos mores; hæc enim respicit honestatem, quæ impræscrivibilis est: neque contra legem divinam, quam voluit Christus perduraturam ad mundi finem independenter a populo; *Christus enim*, ait d. Augustinus, *se legem, non consuetudinem dixit.* Unde ea datur tantum contra legem humanam: *lex naturalis et divina*, ait Angelicus, *procedit a voluntate divina, unde non potest mutari per consuetudinem procedentem a voluntate hominis* [2].

3. Ut actus, quibus ea inducitur, sint *voluntarii* et *liberi*, alioquin deficeret ejus causa efficiens quæ est populi consensus. Hinc consuetudinem non inducunt actus positi per vim, ignorantiam aut errorem, puta si populus falso crederet adesse legem, quæ revera non adest; neque enim populus potest adstringi novæ obligationi, nisi certe intendat illam voluisse sibi imponere. Hinc si observaret jejunium falso putans se aliqua lege ad id teneri, consuetudinem non induceret. *Frequentes* et *uniformes* (per plures vices); ita ut rite colligatur communitatis consensus. *Notorii* saltem notorietate facti; nam consuetudo cum vim legis habeat, non minus quam lex debet esse manifesta et promulgata. Tandem *continui*, nam si voluntarie interrumpantur etiam per actum unicum a majori parte communitatis, vel si interim princeps reclamet et puniat consuetudinis in-

1 Hac ratione mulieres nequeunt introducere consuetudines contra leges proprias virorum, nec viceversa: uti neque ecclesiastici contra leges laicorum vel e contra, nisi materia sit communis. Hinc etiam circa res spirituales clerici non obligantur ad consuetudinem factam a laicis. — Liguori, Sanchez, Palaus, Salmanticenses.

2 1, 2, q. 97, a. 3. — *V.* Alasia, Suarez, Schmalzgrueber.

troductores, consuetudo illa minime præscribet. Nomine autem *actuum*, hic intelligimus etiam actus negativos, seu omissiones contingentes eo tempore, quo lex suam urgeret obligationem [1].

4. Ut adsit *intentio se obligandi*, vel *consuetudinem introducendi*; quia consuetudo non habet vim legis, nisi ex populi voluntate, accedente superioris consensu. Nulla ergo evadit consuetudo, si populus aut major ejusdem pars aliquid ex devotione agat, uti est consuetudo Salutationem Angelicam ter in die recitandi, tres Missas in die Nativitatis audiendi, in ingressu templi aquam benedictam sumendi, etc. Intentio autem se obligandi cognoscitur ex circumstantiis, nempe *si* consuetudo a longo tempore constanter observetur, *si* observetur etiam cum incommodo satis gravi, *si* ita sentiant homines pii [2]. Hac ratione dicimus consuetudinem regularium et monialium recitandi quotidie divinum Officium sub gravi retinendam esse.

5. Ut *adsit consensus principis*, *personalis* vel *legalis*; quia lex prodit a superiore, ideo non sine illius consensu. Princeps consentit *personaliter*; cum vel per se immediate consentit ut inducatur consuetudo obligatoria; vel eam tacite aut expresse approbat verbis, rebus aut factis; vel illi non resistit cum possit; scire enim debet eam passim introduci: unde continuo ipsi invigilandum est, si velit, ut sua lex firma existat [3]. Consentit *legaliter* seu juridice, quando ipse aut ejus prædecessores leges tulerint vel receperint, quibus approbantur consuetudines legitime præscriptæ.

6. Tandem requiritur *tempus diuturnum*. Verum hic distinguendum est: vel consuetudo inducitur via conniventiæ, legislatore nempe sciente et connivente; quod evenit, quando legislator videt legem non recipi et dissimulat, cum possit facile urgere observantiam. Vel inducitur ordinaria via præscriptionis, legislatore ignorante.

Si 1, docet Benedictus XIV, *nullum temporis spatium esse necessarium.... Tunc quippe post paucos actus a superiore toleratos præsumitur, quod idem per hanc ipsam conniventiam suam legem tacite re-*

1 Hoc modo cessavit obligatio audiendi Missam parochialem in die festo; quia nempe a fidelibus omissa est eo tempore, quo vigebat. — *V.* Ferraris; V. *Consuetudo.*

2 In dubio an consuetudo obliget, necne sub gravi an sub levi, ad culpam an ad pœnam tantum, benignior pars erit tenenda; nam quisque censetur minus quoad potest se obligare.

3 S. Thomas, 1, 2, q. 97, a. 3. — *Quanto sia giusto il principio che la consuetudine debba abrogare qualunque legge umana, apparisce chiaramente se si consideri, che ove la legge continuasse ad obbligare i sudditi anche dopo che fosse comunemente violata, la legge non sarebbe più utile, ma assai nociva alla società, occasione di innumerevoli trasgressioni, non più freno ma fonte di peccati; e per questo il legislatore non potrebbe volere che la sua legge continuasse ad obbligare i sudditi anche dopo che fosse trasgredita comunemente.* Frassinetti, *Compendio* ecc., nota 15.

vocet; nolitque ea obstringere communitatem, cui displicet [1]. Si 2, alii dicunt temporis diuturnitatem relinquendam esse arbitrio prudentum, qui juxta repetitionem actuum, negotiorumque qualitatem pronuntiabunt. Alii decem annos sufficere docent contra leges civiles, quia hoc tempus in jure dicitur *longævum* (seu longum), *diuturnum, inveteratum ac plurium annorum* [2]; sed contra leges ecclesiasticas requirunt 40 annos, quia hoc tempus necessarium est ad præscribendum contra Ecclesiam [3]. Alii demum plures cum Ferraris, Lessio, Lugo, Navarro, et Sa (in quorum sententiam evidenter inclinat laudatus Pontifex) rationabiliter dicunt sufficere 10 annos pro utraque lege; cum nulla in jure legis distinctio, et textus contrarii loquantur tantum de juribus ac bonis Ecclesiæ immobilibus [4].

265. Q. 3. *An consuetudo possit abrogari per subsequentem legem?*

R. Affirmative: consuetudo habet vim obligandi ab ipsa legislatoris auctoritate; ergo eadem auctoritate poterit illam amittere.

Commune tamen est, non abrogari consuetudinem particularem ob generalem legem contrariam, nisi recte præsumatur superior eam nosse saltem confuse, et voluisse eam abrogare. Hinc particularis consuetudo unius Provinciæ non abrogatur per legem generalem totius Ecclesiæ vel Regni, nisi in lege illa fiat specialis ejusdem mentio, vel per clausulam generalem dicatur: *non obstante quacumque consuetudine.* Aliter præsumitur princeps ignorare eam consuetudinem particularem, et ideo eandem abrogare noluisse. Excipe leges ab Episcopis sancitas; nam Episcopi præsumuntur omnium consuetudinum habere notitiam, cum eorum territorium non ita extendatur.

Ex adverso quia consuetudines universales præsumuntur principi esse notæ, eo ipso abrogari dicendæ erunt, quod princeps fert legem contrariam, etsi desit clausula generalis derogatoria. Consuetudo tamen *immemorialis*, cum majorem habeat vim, non revocatur, si ea non exprimatur in lege, ut S. C. Concilii declaravit [5].

266. Q. 4. *An expediat inductas consuetudines evellere?*

R. Si consuetudo sit contra fidem ac bonos mores, utique curandum, ut quoad potest, cito evellatur, cum nulla dari possit hac de re legitima præscriptio; imo non tam esset consuetudo, quam corruptela. — Item præstat, ut evellatur quæ inutilis est atque minus ad pietatem fovendam conducit: cum superioris esse debeat bonum subditorum curare. Hic tamen magna prudentia opus est, et habenda ratio temporis, loci ac personarum; nam non raro, uti observat Augustinus, *ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat:* oportet ut neque desides simus neque plus æquo solliciti.

Quod si cujusmodi sunt superiores, ejusmodi plerumque esse solet et populus, hoc maxime nostrum esse debet, ut operum nostrorum exemplo subditos amoveamus a malo, firmemus in bonum, atque ad meliora pertrahamus. — Si tandem consuetudines sunt laudabiles, quammaxime fovendæ sunt, uti patet; *si* tamen *aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sint*, ut ait idem Doctor [6] *(CC).*

[1] *De Syn.*, l. XIII, c. 5.
[2] L. ult., c. *de præscript.*
[3] C. *de quarta;* et cap. *ad aures* de præscript.
[4] *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. I, nn. 107 et 139; *Homo Apost.*, tract. II, n. 11.
[5] Fagnanus, in cap. *ad hæc*, n. 34 *de rel. domib.*
[6] Ep. II *ad Januar.*, c. 5; et epist. LV, cap. 19. Hoc maxime notent Parochi.

DISPUTATIO SECUNDA

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ

QUÆSTIO PRÆAMBULA.

266. Q. *Quid de Ecclesiæ præceptis generatim?*

R. Quamvis sint plura quæ Ecclesia præcipit tum in Jure Canonico, tum in Conciliis, et passim in Ordinationibus ecclesiastici superioris; sex tamen specialiter in Catechismis proponuntur, quæ ab universo fidelium cœtu, ubique gentium, sunt necessario observanda. Quæ quidem sequentibus versiculis includuntur:

Festa colas præsens Sacro; Jejunia serves;
Annua sit Confessio; sit Communio Pascha;
Solvantur Decimæ; Vetito ne Tempore nubas [1].

Quæ præcepta certum est, per se obligare sub gravi; sunt enim res maximi momenti ac data a legitima potestate. *Res maximi momenti*, cum Dei cultum, animæ nostræ salutem, aliorumque jura tueantur, ut patet discurrendo per singula; nihilque in eis sit futilis ac inanis: hinc Angelicus, *impium esset dicere quod Ecclesia aliquid vane faceret* [2]. Item sunt data *a legitima potestate*, ab Ecclesia scilicet sancta Dei, *sponsa Christi, ejus gratia dealbata, pretioso sanguine dotata;* quæ *totum possidet quod a viro suo accepit in dote* [3]. Quid porro accepit in dote? viri potestatem, id est ligandi atque solvendi, pascendi atque regendi gregem Dei [4].

Hinc illa Christi verba ad Ecclesiæ Antistites: *qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* [5]. Iterum: *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* [6]. Et Augustinus: *nec habebit Deum patrem qui Ecclesiam noluerit habere matrem; nihilque ei valebit quod credidit vel fecit tanta bona* [7]. Tandem Tridentinum definivit: *si quis hominem... dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, sed tantum ad credendum; quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum, anathema sit* [8] *(DD).*

[1] De III præcepto erit tract. *De Pœnitentia;* de IV ubi *de Eucharistia;* de VI ubi *De Matrimonio;* de ceteris vero in præsentiarum.
[2] Suppl. q. 25, a. 2. [3] Augustinus, *De Sym. ad catech.*, c. XIII.
[4] Matth. XVI; Act. XX. — V. *Fedele osservanza dei precetti della Chiesa con esempi.* Torino.
[5] Luc. X. [6] Matth. XVIII. [7] Loco citato. [8] Sess. VI, can. 20.

CAPUT PRIMUM

DE PRIMO PRÆCEPTO SEU MISSÆ AUDITIONE [1].

267. Q. 1. *Quosnam obligat præceptum Missam audiendi Festo die?*

R. Omnes fideles rationis usum habentes qui moraliter advertere possunt ad Missam, cujuscumque sint status, ætatis et conditionis, etiam sacerdotes non celebrantes, generali illo præcepto sub gravi ligantur. Id probat universalis Ecclesiæ praxis et sensus, atque juris præscriptio [2]. Ideo tenentur etiam cæci, aut surdi tantummodo; quia Sacrificio moraliter præsentes esse possunt; illi quidem *audiendo;* isti autem *videndo* sacerdotem sacrificantem, vel saltem (si non possunt sacerdotem videre) multitudini Missam audienti se conjungendo. Idem valet de surdo-mutis, cum videant.

Cæci vero simul et surdi, hoc præcepto non tenentur; quia eorum præsentia non esset nisi pure physica et materialis.

268. *Quænam* (quæres) *præsentia ad Missæ auditionem requiritur?*

R. Talis requiritur præsentia ad Missæ auditionem, quæ sufficiat, ut quis Sacrificio interesse, et cum aliis audientibus moraliter conjungi dicatur et habeatur unus ex illis: ita Theologi communiter.

Hinc 1. Commune est eum satisfacere, qui Missam audit in choro post altare, vel post templi fenestras altare respicientes. Imo et post parietem sive columnas, vel per fenestram, quæ fert in templum (etiamsi sacerdos celebrans non conspiciatur). Nam moralis cum aliis unio ex communi hominum judicio censetur adesse, sonitu campanulæ, cantu chori, motibus assistentium, etc.

2. Item commune est, et illos satisfacere qui ad breve tempus recedunt ab Ecclesia, ut sumant vinum, thus, etc., vel ut pulsent campanas; cum talis recessus ordinetur ad Sacrificium.

3. Docent non improbabiliter Sporer, Mazzotta, Lugo, Elbel et Continuator Tournely, illum satisfacere, qui Missam audit ex fenestra domus, licet via intermediet, modo prospiciatur altare et parva sit distantia adeo, ut censeatur adhuc moraliter assistere. Item probabile est etiam præcepto satisfacere illum, qui in Magna Basilica in aliqua capella distantissima moratur, si posset celebrantem respicere et videre quid agat. Spatium autem triginta passuum ab altari vel a turba assistentium non adeo magnum videtur, ut impediat, quominus quis Sacro adsit [3].

[1] Hoc præceptum antiquissimum est, atque illius meminit sæculo II s. Justinus martyr, *Apolog.*, n. 67.

[2] Can. 62 et 64 *de cons.*, dist. 1. — *V.* Segur, *Risposte brevi e familiari* ecc., § 50.

[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 312, etc.; et *Homo Apost.*, tract. VI, n. 35.

269. Q. 2. *In qua Ecclesia Missa audienda est ad satisfaciendum?*

R. In qualibet Ecclesia, publica tamen, etiamsi non sit parochialis, Missa ad satisfaciendum præcepto audiri potest, ut hodie certum est. *Integrum hodie*, ait immortalis gloriæ pontifex Benedictus XIV, *omnibus esse in qualibet Ecclesia, modo non sit capella seu oratorium privatum, sacris Mysteriis interesse (quia contraria consuetudine in toto orbe recepta derogatum est præcepto audiendi Missam parochialem), docent Silvester, Navarrus, Trullenchus, Barbosa. Addentes insuper, non posse hodie Episcopum præcipere suis subditis, ut se sistant Missæ parochiali: quia non potest delere consuetudinem, quæ cum vigeat in toto orbe, jam induit naturam Juris communis... Enim vero non præcepto adigendam, sed hortationibus ad id alliciendam plebem statuit Tridentinum, sess.* XXII, *in Decreto* de observandis et evitandis *in celebratione Missæ* [1]. *(EE).*

270. Q. 3. *Quomodo Missa audienda est?*

R. Ad satisfaciendum præcepto Missa ab uno sacerdote, integra, atque uti actio sacra audienda est.

Diximus 1: *ab uno sacerdote.* Id patet ex Innocentio XI. qui damnavit illam n. 53 propositionem: *satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis sacerdotibus audit.* Neque etiam (in longe probabiliori sententia) satisfaceret qui duas Missæ medietates successive a duobus sacerdotibus audiret, si nempe ab uno audiat usque ad Consecrationem inclusive, ab alio reliquum; nam Ecclesia præcipit auditionem Missæ, quæ sit unum et integrum Sacrificium: quod quidem non constituunt duæ duorum sacerdotum medietates [2].

Diximus 2: *integra;* nam ab Ecclesia præcipitur auditio Missæ non quoad Sacrificium tantum, sed quoad totam liturgiam [3]; et talis est praxis fidelium. Hinc communius et probabilius docent: — *a)* eum graviter peccare et ideo præcepto proprie non satisfacere qui omittit Missæ initium ad Epistolam inclusive; nam hæc pars notabilis est quoad cœremonias ab Ecclesia præscriptas. Attamen plures et quidem probabiliter dicunt non esse grave si totum omittatur ab initio etiam usque ad Offertorium exclusive; modo audiatur usque ad

[1] *De Sac. Missæ*, App. XII; *Notificationibus* XLIV et CV; *De Syn.*, l. XI, c. 14.

[2] Ceterum probabilis est sententia Layman, Navarri, Sa, Soti et aliorum, qui docent præcepto satisfieri, si quis unam v. g. Missam audiat ab uno sacerdote usque ad Consecrationem exclusive; alteram vero ab altero a Consecratione usque ad finem. Nam jam audiret quod est de essentia Missæ ab uno sacerdote. Conveniunt tamen, quod ille, qui duas sic dimidiatas Missas audiret, excusari nequit a peccato veniali ob quandam inordinationem. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 310.

[3] Ex qua parte non videtur quomodo facile possit a gravi excusari, qui in die Palmarum intrat Ecclesiam, postquam *Passio* jam lecta est, etsi Evangelium audiat; nam etsi Passio non pertineat ad Sacrificii substantiam, est tamen juxta communem hominum æstimationem pars notabilis liturgiæ Missæ, quæ quidem est in præcepto.

ultimum Evangelium; nam olim Missa nonnisi ab Offertorio incipiebat, teste Isidoro; — *b)* graviter item eum peccare, qui Missæ non interest tempore Consecrationis etiam unius speciei (licet cetera audiat); quia illa est pars præcipua, et probabilius pars essentialis Sacrificii. Idem dicendum de Communione sacerdotis, quæ vel pertinet ad Sacrificii naturam, vel certe ad substantiale ejusdem complementum. Si vero quis omnia prætermitteret, quæ sacerdotis Communionem subsequuntur, est commune cum Suarez [1], quod non peccaret mortaliter, licet omiserit etiam omnia, quæ præcedunt Epistolam; cum ad essentiam non pertineant: neque constituunt partem liturgiæ notabilem [2].

Diximus 3: *uti actio sacra,* nempe necessaria est intentio Missam audiendi uti actionem religiosam, ut sic dici possit actus humanus in ordine ad id, quod præcipitur: hinc qui ex mera curiositate Sacro interesset, non faceret actum religiosum, neque proinde præceptum impleret. — Cum tamen opus jam sufficienter præstetur, non requiritur intentio explicita, sed sufficit implicita. Intentionem *explicitam* habere dicitur qui intendit audire Sacrum, vel præcise vult satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda: *implicitam* vero intentionem habent qui templum petunt volentes implere officium christiani; vel Missæ intersunt generatim tanquam rei sacræ, ad cultum divinum pertinenti [3].

270. Q. 4. *An requiratur attentio in Missa audienda?*

R. Præter intentionem ex parte voluntatis, in Missa audienda, requiritur etiam attentio ex parte intellectus ad validitatem. Ecclesia enim præcipit Missæ auditionem tanquam actum, qui pertineat ad cultum divinum; atqui cultus divinus plus exigit certe, quam solam præsentiam physicam et materialem. Unde præcepto non satisfacere dicendi sunt qui per notabile temporis spatium (quod scilicet respondeat parti notabili Missæ, uti esset juxta omnia tertia pars), vel dormiunt, vel cum aliis fabulantur, vel penitus distracti imagines, picturas, aliaque templi ornamenta perlustrant; vel sensibus abrepti sunt. Non tamen probabilius qui exstasim patiuntur; quia tunc adest attentio ad Deum perfectior, et libertas in exstasi non

[1] Qui veniret ante Consecrationem, nec posset aliam Missam audire, tenetur saltem illam partem audire, quia remanent ea in quibus consistit Sacrificium. Imo et qui veniret post Consecrationem reliqua audire tenetur, quia est valde probabile (quamvis contrarium sit probabilius) essentiam Sacrificii in sola sumptione consistere; unde qui non potest certo, tenetur saltem probabiliter præceptum implere. Qui omisit levem partem Missæ, probabilius tenetur sub levi supplere, quia quilibet cum potest tenetur integram Missam audire. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 310.

[2] Hic autem notamus unicam Missam integram sufficere etiam Nativitatis die, cum nullibi aliter inveniatur præscriptum. Est unanimis sententia, ait Bouvier.

[3] *V.* Carlo-Filippo da Poirino, *Trattenimenti morali intorno ai riti ed alle cerimonie della santa Messa, coll'aggiunta di un metodo per udirla con frutto.*

amittitur ex d. Thoma [1]: sane si in ea libertas animæ amitteretur, nihil mereretur homo in exstasi; sed si hoc esset, raptus non esset gratia singularis, ut argumentatur Continuator Tournely (*FF*).

271. *An* (quæres) *præcepto satisfaciat qui Missæ tempore ad Confessionem se præparat, vel illam actu conficit?*

1. Ad illum quod pertinet, qui Missæ tempore ad Confessionem se præparat, dicendus est per se loquendo sufficientem Missam audire; sicut satisfacit qui librum spiritualem legit (non autem modo historiæ), vel recitat Horas canonicas, aut aliam orationem debitam facit; quia res omnes sunt quæ de se componi possunt cum Missæ auditione.

2. Quoad illum qui eo tempore persolvendæ Confessioni per notabile intervallum incumbit, multi adhuc affirmant dicentes quod per Confessionem honoratur Deus. Nos tamen cum Collet, Lugo aliisque communiter negamus, quia tunc ne præstaretur quidem attentio externa. Aliunde fidelis confitens adesset ut reus, non vero ut offerens Sacrificium cum sacerdote [2]. Excipiunt Lessius et Croix, si agatur de famulis, qui aliter non confiterentur; *tunc enim saltem præsumitur, quod Ecclesia consentiat;* quod maxime currit si famuli sint in statu mortalis peccati.

272. Q. 5. *Quænam sunt causæ ab auditione Missæ excusantes?*

R. Regula generalis est, eum non teneri præcepto humano, qui illud non potest implere sine gravi incommodo. Idem est, si adest contrarius ac legitimus usus; vel dispensatio a legitimo superiore, nempe non solum a R. Pontifice pro tota Ecclesia, sed etiam ab Episcopo pro sua diœcesi; sed cum causa et cum personis particularibus. Porro ultra dispensationem, ex communi æstimatione, quatuor notantur causæ excusantes.

1. *Impotentia*, et quidem tum physica, tum spiritualis, tum moralis: Ecclesia enim pia mater non vult filios suos cum gravi ipsorum detrimento obligare. — *a)* Ex *impotentia physica*, excusantur qui gravi morbo laborant, aut a morbo ipso convalescunt, quando prudenter timent vel grave damnum, vel notabilem moram ad convalescendum, vel gravamen capitis aut virium lassitudinem. Et si dubitetur, an tale damnum sit satis grave, standum erit judicio, vel medici, vel superioris, vel parochi, vel confessarii, vel alterius viri prudentis: et etiam propria sententia siquis prudenter valeat judicare. Quod si adhuc petito judicio dubium perduret, tunc valde probabile est piam matrem Ecclesiam in tali casu non obligare, ut dicunt Croix, Gobat, Lugo, Salmanticenses, etc.; in tali dubio prævalet jus naturale conservandi salutem, tanto magis, quia jam possidebat morbus. — *b)* Excusantur ex *impotentia spirituali* ex-

[1] 1, 2, q. 113, a. 3, ad 2. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 313. — Ferraris; V. *Missa*, a. 16, 17.

[2] Quod probat neque ipsum sacerdotem, qui Confessionem excipit, Missam audire; quia adesset non uti auditor, sed uti judex. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 314.

communicati, interdicti, quibus proinde prohibetur Sacris interesse. Hi tamen si facile possunt, probabilius tenentur sub gravi curare, ut absolvantur; nam qui ad legem tenentur, tenentur et ad removendos legis exequendæ obices, cum commode possunt, si maneant sub ejus influxu. Sane qui tenetur ad finem, tenetur quoque ad media maxime faciliora. — *c)* Ex *impotentia morali* excusantur qui timent notabile damnum, si domo exeant, in bonis tam honoris, quam vitæ et fortunæ. Hinc probabiliter excusantur qui timent carcerari; item muliones, rhedarii, molitores, si grave damnum subituri sint.

Demum doctrina hæc convenit etiam tum uxori, quæ ex accessu ad Ecclesiam timeret mariti indignationem; tum famulis, quorum ministerium omitti nequit sine gravi incommodo dominorum (debent tamen hujusmodi servi curare, si possunt, ut adsint Sacro cum aliquo incommodo v. g. auferendo aliquid a somno, citius foras egrediendo); tum illis qui notabiliter distant a templo, habita ratione loci, personæ ac temporis [1].

2. *Charitas:* sic excusatur qui nequit Missam audire, quin deserat infirmum, qui ab illo relictus gravem turbationem patiatur. Et hoc etiamsi adesset alius assistens; sed infirmus putaret non sibi hujus assistentiam sufficere, et alias gravem pateretur tristitiam. — Item excusantur qui aliter non possunt impedire blasphemias, rixas, furta, etc., ut ait Elbel. — Item ii, qui in incendio, exundatione, hostium vastatione, messis disperditione, etc., alios adjuvant. In concursu enim duarum legum quæ urgent, potior vincere debet: at auditio Missæ est tantummodo de præcepto Ecclesiæ, officium vero charitatis est de præcepto naturæ.

3. *Officium:* sic excusantur *milites* in custodiis positi, vel si toto fere tempore matutino militaribus exercitiis, etiam sine causa ab impiis ducibus, occupentur; *pastores* gregum; *laborantes* in fusoriis, quando labor ante diem festum incœptus interrumpi nequit; *matres, nutrices* et similes, quæ assistunt infantibus vel pueris, si eos domi relinquere nequeunt, nec in templo sine aliorum perturbatione continere [2]. Audiatur Coninck: *omnino consulendum parentibus, ut pueros*

[1] *Regulariter* (ait s. Alphonsus, *Homo Apost.*, tract. VI, n. 41) *putat Suarez, Castropalaus, Filliucius, Salmanticenses, Trullenc, Croix, Mazzota et alii excusare distantiam trium milliariorum, aut iter pedestre unius horæ cum quadrante; et minus si plueret aut nigeret, aut adesset alia causa excusans.*

Audiendus etiam Bouvier: *habenda est ratio personarum, loci, temporis et consuetudinis; spatium enim unius milliarii potest esse nimis molestum respectu nobilis puellæ, et pro nihilo reputatur a forti rusticana. Iter unius leucæ non est grave pro plerisque, dum tempus est serenum et via sicca; est vero incommodum, si gradiendum sit nocte, in nive, in aqua, in cœno, sub pluvia, aut frigore,* etc. *Hæc igitur pensanda, et ex æquo et bono judicanda sunt. Sæpe rationes non absolute sufficiunt, et tamen personas ex bona fide agentes, si non* a toto, *saltem* a tanto, *id est a mortali peccato excusant.*

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 326.

statim ac rationis usus in iis elucet, assuescant Sacra pie frequentare etsi nondum ad id obligentur; hoc enim christianam pietatem omnino decet. Quandiu tamen ita parvi sunt, ut neque res divinas ullo modo apprehendere, neque in templo quieti decenterque contineri possint, præstat eos domi manere: quia alios sæpe graviter turbant, et iis qui ipsos ducunt, impedimento sunt, quominus orare possint (GG).

4. *Consuetudo,* usus nempe rationalis et sufficienter approbatus. Sic alicubi usu receptum est, ut excusentur tempore luctus (quod mensem non excedat ex d. Carolo [1]) viduatæ ob mortem viri, sororis aut filiæ; item puerperæ per aliquod tempus, at non ultra hebdomadas sex. Si tamen domo jam exeunt, non facile possunt hisce causis excusari.

273. *Quid de mulieribus non habentibus vestes convenientes?*

Mulieres quæ non habent vestes decentes juxta conditionem suam, vel non habentes famulam vel sociam, sine quibus magno rubore suffunderentur, excusantur a Sacro audiendo, si non possint eidem interesse summo mane vel in Ecclesia remota, quo populus non ita concurrat. Ita Bouvier, Elbel, Mazzotta, Salmanticenses et Suarez.

Quod etiam communiter dicunt cum Laymano ac Tournely de puella inhoneste prægnante; nam dum quis in eo statu est, in jure comparatur ei, qui vinculis est alligatus [2].

Alii excusant etiam puellam, si una tantum esset Missa, et in ea proclamationes fiant illius nuptiarum. Sed hoc non potest admitti, nisi iis in locis, ubi talis est usus; aut nisi forte puella magno rubore suffunderetur, quod in nostra sententia non potest nisi raro evenire.

An (inquires) *jactura lucri notabilis, extraordinarii, repentini et transitorii excuset a Sacro audiendo?* — Contra multos multi probabiliter affirmant; et quidem merito, ait Bouvier; alioquin dicendum foret legem Ecclesiæ obligare cum magno incommodo [3].

CAPUT SECUNDUM

DE SECUNDO PRÆCEPTO SEU JEJUNIO ECCLESIASTICO.

274. Bellarminus quadruplex jejunium distinguit: aliud *spirituale*, quod est abstinentia a peccatis, et obligat omnes semper et pro semper. Aliud *naturale*, quod est abstinentia a quocumque cibo ac potu (etiam per modum medicinæ), et obligat sanos in Eucharistiæ sumptione. Aliud *morale*, quod est parsimonia in cibo et potu ad temperantiæ regulas. Aliud *ecclesiasticum*, quod certis temporibus ab Ecclesia indictum est, sub datis limitationibus: de quo nunc.

275. Q. 1. *An Ecclesia possit jejunia præscribere?*

R. Affirmative: est contra Lutheranos et Calvinistas; si enim potuit Synagoga, nulla est ratio cur id Ecclesiæ nostræ denegetur:

[1] In Concil. Mediol. I. [2] Ex L. *eodem* caussa ff. *ex qualib. causis*, etc.
[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 301; *Homo Apost.*, tract. VI, n. 22.

et revera ea potestate semper usa est, et eam agnoverunt Patres atque fideles [1]. Præterea si jejunium sit res bona, et ad fines bonos conducens, poterit præcipi ab Ecclesia; atqui tale est jejunium.

Res bona est, cum illud Deus in veteri Lege præscripserit, ac Christus in nova exemplo suo commendaverit. *Ad fines bonos conducit;* nam 1) utile est ad carnem edomandam, subtrahit enim ligna foco. Hinc illud Pauli: *castigo corpus meum et in servitutem redigo* [2]; 2) utile est ad cœlestium contemplationem: sic Moyses 40 dierum jejunio dignatus est colloquio Dei: sic Daniel jejunio hebdomadarum trium præparatur ad Domini revelationes accipiendas [3]; 3) utile est ad satisfaciendum Deo et ipsum placandum: unde Joel hortatur peccatores, ut convertantur ad Deum in jejunio et fletu et planctu [4]: hoc modo Ninivitæ indicto jejunio, Deum placarunt [5]; 4) utile est ad impetrandum: sic Sara per jejunium a dæmone liberatur [6]; sic de ceteris, ut videre est penes Bellarminum *(HH)*.

Ex quo patet hic non agi de jejunio per se sumpto sine relatione ad bonum finem; nam jejunium simpliciter acceptum, uti solam significat abstinentiam a cibo et potu, non est nisi res indifferens; potest enim fieri ut quis abstineat a cibo, quia non habet quod manducet. Imo jejunium, prout aliquam carnis mortificationem importat, *cadit in communi sub præcepto legis naturæ*, ut ait Angelicus [7]. Cum enim illud mirifice inserviat hominum bono, et Deus jejunio in nobis *vitia comprimat, mentem elevet, virtutem largiatur et præmia* [8]; ideo unusquisque ex naturali ratione tenetur tantum jejunio uti, quantum sibi necessarium est ad prædictos effectus. Hinc merito Ecclesia temperat quidem, at non omnino jejunii legem abrogat, etsi non pauci sint ejus violatores: neque excusantur, quia multi sunt; sed hic venit usurpandum illud Augustini: *væ flumini humani moris!*

Huc facit illud:

Dum caro pinguescit, vitæ destructio crescit;
Dum caro macrescit, tentatio prava quiescit.

276. Jejunia ecclesiastica nunc generatim usitata reducuntur:

1. Ad *Quadragesimam*, quæ est institutionis Apostolicæ ad nos usque transmissa; nam omnibus sæculis eam observatam videmus [9].

2. Ad *Quatuor Tempora*, quæ pariter ab Apostolis initium sumere tradit Eusebius [10]. Instituta sunt, tum ut pro acceptis bene-

[1] Id est pro tota Ecclesia Papa; pro sua Diœcesi Episcopus.
[2] 1 Corinth. IX. [3] Exodi, XXXIV; et Dan. X.
[4] Joel. II. [5] Jonæ, III. [6] Tob. III. — *V.* S. Basilius, *Hom.* De jejunio.
[7] 2, 2, q. 447, a. 3. — Ferraris; V. *Jejunium.* [8] *Præf. Quadragesimæ.*
[9] Testes: Canon. Apostolorum 68; s. Hieronymus, *ad Marcellam;* s. Leo M., *Serm.* VI *de Quadr.;* s. Ignatius *ad Philippenses;* s. Iræneus, *Ep. ad Victorem;* s. Athanasius, *Ep. ad Orthodoxos;* etc.
[10] *Hist.*, l. V, c. 23. — Ferraris; V. *Quatuor Tempora.*

ficiis Deo grates persolvamus; tum ut nostra crimina expiemus; tum ut novas gratias efflagitemus; tum demum ut bonos altaris ministros impetremus.

3. Ad *Vigilias.* Vigiliæ erant nocturni cœtus, quos primi christiani in Ecclesia habebant ante solemnem aliquam diem, in quibus et oratione et jejunio sese ad solemnitatem præparabant. Justa de causa sublatis vigiliis, una excepta vigilia Nativitatis Domini, remanserunt jejunia in pervigilio quarundam solemnitatum [1] *(II).*

277. Q. 2. *Quosnam obligat jejunium Ecclesiæ, et ad quid obligat?*

R. Ad 1: Generalis jejunii lex lata est ab Ecclesia absque nulla exceptione; ideo omnes obligat baptizatos rationis compotes, nisi speciali aliqua causa, aut præscripta consuetudine eximantur. Imo ita arcta est lex ista, ut qui causam habent, v. g. ætatis, dispensati utique censeantur a parte jejunii, non a toto; adeo ut ipsis permissæ sint plures refectiones, sed non omnes cibi, nempe carnes [2]. Quod præceptum obligat sub gravi, cum sit opus virtutis in suo genere grave. Hinc damnata est ab Alexandro VII hæc n. 23 propositio: *frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto* [3].

R. Ad 2: Ex præscriptione Ecclesiæ ex sensu Doctorum atque fidelium jejunii ecclesiastici præceptum obligat sub gravi: 1) *ad abstinentiam a carnibus*, et quandoque etiam a lacticiniis, ceterisque quæ semen et originem habent a carnibus, uti caseus, lac, butyrum, ova; 2) *ad unicam refectionem*, per vigintiquatuor horarum spatium; quæ quidem est primaria jejunii conditio. Sed admittitur ex Ecclesiæ indulgentia et legitima consuetudine, vespertina collatiuncula; 3) *ad certum refectionis tempus.* Hinc ille versiculus:

Quid, quoties, quando: tribus his jejunia servas.

278. Opponunt Novatores: *Christus habet:* quod intrat per os, non coinquinat hominem [4]; *inutiliter ergo cibi prohibentur. — Hinc ipse Dominus ait:* manducate quæ apponuntur vobis [5], *nulla facta ciborum vel dierum distinctione. — Et Apostolus:* omne, quod in macello venit, manducate [6]. — *Imo abstinentiam a cibis Paulus expresse damnat dicens:* in novissimis diebus discedent quidam a fide, prohibentes nubere et abstinere a cibis quos Deus creavit [7].

R. Ad 1: si quod intrat per os, nunquam coinquinet hominem, crapula et ebrietas quæ per os intrant, non coinquinarent. Igitur Chri-

1 Devoti, *Inst. Can.*
2 Si tamen indultum est vescendi carnibus pro unica refectione, tunc dispensati a jejunio toties quoties carnibus vesci possunt, ut videre est Lib. IV, *Append.* de jejunio
3 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 104 et seqq.; *Homo Apost.*, tract. XII, n. 2.
4 Matth. XV. 5 Luc. X. 6 I, Corinth. X. 7 Timot. IV.

stus loquitur de cibo et potu, prout sunt res corporales, quæ de sui natura non possunt animam, quæ spiritualis est, inquinare: quamvis ratione adjunctæ concupiscentiæ aut inobedientiæ utique valeant maculare animam. Voluit nempe Christus superstitionem Judæorum reprehendere, qui existimabant cibos quosdam esse natura sua immundos, ideo eos prohibuisse Deum: cum tam Deus non eos prohibuerit utpote per se immundos, sed ob certam significationem.

Ad 2: *Manducate quæ apponuntur vobis*, id est cum hospitio vos recipiunt ne quærite sumptuosos cibos, sed iis, quæ apponuntur, contenti sitis; modo permissos et salutares. Neque enim puta si venenum apponeretur, ac carnes suillas tunc prohibitas, comedi voluit.

Ad 3: Quidquid in macello venit Paulus comedi voluit, ut fideles liberaret a sollicitudine inquirendi, utrum carnes illæ essent idolis immolatæ aut non; de hoc enim erat quæstio.

Ad 4: Idem Apostolus eos damnat, qui se temperabant a cibis non ut concupiscentiam refrænarent; sed quia putabant carnes de se immundas esse, et earum creatorem non esse Deum, sed diabolum [1].

Art. I. — *De abstinentia a carnibus et lacticiniis et unica refectione.*

279. Q. 1. *An convenienter sit præscripta in Ecclesiæ jejunio abstinentia a carne, ovis et lacticiniis?*

R. Affirmative: *jejunium*, ait s. Thomas, *ab Ecclesia est institutum ad reprimendas concupiscentias carnis;... et ideo illos cibos Ecclesia jejunantibus interdixit, qui et in comedendo maxime habent delectationem, et iterum maxime hominem ad venerea provocant. Hujusmodi autem sunt carnes animalium in terra nascentium et respirantium, et quæ ab eis procedunt, sicut lacticinia ex gressibilibus, et ova ex avibus. Quia enim hujusmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant, et magis conferunt ad humani corporis nutrimentum* [2]. Hæc autem abstinentia tum a carnibus (sub quibus comprehenditur etiam jusculum carnium), tum ab ovis et lacticiniis scilicet butyro, lacte, caseo et similibus, antiquitate commendatur. Illius enim meminit sæculo IV s. Basilius [3], et sæculo VI s. Gregorius M. [4].

280. Q. 2. *An dispensati ad carnes adhuc teneantur ad jejunium?*

R. Dispensati ad carnes adhuc jejunare tenentur. Probatur ex præscriptione Benedicti XIV Bulla *In suprema*, anno 1741; et clarius Bulla *Libentissime*, anno 1745, cui inserta est Epistola *Fraternitas* data ad Archiepiscopum Compostellæ [5]. In qua Pontifex declaravit

[1] *V.* Franco, *Risposte popolari alle obbiezioni più comuni contro la Religione.*
[2] 2, 2, q. 147, a. 8. [3] *Hom.* de jejun.
[4] Relatus can. *denique* 6, d. 4. — *V.* Ferraris; V. *Caro.*
[5] Circa jejunium *v.* alia Opera hujus doctissimi Pontificis, præter Bullas. De jejunio Quatuor Temporum agit *Notificatione* IV; — de jejunio Quadregesimæ *Notificatione* XV; — de abstinentia a carnibus, ejusque dispensatione *Notificatione* XVI; — de abstinentia ab ovis et lacticiniis, eorumque relaxatione *Notificatione* I.

hæc quatuor sub gravi observanda esse ab omnibus, qui jejunii tempore ad carnes edendas dispensati sunt.

1. Ut adhuc habeantur obstricti lege, quæ unicam in die comestionem præcipit, et epularum vetat permixtionem.

2. Ut nequeant carnibus uti in vespertina refectiuncula; sed eos tantum cibos assumant, et ea mensura, quibus utuntur jejunantes probæ conscientiæ. Item ut horam jejunantibus præscriptam in comestione observent.

3. Ut sciant epulas sibi licitas esse carnes, epulas autem interdictas esse pisces; ideoque non posse et illas et istos in eadem comestione simul assumere et manducare. Pisces tamen iis nullimode prohibentur, qui habent tantum facultatem super ova et lacticinia.

4. Ut præceptum de utroque epularum genere non permiscendo intelligatur extendi etiam ad dies dominicos Qradragesimæ, et ad ceteros pro jejunio designatos extra Quadragesimam [1].

Dispensati ad carnes communissimum est, quod possint comedere etiam carnes non salubres, nempe porcinas et similes, quæ olim prohibebantur expresse; ubi enim non fit restrictio, res late accipienda est [2]. Item dispensati ad carnes sunt dispensati eo ipso ad ova et lacticinia; quia cui conceditur plus, conceditur etiam minus in eodem genere, ut ait Billuart. Item dispensati ad lacticinia censentur eo ipso dispensati etiam pro ovis, nisi in dispensatione aliud clare exprimatur: hæc enim ex consuetudine æquiparantur.

281. Q. 3. *An abstinentia a carnibus, ovis, lacticiniis graviter obliget?*

R. 1: Ad carnes quod attinet, certum est ex consuetudine et praxi fidelium, atque ex Pontificum decretis illarum abstinentiam obligare sub gravi omnes baptizatos ratione utentes, non solum in omnibus jejuniis; sed qualibet sexta feria et singulis sabbatis totius anni. Excipitur tamen sabbatum pro variis regionibus, ex Pontificia concessione; item pro toto orbe quoad eos, qui *nec voto nec regulari observantia jejunio obstricti sunt*, excipitur etiam ex privilegio Honorii III Pontificis, Nativitas Domini, si feria sexta vel sabbato celebrari contingat.

R. 2: Quoad ova et lacticinia distinguendum est: vel agitur de jejunio in Quadragesima; vel de jejunio extra Quadragesimam.

Si 1, certum est abstinentiam ab ovis et lacticiniis obligare sub gravi toto Quadragesimæ tempore (præclusa consuetudine vel pri-

[1] Si dispensetur a carnibus morbo ingruente, v. g. cholera, et currant jejunii dies, nonnisi in unica refectione licet vesci carnibus pro jejunantibus, et tunc omnibus prohibitum est miscere carnes et pisces; non item in aliis diebus in quibus nulla est lex jejunii. *V.* Lib. IV, Appen. *de jejunio*.

[2] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract., XII, n. 8; *Op. Mor.*, l. III, n. 1009.

vilegio); tum quia ab Alexandro VII proscripta est hæc n. 32 propositio: *non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget* (verbum autem *obliget*, ex communi sensu, importat hic gravem obligationem, cum agatur de objecto in se gravi); tum quia id expresse colligitur ex Jure canonico [1]. Imo quamvis non defuerint docentes, hanc obligationem non esse pro diebus dominicis in Quadragesima, quia dies dominici non sunt dies jejunii; attamen contrarium tenendum; nam in eodem jure absque ulla distinctione præcipitur abstinentia in omnibus diebus quadragesimalibus [2]: atqui dies dominici in Quadragesima pertinent ad dies quadragesimales, etsi in iis permittantur plures refectiones.

Si 2, sententia communis docet, non vetari vesci in unica refectione lacticiniis et ovis de Jure communi; nam id nullibi expresse prohibitum invenitur. Diximus *de Jure communi;* quia contingere potest, ut adsit aliqua lex peculiaris vel peculiaris consuetudo pro peculiari Ecclesia ac regione: quo in casu consuetudo illa est observanda sub gravi, cum materia gravis sit.

282. Pluribus in locis (uti in Novariensi Diœcesi) nulla est extra Quadragesimam talis consuetudo obligans, vel lex: imo in ipsa Quadragesima ibidem alicubi privilegium est, alicubi est consuetudo vescendi ovis et lacticiniis. Sunt tamen nonnulla loca in Diœcesi, in quibus, adveniente Quadragesima, usus invaluit, ut hæc consuetudo vescendi (in unica tamen refectione) ovis et lacticiniis cohonestetur facultate prius petita ab Episcopo vel Parocho, qui semper eam ultro concedunt. Id præstat observari, saltem in signum subditantiæ.

Audiatur hac ipsa de re episcopus Bouvier: *in Diœcesibus, ubi quotannis Episcopus a prohibitione manducandi ova dispensare solet, si ex inadvertentia hanc dispensationem concedere negligeret, fideles manducantes juxta morem consuetum peccati mortalis accusare nollem; tum quia dispensationem præsumere possent; tam quia consuetudo legi derogans sat firma videtur, ut excuset* a tanto, *si non* a toto [3] *(JJ).*

283. Q. 4. *Quandiu durare potest unica refectio in jejunio?*

R. Qui refectionem notabiliter continuat, jejunii legem frangit; quia Ecclesia unam quidem refectionem permittit, sed uni ex ordinariis circiter respondentem. Probabiliter dicunt illam posse continuari ad duas horas; juxta alios etiam ad tres. Verum res est resolvenda ex usu regionum et timoratorum judicio.

Non tamen contra jejunium faceret qui nimium comederet, sed tantum contra temperantiam; cum nullibi quantitatem ciborum in una refectione Ecclesia taxaverit.

1 D. 4, c. *denique.* — *V.* Liguori, *Ho. Ap.*, tract., XII, n. 3; *Op. Mor.*, l. III, n. 1007.
2 Et congruentius; hoc enim jejunium ceteris solemnius est, *tum* quia observatur ad imitationem Christi; *tum* quia sic disponimur ad Redemptionis nostræ Mysteria devote recolenda. Ita Angelicus, 2, 2, q. 147, a. 8.
3 Id est a mortali peccato (si non a veniali) excuset.

284. Q. 5. *An liceat refectionem interrumpere jejunii die?*

R. Si justa et gravis adest causa interrumpendi, certum est interruptionem jejunium non violare; quia tunc nova refectio habetur tanquam refectionis prioris complementum. Neque præsumi potest Ecclesiam velle, ut quis semipransus maneat: hinc Diana excusat ministrantes mensæ et lectores tempore mensæ, qui aliquid cibi sumunt immediate ante mensam; quia isti intendunt cum edentibus incipere quidem refectionem, sed post ministerium præstitum immediate eam perficere.

Si nulla adest gravis interrumpendi causa, casu quo interruptio sit notabilis, certum est jejunium graviter violari; quia tunc habentur refectiones multiplicatæ. Quanta autem esse debeat et qualis hæc interruptio ad jejunii violationem, non tam facile potest definiri. Profecto si interruptio duret integro horæ spatio sine gravi causa, consentiunt omnes non posse refectionem resumi sine jejunii violatione; habetur enim communiter uti notabilis. Idem sunt qui dicunt de dimidia hora; nam per hanc quoque, cum stomachus de novo præparetur ad cibos recipiendos, eluderetur jejunii lex [1].

285. Q. 6. *An peccet mortaliter contra ecclesiasticum jejunium, qui sæpe in una die parum cibi suscipit?*

R. Affirmative: si parvæ illæ cibi portiones pedetentim in die susceptæ coalescunt in aliquod grave quoad se reficiendum; quod quidem jejunio adversatur. Hinc Alexander VII damnavit hanc n. 29 propositionem: *in die jejunii qui sæpius modicum quid comedit (etsi notabilem quantitatem in fine comederit), non frangit jejunium.* Quod non currit de illis qui aliquid sumunt, puta unciam, ne corporis viribus deficiant, si prandium v. g. multum differri contingat ultra horam consuetam, ut solet evenire religiosis mensæ ministrantibus, lectoribus et famulis. Verum aliquid sumere ne potus noceat, vix semel atque iterum potest permitti in die.

Q. 7. *Quoties peccat qui sæpe in eadem die jejunium culpabiliter frangit sumendo cibos in notabili quantitate?*

R. 1: Merito tenent Leander, Roncaglia et Salmanticenses, quod quantitas notabilis seu gravis quoad carnes est quantitas excedens octavam circiter partem unciæ (quinque circiter grammata), quæ nempe superet nucis avallanæ quantitatem, cum nimium nutriant.

[1] Hæc tamen omnia moraliter accipienda sunt. Unde merito probabile est, quod ille qui jam surrexit e mensa animo non amplius comedendi, sine peccato poterit iterum ad comedendum redire, si aliud ferculum apponatur quod ille ignorabat, vel si convivæ adhuc comedant; quia moraliter censetur durare idem prandium. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1020.

Imo Tamburini, Elbel, Filliucius concedunt generaliter posse cibum adhuc sumi post sesquiquadrantem, nempe post vigintiduo horæ momenta *(minuti)*.

In ceteris vero cibis communibus probabiliter censet Diana cum aliis non esse notabilem, nisi materiam illam, quæ excedat uncias duas *(grammata* 54). Sunt qui non tantum requiruntur pro ovis et lacticiniis; cum adeo carnibus assimilentur. Hoc posito:

R. 2: Cum distinctione: *vel* iste jejunium frangit sæpius in die sumendo carnes, aut ova et lacticinia; *vel* jejunium frangit plures tantum agendo comestiones, in iis nempe semper sumendo cibos esuriales. Si 1, certum est eum toties peccare, quoties manducat; præceptum enim abstinendi a carnibus, ovis et lacticiniis est negativum; ideoque obligat semper et pro semper, id est toto jejunii tempore. Si 2, dicimus, unum dumtaxat mortale committi; quia jejunii natura in ea unica comestione consistit ex d. Thoma [1]. Ideoque semel destructa formaliter ejus essentia, cessat jejunium, neque aliqua amplius superesse potest illius obligatio.

Hinc pœnitens si peccavit primo modo, debet explicare quoties id egerit; cum tot sint peccata quot comestiones. Non autem si comederit cibos communes: quia post primam vicem remanet deobligatus. Ita communiter tenent Azorius, Cajetanus, Suarez, etc.

Quid (dices) *si quis inculpabiliter bis jam in die comederit cibos esuriales? tenebiturne se abstinere a tertia refectione?*

Sunt qui negant probabiliter: quia essentia jejunii jam destructa est; nam post binam refectionem jejunium impossibile evadit: *semel fractum semper fractum.* Sed sententia probabilior contrarium docet; nam qui jejunium fregit bis comedendo sine advertentia et ideo sine culpa, fregit quidem materialiter, sed non formaliter. Unde cum primum advertit, legem tenetur servare et curare, ut ab ejus formali violatione abstineat [2].

Quod magis dicendum de eo qui cum versetur in loco legi jejunii non subjecto, ibi carnes comedit; si redeat ad domicilium proprium ubi jejunium est, tenetur illud servare et abstinere a carnibus.

286. Q. 8. *An liceat cauponi in die jejunii omnibus indiscriminatim petentibus præbere cibos et carnes?*

R. Sunt qui absolute negant id licitum esse; quia esset concurrere ad malum alterius, et hoc peccatum est. Sed probabilius nobis videtur affirmandum cum Billuart, Bouvier, Gousset, Mazzota, Navarro, Sanchez, Sporer, Tournely, Viva et aliis satis communiter, etiamsi caupo certo sciat, personas cauponam ingredientes carere dispensatione pro manducandis carnibus; si tamen grave ac notabile omnino damnum timeat. Nam ad permittendum grave peccatum proximi, quod ille paratus est committere occasione a nobis præ-

[1] 2, 2, q. 147. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XII, n. 20; *Op. Mor.*, l. III, n. 1029.
[2] *V.* Cæsena, *Responsio data cuidam Theologo, sive examen illius axiomatis:* semel fractum, semper fractum; *dissertatio.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1029.

stita, sufficit gravis causa, quæ nos deobliget a præcepto charitatis. Billuart id confirmat illis Angelici verbis: *licite possumus uti malitia alterius, vel etiam materiam qua abuteretur, non subtrahere, sed præbere, scilicet pro aliquo incommodo vitando* [1].

Urgenda tamen esset, ad omne scandalum vitandum, lex merito alicubi indicta, quæ scilicet taliter comedentes vult separatim ab aliis collocandos esse. — Item observamus, quod non ita facile posset excusari caupo oppiduli, hac ratione quasi urgeat periculum diminutionis concurrentium; siquidem apud omnes caupones similium locorum sacrum est, prout esse debet, ut cibi vetiti nulli apponantur; et concurrentes probe sciunt eos omnes idipsum agere.

287. Q. 9. *An electuaria frangant jejunium?*

R. Electuaria (vulgo *conserve)* sunt ea liquida, quæ rei de se nutritivæ substantiam continent. Conficiuntur ex electis rebus, v. g. saccharo et cedro, vel cerasis, malis citrinis, amygdalis, janiperis, ribesiis, moris. De his habet Angelicus: *electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi* [2]. Quod si quis in parva quantitate electuaria sumat ob delectationem, jejunium venialiter violabit ex materiæ parvitate. Idem dicendum erit de dulciolis *(zuccherini, confetti, caramelle,* etc.) [3].

Ad potiones vero, quæ in usu sunt uti simplices potiones, v. g. coffea *(caffè)*, theum *(thè)* et electuaria supradicta, aqua tamen multum dilata, docet communis sententia illas jejunium non frangere. atque ad libitum permitti; cum potius inductæ sint ad sitim sedandam atque ad simplex corporis refrigerium, non ad nutritionem. Neque obstat, si ministrentur congelatæ (vulgo *sorbetti);* congelatio enim naturam non mutat.

Diximus quæ in usu sunt uti *simplices potiones;* aliter enim esset de sumptione lactis vel jusculi; habent enim hæc rationem cibi, etsi

[1] « Si sit dubium, iterum Billuart, an hospites habeant jus cœnandi, debent hac de re interrogari, si decore fieri possit: sin minus propter eorum reverentiam, possunt præsumi posse; quia nemo debet reputari malus, nisi probetur.

» Tibi a jejunio exempto non licet urbanitatis causa invitare ad cœnam tecum eum, quem scis jejunio teneri, quamvis paratum domi suæ cœnare. Ita Lessius, Lother. Azor et alii contra Navarrum. Ratio est, quia si sola urbanitas non sit causa sufficiens, ut licite præbeas occasionem aut materiam peccandi, a fortiori ut invites ad id, quod sine peccato hic et nunc fieri non potest. » — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III. n. 69 ; l. III, n. 1030.

[2] 2, 2, q. 147, a. 6. — Item rationabiliter sumuntur ad confortandum stomachum. ad oris fœtorem tollendum, ad vocem conservandam, ad sitim sedandam, etc.

[3] Peccat graviter qui item in magna quantitate poma, piros, uvas (etiam confectas, vulgo *zibeb),* popones *(melloni),* mala citrina *(cedroni, arancì)* manducaret in die jejunii; quia hæc habent rationem veri cibi, etsi solum succus deglutiatur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 1019, 1021.

sorbeantur; cum potius ad nutritionem, quam ad cibi vehiculum referuntur. Imo quoad potiones lacte mixtas adest expressa prohibitio Clementis XIII, Bulla *Appetente sacro*, anno 1759 [1].

288. Aliter tamen videtur dicendum de *sero* lactis proprie dicto, nempe ultima operatione habito; cum hoc habeatur uti simplex potio, vel potius uti medicina. Adde illud nihil amplius de vera substantia lactis retinere. Unde sicut liceret jusculum sumere, si operatione chimica, omnis carnea substantia subtraheretur; ita licet sumere serum, a quo per ultimam operationem lac extractum fuit. Neque sane serum, dici potest lac verum, sed aqua e lacte. Attamen sunt qui jejunii die non permittunt serum, nisi ex consuetudine, aut nisi quando sumitur uti medicina; cum censeant illud adhuc aliquid de vera substantia lactis semper habere.

289. *Quid* (quæres) *de vino, cervisia et chocolate in jejunii diebus?*

R. Quoad *vinum* (idem dic de musto) commune est inter Doctores, imo *unanimes declaraverunt*, ait Benedictus XIV [2], illud jejunium non frangere, etsi sumatur extra refectionem et collatiunculam; imo etsi quis illud sumat ad sedandam famen; cum ad id ordinatum non sit: porro *statutum positivæ legis non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadit in præcepto, sed est finis præcepti* [3]. Unde hodie obsolevit vetus præceptum contrarium.

Hoc pariter dicendum est de *cervisia* (seu *birra)*, quæ conficitur ex aqua hordeacea et lupulis; hæc enim pro vero ac simplici potu accipitur ab omnibus.

Ad *chocolatem* autem quod pertinet, certum est quod illum manducare non dilutum, frangit jejunium, graviter vel leviter pro notabili ejus aut parva quantitate; quia cibus est et per modum cibi sumitur. Si vero cum aqua mixtus et dilutus ac coctus sorbeatur, docent alii ejus potionem jejunium frangere; quia non habet rationem potus, sed magis cibi et alimenti ad instar lactis et jusculi. Alii tamen negant, modo illius usus sit moderatus, et non sumatur instar densæ pultis et in magna quantitate. Pro ratione proferunt universalem consuetudinem (saltem extra Galliam), quam sciunt nec reprobant Ecclesiæ Prælati: *ex hoc ipso* (inquit Angelicus in re simili) *quod Prælati dissimulant, videntur annuere.* Huic sententiæ favet Benedictus XIV [4]; eamque et nos tenemus, modo toties non sumatur in die, quoties libuerit; sed semel tantum. Et relate ad quantitatem, attendatur consuetudo recepta apud viros probatos, ut nempe sumatur unus ciathus ordinarius, ut de more solet.

Ad dubium, *an permitti possit, ut mane diebus jejunii in parva quantitate sumatur cafæum aut chocolatem cum frustulo panis, ut fit in regione Canadensi;* S. Pœnitentiaria die 21 novembris 1845 respondit: *eos qui talem usum sequuntur non esse inquietandos* [5].

290. Q. 10. *Quandonam refectio sumenda est in jejunio ecclesiastico?*

R. Hora refectionem sumendi primitus quoad jejunium Quadragesimæ erat post occasum solis; quoad alia vero jejunia erat hora

[1] Non item liceret lac sumere in cœnula seu collatiuncula, quia per privilegium licet caseum, ideo quia caseum est de lacte; nam in hac re non valet argumentatio.
[2] *Notificatione* XV. [3] S. Thomas, in 4, d. 15, q. 3, a. 4.
[4] *Notificatione* XV; vide *Analecta Juris pontificii*, an. 1857, pag. 2822.
[5] V. *Archivio dell' Ecclesiastico*. Firenze, fasc. XVII.

nona: sed a sæculo XIV sensim sine sensu quoad omnia jejunia hora anteacta est ad meridiem. In nostra sententia quam plurimi docent cum Azorio, Sylvio, Sanchez, Navarro contra plures, hora hæc ita obligat ut qui *eam anticipat notabiliter sine causa,* mortaliter peccet; cum jejunium solvat. Probatur tum ex Jure canonico, ubi anticipantes *nullatenus jejunare credendi sunt* [1]; tum ex Angelico, qui ait: *qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit* [2]; tum ex ratione: anticipando enim notabiliter violatur præceptum in re gravi; cum hora multum pertineat ad rationem abstinentiæ.

Diximus: 1. *Qui anticipati* non enim peccaret quis posticipando: nam magis accederet ad antiquam consuetudinem, quæ quidem ad jejunii finem melius conducit.

2. *Notabiliter;* etenim, ait idem Angelicus, *ad jejunium requiritur hora determinata non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam æstimationem* [3]. Auctores autem qui nobiscum pugnant pro hac sententia communiter assignant, tanquam gravem anticipationem unius integræ horæ.

3. *Sine causa;* causa enim facit licitum in jure, quod non est licitum. Porro causa levis a levi, causa gravis a gravi anticipatione excusat, ut esset negotium urgens, admodum debilis complexio; imo si admodum gravis, ab ipso jejunio liberat, uti patet [4].

§ unicus. — *De Collatiuncula vespertina.*

291. Q. *Quid notandum de collatiuncula vespertina in jejunio?*

R. Collatiuncula vespertina a monachis aliquomodo cœpit, qui in jejuniis a propria regula inductis, ante vel post sacra colloquia *(collationes* dicta seu *conferentiæ)* aliquos aquæ haustus, vel alterius potionis ad vires refocillandas sumebant. — Morem hunc amplexati sunt fideles in Ecclesiæ jejuniis: qui mos eo venit, ut hodie cœna habeatur tametsi parvula, quam quidem legitimam esse probat ubique locorum recepta consuetudo. Circa hanc veniunt notanda:

1. Hora consuetudine determinata sumendi refectiunculam ea videtur esse, qua jejunans solebat sumere cœnam, vel sub vesperam. Sumere tamen collatiunculam mane, et refectionem sub vesperas non excedet veniale; quia non violatur substantia jejunii, ut commune est cum Bouvier, Talento et aliis. Et a veniale excusat quælibet rationabilis causa, v. g. iter, officium, negotium, stu-

1 C. *Solent* de cons., d. 1. 2 In 4, d. 15, q. 3, a. 4.
3 2, 2, q. 147, a. 7. 4 *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XII, n. 21.

dium, etc. Et Gury merito addit: *excusat aute m etiam a veniali... loci aut conditionis consuetudo*, quæ hodie passim obtinet.

2. Duo in collatiuncula præsertim spectanda, cibi quantitas et qualitas. In quibus dicimus generatim esse tenendam probatam locorum consuetudinem, et piorum doctorumque praxim: quæ his in rebus pluris æstimantur, quam subtilioris ratiocinationis argumenta. Usus qui cœnulam induxit, illam quoque moderatur.

3. Ad *quantitatem* speciatim quod attinet, quantitas octo unciarum *(due ettogrammi e diciotto grammi circa)* hodie omnibus indiscriminatim habetur permissa. Omnes autem conveniunt excessum duarum unciarum ultra permissas, et ideo in totum, decem uncias *(due ettogrammi e grammi settantadue circa)* esse materiam levem. Ceterum licet generatim loquendo sumere quantum necessarium quis prudenter judicat ad evitandam indispositionem quæ ipsum impediat a propriis officiis. Item habenda est ratio locorum quæ abundantiorem cibum exigunt; ut est Germanica regio [1].

4. Quod respicit *qualitatem*, certum est excludi carnes, ova et lacticinia; item dulciaria ovis confecta; nam ovorum substantia non deperditur, eo quod farina misceatur. — Cibi autem hodie universim permissi sunt panis, olera, poma, pyra, ficus, uvæ, nuces, castaneæ, amygdalæ, etc. Ad *pisces* quod attinet, multi merito dicunt juxta hodiernam consuetudinem cibum sumi posse de piscibus etiam recentibus et magnis, modo non in magna quantitate: quod hodie vel in communitatibus religiosis passim obtinere asserit doctus episcopus Milante [2] *(KK)*.

Art. II. — *De causis a jejunii præcepto excusantibus.*

292. Ab ecclesiastico jejunio excusant: 1) superioris dispensatio; 2) impotentia tum physica, tum moralis; 3) labor; 4) pietas. Humana enim lex vel contraria lege interveniente vel legitima dispensatione vel vere gravi in ea observanda incommodo, cessat habere vim. *De his porro* (causis) *seorsim et accurate censeo disserendum, cum sint res omnes pertinentes ad praxim et scitu necessariæ. Sedulo curavi super hoc puncto quamplures auctores observare, eo quod doctorum auctoritas in hoc redundet in probabilitatem intrinsecam; cum agatur de re, quæ valde pendet ab æstimatione prudentum.* Ita præmonet s Alphonsus [1].

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1025. — Sporer amice conqueritur de Layman; *quem alias tam bonum germanum, in hac sola materia patriotis suis fuisse tam severum, miratur.*

2 In pluribus montanis regionibus licet sero parum casei sumere, sed ex consuetudine tantum vel privilegio; non vero quia sunt permissa lacticinia. Hinc interrogata S. Pœnitentiaria sub Benedicto XIV, an liceat sero parum casei sumere dispensatis ad lacticinia, *optime conscia mentis Sanctitatis Suæ, imo ipsa approbante, respondit: negative.*

Quæ causæ non semper ab esu carnis liberant, etsi a jejunio excusent; cum abstinentia a carne fortior sit, et magis se extendat, adeo ut specialis ratio aut privilegium requiratur, ut ab illa quoque dispensemur, etsi dispensati a jejunio.

293. Q. 1. *Quinam a jejunii præcepto dispensare possunt?*

R. Possunt dispensare:

1. Summus Pontifex in Ecclesia universa, et quidem valide, etiamsi non adsit causa; cum dispenset in lege sua.

2. Episcopus in sua Diœcesi, sed cum causa, cum suis subditis, et tantum pro casu particulari; non vero universim potest dispensare pro tota Diœcesi sine Pontificis venia, etsi agatur de solo esu carnium: ita ei limitatur facultas; cum jejunium sit lex superioris.

3. Consuetudo et tacita Episcoporum permissio induxit, ut etiam Parochi in tota Parœcia, ipso præsente Episcopo, cum subditis particularibus hac gaudeant potestate, quam valent exercere tum per se, tum opera sacerdotum et clericorum. Sed caveant, ne utantur ancilla, quod maxime dedecet, nisi utantur simpliciter uti nuntia. Et idem possunt vicarii Parochorum, qui exercent actus parochiales, si Parochus non repugnet, uti docent Sanchez, Salmanticenses aliique [2] (quanquam Parochi potius declarant causam legitimam esse ut quis non jejunet: non proprie dispensant).

294. *Quid* (dices) *de confessariis et medicis?* — Satis omnibus notum, quod neque a jure, neque a consuetudine *confessarii* potestatem habent dispensandi in jejunio proprie loquendo. Sed declarare utique possunt, in foro conscientiæ, pœnitentes suos in data circumstantia ad jejunii præceptum minime obligari; tunc enim quasi pro tribunali doctores ac judices sedent. Multo minus *medici* proprie dictam potestatem habent dispensandi; cum non sint jurisdictione ecclesiastica præditi. Ad ipsos non pertinet, nisi declarare (conscientiose tamen, ne aliorum peccatis graventur) quænam sit causa vere sufficiens *(LL)*.

295. Q. 2. *Quinam a jejunio excusantur ratione impotentiæ?*

R. 1. Ratione *impotentiæ physicæ* excusantur:

1. *Infirmi*, quibus jejunium graviter obesse posset (quibus etiam plerumque carnes sunt permissæ); vel ita *debiles*, qui uno prandio male se haberent, uti convalescentes. Item illi, qui nisi bis reficiantur ex vacuitate stomachi, tormentosam capitis vertiginem patiuntur.

2. *Mulieres* fœtum utero gerentes, vel prolem lacte nutrientes: quia ipsæ indigent alimentis copiosioribus, esto etiam quod viribus polleant. Imo consuetudo permittit eis etiam carnium usum, si proles ægrotet, aut mater sit valde debilis.

[1] V. *Op. Mor.*, l. III, n. 1032. — Sed legenda omnino nostra appendix: *Apostolicæ Sedis Responsa quædam recentiora circa jejunium;* relata Lib. IV, append.

[2] *V.* supra disputata *de dispensatione in genere.*

3. *Pauperes*, qui non habent prandium perfectum pro unica congrua refectione, sed tantum cibos modicæ refectionis, ut sunt qui non possunt manducare, nisi panem et legumina; et maxime illi, *qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat* [1].

296. R. 2. Ratione *impotentiæ moralis* excusantur a jejunio:

1. Illi, quibus jejunium affert *grave incommodum*, v. g. gravem capitis dolorem, vigilias diuturnas, etc.; nam leges Ecclesiæ non obligant cum incommodo gravi; obligant tamen cum aliqua difficultate: secus actum esset de omnibus Ecclesiæ legibus, quæ certo passionibus obstant; et maxime de jejunio quod eas mortificat. Utrum autem, qui grave incommodum potest præcavare prandium differendo, ad vesperas et mane collatiunculam sumendo, ad hoc teneatur, potest sed valde probabiliter non tenetur ordinem pervertere; quia hoc esset remedium extraordinarium et durum.

2. *Milites* sive in castris, sive in hospitiis: ita communiter, tum quia statis horis non possunt comedere; tum quia congruum non habent cibum pro jejunio; adde consuetudinem. Imo fere ubique dispensantur a carnibus, nonnullis diebus exceptis [2].

3. *Uxores*, quibus a maritis jejunium interdicitur (nisi interdicatur in contemptum Religionis vel Ecclesiæ), et quæ jejunando paterentur gravem maritorum indignationem. Item *mariti*, qui jejunantes nequeunt debitum conjugale uxoribus solvere, ut cum Laymano, Lessio, Salmanticensibus, Viva et aliis merito docet P. Concina [3]: ratio est quia præceptum naturale justitiæ, scilicet reddendi debitum, prævalet humano jejunandi utpote inferiori.

4. *Adolescentes* usque ad annum 21^m^ completum; nam ipsi crebriori indigent alimento, tum ad incrementum naturæ, tum ad virium robur. Hoc autem est certum ex consuetudine universali: quod quidem locum habet, etsi aliquis adolescens esset robustus; quia hic ex communi attenditur quod ordinarie contingit. Ita Angelicus [4];

1 D. Thomas, 2, 2, q. 147, a. 4. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1033.

2 V. *Pregi e Difetti dei cappellani militari;* — *Manuale del soldato cristiano.* Marietti.

3 *Sed censet* (Concina) *teneri virum prius precibus hortari conjugem, ut a petendo desistat. Si tamen hoc omitteret, non putarem eum peccare saltem mortaliter.* Ita s. Alphonsus in *Op. Mor.*, l. III, n. 1034.

Aliter esset: 1) si conjux redderetur tantum minus potens ad reddendum; quia non teneretur cum spirituali jactura *illud plus* curare, cum opus sufficienter præstet; 2) si tantum redderetur impotens ad petendum, petere enim non est necessitatis: excipe nisi teneretur petere v. g. ad vitandum incontinentiæ periculum

4 2, 2, q. 147, a. 4. — Juvenem, qui v. g. hora tertia annum 21 complevit, docent probabilius teneri ad jejunandum reliqua die; nam præceptum statim obligat ac illius tempus advenit, et jejunium respicit totam diem. Est contra aliquos, qui id negant, quia, ut dicunt, præceptum jejunii respicit totum diem, uti unicum objectum præcepti. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1035.

subjungens nihilominus expedire, ut juvenes sese jejunio exerceant, tum ut culpas cohibeant, tum ut ad spiritualia eleventur.

5. *Senes*, qui ob virium imbecillitatem sine gravi incommodo jejunare non possunt, uti patet: quod communiter admittunt etiam in dubio de validitate virium; quia præsumptio stat pro imbecillitate in tali ætate. Quoad illos vero, qui sunt certe robusti, utrum excusentur, non una est sententia. Illos a jejunio liberatos esse probabiliter negat Bonacina, Layman et Filliucius; nam tunc non reputantur uti senes. Sed non minus probabiliter affirmant multi cum Viva, Sanchez, Salmanticensibus, Holzman et Roncaglia qui id vocat tutum, de illis, qui 60^{m} annum habent, etsi nondum completum (nam in favorabilibus annus incœptus habetur pro completo): idque ex universali consuetudine, quam testantur communius Doctores apud eundem Roncaglia. Sed ratio potior et independens a consuetudine est, quia hujusmodi senes ob defectum caloris naturalis nequeunt semel alimentum sufficiens sumere, egentque cibo frequentiori: unde si quod est salutis robur ea ætate, apparens potius est et instabile, quam reale et constans, ut pro certo docet ipse Galenus [1] *(MM)*.

297. Q. 3. *Quinam labor a jejunii observantia excusat?*

R. A jejunii observantia labor tunc liberat quando est talis, ut sine notabili corporis defatigatione exerceri non possit. Hinc communiter ratione laboris inter operarios excusantur a jejunio *fossores*, *agricolæ*, *lapicidæ*, *figuli*, *textores lanarii*, *fullones*, *bajuli*, *aurigæ*, *nautæ*, *remigantes*, *fabri-lignarii*, *ferrarii*, atque *murarii*. Item *percurrentes urbem* ad merces vendendas, *ornantes templa scalas circumferendo*, *magna horologia conficientes;* ac similiter *laborantes per magnam diei partem*. Item *cursores*, *sutores*, *furnarii*, *pistores*, *coqui* dapes complures compluribus præparantes, si per totum fere diem laborare cogantur. Item *typographi* prælum versantes (non vero typos tantum componentes; etsi hos quoque plurimi excusent, cum labor sit qui nimium et corpus et stomachum et caput defatigat). Denique excusantur *famuli*, qui tota die magnis incumbunt laboribus [2].

Non vero excusantur *ancillæ* lanam vel linum fuso torquentes, aut munia similia exercentes. Neque *barbitonsores*, *sartores*, *pictores*, *notarii*, *molitores* et *sculptores*, nisi in casu speciali, quo ob virium

[1] L. v *De sanit. tuenda.* — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XII, n. 25. — *Op. Mor.*, l. III, n. 1036.

[2] Etsi autem speculative loquendo videatur probabilius, quod isti omnes jejunare teneantur, si sint adeo robusti, ut id sat facile possint; in praxi tamen vix reperietur unus, qui ex illis laboribus non graviter relaxetur; aliunde lex non respicit quod per accidens evenit. — Item neque de jejunio tenetur illo uno vel altero die, quo labores intermittunt ratione reficiendæ lassitudinis, et virium servandarum ad proximos labores; excipe nisi illis diebus manifeste jejunare valeant sine incommodo gravi, neque timeant lassitudinem pro die laboris. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1044.

debilitatem vel ob laborem particularem artem suam exercere non valeant; cum per se tales artes non includant notabilem corporis defatigationem. Hac in re hæc n. 30 propositio ab Alexandro VII merito damnata est, utpote nimis generalis: *omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum die jejunii (NN).*

298. Q. 4. *Quinam excusantur a lege jejunii causa pietatis?*

R. Excusantur a jejunio causa pietatis qui præstant talia pietatis opera, quæ præstantiora sint et Deo gratiora, quam ipsum jejunium, quocum moraliter conjungi non possunt, idest sine notabili ac gravi incommodo. Ejus generis sunt Opera misericordiæ tam spiritualia quam temporalia, atque etiam Opera religionis.

Sed dubium fit, an hujusmodi opera a jejunio excusantia, ut servire infirmis, crebrius concionari, etc., possint suscipi sponte; vel sint suscipienda ex officio vel obedientia? Dicunt Sylvester atque Navarrus, quod proprio marte ob consilia non sunt negligenda præcepta; sed probabilius contradicunt Sanchez, Salmanticenses, Bouvier cum aliis pluribus. Idque expresse docet s. Thomas, qui dicit: *si enim sit tanta abstinentia quod homo ab operibus utilioribus impediatur (quamvis ad ea de necessitate non teneatur) indiscretum est jejunium, etsi non sit illicitum* [1]. Sane, habet idem Angelicus, *non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias et magis necessarias causas* [2]; cum enim Ecclesia præcipiat jejunium uti promotivum ad bonum, non intendit obligare ad illud, uti est impeditivum majoris boni. — Hoc tamen intelligitur sub conditione, quod opera illa præstantiora assumantur ex justa causa et commode differri non possint juxta doctrinam ejusdem s. Doctoris. *Ex justa causa*, finis enim malus totum inficeret opus. *Et commode differri non possint*, nam secus valeret adagium: *unum facere et aliud non omittere.*

299. Hinc a jejunio liberantur *concionatores*, qui quotidie vel fere quotidie per hebdomadam in Quadragesima tota concionem habent, ut communiter docent Cajetanus, Navarrus, Salmanticenses, Toletus et Wigandt; nam actio sic concionandi est valde laboriosa [3]. Idque valet, uti dicunt Lessius, Sanchez, Sporer, etc, quamvis concio fiat cum lucro; est enim justum stipendium laboris; neque ex tali intentione impeditur utilitas audientium. — An vero idem dicendum sit de illis, qui ter vel quater in hebdomada aliquando per an-

[1] In 4, dist. 15, q. 3, a. 1. [2] 2, 2, q. 147, a. 4.

[3] Quod etiam currit pro Missionariis, qui vehementiori corporis et animi agitatione per aliquod temporis quotidie prædicant: ita communiter cum Cajetano, Navarro, etc. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1048. — Gury, *Casus conscientiæ*, n. 471.

num concionantur, pendet a majori vel minori mentis fervore, studio, labore et corporis agitatione, quæ illos faciant jejunio inhabiles [1].

300. Multi excusant *cantores*, qui jejunando vocem amitterent; et *lectores* scientiarum (Sanchez addit et magistros grammaticæ), qui magno studio et labore indigent; non vero qui dictant lectiones jamprius ordinatas et sæpius repetitas.

Idem dicunt de *judicibus*, *medicis*, *advocatis* ac similibus, qui animum valde intentum habere debent studiis, ut muneri suo satisfaciant; nam isti ob spirituum consummationem opus habent cibo, sin majori, saltem frequentiori.

Idem currit pro iis, qui *hospitalibus inserviunt*, sive id agant ex officio, sive ex obedientia, sive causa temporalis utilitatis.

Item Roncaglia, Sanchez, Sporer, Viva et alii excusant *confessarios*, qui tamen extraordinarium laborem subeant, nempe si Confessiones audiant fere per totum diem, puta per septem vel octo horas.

Sed hic advertendum, quod cantores, professores, judices, medici, advocati, hospitalibus inservientes, confessarii et similes non per se, sed tantum per accidens a jejunio excusari possunt, nempe si aliter non valeant suis muneribus satisfacere. Quod semper præ oculis habendum; nam ubi labor per se excusat, in dubio præsumptio stat pro exemptione jejunii: at ubi labor nonnisi per accidens, nempe ob circumstantiam debilitatis personæ vel gravitatis laboris excusat, in dubio præsumptio stat pro obligatione jejunii [2].

CAPUT TERTIUM

DE ULTIMO PRÆCEPTO SEU DE DECIMIS [3].

301. Q. 1. *Quid sunt decimæ et quotuplicis generis?*

R. *Decimæ* nomen non semper indicat decimam portionem fructuum, quæ Ecclesiæ ministris solvuntur pro eorum sustentatione; sed plerumque duodecimam, quintadecimam, imo alicubi etiam vigesimam, trigesimamve. Tribus prioribus Ecclesiæ sæculis nulla decimarum mentio; clerici vivebant ex spontaneis fidelium oblationibus; hæc imminuta largitate, institutæ sunt decimæ primum hortationibus, dein legibus.

[1] Cum vero sacri Oratores et exemplo et verbis debeant prædicare, idcirco pro viribus eniti debent, ut jejunium servent. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1048.

[2] Insuper advertunt, quod si quis non haberet causam sufficientem, qua excusari possit a jejunio quadragesimali; sed contra ipse in bona fide putaret justam causam habere præcepto satisfaciendi ter vel quater tantum in hebdomada jejunando, non debet confessarius hunc obligare, ut quotidie jejunet cum adsit periculum, ne postea omne omittat jejunium. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XII, n. 34.

[3] Decimarum originem ab ipso veteri fœdere repetendam esse, notum est omnibus. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 12; *Homo Apost.*, tract. XX, n. 85. — Ferraris; V. *Decimæ*. — Vecchiotti, *Instit. canonicæ*, l. III, c. 1, § 3.

Triplex autem decimarum genus; sunt enim *prædiales*, *personales* et *mixtæ*. *Prædiales*, penduntur ex fructibus, vel proventibus prædiorum, sive urbana ipsa sint sive rustica; cum hoc discrimine, quod quæ de grano, vino, fœno aliisque fructibus majoribus exhibentur, *majores;* quæ ex leguminibus et oleribus, *minores;* quæ ex prædiis autem recens excultis, *novales* nuncupantur. *Personales* persolvuntur ex rebus, quas sibi quisque opera et industria sua acquirit, v. g. negotiatione. *Mixtæ* oriuntur quidem ex rebus, sed fructum exhibentibus sola industria hominum, uti est fœtus pecorum, lac, lana [1].

302. Decimæ debentur ab omnibus, etiam principibus, et quidem ex fructibus integris non deductis expensis, ut docet Angelicus cum communi, et firmat jus [2]. Olim autem Episcopo solvebantur, qui eas ministris distribuebat; sed, facta bonorum divisione, de Jure communi ad Parochum pertinent: prædiales quidem Parochi sunt, in cujus territorio prædia existunt; personales vero sunt Parochi, a quo Sacramenta recipiuntur [3]. Verum hodie in pluribus locis decimæ non amplius solvuntur, idque rite, si ex legitimis initis conventionibus, ipsa ecclesiastica auctoritate probante [4]. Item ab hac obligatione solvi possumus *privilegio* R. Pontificis, qui habet supremam in res et personas ecclesiasticas potestatem. Item *præscriptione* et *consuetudine;* illa favet personis peculiaribus, ista integræ communitati; requiritur tamen, ut notat Monacelli, spatium 40 annorum.

303. Qui decimas fraudant, peccant contra religionem et justitiam.

1. Contra *religionem;* quia decimas præcepit Ecclesia etiam *in signum universalis dominii* [5], quod habet Deus; consequenter in Dei cultum. Imo censent Elbel, Lessius et Sporer decimas non solvere etiam sacrilegium esse; quia illæ sacræ sunt, cum sint bona Ecclesiæ: sed negant Croix, Palaus et Tamburini; quia decimæ, donec ab Ecclesia non possidentur, sacræ non sunt.

2. Contra *justitiam;* quia decimæ sunt justum stipendium debitum ministris Ecclesiæ; nam *quis militat suis stipendiis unquam? dignus est operarius mercede sua* [6]. Non ergo sunt puræ

1 *V.* De-Nicolis, *Adnotationes Theorico-practicæ* ad tract. *De decimis* Petri-Monetæ.
2 Cap. *Cum non sit de decim.* — *V.* Devoti, *Instit. Juris can.*
3 Ita sæculo XII Lucius III, cap. xx *De decimis.*
4 *V.* Canestri, *Giurisprudenza canonica del Piemonte*, c. v; et quoad redemptionem decimarum vide lex 24 jan. 1864; et dicenda Lib. II, n. 612.
5 Cap. *Tua nos* 26 *De decimis.* — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. xx, n. 85.
6 1, Cor. IX; Luc. X. — *V.* s. Thomas, *Quodlibet*, q. 5, a. 10; et 2, 2, q. 87, a. 3. Ad rem *Pontificale Romanum* (tit. *De Ecclesiæ dedicatione seu consecratione*, § 45) contra decimarum usurpatores illud profert d. Augustini (vel Cæsarii Arelatensis juxta alios): *si decimas dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis et animæ consequeris: non igitur Dominus Deus præmium postulat, sed honorem; Deus enim noster qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatus est*

eleemosynæ; ideo debentur etiam ministris divitibus, etiam improbis, cum officio suo funguntur. Hinc damnata est a Martino V in Concilio Constantiensi propositio: *decimæ sunt puræ eleemosynæ, et possunt parochiani propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.* Imo etiam de Jure divino solvendæ sunt, dicente Apostolo: *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* [1]. Hinc merito Tridentinum qui eas subtrahunt aut impediunt, sunt excommunicandi; nec absolvendi, nisi plena restitutione secuta [2].

Scholium. — *De Juribus Stolæ, Primitiis, Oblationibus et Obolo S. Petri.*

304. *Jura stolæ* sunt honoraria, quæ occasione functionum spiritualium in recognitionem jurisdictionis parochialis et pro parochorum maxime sustentatione penduntur. Primitus hæc donaria voluntaria erant, sed tractu temporis habita sunt ut partes congruæ sustentationis, et hodie generatim sunt de jure præstanda. Caveant tamen Parochi, in illis exigendis, ab omni avaritiæ et simoniæ specie, neque functiones ordinarias omittant ob denegata jura. Item ne taxam consuetudine vel lege inductam proprio marte immutent; sed si necessitas urgeat res tota componatur cum Episcopo, ne dissidiis et offensionibus detur locus [3].

305. *Primitiæ* sunt illi rerum fructus, qui Ecclesiæ, et Ecclesiæ ministris primæva ætate *tum* ad cognoscendum Creatorem, *tum* ad sustentationem ministrorum a fidelibus dabantur. De his meminit Origenes [4] et Irenæus [5], aliique. Sed post sæculum V ulla vix occurrit mentio [6]. Aliquod vestigium remansit in quibusdam montanis regionibus, in quibus incolæ aliquas offerunt Parocho vel Ecclesiæ, non tamen ex obligatione.

306. *Oblationes* munera sunt sponte Deo atque Ecclesiæ a fidelibus oblata. Ab *agapis* seu sacris conviviis, quæ Apostoli instituerant, repetendæ sunt; in illis enim singuli fideles panem ac vinum, aliaque afferebant ad Ecclesiam: porro panis vinique parte consecrata, reliquum in commune convivium conferebatur. Et huc spectat illud Pauli: *unusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum, et alius quidem esurit, alius autem ebrius est* [7].

recipere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Sed si tardius dare peccatum est, quanto pejus est non dedisse?...

Cum enim decimas dando et terrena et cœlestia possis præmia promereri, quare pro avaritia duplici benedictione defraudaris? Hæc est enim Dei justissima consuetudo, ut si tu illi decimas non dederis, tu ad decimam revoceris: dabis impio militi quod non vis dare sacerdoti; et hoc tollit fiscus quod non accipit Christus.

[1] I, Corinth. IX. [2] Sess. XXV, c. 12 *De R.*

[3] V. Aichner, *Compend. Juris eccles.* — Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIX*, t. I: *Considerazioni sui diritti casuali.* — Bouix, *De Parocho*, pars 4ª. — Synodus Novariensis taxam definit pro civitate et suburbiis, pag. 379.

[4] L. VIII contra Celsum. [5] L. IV contra hæreses, c. 15.

[6] V. *Institutionum Canonicarum libri quatuor* cl. episcopi Devoti, quibus expletissimæ adnotationes additæ sunt doctissimi discipuli, qui postea fuit Pius VIII, ut legere est in lib. *Memorie di Religione* ecc. Modena, vol. XV, pag. 242.

[7] I, Cor. XI. — *De Agapis* vide tract. *de Eucharistia* sub initio.

Inde natæ oblationes; quarum aliæ ad altare fiebant ad Sacrificium peragendum, et quod reliquum erat, cedebat clericis et indigentibus. Dein cœpit offerri pecunia, et sic tandem venit *onorarium* Missarum [1]. Aliæ pro arbitrio in Ecclesia deponebantur in ipsius Ecclesiæ usum aut in clericorum et pauperum alimoniam: ad hoc autem arca erat parata, quæ *corbona* hebraice dicebatur, cui postea suffectum est *gazophilacium*, seu locus ad recipiendas oblationes electus. — Aliæ pro uniuscujusque pietate dabantur, quando suscipiebantur Sacramenta, vel alia sacra officia peragebantur. Cum vero istæ darentur non tanquam prætium rerum sacrarum, sed in præmium laboris et tanquam alimenta, quæ Jus divinum Ecclesiæ ministris tribui vult; ideo anno 1215 Concilium Lateranense IV statuit, ut fideles eas oblationes præstarent, quas consueverant, et recusantes pœnis possent cogi ab Episcopo [2].

Cum autem videantur fideles oblationes facere propter curam animarum, hinc, si aliud non obstat, illæ cedunt Parocho loci [3].

307. De *oblationibus* in Oratorio rurali B. Mariæ vel alterius Sancti factis, vel alicui immagini miraculosæ, nulla portio debetur Parocho, uti declaravit S. Concilii Congregatio 22 apr. 1799; sed totum cedere debet ipsi Oratorio vel loco pro eo ampliando, ornando, etc. Sed superioris licentia aliquid de hisce oblationibus detrahi potest pro Ecclesia parochiali, si indigeat; æquum enim est ut filia matri indigenti succurrat. Si vero ex usu, vel aliquo signo pateat hujusmodi oblationes ad celebrandas ibi Missas esse destinatas, Parochi est invigilare, ut Missæ celebrentur eleemosyna ordinaria in loco designato [4].

Monitum gravissimum: Ad omnem malæ administrationis suspicionem cavendam, ne pigeat Parochos de iis, quæ Ecclesiis offerruntur, testes habere et rationem reddere: *metus deponant*, ad rem Benedictus XIV, *ne virtutis opinionem apud populum amittant, quæ profecto nunquam magis concitari in animis solet, quam si de congestis eleemosynis aperta fronte ratio persolvatur, ut palam constet, eas Parochorum commodo nequaquam tribui; sed piis operibus insumi, quemadmodum offerentes exigunt* [5]. Et Concilium Chalcedonense, quod memorat Gratianus [6], decernit, *ut nec sine testibus sit Ecclesiæ ministratio, nec ideo res ejus dissipentur, et probrum ac dedecus Sacerdotio inuratur.*

308. *Obolum S. Petri* definiri potest: *subsidium quod a fidelibus gratis tribuitur R. Pontifici tanquam successori divi Petri ad ejus angustias sublevandas.* Hoc tributum perantiquum est; nam Ina Angliæ rex anno 740 denarium ex singulis domibus regni sui b. Petro fertur concessisse, quod diu ab Anglis *romescet*, latine vero *denarius Petri* vocabatur [7]; sed mirandum, ex quo cessavit hoc pietatis ac religionis

[1] *V.* De-Berlendis, *Dissert. de oblat.* — Sala, *In not. Rerum Liturg. Bonæ.*

[2] Cap. XL *De simonia.* — *V.* L. Ferraris; V. *Oblationes, Primitiæ.*

[3] *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LXXII; et *De Syn.*, l. v, c. 8. — Barbosa, *De Off. Parochorum.* — Fagnanus, *In* c. IX *de his quæ fiunt.* — Canestri, *Giurisprudenza* ecc., c. VI. — Reinfestuel, De-Luca, etc. — Carrière, *De Justit. et Jure*, n. 184.

[4] Cerei in honorem Ss. Sacramenti, Beatæ Mariæ Virginis, vel alicujus Sancti oblati, accendi et cremari debent; et eorum reliquiæ, si quæ supersint, non in beneficium Parochi, sed in fabricæ Ecclesiæ utilitatem cedere debent. Unde neque sunt extinguendi, neque sunt sibi a Pastore arrogandi, cum talis offerentium non sit mens. Secus pastor et contra justitiam et contra religiosam pietatem peccaret. *Bouvier.*

[5] *Notificatione* LXXII. — *V.* Tarino, *Il libro del buon Pastore*, n. 57.

[6] *Dist.* LXXXIX. — Administratio oblationum quæ fiunt Oratoriis, immaginibus etiam in pariete domus pictis spectat ad Parochum; nisi aliter se habeat longa consuetudo, ut nempe illas colligant laici, ed administrent, uti alicubi fit; sed de illis nihil sibi appropriare possunt neque Parochus neque administratores. *Ferraris.*

[7] Baronius, *Annal.*, anno 740, n. 14.

vectigal, cœpit in eo regno grassari pestifera hæresis. — Neque in Anglia tantum, sed in Polonia, Dania, Hispania, Italia et alibi jam ab antiquis temporibus id obtinuit [1]: quod quidem et rationi et pietati congruum est, adeo ut nonnisi ingrate, impie ac sacrilege impugnari possit [2]. Et sane si filii (prout recte argumentatur Natalis Alexander) patri naturali subministrare debent alimenta, ut lex natura docet, utque jura omnia sanciunt, et filiæ tenentur alere matrem inopem secundum eadem jura; multo magis patrem et matrem spiritualem juvare debent filii spirituales, eisque temporalia subsidia non negare [3]. Legitima subsidia Ecclesiæ Romanæ et Summo Pontifici conferenda ipse Carolus VI Gallorum rex probavit, etsi non ita huic causæ affectus: *quod si* (inquit) *Ecclesia Romana ceterarum caput patrimonio, sorte aliqua, disturbabatur quominus ipso libere uteretur, ceteras monere debebat Ecclesias, excitare, adhortari et requirere de subsidio caritativo, quod eidem Ecclesiæ Romanæ annui posset ac deberet* [4].

Verum hæc subsidia erant potius tributa, quam largitiones, census potius quam dona; cum de necessitate essent Pontifici solvenda utpote lege constituta. At nos de iis subsidiis maxime loquimur, quæ omnino gratis tribuuntur: neque hoc novum est; Gallicani enim Episcopi inter ceteros jam ab anno 1164 collectam indixerunt enixe urgentes fideles suos, ut subvenirent de propria substantia Alexandrum III, qui ad tuendam Ecclesiæ libertatem multa passus erat ac debitis oneratus [5]. Sed omnium expectationem vincit quod nostris oculis videmus tot pecunias ac pretiosa quæque ultro erogata Papæ-regi, et quæ erogantur quotidie a paupere, divite, puero, sene et omni regione ac cœtu fidelium, nemine cogente, imo potius malis dissuadentibus, reclamantibus, minantibus. Qui omnes adimplent illud Scripturæ: *in opere et sermone et omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat* [6] *(OO).*

[1] V. Opusc. *Il Denaro di S. Pietro offerto a Pio IX.* Torino, 1861, tip. Ferrando.
[2] *V.* L'*Unità cattolica*, 18 mag. 1864. — *Armonia*, 4 e 5 sett. 1863.
[3] Natalis Alexander, *Histor. eccl.*, sæc. XV, dissert. IX, art. 6.
[4] Natalis Alex., *Histor. eccl.*, sæc. XV, dissert. IV, art. 5.
[5] Petrus Blessensis, *Epist.* CLXX. [6] Ecclesiast. III.

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM SECUNDUM.

(A) Pag. 124.

309. *Quid de legis nomine?*

R. Legis nomen varie sumitur, modo pro inclinatione ad aliquid juxta illud Rom. VII: *video aliam legem in membris meis.* Modo pro termino alicujus rei juxta illud Prov. VIII: *quando certa lege.... vallabat abyssos.* Modo pro conditione alicui adjecta, ut cum dicitur: *paciscor tecum ea lege, ut* etc. Modo pro opere a lege præscripto juxta illud Joann. VII: *nemo ex vobis facit legem.* Modo pro libro legem continente; sic dicitur *lex vetus, lex nova.* Sed proprie sumitur pro norma humanarum actionum. — *V.* Ferraris; V. *Lex.*

Notandum: 1) nonnunquam nomina *legis* atque *præcepti* promiscue usurpari: quo in casu non a nomine, sed a præfatis regulis attendenda erit differentia; neque enim nomina rebus, sed res nominibus vim tribuunt; 2) legem humanam pluribus aliis donari nominibus: vocatur *jus, constitutio, statutum, sanctio, edictum, decretum, rescriptum, mandatum, epistola, literæ, motus proprius, præscriptio,* etc. 3) communi usu inductum esse videtur, ut Episcoporum ordinationes datæ extra Synodum, ex se tunc tantum ut veræ leges habeantur cum omnes suos diœcesanos et clericos et laicos adstringunt: secus nonnisi ut præcepta reputentur quæ cessant, cessante officio ejus qui illa tulit. Diximus *extra Synodum;* nam quæ in Synodo sunt ordinationes, ut veræ leges habentur de se perpetuo duraturæ, etsi unum tantummodo personarum cœtum respiciant; cum in Codice legislativo contineantur. Diximus *ex se;* nam volunt etiam uti veras leges duraturas habendas esse etsi extra Synodum latas, quando audito Capitulo Cathedralis conditæ fuerunt. Ita Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. XIII, c. 5. — Plurimæ de Synodo Diœcesana notiones vide Lib. IV, App. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 6; et dicenda n. 821.

(B) Pag. 126.

310. Q. *Quot sunt Legis æternæ proprietates?*

R. Quatuor præcipuæ. *Prima*, quod Lex æterna plus vel minus ab hominibus sit cognita, non quidem in se ipsa, sed in ejus effectibus; sicut si quis ipsum non videat solem, sed ejus splendorem in cacumine montis (s. Thomas, 1, 2, q. 93, a. 2). Sane omnes cognoscunt aliqua eorum, quæ sunt participationes legis æternæ, ad minimum quantum ad principia communia honestatis.

Secunda, quod omnia in mundo eidem subjiciantur; sive sint creaturæ inanimes et irrationales, sive intelligentes et ratione præditæ: 1) intelligentes sive bene sive male agant; nam si bene, obtemperant legi æternæ et ordinem nanciscuntur divinæ bonitatis præmia largientis; si male, contemnunt utique divinam bonitatem, sed incidunt in divinam justitiam pœnas infligentem; 2) irrationales juxta illud Ps. XVIII: *fundasti terram, et permanet...; ordinatione tua perseverat dies; quoniam omnia serviunt tibi.*

Tertia, quod ceteræ leges ab ea dimanent. Naturalis quidem; quia hæc non est, nisi ipsius *legis æternæ in hominum mente facta transcriptio.* Divina-positiva; quia ex Angelico *oportet, ut altiori modo dirigatur homo in ultimum finem supernaturalem: et ideo superadditur lex divinitus data, per quam lex æterna participatur altiori modo* (l. XII, q. 91, a. 4). Humana demum tum quia nihil justi in humanis legibus esse potest, nihil firmi quod ab æterna non derivetur; tum quia ab æterna lege principes habent potestatem justa decernendi juxta Prov. VIII: *per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Porro triplici modo a lege æterna leges ceteræ dimanant: *a)* uti ab *exemplari;* cum nulla lex justa sit, nisi suum quasi exemplar imitetur æternam eique conformetur; *b)* uti a causa sui *efficiente*, quatenus omnis potestas inferioribus legislatoribus non datur, nisi per legem æternam; *c)* uti a causa *dirigente*, quatenus lex æterna, mediante lumine rationis vel fidei, præcipit ut aliquæ leges fiant, eæque tales pro diversitate temporum, locorum et personarum. Unde esto, quod non omnes legislatores humani condendo leges directe consulant legem æternam, ut sunt infideles; illam tamen considerant in aliquo quod de ipsa participat, et ipsam refert, ut est naturalis ratio.

Quarta, quod ipsa sit prima et sola actionum humanarum regula. Et sane extra Deum nulla est aut concipi potest norma, ad quam perpensæ humanæ actiones bonæ sint et honestæ; cum solus Deus sit radix et fundamentum totius bonitatis et honestatis. Si enim, dicente Augustino, lex æterna est *ipsa voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens et perturbari vetans*, nulla alia lex certo assignari potest super hanc voluntatem Dei (s. Thomas, 1, 2, q. 19, a. 4).

Ex quibus duo corollaria deducuntur:

1. Errant ergo toto cœlo politici illi, qui humanas *leges atheas* esse debere contendunt: sine Religione leges neque populos, neque principes ab iniquitate continere valent; non enim quod justum, sed quod utile ac delectabile homo Religione destitutus haberet pro objecto suarum operationum. Audiatur etiam Macchiavelli, *(Il Principe*, l. I), ubi ait: « L'inosservanza della Religione e delle leggi sono vizi tanto più detestabili, quanto che sono in coloro che comandano: è impossibile che chi comanda sia riverito da chi dispregia Dio. Se in tutti i governi della repubblica cristiana si fosse mantenuta la Religione secondo che dal Dator di essa ne fu ordinato, sarebbero gli Stati e le repubbliche cristiane più unite e più felici assai che non sono. Poter stimare poco Dio e meno la Chiesa, non è ufficio di uom libero, ma sciolto. Fra tutte le qualità che distinguono un cittadino nella sua patria, è l'essere sopra tutti gli altri uomini liberale e magnifico, specialmente ne' pubblici edifizi di chiese, monasteri, case pei poveri infermi e pellegrini. » — Semel posthabita Religione, imperantes haberent populum uti pecus, æstimantes eum sicut oves occisionis; et populus imperantes ut tyrannos. Audiatur non suspectus auctor Montesquieu: « Chi non ha Religione, è quel terribile animale, che non sente la sua libertà, se non quando sbrana e divora. Io non vorrei aver che fare con un principe ateo, il quale ove trovasse suo interesse nel farmi pestare in un mortajo, sarei ben sicuro che vi sarei pestato. Io non vorrei, se fossi principe, aver che fare con cortigiani atei, l'interesse de' quali fosse di avvelenarmi; chè mi converrebbe prendere il contravveleno ogni giorno. È dunque assolutamente necessario per i principi e per i popoli, che l'idea d'un Ente Supremo creatore, governatore, rimuneratore e punitore sia profondamente scolpita nelle menti. » (*Saggio delle leggi*, l. XXIV, c. 2.) — *V.* Feller,

Dizionario filosofico, art. *Atei;* — Alasia, *De Lege generatim;* — Ventura, *Saggio sul Potere pubblico*, c. II, § 6: *Sulla necessità dell'influenza della Cattolica Chiesa sulla legislazione dei popoli cattolici;* — C. Cantù, *Chiesa e Stato*, dissert.; — Ferraris; V. *Religio revelata;* — Franco, *Risposte* ecc.; — La *Civil. Catt.*, ser. 1ª, t. I, 7: *Lo Stato separato dalla Chiesa.*

« Popoli senza Dio non si governano, si mitragliano » (diceva Napoleone I).... *È la virtù*, insegna Platone, quella sola *che produce le ricchezze, ed ogni altro ben pubblico e privato* (Apol. Socr.). *Noi* (soggiungeva l'Oratore di Roma), *inferiori agli Spagnoli per il numero, ai Galli per la forza, ai Cartaginesi per l'astuzia, ai Greci per le arti, abbiamo elevato al più alto segno la patria, per aver tutti avanzati nella pietà, nella sapienza, nella religione.* (Orat. *ad Arusp).* — V. *Rivista universale*, anno 1867, art. *Potenza della virtù sulle nazioni.*

2. Errant qui ad rationem legis æternæ volunt, ut assignetur ipsa *ratio, ob quam voluntas Dei jubet ordinem naturalem conservari et hunc perturbari vetat, idest ipsa natura boni et mali prout est in se et Dei voluntatem præcedens.* Nam (præterquamquod ex vulgari Juristarum adagio *ratio legis non est lex)* ratio divinæ sapientiæ, in qua existit lex æterna, habet ex d. Thoma (1, 2, q. 93, a. 1) rationem artis vel exemplaris vel ideæ eorum omnium, quæ creata sunt; adeoque in ipsa præexistit ratio eorum quæ agenda sunt. Jam vero quidquid malum est, suapte natura tale est, quia natura sua ordini repugnat; ordo ergo intelligitur esse prior ipso malo. Omnis autem ordo præexistit in ratione divinæ sapientiæ; igitur nihil est malum, nisi quatenus rationem divinæ sapientiæ repugnat; et quod suapte natura malum a Deo agnoscitur, tale ab ipso agnoscitur; quia id videt Deus suis perfectionibus, suæque sapientiæ, secundum quam omnia sunt ordinata, repugnare. Non est igitur lex æterna libera quædam Dei voluntas... sed ipsa incommutabilis ratio divinæ sapientiæ, prout omnia dirigit ac movet ad debitum finem, ut ait idem s. Doctor, qui propterea eidem difficultati sapientissime occurrit his verbis: *dicendum quod cum dicitur, quod non omne peccatum ideo est malum quia est prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per jus positivum. Si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primo quidem in lege æterna, secundario vero in judicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum* (1, 2, q. 71, a. 6). Hactenus Gerdil contra l'Herminier, *Theol. Mor.*, l. IV *De pecc.*, p. 1ª.

Pius IX plures de Ethica naturali et christiana errores insectatus est in suo celebri *Syllabo* (§ 7), quem inconsulti homines, bestias Apocalypsis referentes, frustra cornibus incursant.

(C) Pag. 129.

311. *Si hominis libertas præcedit legem æternam ac naturalem, nascitur homo a Deo plane independens.*

Responsionem præbet s. Alphonsus: « Rispondiamo, e per ispiegarci più chiaramente, avvagliamoci di un esempio triviale: un Moro è venduto schiavo ad un cristiano; il Moro è tenuto ad ubbidire al padrone in quelle cose che gli comanda; ma se il padrone non gli dichiara quello che vuole, ma lo tiene occulto nella sua mente, è tenuto lo schiavo ad eseguirlo? Questo è il caso nostro: noi diciamo che l'uomo non già nasce libero ed esente da ogni legge: nasce subordinato a

Dio suo creatore ed obbligato ad obbedirlo in tutti que' precetti che vuole imporgli; ma finchè Iddio non gli fa conoscere i suoi voleri, come può essere tenuto l'uomo ad eseguirli? » Dein subjungit: « Egli (l'uomo) nasce suddito, dipendente ed obbligato ad obbedire a tutti i precetti che Iddio gl'impone; ma acciocchè tali precetti lo leghino, debbono essergli applicati colla promulgazione formale del precetto, la quale si fa appunto, quando il precetto gli è manifestato per mezzo del lume della ragione: sintantochè il precetto non gli è fatto noto, l'uomo possiede la sua libertà donatagli da Dio, la quale essendo certa, non resta legata se non da un precetto certo. » *(Apolog. e confut.*, t. II.)

Saltem (addes) *negari non poterit humanam libertatem præcedi ab ipsa ratione hominis naturali.*

Item, loco citato, s. Alphonsus: « Per vedere se la ragione preceda o no la libertà, bisogna vedere che cosa intendasi sotto nome di ragione: se s'intende il raziocinio, ossia la facoltà che ha l'uomo, quando giunge all'uso di ragione, di saper discernere le cose vere dalle false, concediamo che questa sorta di ragione precede la libertà e la volontà; ma questa ragione nulla toglie alla libertà dell'uomo. Se poi per ragione s'intende l'attuale discernimento retto della verità, allora neghiamo, che tal ragione posseda prima della libertà, perchè tal ragione non lega la libertà, se non dopo che gli è manifestata colla di lei cognizione. Ed in tal senso solo diciamo che l'uomo anche dotato di ragione, ma secondo il primo senso, nella mente divina è stato contemplato antecedentemente alla legge. »

(D) Pag. 129.

312. *Si præcepta naturalis legis obligant independenter a lege scripta, eccur* (inquies) *Deus per Moysen præcepta Decalogi promulgavit?*

Audiatur s. Alphonsus *(Apologie* ecc.): « È vero, che anche i precetti naturali furono pubblicati da Mosè colla legge scritta del Decalogo; ma prima di questa legge scritta vi era già per gli uomini, nello stato della legge di natura, la legge naturale divina, scritta (come dice s. Paolo) ne' cuori degli uomini, colla quale ben potevano conoscere quel che per sè era male o bene. Ma poichè trascuravano essi d'indagare questa legge (acciocchè non si lamentassero, dice s. Agostino, che mancasse loro qualche cosa per ben conoscere quel che dovevano fare o evitare) Iddio a Mosè in due tavole scrisse col suo medesimo dito divino quella legge che stava già scritta ne' loro cuori. » Ideo qui violat legem naturæ per Decalogum cognitam, gravius quidem peccat, quia graviorem Deo injuriam irrogat; sed non committit duo peccata. Decalogus dicitur a græco *deca* decem et *logos* sermo, quasi decem sermones Dei contineat. Cum autem Deum et proximum respiciant, ideorecte Christus (Matth. XXII) totam Decalogi substantiam ad Dei ac proximi amorem reduxit. S. Thomas (1, 2, q. 100, a. 3) exponit quomodo omnia præcepta naturalia in Decalogo contineantur.

Sed (quæres) *legis naturalis obligatio orituine ab ipsa rerum, vel entium natura independenter a Deo Creatore et Legislatore?*

R. Fuit olim opinio alicujus auctoris (nempe Vasquez, teste s. Alphonso), *naturam ipsam rationalem esse primam moralis honestatis regulam per se et independenter a Deo Legislatore, ita ut ex conformitate vel difformitate ad illam tota desumenda esset honestas et pravitas humanarum actionum, absque ullo respectu ad voluntatem Dei Creatoris et Legislatoris.* Sed hanc sententiam Suarez et Du-Hamel cum aliis communissime declaraverunt falsam, et alienam ab omnibus

Theologis atque Philosophis. Doctrina est Angelici, leges omnes (et ideo earum obligationem) non aliunde oriri, quam a lege æterna Dei: lex autem æterna Dei, ex Augustino, *est ipsa ratio divina et voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans* (Contra Faustum, l. XII, c. 27). Hinc ipse s. Doctor sic peccatum definivit: *dictum vel factum vel concupitum* (non contra naturam entium rationalem, sed) *contra legem æternam Dei.* Quæ vocabula perpendens Angelicus ait: *s. Augustinus in definitione peccati posuit duo: unum quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato, cum dixit:* dictum vel factum vel concupitum; *aliud autem quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dixit:* contra legem æternam (1, 2, q. 71, a. 6).

Ex quo concludebat Alphonsus noster: « Dunque tutta la ragione del peccato non nasce dalla natura stessa; ma nasce dall'esser contrario alla legge eterna. Non è la natura, che forma la legge e la misura dell'onestà; ma è quella legge, che Iddio ha dato a' subbietti di ciascuna natura. La legge naturale non nasce dalle stesse nature degli enti ragionevoli, come suppongono certi autori, ma nasce dalla legge eterna. » (*Apologie e Confutazioni* ecc. t. II.) Ubi notamus, quod decipiuntur vel decipere volunt qui dicunt hanc fuisse quæstionem, quæ tantopere agitata fuit inter Sanctum nostrum et Patuzzi: iste imo expresse cum illo hac super re consentit inquiens: *falsa est sententia patris Vasquez asserentis naturam ipsam rationalem esse primam moralis honestatis regulam, ita ut ex conformitate vel difformitate ad illam tota desumatur honestas et pravitas humanarum actionum; hæc inquam, sententia falsa est.* (Theol. Mor. *De Legib.*, c. V.)

Si ita est (inquies), *qui violat legem naturalem absque ullo respectu ad Deum Legislatorem ejusque contrariam voluntatem, nullo modo peccat?*

R. Utique, si suppositum admitti posset: *si posset esse conversio ad bonum commutabile*, inquiebat Angelicus, *sine aversione a Deo, quamvis esset inordinata, non esset tamen peccatum mortale* (2, 2, q. 20, a. 3). Sed hæc hypothesis a ss. Patribus atque Theologis habetur uti absurda et impossibilis. *Ego rectam rationem nego* (ait Berti), *quæ non sit cum participatione legis æternæ; et cum participatione legis æternæ nego posse dari invincibilem Dei ignorationem.* Hinc. s. Alphonsus: « Non può comprendersi, che una cosa sia conforme o contraria alla retta ragione, se non si comprende quella ragione come procedente da Dio. Io pur considerando il peccato come offesa di Dio, che è somma bontà e mio Signore, che mi ha creato, redento e da cui ho ricevuto tutto, col suo ajuto ben posso concepirne un vero pentimento; all'incontro non saprei concepire questo vero pentimento, considerandolo come mera offesa della natura che non è mia signora nè mi ha creato, nè redento, e da cui non ho ricevuto alcun bene, mentre quanto ho, tutto lo riconosco da Dio. » Audiatur etiam Auctor, *Saggio intorno al Socialismo ed alle dottrine e tendenze socialistiche:* « Perchè l'uomo si dica oprar *moralmente*, non basta che concepisca un ente; ma conviene che abbia l'idea precedente di una legge. Chi non ha concepito precedentemente al suo operare una legge, non può formarsi il giudizio pratico della sua azione; cioè se dessa sia conforme o difforme alla legge pria concepita e conosciuta, e così non potrà mai dirsi oprar *moralmente:* il concetto dell'entità dell'ente percepito, astraendo dall'idea di una legge, non basta a formar quel giudizio pratico che chiamasi *coscienza.* L'esistenza degli enti percepiti non è una legge, è un fatto soggettivo e nulla più: l'entità dell'ente percepito non è nè può essere mai la norma del giusto e dell'ingiusto. »

La morale, dicono i nostri filosofi increduli, deve essere fondata sulla natura stessa dell'uomo e non sulla volontà di Dio (apud Bergier, *Dizionario;* V. *Morale, Bene* e *Male morale).* — Sed respondet laudatus Auctor: « Noi crediamo, che come non avremo mai morale cristiana, se non per quanto è conosciuto il Dio de' cristiani, così non avremo nemmeno la rozza morale dei barbari, se almeno in confuso non è nello spirito l'idea del Grande Spirito o altro simile concetto indicante un essere superiore all'uomo ed imperante. » V. nostra *Ethica seu Philosophiæ moralis Elementa in usum Scholarum clericalium.*

(E) Pag. 137.

313. Ecclesia est societas visibilis, in se ipsa perfecta, completa, per se stans, distincta, specialis, independens, atque inæqualis seu verus Status, id est plurium consociatio cum relatione subjectionis ad alterum (non vero unio æqualium, seu sociorum inter se sine subjectione, et in qua singulis membris æqualia competunt jura). Patet ex illis Christi verbis tum ad Petrum: *tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam;* tum ad omnes Apostolos: *sicut misit me Pater, ita ego mitto vos; si Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam ethnicus et publicanus; quæcumque ligaveritis* etc. Ex quibus patet Ecclesiæ convenire dotes perfectæ societatis quæ sibi sufficit. Communitas enim seu societas a p. Ventura definitur: « La concordia delle intelligenze unite fra loro per mezzo della sottomissione al medesimo potere, pel fine della loro conservazione e del loro perfezionamento. » Et duplex distinguitur, *perfecta* et *imperfecta. Perfecta* est quæ est sui juris in potestate sua, quæque sibi sufficit ad finem suum obtinendum, quia libere uti potest omnibus mediis necessariis etiam coactivis ad illum consequendum. *Imperfecta* est quæ ad finem suum per se non sufficit, sed ad hoc alterius communitatis præsidio indiget, ut sunt collegia, familiæ, parœciæ (*Saggio sul Potere pubblico*, v. I. c. 1). Ex quibus etiam constat:

1. Quam turpiter errent Protestantes, qui ut Ecclesiæ denegent facultatem ferendi leges, eam esse dicunt instar collegii in republica et ab ipsa indistinctam; utriusque enim potestatis suæ sunt partes: una nempe curat civium commoda, altera res sacras atque divinas. Unde falsum quoque, quod sit Status in Statu; cum duo sint Status, uterque diversi generis, uterque cum sua provincia, uterque suos habens fines. Sive melius: Ecclesia est in Statu non quasi res Status, sed ut dirigat qui in Statu sunt; Status autem est in Ecclesia, ut legibus Ecclesiæ subdatur. — *V.* Riccardi, *Gemiti* ecc. *Convers.* VI. — Audisio, *Introd. agli studi* ecc., lib. IV. — La *Civiltà Catt.*, serie 1ª, vol. I. — Lib. cui titulus *De l'Autorité des deux Puissances.* — *Della Pace tra la Chiesa e gli Stati*, per mons. Sibour, Parigi, 1844, de quo plura referunt *Annali religiosi*, serie 2ª, vol. I, pag. 94. — Sarnelli, *L'Autonomia della Chiesa dallo Stato*, Napoli, 1867; — Vecchiotti, *Instit. can.*, l. IV, c. 7: *De potestate Ecclesiæ.* — Franco, *Risposte* ecc. — Tarquini, *Juris eccl. publ. Institutiones*, n. 40.

2. Quam etiam sit absurdum eorum commentum, qui discrimen civilem inter et ecclesiasticam potestatem sic statuunt, ut una corporibus, altera animis dumtaxat debeat imperare. Utique una curat res civiles ac temporalem hominum felicitatem; altera res sacras atque animarum salutem. Sed cum utraque toti homini sit data, totum hominem sub diversa ratione ligare omnino debet. — *V.* Diatr. *De Eccl.*

potestate, Romæ editam 1774. — Sed nullibi melius de finibus utriusque potestatis, quam in Bulla *Unam sanctam* Bonifacii VIII. — It. Audisio, *Diritto pubblico della Chiesa*, t. I. — Suarez, *Defensio Fidei cath.*, l. III, c. 6. — Devoti, *Instit. Can.* — Et nostrum *Novum Manuale Compendium Juris canon.*, ubi fuse actum est. Plures errores de Ecclesia, ejusque juribus damnantur a Pio IX, in *Syllabo* propositionibus 19 et seqq.

(F) Pag. 137.

314. Jansenistarum vestigiis inhærere videntur qui Pontificem Maximum solent appellare *primum Christi Vicarium* in terris. Præiverat tali vocabulo Quesnellus in sua fidei professione: subsecuta est Schismatica Ecclesia Ultrajectensis in suo quodam Conciliabulo: hanc demum imitatus est Pistoriensis episcopus Ricci auctor damnatæ Pseudo-Synodi omnibus notissimæ. At non ea usus est voce inter ceteros d. Bernardus, a quo Summus Pontifex appellatur *unus Christi Vicarius; Pastor unus ovium et Pastor omnium. Tu es* (sic alloquebatur Eugenium III) *cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii Cœli Janitores et gregum Pastores; sed tu tanto gloriosius quanto et differentius utrumque præ ceteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singulis singulos: Tibi universi crediti, uni unus. Non modo ovium, sed et Pastorum unus omnium Pastor.* — V. *Dizionario Ricciano ed Anti-ricciano;* V. *Primo Vicario, Vicario.*

Pontificis jura fuse prosequitur: Roccaberti, *Bibliotheca maxima pontificia.* — Trama, *Il Viaggio di s. Pietro a Roma ed il suo primato nella Chiesa, difesi contro i sofismi e le calunnie di un anonimo.* 1866. — Salzano, *Lezioni di Diritto pubblico* ecc., v. II, lez. III. — Passaglia, *Commentarium de prærogativis b. Petri Apostolorum Principis auctoritate divinarum literarum comprobatis.* Ratisbonæ, 1850. — Barruel, *Sul Papa e suoi Diritti religiosi*, p. II et III. — Liguori, *Dissertatio de infallibilitate Papæ*, l. I, nn. 110 et seqq. — Muzzarelli, *Il buon Uso della logica;* Opusc. III et XIV. — Gregorio XVI, *Il Trionfo della S. Sede.* — *Analecta Juris pontificii.*

Nobis satis sit cum s. Salesio *(Delle regole della Fede)*, adnotare nomina præcipua, quibus R. Pontifex et Romana Sedes a tota antiquitate donatur. Vocatur: *Petri cathedra, Ecclesia principalis, Exordium unitatis sacerdotalis, Vinculum unitatis, Ecclesia in qua est potentior principalitas; apostolico culmine sublimatus, dignitate Aaron* a s. Cypriano; *Sacerdotii sublime fastigium* a s. Iræneo; *Ecclesiæ radix et matrix* a s. Anacleto; *Sedes, super quam Dominus universam construxit Ecclesiam* a Damasceno; *Cardo et caput omnium Ecclesiarum* a Marcellino I; *Episcoporum refugium* a Synodo Alexandrina; *Summa Sedes Apostolica* a s. Athanasio; *Caput pastoralis honoris, principalis apostolici Sacerdotii dignitas, Caput omnium Ecclesiarum, prima Sedes omnium* a s. Prospero; *Caput orbis et mundi religionis, Sacerdos magnus* ab imper. Valentiniano; *Ceteris prælata Ecclesia* a Victore Uticensi; *Ecclesia præsidens* ab imper. Justiniano; *Prima Sedes a nemine judicanda, universalis Patriarcha* a s. Leone Magno; *Tutissimus communionis catholicæ Portus* a Synodo Romana; *Fons apostolicus* a s. Ignatio; *Sanctissimus Ecclesiæ catholicæ Episcopus, sanctiss. ac beatiss. Patriarcha* a Synodo Sinuessana; *Caput orbis Ecclesiæ* ab Innocentio; *Apostolicæ cathedræ principatus, beatissimus Dominus* a s. Augustino; *Pater patrum, summus omnium Præsulum Pontifex, Summus Sacerdos, Princeps Episcoporum, ordine Melchisedech* a Concilio Chalcedonense; *Rector domus Domini, vineæ custos Dominicæ; Christi Vicarius, fratrum*

confirmatio a Concilio Carthag.; *Princeps Sacerdotum* a s. Stephano; *Patriarchatu Abraham* a s. Ambrosio; *Director discipulorum, conservator clavium regni Dei* a s. Cyrillo; *Os discipulorum, anima Ecclesiæ, fidei basis, fundamentum confessionis Christi* a s. Chrysostomo; *Hæres Apostolorum, primatu Abel, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus, ovilis dominici pastor, claviger Domus Domini, Pastor Pastorum omnium, in plenitudine potestatis vocatus* a divo Bernardo; etc.

315. Hic, ut cetera mittamus, eos probare hanc possumus ætate nostra sciolos, superbos et irreligiosos homines, qui nedum parum curent, imo passim irrident et de superstitione incusant usum *deosculandi pedes R. Pontificis*, hac in re blateramentis hæreticorum se subscribentes. Qui sane vivam habent fidem, talem usum laudabilem profitentur, utpote filialis obsequii signum. Pontificem veneramur, quia visibile Ecclesiæ caput, quia supremi Sacerdotii ministerium sortitus est: quod sane per intellectum non fingitur, cum veraciter Papa sit Christi Vicarius. Quod antiquitate commendatur; primi namque fideles Episcoporum pedes venerabundi deosculabantur, teste Hieronymo *(Epist. ad Pammac.)*; et Sulpitio *(Dial.* II *apud Dipomanum)*. Et populus et clerus, scribit Anastasius *(In vitis Pontificum)*, Leone IV electo, pedes deosculabantur: *qui morem conservantes antiquum, omnes ejus osculati sunt pedes.* — « Il Nauclero, nel libro *Della Monarchia Ecclesiatica*, dice, che l'imperatore Costantino baciò i piedi a s. Silvestro Papa; che l'imperatore Giustino I li baciò a Giovanni; che Giustiniano a Costantino Papa nel 708... Essendo stato eletto Pontefice Valentino nel 827 gli abitanti di Roma corsero in folla a baciargli i piedi in San Giovanni Laterano. Sinigolfo principe di Benevento nell'844 baciò il piede a Papa Sergio II, e dopo lui molti Re ed Imperatori s'umiliarono similmente a diversi Papi; e l'imperatore Carlo V li baciò a Clemente VII ed a Paolo III; e il re di Napoli a Benedetto XIV, e tanti altri sovrani a' Pontefici de' tempi nostri. » *V.* Lunadoro, *Relazione della Corte di Roma...* illustrata da Antonio Zaccaria. Roma, 1824, t. I.

Qui mos videtur a Deo ipse præordinatus illis verbis Is. LX: *venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum.* Imo hunc ritum laudavit Christus, dum ait Luc. VII: *osculum mihi non dedisti; hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.* Cum itaque Summus Pontifex sit Christi Vicarius, optimo jure hoc obsequii genere honorandus est. Adde: ex quo Crux in calceis efformetur, pedis deosculatione non tam honor Papæ defertur quam cruci; et adeo ut Pontifex non glorietur cum Apostolo, *nisi in cruce Domini N. J.* (Gal. VI). Neque fœdat hoc triumphale signum ad pedes dejiciendo; in omni enim Papæ vestium ornatu Crux refulget. — *V.* Liberius a Jesu, *Controversiarum scholastico-polemico-historico-criticarum*, t. V: *De Ordine;* — Margotti, *Roma e Londra;* Documenti, in fine; — Stevano, *De adoratione et osculatione pedum S. Pontificis;* Romæ, 1588; — Mennini, *Quadro storico-polemico delle osservazioni e dei riti del Culto cattolico;* Orvieto, t. I; — D'Avino, *Enciclopedia dell'Ecclesiastico*, V. *Bacio del piede.*

Quid nunc dicendum est de catholicis illis (forsan etiam ecclesiasticis) qui certo, ut R. Pontificis auctoritatem infirment, et quæ ei debetur reverentia et amor, ad nauseam usque vel ipsis laicis hominibus insinuare non desinunt, nihil humani a RR. Pontificibus alienum fuisse, sæpe etiam de pastoribus in lupos mutatis?

Audiant isti sacrilegi, atque animarum fidelium interfectores, Tullium Dandolo, qui in Opere, *Ricordi inediti di Girolamo Morone gran*

Cancelliere dell'ultimo Duca di Milano, sul decennio dal 1520 *al* 1530, ecc. Mil., tip. Pogliani, 1855, pag. 35, ait ad rem: « Rimproveriam pure all'uomo le colpe dell'uomo; ma rifiutiamoci ad imputare a' Papi nella lor qualità di Sommi Pontefici, ciò che non ha correlazione con siffatto augusto carattere; confortati e fidenti che il Redentore non derelisse in balia della fralezza umana l'eterno suo Vero. I pochi Papi, che la storia pinge uomini malvagi, nemmen essi fuorviarono in fatto di dottrina; e sì che nel pervertimento delle dottrine avrebbono di leggeri (come fecer i Patriarchi Costantinopolitani) potuto cercare assoluzione e giustificazione dei pervertiti costumi. Sono soli otto i nomi messi comunemente fuori a disonor della Tiara: Sergio III, Giovanni XI, Giovanni XII, Benedetto IX, Sisto IV, Innocenzo VIII ed Alessandro VI (sunt qui addunt Bonifacium VIII, cum Doelinger; sed vide card. Wiseman, *Difesa di vari punti della vita di Bonifacio VIII;* et Tosti, *Bonifacio VIII:* qui merito hunc Pontificem defendunt genuinis historiæ monumentis). Potremmo a buon dritto escludere dal brutto elenco quei due primi, che la storia ha omai rimondi dalle calunnie di Luitprando; anco su qualcuno degli ultimi ci avremmo a dire. Meniam buono non ostante quel numero agli avversari del Papato; considerando che i Romani Pontefici sommano dugentosessantuno, avvertiremo che per un tristo contaronsene dunque trentadue buoni, mentre nel consesso degli Apostoli v'ebbe un traditore su dodici. Annoteremo in appresso che il rapporto della bontà alla malvagità avanza, appo i Papi, del decuplo il riscontrabile in qualsivoglia miglior dinastia di Principi antica o moderna. Son calcoli di una statistica storico-morale accessibili a chiunque. » It. vide ejusdem Opus, *Roma e i Papi*, v. 1, § 22; — La *Civ. Cattolica*, ser. 7ª, t. 1: *I calunniatori di Sisto IV;* — Torry, *Storia di Papa Alessandro VI.* Torino.

(G) Pag. 139.

316. Regium placitum: et antiquitati ignota et Ecclesiæ injuriosa et ejus potestati læsiva est illorum politicorum doctrina, qui volunt Ecclesiæ leges esse *regio placito* jure submittendas, ut vim habeant suam. Hanc limitationem non imposuit Christus rectoribus ac pastoribus suæ Ecclesiæ, neque laicales potestates judices ecclesiasticarum constituit. Sane ex historia constat, ante schisma sub Urbano VI exortum, nullum vestigium placiti adesse; sed eo tempore, ut veri Pontificis constitutiones discernerentur a falsis et falsorum Paparum Bullis, ipsi Urbano pernecessarium visum est ut Episcopi de quibusvis Decretis pontificiis, an legitima forent ante judicarent, quam executioni mandarentur. Verum principes quoque, ne populi a Pseudo-pontifice deciperentur, prævio Bullarum examine cavendum sibi duxerunt. Quæ rationes cum hodie cessaverint, ideo et placitum cessare deberet; et revera Pontifices plures contra illius usum reclamarunt, uti videre est apud Walter. Et Pius IX in suo *Syllabo* damnavit hasce propositiones; n. 20: *ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu;* n. 28: *Episcopi sine gubernii venia fas non est vel ipsos apostolicas Literas promulgare;* n. 29: *gratiæ a Romano Pontifice concessæ existimari debent tanquam irritæ, nisi per gubernium fuerint imploratæ;* n 41: *civili potestati vel ab infideli imperante exercitæ competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant* exequatur, *sed etiam jus* appellationis, *quam nuncupant* ab abusu; it. vide propositiones sub nn. 39, 44, 49 et seqq.

« Il *regio placet* nacque quattordici secoli dopo la fondazione della Chiesa;.... e in tanti secoli nessuno dei governi politici si era mai accorto *che il placet*, secondo la bella scoperta del Van-Espen e soci, era un diritto a sè naturalmente ed intrinsecamente inerente!!! » Ad rem Tarquini, *Del Regio Placet*, dissertazione. Roma, 1852; tip. Camera Apost. — Ferraris; V. *Placitum regium.* — Mons. vescovo di Mondovì, *Il decreto Pisanelli sul R. Placito esaminato al lume della verità ;* item: *Origine e Vicende del R. Exequatur nei dominii della R. Casa di Savoja, ossia Norma storico-canonica sull'intelligenza e valore del decreto Pisanelli 4 marzo* 1863. Torino, 1863. — Margotti, *Processo di Nuytz;* — *Civiltà Cattolica*, ser. 1ª, t. VIII: L'*Exequatur nelle dottrine ;* — Martinet, *Filosofia del Catechismo:* Comand. della Chiesa. — Franco, *Risposte popolari alle obbiez.* ecc. — Opus, *Ragioni della Sede Apostolica nelle presenti controversie colla Corte di Torino.* Roma, 1732, vol. II, par. 2ª, c. 2: L'*Exequatur* ecc. — Zaccaria, *Antifebron. vindic.*, diss. XII. — Et nostrum *Novum Manuale Compend. Juris,* ubi plura ad rem.

317. Ad labefactandam Pontificiam auctoritatem falsi juristæ argumenta desumunt maxime ex Operibus Van-Espen canonistæ Lovaniensis (+ 1728), ac Justini Febronii, qui vero nomine est Joannes Hontheim Treveritanus, episcopus *in partibus* (+ 1790). Nil mirum, si tot falsa proferant; arbor mala non potest bonos fructus facere.

a) « Il più grande propugnatore del *placet* (ait de illo primo Tarquini) è Bernardo Van-Espen, vecchio giansenista, morto nello scisma; cui la setta pose in altissimo grido di sapere, e la bonarietà di alcuni vi presta ancor fede, e lo studia e lo cita *honoris causa:* uomo, che ove trattasi di oppugnare i diritti pontificii, lo trovi sempre in prima fila, non a visiera alzata, chè le regole della setta nol comporterebbero, ma coperto a più mani d'infingimento: architetto di fraudi e di lacciuoli i più fini; grande raccoglitore di antichi monumenti, e di ciò gliene danno gran lode, e non sanno che degli antichi monumenti è impudente adulteratore: è il peggiore dei Canonisti. »

b) De alio scribit Feller, *Dizionario storico* ecc. V. *Hontheim*: « Ciò che Bergier vi dice delle contraddizioni di Febronio e della sua confutazione per sè stesso (se ipsum enim retractaverat, sed ita ut suos errores confirmare videretur), è vero al punto che passa ogni rassomiglianza per chiunque non ebbe il tempo di annojarsi svolgendo la pesante rapsodia. Incontrarsi ad ogni pagina il *sì* ed il *no* pronunciato nel modo più decisivo; il lettore attento che vede tutto ciò, non sa che pensare; teme l'illusione e diffida dei propri occhi, finisce col deplorare l'accecamento, in cui le passioni precipitano lo spirito umano. » *Ut quid ergo adeo a nonnullis celebratur?* Questo fenomeno (addit Feller) non ha nulla di sorprendente per quelli che conoscono come si fanno le riputazioni, e che il miglior mezzo di farsene una sicuramente e prontamente è di attaccarsi a qualche fazione potente ed esaltata. Ora è ciò che fece Febronio adulando la numerosa coorte dei nemici della Santa Sede, e particolarmente i Giansenisti. »

318. Q. 1. *Quid si alicubi regium placitum legitime vigeat?*

R. Etiam iis in regionibus, ubi Pontifices concesserunt, ut ipsorum decreta nonnisi post principis acceptationem seu visionem publicentur et obtineant, placitum hoc non requiritur in rebus fidei ac morum. Harum enim rerum potestas est Ecclesiæ intrinseca et independens cum ejus tantum sit docere, regere et pascere fideles salutaribus pascuis, a noxiis eos arcendo. Hinc in Regno Pedemontano § 3 Instru-

ctionis Benedicti XIV habetur: « Nel Concordato col Pontefice Benedetto (XIII) trattossi dell'esecuzione dei Brevi e Bolle Apostoliche. Fu tollerata la semplice visura, senza porre alcun segno, o fare alcun decreto in ordine all'esecuzione sopra dette Bolle e Brevi; e si sa che tutto è stato fedelmente adempito. E benchè si dica con ogni asseveranza e si creda che nè il Senato, nè verun altro Tribunale non ha assunta ad istanza di chicchessia la cognizione sulla giustizia o pretesa ingiustizia delle Bolle o Brevi; desiderandosi nulladimeno, che il tutto mai sempre proceda con una perfetta armonia, quando mai s'incontrasse qualche difficoltà contraria all'esecuzione delle Bolle o del Breve e si bramasse di saperne i motivi, dovranno i Ministri di Sua Maestà, con i schiarimenti bastevoli per appagare, informare o il Ministro della Santa Sede residente in Torino, oppure i Ministri Apostolici residenti in Roma. »

En quo tandem reducitur *regium placitum* in justitia sistendo, et mutuo initis conventionibus. Imo vel ab ipsa *simplici visione* nonnulla exempta esse debent, ex eadem Instructione ac Concordato: « Dalla semplice visura poi resteranno eccettuate le Bolle dogmatiche in materia di fede; le Bolle ed i Brevi regolativi del ben vivere e dei santi costumi; le Bolle dei giubilei e d'indulgenza; i Brevi della Sacra Penitenziaria, e le Lettere delle Sacre Congregazioni di Roma che si scrivono agli Ordinari od altre persone per informazione. » Hinc mirum, quod alicubi nequiverit publicari dogmatica Bulla de Immaculato Virginis conceptu, sine prævia gubernii approbatione ac licentia. Hinc probrosum, ut tot difficultates perquirantur, emittantur quoad Pontificum Decreta, ubi pestilentissima quæque in lucem edi permittuntur quotidie cum tanta animorum ac civilis societatis pernicie; dum in Patrem adhibetur sevities, malis omnibus omnis conceditur licentia!

319. Q. 2. *Quid de privatis illis qui, ut se servent indemnes, ad gubernium pro regio placet seu exequatur recurrunt, etsi illud in regione illa legitime non vigeat?* — Ex S. Pœnitentiaria 10 dec. 1860 personæ illæ non sunt inquietandæ; verum Ordinarii in hac re quantum poterunt passive se habeant, et si a gubernio super hujusmodi petionibus interrogati fuerint, juxta leges justitiæ et ad formam ss. Canonum sententiam suam patefaciant.

Q. 3. *Deficiente placito ubi viget, vel eo denegato, an lex Pontificia nullius roboris sit habenda etiam quoad illos, ad quorum notitiam illa lex pervenit.*

R. Cum Vecchiotti: *plura in utramque partem dicta sunt. Qui affirmativam tenent sententiam præcipuum argumentum arguunt ex eo, quod placitum regium per pactum conventum necessarius efficitur promulgationis modus, quo deficiente, lex non existit utpote quæ caret promulgatione. Qui negativam sequuntur sententiam validioribus pugnant armis, ac jure afferunt ex pacto convento placitum regium nihil aliud importare quam jus inspiciendi an lex ecclesiastica, absque statu detrimento vim legis civilis habere debeat ac possit; unde inferunt defectum placiti impedire quidem, quoniam lex canonica inter Status leges recenseatur effectusque civiles sortiatur, nullo vero modo efficere ut vim ac potestatem suam haud exerceat, si Romæ promulgata ad catholicorum notitiam pervenerit (Instit. Canon.*, l, 1, c. 2, § 24.)

320. Dices: *cum Ecclesia sit in Statu, nihil nisi dependenter ab ipso constituere potest, ne confusio inducatur; ergo leges et maxime punitiones nullius roboris esse debent, neque tolerandæ sine Regis venia et Reipublicæ probatione.*

R. Nardi, *Elementi di Diritto eccles.*, p. II, c. II, a. 1 : « Lo Stato non dee tollerare dentro di sè alcun potere e governo che s'aggiri nella stessa sfera e non dipenda da lui. Non è però necessario che assorba ogni forza ed attività; ma quelle soltanto che si riferiscono alla ragione della sua esistenza.... Per lo che concludiamo: lo Stato e la Chiesa non sono compresi l'uno nell'altra; ma coesistono l'una per l'altro, come due persone morali, giuridiche, libere, indipendenti e perfette, entrambe rivolte a promuovere le felicità del genere umano, ma sotto diversi rapporti e per diverse vie. Unde unaquæque potestas circa actus suos omnino libera est, et potest sicuti indicere præcepta, ita etiam transgressores punire.... Ecco le belle parole dell'illustre Arcivescovo di Colonia, testè rapito alla Chiesa germanica: « Che cosa è la Chiesa? si dice, *è una società nello Stato.* Una società forse come quelle di strade ferrate, di navigazione a vapore, di quelle che per esistere han bisogno esse e i loro statuti della sanzione dei governi, e che un loro decreto discioglie? O una società che si raccoglie a pregare, e fuor del tempio e luogo della preghiera non si ravvisa? O una società, come quelle, che nel dividersi dalla Chiesa cattolica si gettarono nelle braccia dello Stato? O fors'anche un felice trovato, un'utile istituzione politica?....

» *La Chiesa cattolica nello Stato?* Essa che non conosce altri limiti che quei della terra, altro termine che la durata del mondo? Essa destinata ad accogliere, e come tenera madre educare tutti gli uomini reggenti e sudditi, tutti i popoli del mondo; a benedirne, a santificarne i legami sociali, i massimi come i minimi?

» *La Chiesa cattolica nello Stato?* Ella che contro il voler del sovrano, in opposizione alle così dette *leggi di Stato*, per voler di Colui « cui è data ogni podestà nei cieli e sopra la terra, » (Matth. XXVIII, 18) nacque, crebbe, si diffuse fra tutte le genti, ella una società nello Stato? Forse in quegli Stati che sursero, poichè la Chiesa ebbe fiorito e fruttificato per secoli? O in quelli che abbandonarono la causa della lor madre dicendo, che non era mai stata lor madre? O sarà forse smembrata in molti Stati grandi e piccoli secondo i lor confini politici, come le Confessioni separate da lei? Ella, l'unica Chiesa cattolica nello Stato? Il Regno dei Cieli che non è di questo mondo, nei regni, che sono soltanto di questo e per questo mondo? Ella, la immortale e immutabile, nel mutabile sott'ogni rapporto, nel continuamente, indefessamente mutato? La custode delle cose supreme ed eterne, nello Stato che non guarda se non le terrene? » (*Ueber den Frieden unter der Kirche und den Staaten;* id est *Della Pace tra la Chiesa e lo Stato*, di Clemente Augusto bar. di Droste Vichering arcivescovo di Colonia, pag. 79). — Vide etiam *Annali religiosi*, t. XIII, pag. 207. — *Civ. Catt.*, serie 2ª, vol. VI: *L'Autorità sociale;* — Boyer, *Difesa della Chiesa cattolica contro la eresia costituzionale, che sottomette la Religione al magistrato, rinnovata in questi ultimi tempi;* Parigi, 1840; — Roschevany, *Monumenta catholica pro independentia potestatis ecclesiasticæ ab imperio civili;* — M. Ghilardi, *L'Episcopato e la Rivoluzione in Italia.* 1867.

(H) Pag. 141.

321. Antiqua Collectio, quæ ab Apostolorum ætate extenditur usque ad sæculum XII continet primo *Canones Apostolorum*, 50 apud latinos, 84 apud Græcos: qui in Corpore juris post decretum Gratiani leguntur.

Quamvis non sint ab omni nævo immunes, merito tamen reputantur insigne monumentum disciplinæ Ecclesiæ per tria priora sæcula; et card. Majus, magnam hisce canonibus adhibendam esse auctoritatem, asserit in Opere, *Veterum Scriptorum nova collectio.* Sunt autem ab Apostolorum successoribus, qui, teste Tertulliano, *apostolici viri* nominabantur. Habentur ejusdem fere antiquitatis *Constitutiones Apostolicæ*, octo libris contentæ ac insertæ in priori volumine Collectionis Conciliorum, quæ collectio venit sub nomine Pontificis Clementis. Hæc conflata est ab incerto auctore ex diversis Synodis, legibus ac moribus Ecclesiæ orientalis usque ad IV sæculum; horum tamen aliqua doctrinæ catholicæ Ecclesiæ adversantur. — *V.* Regenbrecht, *De Canonibus Apostolorum.*

Accedit pro *Græcis:* 1) *Collectio Canonum* lecta in Concilio Chalcedonensi generali, 147: quæ desumpta est ex variis Conciliis, Nicæno, Ancyrano, etc.; 2) *Collectio* Joannis Scholastici Constantinop. episcopi, 577 ,qui aliam ejusdem operis editionem dedit, in qua leges civiles quæ ad easdem materias referuntur, addebantur canonibus (unde ista collectio nomen *nomocanonum* accepit); 3) *Novus Codex* conditus sæculo VII in Synodo Trullana; 4) *Collectio*, quam sæculo IX Photius concinnavit, ubi schismaticus ille præter canones legitimos a sanctis Synodis editos, reposuit plures conciliabulorum regulas.

Pro Ecclesia *latina* obtinuerunt primo *Canones* Nicænæ Synodi. Dein *Græcorum Codex* latine redditus, et *Collectio prisca*, vocatur. Postea venit percelebris *Collectio* Dionysii Exigui initio sæculi VI; quæ etsi privata auctoritate conflata, a S. Sede probata fuit et dicta communiter *Vetus Canonum Codex;* huic autem plura adjecit ex Conciliis et Patribus s. Isidorus doctor hispalensis. Hisce collectionibus accedit *Collectio* Hadriani I Pontificis, Ferrandi, Cresconii, Reginonis, Burchardi, etc. — *V.* Ballerini fratres, *De Antiquis Collectionibus;* — Theiner, *Disquisitiones criticæ in præcipuas canonum et decretalium collectiones;* Romæ, 1836; — Vecchiotti, *Institutiones canon.*, l. II, c. 4; — Pallandus, Zellinger, Bouix, etc.

(I) Pag. 142.

322. Q. 1. *Quid de Collectione Isidori* peccatoris *vel* mercatoris?

R. Hac de re pereruditam dissertationem edidit Joseph Cossa (vide *Amico Cattolico*, vol. XV): post multa egregie discussa ineluctabilibus historiæ monumentis concludit: « Le false Decretali sono una compilazione posteriore a Carlo Magno, anteriore all'anno 857, uscita all'epoca delle guerre civili scoppiate sotto Ludovico il Pio; ma non esistono per precisarne meglio il tempo, se non incerte ipotesi. Cominciata a Magonza o no, essa è, giusta ogni indizio storico-critico, opera gallicana, almeno nella forma ultima, in cui si è divulgata. In Francia si sparse dapprima, e vi era abbastanza nota, quando ignoravasi in Italia; in Germania non ebbe corso. È gratuita non solo perchè nulla la giustifica, ma è chiarita assurda dall'intimo esame delle circostanze di quell'età, dei documenti contenuti nella Collezione, l'imputazione che i Papi vi avessero parte. Diciamola pure una frode; ma in questo senso, che il pseudonimo autore attribuì lettere e canoni a persone che non li scrissero, nè li formularono; non perchè i canoni, le epistole contengano principii erronei o assolutamente nuovi. Qualifichiamola per una contraffazione nata dall'accozzamento artificioso, e (a dir vero) magistrale, di sentenze tolte qua e là dagli

scrittori ecclesiastici per formarne un tutto rispondente allo scopo del collettore. Questo scopo non è già quello di attribuire inuditi poteri al Papato; ma sì di opporre un riparo alla depressione del Clero in genere minacciato e vessato dalla Corte e dai più potenti signori, un argine al soverchiante abuso di autorità dei Metropolitani contro i Suffraganei, allo scadimento della ecclesiastica disciplina che ruinava sempre più basso. Questa calamitosa situazione si avverava pur troppo nelle Gallie al tempo in cui vediamo emergere da oscura origine la raccolta canonica in discorso: la storia ne è mallevadrice. Con tutto ciò non lodiamo, non iscolpiamo nemmeno la frode; la bugia, come ogni peccato, non è mai un verace rimedio a verun disordine; non è lecita a chi che sia, per che che sia, sotto nessuna forma, giusta l'aforismo registrato nella Scrittura, che *il male non dee farsi nè meno coll'intenzione di conseguirne un bene....*

» Nel resto la S. Sede, eminentemente collocata sopra tutta la società ecclesiastica, non ha bisogno di menzogneri titoli per giustificare e difendere le sue sublimi prerogative. La Chiesa Romana, terminiamo col p. Zaccaria e col venerabile Baronio, tiene la sua grandezza dalle promesse di Cristo, e la conferma con argomento di indubitabile tradizione. » — *V.* Marchetti, *Critica della Storia eccl. e dei discorsi del Fleury*, t. 1: Dissertaz. *Della Collezione d'Isidoro;* — Muzzarelli, *il buon Uso della logica*, opusc. x; — Devoti, *Instit. canonic. Prolegomena;* — Et nostrum *Manuale Compendium Juris canonici.*

323. Q. 2. *Quid de Gratianæo Decreto?*

R. Gratianus monachus ordinis S. Benedicti, Bononiæ vitam duxit: post multos labores in studio canonici Juris suam edidit Collectionem anno 1151 sub titulo: *Concordia discordantium canonum.* Opus in tres partes divisit: *prima* constat 101 *distinctionibus*, quæ singulæ plura capita complectuntur; in ea agitur de origine, de auctoritate ac principiis juris; dein exponuntur status et officia clericorum. *Secunda* pars habet 30 *causas*, quæ in quæstiones, et quæstiones in capita seu canones distribuuntur; tractat de regulis in judiciis servandis. *Tertia* pars dicitur *de consecratione*, quia agit potissimum de ritibus sacris, de sacrificio, etc.; et in distinctiones et canones dividitur. Hæc collectio quæ fiebat plurimi, in multis deficiebat: hinc Pius IV et V, et præsertim Gregorius XIII emendari curarunt; hic ultimus Bulla *Cum pro munere* anno 1530 emendatam editionem approbavit, prohibens quidquam addere aut immutare; quin tamen legis auctoritatem illi tribueret. Gratianææ Collectioni quædam sunt facta additamenta sub nomine *palea* sic dicta vel a *Paucapalia* Gratiani discipulo, vel quia erant notulæ in margine scriptæ cum verbis *post alia*, sive *p. alia;* inde natum est nomen *palea*, et sunt numero 50.

Bérardi librum magna eruditione edidit in Decretum Gratiani, canones apocriphos notando, difficiliores illustrando, etc.

324. Q. 3. *Quid de Regulis Juris?*

R. Gregorius IX ad calcem *Libri* v Decretalium, et Bonifacius VIII in fine *Sexti* Decretalium inseruerunt Regulas juris: quæ quidem sunt quædam sententiæ generales, quæ plures leges seu canones de rebus diversis brevi compendio amplectuntur et proponunt. Regulæ juris si in Decretalibus insertæ, sunt authenticæ, et habent legis vim quoad casus non exceptos. Si insertæ non sint, habentur uti axiomata juris, sed omnem auctoritatem non habent; et doctrinales dicuntur, alio nomine *brocardicæ* (a Burchardo celebri canonista).

Regulæ juris licet authenticæ patiuntur exceptiones, quas doctores *fallentias* appellant; unde axioma: *non est regula sine exceptione.* Re-

strictiones indicantur ab ipso jure, vel consuetudine generali satis notescunt. Maxime censetur perutile illas legere easque quantum fieri potest memoriæ mandare; tum quia cunctæ regulæ pro adjutorio memoriæ compendiosam notitiam juris præbent; tum quia juxta eas deducuntur casus emergentes, qui a jure speciatim et expresse non sunt decisi, cum tales casus decidendi sint per similia. — *V.* Reiffestuel, *De Regulis Juris;* in procemio; — *Prælectiones Juris canonici,* habitæ in Seminario S. Sulpitii.

325. Q. 4. *Quid sentiendum est de Rubricis titulorum, de Superinscriptionibus et Summariis capitulorum, de Notis et Glossis, quæ in Canonico ipso Jure habentur?*

R. *Rubrica* a rubris literis, quibus scribebatur dicta, est inscriptio indicans materiam tituli. In libris authenticis magnæ est auctoritatis; cum libri isti una cum rubricis probati sint; tunc valet argumentum a rubro ad nigrum, hoc est a rubrica ad textum capituli, si textus non dissonet: et rubrica potest allegari per modum regulæ generalis.

Superinscriptiones sunt illa verba, quæ indicant unde textus capituli desumptus sit, vel ad quem directus. In libris authenticis, sunt authenticæ et ex illis validum est argumentari.

Summaria sunt verba, quibus privati doctores capitula summarunt; non sunt authentica, sed inserviunt ad legentium commoditatem.

Glossa est uberior explanatio canonum ab auctoribus facta. Auctores præcipui sunt Accursius, Bernardus, Tancredus, Joannes Andreas (filius); his accedunt veteres interpretes Innocentius IV (antea dictus Sinibaldus), Hostiensis, Speculator seu Guillelmus Durandus, Panormitanus et alii, quos refert Barbosa ac Fagnanus. Glossa non facit jus, licet reverenter audienda sit ob excellentem doctrinam glossatoris.

Nota est brevior illustratio vel additio citationum; hæc habet auctoritatem, sed pro auctoritate auctoris, qui eam confecit. — *V.* Mascat, *Prolegomena Juris Can.* — Alasia, *De Legibus*, art. *De lege ecclesiastica.*

326. Q. 5. *Quid de Libris Liturgicis?*

R. Ad ecclesiasticas leges revocari merito possunt etiam *Libri Liturgici,* qui scilicet universæ Ecclesiæ modum tradunt, divini cultus exercendi, et pro quibus tot Romani Pontifices curas posuerunt; cum enim hujusmodi libri et veræ fidei unitatem ac protestationem contineant, et rerum sacrarum majestatem commendent, et fidelium mentes ad cœlestia erigant, plurimi eos esse faciendos nemo unus ignorat. Imo Romana Liturgia in gravi præcepto est.

1. *Quoad Breviarium Romanum* habetur Bulla Pii V *Quod a nobis* 1568: quoad *Missale* vero *Romanum*, Bulla *Quo primum* 1570 ejusdem Pontificis; in illis porro legitur, ab eo propriæ obligationi non satisfieri, qui alio Breviario vel Missali utitur, nisi agatur de Ecclesiis, quarum Breviaria ac Missalia illis ducentis annis antiquiora sunt. Idem statuitur ab ipso Pontifice Bulla *Superni* quoad Officium B. M. Virginis.

2. Quoad *Martyrologium* ubi Martyrum Sanctorumque acta continentur, habemus Constitutionem *Emandato* Gregorii XIII 1584, ubi præcipitur, ut omnes latinæ Ecclesiæ etiam quæ proprium Breviarium et Missale legitime habent, Romano Martyrologio utantur in choro. Hodie tamen debent adhiberi exemplaria a Benedicto XIV correcta, ut ipse præcipit Bulla *Postquam* 1 julii 1748.

3. Quoad *Cæremoniale Episcoporum*, in quo traditur modus, quo sacra sunt ab Episcopo peragenda, adest Bulla præceptiva latinis Clementis VIII *Cum novissime*, et Benedicti XIII *Licet alias*. Cæremoniale *non derogat laudabili et immemorabili consuetudini, neque statuto laudabiliter introducto et jurato;* ita S. Rituum Congreg. 27 sept. 1806 Montis-Regalis. — V. *Analecta Juris pontificii,* anno 1863, pag. 84.

4. Quoad *Pontificale Romanum*, ubi habentur modus Ordines conferendi, et alia quæ sunt Ordinis episcopalis, est Bulla Urbani VIII *Quamvis alias* anno 1644: in qua obligantur omnes latinæ Ecclesiæ ad illum adhibendum.

5. Tandem quoad *Rituale Romanum* Paulus V, Constitutione *Apostolicæ Sedis*, hortatur in Domino ecclesiasticos, ut in sacris functionibus illo semper utantur, tanquam Ecclesiæ Romanæ filii; quæ verba tum ex natura rei, tum ex contextu de vero præcepto sunt accipienda, ut commune ac receptum est contra Catalani. Et firmatur ex S. Rituum Congregatione, quæ die 7 sept. 1850 declaravit: *Rituale Romanum, cujus leges universalem afficiunt Ecclesiam, integre servetur.*

Benedictus XIV Brevi *Quam ardenti*, anno 1752, curavit novam editionem emendatam tum *Ritualis*, tum *Cæremonialis*, tum *Pontificalis*. — *V.* Bouix, *Tractatus De Jure liturgico;* — Fornici, *Institutiones liturgicæ;* Urbeveteri, 1857; — Ferraris; V. *Martyrologium.*

(J) Pag. 142.

327. *Concilia Nationalia et Provincialia.*

1. *Nationalia.* Concilium Nationale est legitima Prælatorum alicujus regni seu integræ gentis sub Patriarchæ aut Primatus (vel isto deficiente, sub Legati Pontificii) præsidentia, celebrata in ordine ad negotia ecclesiastica illius regni vel nationis. Cum hæc celebratio inter causas majores habeatur, inductum est ut sine Pontificis consensu non fiat; item ad ipsum decreta referenda sunt.

2. *Provincialia.* Concilium Provinciale est legitima congregatio Episcoporum certæ provinciæ ecclesiasticæ sub Archiepiscopi seu Metropolitani præsidentia, ad negotia tractanda totius provinciæ. Ex Tridentino tertio quoque anno esset habendum (sess. XXIV, c. 2 *de R.*) cum pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis mire faciat Et Pius IX Lit. *Nostis quidem* 8 dec. 1849 ad tantum bonum curandum Synodorum tum Provincialium tum Diœcesanarum ubique redintegrationem inculcat.

Concilii provincialis decreta ante promulgationem sunt mittenda ad Congregationem Concilii ex Constitutione *Immensa* Sixti V. Sunt vocandi Episcopi qui accedere tenentur; item Prælati jurisdictionem episcopalem habentes; ceteri abbates invitandi sunt, sicut et Cathedralia Capitula ex declaratione S. C. C. Decreta ligant omnes et singulos de provincia, etiam ipsos Episcopos et Metropolitam; quia nullus eorum singulariter sumptus adæquatur auctoritati totius Concilii. — *V.* Benedictus XIV, *De Synodo;* — Bouix, *De Concil. Provinc.* etc.; — Gousset, *Exposition des principes du Droit Canonique;* — Ferraris; V. *Concilium;* — *Analecta Juris Pontificii*, an. 1855: *Des Conciles provinceaux.* — Quoad jura suffragii et præcedentiam vide *Acta ex iis decerpta, quæ apud S. Sedem geruntur*, vol. III, pag. 310.

Quoad Concilia omnia præter Historiæ ecclesiasticæ scriptor vide: 1) Petavius, *Rationale temporum*, t. II: append. *Canonicum Conciliorum;* 2) Baldassarri, *Istoria compendiosa de' Concili* ecc.; 3) *Dizionario portatile de' Concili;* Venezia, 1789. — Fuse agit Battaglini, *Storia generale di tutti i Concili generali e particolari*, t. II. Et Ludov. Bail, *Summa Conciliorum omnium* etc., t. II. It. Schram, *Summa Conciliorum*, t. IV. — Fusius in Opere, *Conciliorum omnium tam Generalium quam*

Provincialium etc., *volumina quinque.* Venetiis, 1635. — Sed omnibus præstat celeberrimum Opus perpluribus tomis comprehensum, *Ss. Conciliorum nova et amplissima collectio, in qua præter ea quæ Labbæus et Conartius, et Coleti in lucem edidere, ea insuper exhibentur quæ Joannes Dom. Mansi evulgavit*, etc. Florentiæ, 1759 et seqq.

Nota quoad Concilia Provincialia Mediolanensia: hæc obtinent in Novariensi Diœcesi usquedum novum Provinciale Concilium in Vercellensi provincia, cui ipsa unita fuit, celebretur, si excipias reservationes culparum, censurarum et pœnarum in illis statutas: ita S. Concilii Congregatio. Nec refert, ut dicunt, conventus Episcoporum Vercellis habitus anno 1849; vel enim hic non præsefert genuinam Concilii Provincialis naturam sive in forma sive in re: ac ideo nonnisi improprie ut Provinciale habetur; vel in eo nulla omnino habetur anterioribus legibus facta derogatio, sed tantum quædam pauca, quæ faciunt et urgent in hac temporum calamitate, præscripta fuere.

En responsum S. C. C. cujus autographum est in Curia episcopali Novariensi: *Beatissime Pater, cardinalis Morozzo episcopus Novariensis, Sanctitatis Vestræ Orator eo quo decet obsequio exponit in relatione status Ecclesiæ suæ data ad S. C. C.* VII. *kalend. martii anno* 1825 *postulasse, utrum decreta Conciliorum Provincialium Mediolanensium vim habere deberent in Novariensi sua Ecclesia, etiamsi ipsa una cum Vercellensi Ecclesia, cujus Novariensis est suffraganea, prope illa tempora a Metropolitana Mediolanensi fuerit disjuncta. Huic postulationi respondit S. Concilii Congregatio:* vigere illa decreta debere usquedum Synodus in nova Metropolitana celebraretur; *et responsum hoc datum fuit die* 26 *jan.* 1828.

Et tunc cardinalis episcopus Orator tenuit et docuit declarationem S. Congregationis; ast quoniam in sua Synodo diœcesana de anno 1826 *cap.* De Sacram. Pœnitentiæ, pag. 116, *sancivit, exemplo Vercellensis Metropolitanæ quodam decreto suo diei* 30 *sept.* 1822 *cessare quascumque reservationes culparum atque pœnarum a Conciliis Provincialibus Mediolanensibus statutarum, ne conscientiæ illaqueentur et confessarii aliqua anxietate laborent, obsecrat humiliter Sanctitatem Vestram, ut Synodale hujusmodi judicium pro sua Diœcesi, imo et pro tota provincia, si placebit, probare et confirmare dignetur.*

Die 14 *aug.* 1847 *SS. D. N. audita relatione infrascripti Secretarii S. C. C., eminentissimi d. cardinalis episcopi Oratoris precibus annuens, petitam sanctionem et confirmationem enunciati Decreti Synodalis pro tota Provincia benigne impertitus est. Mandavit autem ipsa Sanctitas Sua, ut idem emin. Episcopus curet notificationem hujusmodi Indulti Provinciæ Ordinariis.*

Quoad contenta in Conciliis Provincialibus v. Opus: *Promptuarium Episcoporum seu Epitome omnium Conciliorum Provincialium, Synodalium et Visitationum Apostolicarum, quæ a d. Carolo ad hanc usque diem prodierunt,* auctore R. D. Corio. Mediolani, 1732.

(K) Pag. 144.

328. Bullæ aliæ sunt *gratiosæ*, quæ gratiæ collationem continent; aliæ *justitiæ*, quæ justitiæ administrationem respiciunt; aliæ *concistoriales*, quæ in Cardinalium Concistorio expediuntur; aliæ *dimidiæ*, quæ feruntur a Pontifice nondum consecrato, et in sigillo non exhibent ejusdem nomen. Citantur Bullæ prolato primo, quo incipiunt vocabulo; Bullarum vero collectiones dicuntur *Bullaria.*

Constitutionum Apostolicarum epitomen exhibent Guerra et Quaranta; in iisdem vero commentaria edidit merito celebrata card. Petra, scilicet a Leone M. ad Sixtum IV.

Magnum Bullarium per Hieronymum Mainardum editum est a Leone M. usque ad Benedictum XIV, in XVI vol.; at in eo nonnullæ desiderantur Constitutiones. Majoris habetur quod per Carolum Cocquelirium editum fuit in vol. XXIV, anno 1738. Quod hodie per adv. Barberi Romæ ad nostra tempora continuatur, non ita tamen accurate. At favente et benedicente Pontifice Max. Pio IX, plaudentibus Episcopis et bonis omnibus, novum modo et accuratissimum *Magnum Bullarium Romanum* typis mandatur Taurini. Etsi collectores non obtinuerint speciale mandatum has Constitutiones in Bullario inserendi, usque ideo collectio non sit a S. Sede probata, per se vim legis non habeat, nisi quatenus probetur Bullas descriptas authenticas esse; attamen authenticæ præsumuntur, et sic alligantur communiter.

(L) Pag. 148.

329. Auctoritas Ss. Congregationum: Decreta Ss. Congregationum, inspecto fonte ex quo derivant, eandem habent auctoritatem ac si a R. Pontifice immediate prolata essent; ideo vim legis universalis habent quæ in conscientia generatim omnes obligant; nam Apostolicæ auctoritatis commissione decernuntur: quod valet etsi Pontifex ea explicite non confirmet. Est sane delegabilis auctoritas, (at sine infallibilitate; nam ipsa infallibilitas personalis est et propria catholicæ Ecclesiæ et R. Pontificis in rebus fidei et morum Ecclesiam pro suo officio docentis). Hinc S. Rituum Congregatio (quod paritate rationis valet etiam de ceteris Congregationibus a Papa institutis) die 23 maji 1846 rogata a Generali Ordinis Prædicatorum: *an decreta a S. C. emanata et responsiones quæcumque ab ipsa propositis dubiis, scripto formiter editæ eandem habeant auctoritatem ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suæ*, respondit: *affirmative;* quam responsionem Sanctissimus D. N. confirmavit 17 julii 1846. Ex eadem autem S. C. ad hoc sufficit, quod responsiones sint subscriptæ a Sacræ Congregationis Præfecto et Secretario ac ejusdem sigillo munitæ, nec requiritur promulgatio vel Romæ vel ab Episcopis in suis Diœcesibus facta. Imo tanquam formiter edita habenda sunt decreta et responsiones in Gardelliana authentica collectione inserta. Ita decisum 8 apr. 1854.

Diximus *generatim omnes obligant in conscientia*, nempe cum decreta sunt generalia publicata ex voluntate S. Congregationis, vel si auferendo juris ambiguitatem determinent sensum liturgicæ legis, quid videlicet agendum aut non agendum in communi aliqua actione. Secus esset, si responsa dentur in casibus omnino particularibus ob specialia rerum adjuncta vel singularis loci conditiones: hinc S. R. C. in una Ordinis Cappucinorum proposito dubio: *an decreta, indulta, decisiones S. Congregationis Rituum datæ vel dandæ in casibus particularibus applicabiles sint et adoptandæ in similibus casibus quasi essent pro ubique decisæ, vel eo magis quia Sacra ipsa Congr. id innuere videtur quando propositis dubiis respondere solet, v. g.* dentur decreta, juxta alias decreta, provisum in una... *etc.;* respondit 8 apr. 1854: *negative et semper recurrendum in casibus particularibus.*

Quid si adsit longa consuetudo contraria? S. Congregatio vult ut omnes Ecclesiæ ritus in Liturgiæ libris, ac S. R. C. decretis contentis integre

serventur, secus non satisfieri propriæ obligationi: sic in Parmensi 6 maji 1857, et in Urbinatensi 18 apr. 1636 prohibuit addere Litaniis Rogationum vel quidquam immutare, sed præscripsit illas esse sumendas prout in Breviario jacent; et ita de ceteris. Nec refert contrarius usus; die enim 3 aug. 1839 declaravit, quod inveterata quæcumque in contrarium consuetudo derogare nequit hisce præscriptis. Verum eadem Congregatio rogata, *an decreta Ss. Rituum Congregationis dum eduntur derogent cuicumque contrariæ invectæ consuetudini etiam immemorabili, et in casu affirmativo obligent in conscientia*, die 11 sept. 1847 respondit: *affirmative, sed recurrendum in particulari.* Habent ergo decreta S. C. vim ex sese omnes consuetudines abolendi in conscientia; attamen ut de facto illis derogent, recurrendum est in casu speciali, cum non semper neque omnes consuetudines irrationales sint, ita ut locus fiat earundem abrogationi; ideo ad id requiritur peculiare S. Congregationis judicium. Hac de re vide *Acta ex iis decerpta, quæ apud S. Sedem geruntur* etc. t. III, append. XII. Quousque igitur hoc judicium in particulari non proferatur contra, potest quis sequi, imo forte præstat ut suæ Diœcesis consuetudinem in casu speciali teneat si firmata sit, si a præsulibus probata ac rationalis, saltem ad uniformitatem: uti esset v. g. ritus quo ab antiquissimis temporibus utitur Ecclesia Novariensis *insignis ac famosa* (ut eam appellant Sixtus IV 21 sept. 1431 et Eugenius IV 22 febr. 1478 Bullis ad Capitulum Cathedrale datis) in minore majoreque Litania, et etiam in quibusdam cereis crucibus conficiendis et in publico affigendis: qui ritus *pius admodum ac insignis visus est* venerabili Episcopo a Basilica Petri sæc. XVI, qui illum repetit ab illius Ecclesiæ primordiis, et quem typis mandari voluit, *ut facilius conservaretur, et clerici laicique suum quisque librum manu tenens, quæ canuntur fiuntque, majori animi fructu considerare et meditari possent* etc. — Vide *Scritti pubblicati dal M. Rev. D. Carlo vescovo di Novara* (vulgo Bescapè) *dall'anno* 1593 *al* 1609.

Ceterum quanto sint in honore habendæ RR. Congregationum declarationes fassus est vel ipse hæreticus Leibnitius, qui habet: *utile esset discere quæ Romæ decernantur in Congregationibus, veluti Rituum, Inquisitionis, Indicis*, etc.; *nam talia a me minime spernuntur.* Hinc merito Pius IX in *Syllabo* hanc damnavit propositionem n. 12: *apostolicæ Sedis Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiæ progressum impediunt.*

In hac tamen temporum iniquitate, in qua ecclesiastici superiores proterve impetuntur, dijudicantur, eorumque jussa adeo irreverenter pessumdantur, ad rem faciunt verba Opuscoli, *Monsignor vescovo Caccia e una Commissione di sacerdoti milanesi:* « Leggete la Bolla di Pio IV in conferma del Tridentino, e vedrete qual dovere si faccia ai Vescovi di attenersi in ogni cosa alla norma di quel Concilio, e quali pene loro sieno comminate ove se ne dipartano. E quando un Vescovo, chiunque egli sia, incontrasse qualche difficoltà nell' interpretare quei decreti, o nell' applicarli ai casi particolari, la Bolla gli toglie ogni arbitrio di decidere da solo, e intima che *ascendat ad locum quem elegit Dominus, ad Sedem videlicet Apostolicam, omnium fidelium magistram, cujus auctoritatem ipsa Sancta Synodus tam reverenter agnovit.* Di qui i decreti della S. Congregazione del Concilio, e di tutte le altre Congregazioni romane, le quali dispensano noi da ogni discussione, come quelle che sono altrettanti Parlamenti d' uomini insigni per dottrina e probità sempre in atto di discutere, ed obbligare la nostra obbedienza, siccome quelle che rappresentano l'Apostolica Sede, e del di lei suggello improntano i propri decreti...

» Che se tutto questo è vero, che cosa si richiederà di più onde una legge della Chiesa ottenga dai cattolici e specialmente dai sacerdoti il rispetto e l'obbedienza? Se i superiori ecclesiastici nei negozi importanti appena dubbi non ardiscono prendere una risoluzione senza porre a riparo della suprema autorità ecclesiastica la propria coscienza o risponsabilità; che si richiederà ancora, affinchè ottengano la grazia di non essere denunziati al loro gregge come arbitrari e tiranni? » — *V.* quoad omnes romanas Congregationes et tribunalia Bouix, *Tractatus de Curia Romana;* — Ferraris; V. *Congregationes Ecclesiasticæ Romanæ* (articulus novus Cassinensis); *Declarationes*, *Resolutiones*, etc. — Gousset, *Exposition des Principes du droit ecclesiastique.* — Nardi, *Elementi di Diritto ecclesiastico.* — Bergier, *Dizionario* ecc. V. *Congregazione.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 106. — Benedictus XIV, *Notificatione* CVII. Perplures declarationes citantur in toto Opere nostro, et maxime Lib. IV, Append. Hic nonnulla speciatim.

330. Congregatio Concilii. Hujus Sacræ Congregationis Decreta exhibet liber *Thesaurus resolutionum S. Congregationis Concilii* (plurimis tomis), Romæ editus (sed nonnisi ab ætate cardinalis Lambertini hæc decreta publicari cœperunt incipiendo ab anno 1718: unde quæ prius data adhuc manuscripta sunt in Archivio S. C. et citantur sub nomine *Decretorum.* At hodie Romæ collectio omnium resolutionum S. C. C. ab ejus institutione anno 1564 ad 1860 distinctis titulis alphabetico ordine per materias digesta cura et studio Salvatoris Pallottini, typis de Propaganda evulgatur. Plures resolutiones, contraxit octo voluminibus Jo. Zamboni in libro, *Collectio Declarationum S. Congregationis Cardinalium Sacri Concilii Tridentini.* Viennæ, 1812.

Hic advertendum cum De-Justis *(De Dispensat.*, l. I, c. 4), quod passim ab auctoribus multæ citantur decisiones, a Garcia, Pitonio, etc. quæ tamen authenticæ probari non possunt: quæ proinde non sunt illico attendendæ, ita maxime disponente S. Congregatione ipsa de mandato tum Gregorii XV, 6 junii 1621, tum Urbani VIII, 2 aug. 1633, multæ enim ex illis mendosæ, mutilatæ et alteratæ sunt.

Congregatio de Propaganda. Mira sane institutio Congregationis de *Propaganda!* mirum Catholicæ veracitatis præsidium et decus! quo ex universo orbe selecti juvenes excolendi confluunt. Unde veluti a salutifero fonte puritas Doctrinæ, erga Apostolicam Sedem observantia, studium Regni Dei plenius et securius hauriuntur: ubi quod, stupentibus omnibus, infra Octavam Epiphaniæ quadraginta et amplius idiomatum quotannis exhibetur specimen, illud Actorum II in mentem revocat: *quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi et Medi et Ælamitæ et qui habitant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam, Pamphyliam, Ægyptum et partes Libyæ... Judæi quoque et proselyti, Cretes et Arabes?* Qui percelebris hujusce institutionis genesim, indolem, statuta, opera, progressus aliquatenus dignoscere cupit, adeat *Vita del giovane Egiziano Abulcher Bisciaral alunno del Collegio urbano di Propaganda*, scritta dal p. Antonio Bresciani. — Tullio Dandolo, *Roma e i Papi*, vol. IV, § LXXVI. — *Lettere edificanti; Annali della propagazione della fede* (ad imitationem Propagandæ aliæ in subsidium Scholæ habentur Parisiis, Mediolani et Jenuæ). — Margotti, *Roma e Londra*, c. XVI.

Congregatio Sancti Officii seu Inquisitio: hac de re pulcre sane Opuscul.: *Allocuzione di un Parroco vicino a morte per preservare i suoi parrocchiani dall' eresia e dall' incredulità;* Torino, Marietti: « L'inquisizione è parola derivata dal verbo latino *inquirere*, che vuol dire informarsi, cercare con diligenza, stare in vedette, ecc.

Essa è un atto di diritto naturale, indestruttibile, poichè proviene dalla stessa legge di natura, per cui ogni essere tende alla propria conservazione, al proprio bene. Per essa gli stessi bruti instintivamente *inquirunt* sopra i loro nemici e sopra quanto potrebbe essere causa della loro distruzione o della distruzione della loro prole. Per essa ogni umano individuo *inquirit* sopra tutto ciò che potrebbe nuocere alla sua vita, al suo onore ed alla propria fortuna. Per essa chiunque possiede un campo, una vigna, un podere qualunque, *inquirit* per non venir danneggiato o minacciato nel possesso. Per essa ogni padre di famiglia *inquirit*, affinchè i suoi dipendenti non vengano offesi nella persona, nell' onore; non vengano depravati da scandali o cattivi esempi. Per essa ogni municipio *inquirit*, che nel proprio territorio non s'introducano abusi, come a cagion d'esempio, servitù di passaggio, di pascolo, derivazioni d' acque, ecc.; che non si stabiliscano case di corruzione a ruina del buon costume e della temporale fortuna de' suoi amministrati. Per essa il general d'armata *inquirit*, a che il nemico non riesca ne' suoi tentativi, ne' suoi assalti. Per essa ogni Stato, ogni Repubblica, ogni Regno *inquirit*, a che non venga ruinato il governo stabilito... Così ogni Parroco se non è pastore mercenario *inquirit*, che non si propagano tra suoi parrocchiani massime irreligiose contrarie alla santità de' costumi... Così ogni Vescovo *inquirit*, che nella sua diocesi non s' introducano eresie e pubblici scandali, ma si conservi anzi la vera fede e la sana morale. E per l'oggetto medesimo il Sommo Pontefice, cui è affidata la cura della Chiesa universale, *inquirit* su tutto il mondo....

» Questa sorveglianza e repressione del male quando vien esercitata dal potere civile chiamasi *polizia*, e quando la esercita la Chiesa chiamasi *inquisizione*. Dal che ne viene che siccome il poter civile quando procura la tranquillità e sicurezza de' cittadini, con una polizia energica e prudente, mentre adempie al suo dovere, si acquista la benedizione dei buoni e l'esecrazione dei tristi; così deve dirsi del potere ecclesiastico nell'esercizio dell'inquisizione. E siccome voi chiamerete cattivo padre di famiglia, cattivo municipio, cattivo governo quello che chiudesse gli occhi sui disordini che sconvolgono la famiglia, il paese e l' intera società; così la Chiesa non sarebbe buona madre, dove invece di *inquisire*, e di opporsi agli inauditi sforzi degli eretici congiurati coi falsi cattolici per sostituire alla vera fede micidiali errori, se ne rimanesse inoperosa. » V. Bouvier, *De Legibus.* — *Annali religiosi* Roma, t. xx. — De-Maistre, *Del Papa.* — *Saggio elementare di diritto pubblico ecclesiastico.* — Bergier, *Dizionario;* V. *Inquisizione.* — Balmes, *Il Protestantismo* ecc., cap. xxxvi. — Margotti, *Processo di Nuytz.* — Muzzarelli, *Buon Uso della logica*, Opusc. xvi: *Inquisizione.* — Tapparelli, *Saggio* ecc. t. i: nota *Sopra la Inquisizione.* — Albini, *Risposta all' Istoria dell' Inquis. di Paolo Sarpi.* — Marsallier, *Histoire de l'Inquisition.* — Nicolas, *Del Protestantismo paragonato al Cattolicismo nei suoi rapporti coll' incivilimento.* — Secondo Franco, *Risposte popolari alle obbiezioni più comuni contro la Religione.* — Martinet, *Soluzione di grandi problemi.* — Rohrbacher, *Storia universale della Chiesa*, ubi plura.

Hic satis sit referre verba d. Lacordaire: « La Congregazione romana del S. Officio, tribunale il più mite che fosse mai; il solo che in trecento anni di durata non abbia versato una goccia di sangue. » *(Mémoire pour le rétabliss. des frères prêcheurs.)* Et in *Vita s. Dominici* hæc addit c. vi: « Da mille anni simili leggi *(dell' inquisizione)* erano in vigore nella società cristiana. Costantino e i successori di lui ne avevano pubblicato un gran numero, che possono leggersi nel

Codice Teodosiano, tutte appoggiate su questa massima, che essendo la Religione il primo bene dei popoli, i popoli hanno il diritto di porla sotto la stessa protezione dei beni, della vita e dell'onore dei cittadini. Io non esamino questa massima, non faccio che annunciarla. Prima dei tempi moderni, essa passava per incontrastabile... Credevasi, e crede tuttora quasi tutto l'universo, che la società civile debba impedire gli atti esteriori contrari alla Religione da lei professata; e che non è ragionevole l'abbandonarla agli attacchi del primo che ha spirito bastevole per sostenere un nuovo domma. »

Revera aliquo in loco, ut in Hispania Inquisitio desevit; at illud tribunal ab auctoritate S. Officii subtractum, laicale et politicum evasit; adeo verum est, ut Summi Pontifices uti Sixtus IV, Julius II, Leo X rigores illos temperare et abusus corrigere tentaverint. At quandiu judicium fuit apud Ecclesiæ ministros, nullus fere rigor, excessus nullus; et calumniantur et historicæ veritati aperte resistunt ac mendacia fundunt, qui aliter docent. — *V.* Boccalandro, *Storia dell'Inquisizione* ecc. opusc. egregium inter collect. *Letture Cattoliche.* Taurini.

Ceterum quæ contra Romanam Inquisitionem objiciunt, non illi, sed demagogis et hæreticis conveniunt. *Demagogis*, de qua re vide: *Fatti atroci dello Spirito demagogico negli Stati Romani;* Racconto estratto dai processi originali. Firenze, 1853. — Balleydier, *Storia della Rivoluzione di Roma dal* 1846 *al* 1850. Livorno, 1851. — *Histoire des Révolutions d'Autriche;* 1853. — D'Alincourt, *L'Italia Rossa.* 1851. — *Civiltà Catt.*, ser. 3ª, t. IX: *Saggio d'intolleranza negli Anglicani.*

Quoad *hæreticos* audiendus Rohrbacher, *Storia Eccles.*, l. LXXXIV: « Le Chiese protestanti erano state consultate prima della condanna di Serveto. *Zurigo* avea risposto: la Provvidenza divina vi ha dato una molto bella occasione di provare al mondo, che nè la vostra Chiesa, nè la nostra non favoreggiano gli eretici: vigilanza ed operosità; il contagio sia arrestato, e Cristo v'illumini della sua sapienza. *Sciaffusa:* noi siamo certi che voi impiegherete tutti i vostri sforzi, perchè l'eresia non corroda come il cancro le carni del corpo cristiano; non si faccian dispute; il disputare con uno stolto è un far pazzie coi matti. *Basilea:* voi impiegherete per guarir l'anima dello sciagurato tutto quel più di sapienza che Dio vi ha dato: se non è tale da potersi risanare, ricorrete alla potestà di cui Dio vi ha armato, affinchè la Chiesa di Cristo cessi di soffrire e non si aggiungano nuovi delitti agli antichi. *Berna:* Dio vi dia lo spirito di prudenza e di forza, la cui mercè possiate liberare da simil peste la vostra Chiesa e la nostra. Bruciato Serveto, Bucero scrisse a Calvino: *Serveto meritava gli fossero strappati e straziati i visceri.* E Melantone: *Reverendo personaggio e mio carissimo fratello, io rendo grazie al Figliuol di Dio, che è stato spettatore e giudice del vostro combattimento, e che ne sarà il rimuneratore: la Chiesa altresì vi dovrà essere grata ora e per sempre* ecc. — *V.* item episcop. Bossuet, *Storia delle variazioni delle Chiese protestanti*, l. IX.

Et Elisabetha Angliæ regina adversus catholicos nonne instituit sub nomine Commissionis Inquisitionem omnibus longe terribiliorem? Cobet auctor protestans (epist. XI) scribit: *inquisitio Hispaniarum tot cædes non patravit a sua institutione ad hanc usque diem, quot singulis annis regni sui ferox ista regina protestans commisit:* quæ proinde merito *Tiberius fœmininus* vocata fuit. — *V.* Perrone, *Regole di Fede*, p. III; — Cesare Cantù, *Storia universale* ecc.

Congregatio Ss. Rituum: hujus Congregationis decreta sub hortatu et auspiciis card. De-Somalia, regnantibus Pio VII et Leone XII,

immenso labore et patientia fideliter conscripsit ejusdem Congregationis assessor Aloysius Gardellini. Ex qua quidem collectione cuilibet ecclesiastico magis utilia selegit Pater a Clantio in Opere, *Manuale Ecclesiasticorum*, etc. Taurini (et Romæ tertio edito, emendato et aucto, anno 1853 typis Propagandæ). Et accuratius *Manuale Decretorum;* Romæ 1853 typis Propagandæ. Hic etiam commendanda tum *Epitome Decretorum*, curante episcopo Monregalensi anno 1862 edit.; tum *Kalendarium perpetuum, seu Prontuarium ad recte et facile conficiendum pro singulis annis quodcumque Kalendarium* etc., auctore Maria a Carpo; Ferrariæ, anno 1866.

Verum Gardellini suam incepit collationem ab anno 1602, cum tamen S. C. Rituum fuerit erecta anno 1589. Quæ porro ab ejus initio ad prædictum annum 1602 desiderantur decreta, referunt *Analecta Juris Pontificii* anno 1863; item *Acta ex iis decerpta, quæ apud S. Sedem geruntur,* vol. III.

S. Rituum Congregatio non respondet per literas privatorum supplicationibus circa rem liturgicam; unde si quis privatus aliquid postulet, in Urbe statuat qui nomine ipsius agat, instet et authenticum responsum recipiat. Item dictæ supplicationes vel dubia a proprio Ordinario subscripta esse debent. — V. *Acta* cit., t. I, pag. 320.

S. Pœnitentiaria: hoc tribunal perantiquum est; ceterum in determinandis illius facultatibus præcipuus fuit Benedictus XIV Constitutionibus *Romanus Pontifex* et *In Apostolicæ* 1744; *Quamvis jam* 1747; *Pastoralis* 1748. Quænam autem sint facultates idem Pontifex Bulla *Pastor bonus* 1744 determinavit; quas quidem præstat, ut confessarius sciat, ut ita, adveniente necessitate, ad illam recurrere valeat. Nempe præter facultates quas habet quoad matrimonia sive contrahenda sive jam contracta, Pœnitentiaria absolvit pro utroque foro ab omnibus casibus et censuris reservatis; absolvit hæreticos occultos; dispensat in occultis irregularitatibus et inhabilitatibus; dispensat cum homicidis, cum male promotis, cum occulte simoniace ordinatis, convalidat titulos Beneficiorum, si res occulta; condonat, componit et etiam partem debiti incerti remittit; relaxat juramenta, vota simplicia dispensando commutat; divinum Officium commutando dispensat; concedit Regularibus transitum ad mitiorem Religionem, nonnullis exceptis; concedit monialibus confessarium, etc. Demum in citata Bulla confirmantur omnia privilegia et indulta S. Pœnitentiariæ concessa etiam vivæ vocis oraculo ab omnibus Pontificibus. Vacante autem Sede Apostolica, ipsa facultatem habet in foro conscientiæ etiam in casibus, in quibus vivente Pontifice, non habebat; attamen cum reincidentia, si nempe ad novum Pontificem dispensati non se præsentent. — V. *Institutiones canonicæ, civiles et criminales cum recentiori Praxi R. Curiæ;* Romæ, 1759; auctore Danieli. — Bouix, *De Curia Romana,* pars 2ª. — Ferraris; V. *Pœnitentiaria Apostolica.*

Quoad dispensationes matrimoniales, quæ non raro hodie a S. Pœnitentiaria obtineri solent pro foro etiam externo, vid. Lib. III *De Matrimonio.* Quoad modum autem recurrendi vid. Lib. IV, *Append.*

Dataria: quod tribunal jam a tempore Honorii III, anno 1216 extitisse compertum est, ut narrat Moroni *(Dizionario d'erudizione eccles.* V. *Dataria).* Datarii munus excelsius cunctis censetur, licet ejus officium per obitum Pontificis cesset (sic dictus quia datam apponit gratiis Pontificiis, diem designat quo emanantur, etc.). Datarius dicitur organum mentis et vocis Papæ, quia quæ Papa agit, medio ipsius agit; si tamen sit Cardinalis qui hoc munus exerceat, tunc non amplius Datarius, sed Pro-datarius se inscribit. — *V.* Constitutio *Gra-*

vissimum Benedicti XIV, an. 1745. Quoad dispensationes matrimoniales vide *De Matrimonio*, Lib. III, et quoad modum recurrendi ad Datariam Lib IV, append.

331. Q. 1. *Quare nonnullæ Ss. Congregationum responsiones inter se non videntur conformes?*

R. Aliquando Ss. Congregationum responsiones non videntur conformes; hoc evenit si agatur vel de casibus singularibus qui ob diversas locorum rerumque circumstantias diversimode resolvuntur, vel de rebus dubiis, si nondum facta sit discussio: quo in casu si illico sit respondendum, solent Romanæ Congregationes communiori sententiæ adhærere (doctrinaliter, non decisive); quin intendant quidpiam veritati detrahere, ut notant Benedictus XIV, *De Synodo*, l. VI, c. 6, n. 4; et Perrone, *De Matrimonio christiano*, l. II, sect. II, c. 3, a. 1.

Item observant: aliquando ob peculiares rerum vel personarum circumstantias, ad lites, scandala, odia sopienda, etc., decisiones fulminantur, ut dicunt *a posteriori*, non *a priori*, id est non secundum jus strictum et nude consideratum, sed habita ratione illius casus specialis. At quando hoc evenit, decisio datur cum aliquo addito, v. g. *affirmative* vel *negative*, *prout in casu*, *prout jacet*, etc.; et istæ decisiones generatim typis demandari non solent, cum pro norma generali non ita inservire possint.

332. Q. 2. *Quomodo explicantur clausulæ nonnullæ, quas in responsionibus Ss. Congregationum legere est, non ita omnibus obviæ?*

R. Occurrunt nonnunquam in responsionibus Sacrarum Congregationum verba non adeo facilis intelligentiæ; explicantur. — *Dilata*, seu differtur respondere, ut res maturiori examini subjiciatur, utpote difficilis solutionis; ideo tunc ex Gardellini (mentis S. Congregationis optime conscii) usquedum res sit decisa, potest in illa insistere qui illam jam agit; non eam tamen de novo inducere, cum in dubio non sit inchoanda possessio. — *Affirmative et amplius: negative et amplius*, seu cum res fuerit in S. Congregatione plus æquo discussa, et plenis votis prout jacet decisa, non amplius, vel nonnisi rarissime admittitur tale quæsitum. — *Nihil*, seu non admittitur petitio utpote incongrua. — *Relatum*, est quando supplex libellus relatus Summo Pontifici exauditus non fuit. — *Lectum*, cum lectum fuerit in S. Congregatione postulatum, non fuit admissum. — *Reponatur*, seu non datur responsio, sed petitio reponitur in Archiviis S. Congregationis. — *Detur decretum generale*, est quando agitur de re gravi, quæ a pluribus negligitur. — *Spectare ad Episcopum*, vel *orator adeat Episcopum*, ut nempe ipse provideat juxta canonicas ordinationes, non autem juxta libitum suum. — *Non congruere*, *non expedire*, id est Congregatio non putat quod conveniat concedere quod quæritur; ideo impetratam gratiam non vult elargiri nec elargitur.

Sed aliquando circa nonnullos conscientiæ casus Sacra Pœnitentiaria interrogata, respondet: *orator rem deferat ad Ordinarium et ejus judicio se dirigat.* Quid hæc verba importent anno 1857 ipsa Pœnitentiaria interrogata respondit: « Quando questa Penitenzieria alle suppliche risponde *rem deferat ad Ordinarium et ejus judicio se dirigat*, non dà alcuna facoltà; ma semplicemente rimette il ricorrente all'Ordinario, il quale, se ha facoltà sul caso esposto, provvede secondo la propria prudenza; se non ha facoltà e crede di dover favorire la istanza, allora la raccomandi al tribunale competente, e se non crede di favorirla, ingiunga quello che è di dovere. »

Si controversiæ tractantur, sic ut partes curiales procuratores statuant, et per electos causidicos causa disceptetur, eæ dicuntur *ventilari*

servato juris ordine. Si vero sine judiciali strepitu juxta ordinem procedendi consuetum Sacrarum Congregationum, dicuntur causæ *pertractari œconomice.*

Summaria precum: hæc quæ usurpatur aliquando, est quædam formula a S. C. Concilii adhibita, qua indicatur non agi de aliquo gravi dubio, vel de causa contentiosa (quando enim sic agitur usurpatur forma *in Folio* sic dicta); sed de precibus tantum R. Sedi exhibitis, seu circa modum quo exaudiri preces mereantur.

In congressu: id evenit cum cardinalis S. C. Concilii Præfectus in domo suo congressum indicit, in quo una simul cum secretario et subsecretario ventilantur preces in hebdomada acceptas, quæ non sint tanti ponderis.

In decretis, in decisis: est quando orator iterat preces non exauditas, et S. C. iterum decernit non esse audiendas, sed standum esse in jam data resolutione.

Ad mentem: est quando præter dubii solutionem aliquid aliud censet S. Congregatio animadvertendum vel declarandum; et cum suam mentem ulterius aperiat, ideo dicitur *et ad mentem.* Quæ aliquando est secreta quæ tantum manifestatur illis, ad quos responsio dirigitur; aliquando ipsius dubii solutioni additur in scriptis publice exaratis; tunc additur: *mens est,* etc.

Facto verbo cum Sanctissimo: hæc clausula adjungitur a S. Congregatione quando gratiæ concedendæ facultatem non habet; et ideo injungitur Secretario ut rescriptum S. C. referat Summo Pontifici, qui judicium Congregationis approbare solet et gratiam concedere. Hæc formula æquivalet huic: *ad dominum Secretarium cum Sanctissimo.*

Notat Fagnanus, quod S. Congregatio in definiendo utitur verbis *declaravit, respondit;* sed frequentius *censuit,* forma dicendi, qua utebatur Senatus romanus, et quidem congrue, cum Cardinales auctoritatem habeant Senatorum.

Quid *propositio Consistorialis?* — Sic appellatur quoddam folium typis editum continens brevem notionem, tum personæ Sedi episcopali vacanti præficiendæ, tum status materialis ejusdem Ecclesiæ vacantis. Ejusmodi folia ex officio distribuuntur Cardinalibus priusquam Consistorio assistant, ut cognoscant per summa capita id quod in eodem R. Pontifex sit propositurus.

Quid indicat formula: aperitio oris? — Est quando Pontifex permittit, ut Tribunalia iterum discutiant causam jam decisam, et noviter deducta examinent; aperit nempe tunc Papa de speciali gratia os Congregationis per sententiam clausam; et aliquando intervenit, ut in nova tractatione *recedatur a decisis.* Dicitur *aperitio oris* etiam in promotione ad Cardinalatum, et indicat facultatem electo tributam suffragium dandi, nempe vocem activam habendi in deliberationibus.

S. Congregationes, si quando controversiæ genericæ et indeterminatæ sibi proponuntur, respondere solet, *providebitur in casibus particularibus:* vel per alias formulas idem sonantes; unde tunc casus determinate est proponendus.

Quid illud: *gaudeat impetratis?* — Si quando post primam gratiam obtentam alia de novo postulatur vel ejus extensio, quam S. Congregatio non censet esse concedendam, respondere solet: *gaudeat impetratis,* id est gratia jam obtenta contentus sit.

Reportare rescriptum, idem est ac reddere rescriptum S. Congregationi, a qua idem prodiit, ut inter acta reponatur aut laceretur, aut deleatur, ita ut perinde sit ac si concessum et expeditum non fuisset.

In Rescriptis in quibus dicitur *Sanctissimus annuit pro gratia, ar-*

bitrio et conscientiæ Episcopi, si in iis nil determinandum reperiatur, gratia censetur facta, et non deest nisi rescripti executio ut plenum habeat effectum. Quo in casu delegatus nequit denegare executionem; nec illa verba *arbitrio et conscientiæ*, facultatem illam denegandi tribuunt; nisi forsan alia canonica causa occurrat apud S. Sedem non exposita, quæ jure impediat executionem. Namque quando literæ supplicantis Romæ cognitæ sunt (seu ut dici solet *justificatæ)* non potest retardari parata executio per clausulam *arbitrio*, etc., ut dixit Rota 29 martii 1691, *in Laud.*

333. *Quid de clausula, qua aliquando utitur S. Congregatio Indicis:* dimittatur causa?

R. Judex jus dicens vel accusatum damnat, vel accusatum absolvit, vel de ejus delicto non satis constare pronuntiat. Hoc ipsum dici potest quod eveniat in judicio, quod profert S. Congregatio in librorum examine. Ceterum quando librum non damnat, pronuntiat verbum *dimittatur*, nempe *dimittatur causa*, quod indicat (uti notant harum rerum periti) in libro vel nihil esse reprobandum, aut saltem graviter reprobandum, adeo ut liber proscribatur; vel rem post examen dubiam remanere, nec ideo ad prohibitionem esse deveniendum sine novo examine. Absit ergo toto cœlo, ut verbum *dimittatur* eandem habeat vim ac verba, quæ aliæ Congregationes pronuntiare solent, *nihil censura dignum*, ut nonnullis, perperam omnino, placuit asserere. « La Sacra Congregazione con tal parola *(dimittatur)* non intese emettere verun giudizio nè pro, nè contro; essa dimise la causa lasciandola *in statu quo* alla libera discussione de' dotti. » (Ad rem *Civiltà Cattolica*, ser. 3ª, vol. III, pag. 322).

334. Ecclesia generatim libros prohibet, quin errores indicet ac speciales notas assignet, et merito; est enim hic modus, ut de re simili, ait ipse Bossuet *(Second Écrit de livre de Fénelon)*, promptior et expeditior, ac multo minus præbet locum cavillationibus auctorum, qui amore sui decepti, ac superbi iterum atque iterum opponerent: sicque vim prohibitionis ex maxima parte eluderent, luctuosa experientia teste. Nobis satis esse debet, quod Ecclesia sit magistra veritatis et caute in omnibus agat. Et qui convinci prætendit postquam Ecclesiæ sanctæ tribunal locutum est, videat quo tandem sua superbia eum sit ductura. Convincere, non convinci iste vult, exemplo Joannis Huss, qui paratus erat suos abjurare errores si convinceretur; at quis poterat eum convincere, cum a priori se nullimode errasse, contenderet? » Egli rimase fermo nella sua ostinazione, mentre protestava d'esser pronto a ritrattarsi, se alcuno avesse potuto *convincerlo* di errore, scherzando così sino alla fine sul doppio senso della parola *convincere*.... Essa ha due significati, l'uno volgare, l'altro giudiziale: nel primo *convincere* significa ridurre qualcuno col raziocinio, o con prove sensibili ed evidenti a rimaner d'accordo di una verità, di un fatto; nel secondo senso *convincere* significa dar prove sufficienti che una persona è colpevole di un delitto, di un fallo. Nel primo caso la convinzione dipende non solo dalla sodezza delle prove, ma anche dalle disposizioni della persona da convincere; quand'anche le prove fossero eccellenti, se la persona non ha bastevole intelligenza o rettitudine, ella non ne sarà convinta. Nel secondo caso, non l'individuo è da convincere, ma il tribunale. In un tribunale di prima instanza, non è l'accusato che apprezza le prove del fatto, ma il giurì; non è l'accusato, sono i giudici che qualificano il fatto rispetto alla legge e che applicano la pena. (Rohrbacher, *Storia della Chiesa*, lib. LXXXI.) Qui porro Huss imitatur in pertinacia, videat ne ipsum sequatur in perditione, primum naufragium faciens in obedientia, postea in fide, quicumque est ille.

335. Quod quidem observari solet etiam in aliis aliarum Congregationum declarationibus; nam Sacræ Congregationes agunt nomine S. Pontificis, qui omnia jura in pectore suo habet; neque sane opportunum est ad pertinaciam litigantium coercendam vel ad molestas petitiones reprimendas articulatam reddere rationem, ut reddere debent quæ uti mera tribunalia judicantur. — V. *Acta*, t. II, pag. 417; — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum.*

(M) Pag. 150.

336. *Reservationis* vocabulum differt a voce *affecta;* nam *reservata* dicuntur *Beneficia*, quorum collatio generatim et expresse est Pontifici servata ex constanti juris regula; *affecta*, si manus Pontifex apposuit in Beneficiorum collatione, quæ si inde vacent, pro ea vice remanent affecta seu reservata, quia non est æquum ut se ingerat inferior in eo quod ad suum judicium superior revocavit. Porro reservationes hujusmodi continentur tum in Corpore juris canonici, in Extravagantibus, in Bullis, quæ omnia perpetuam habent vim; tum in Regulis Cancellariæ apostolicæ, quæ quidem regulæ, ex dictis, mortuo Pontifice cessant, non tamen in omnibus; sed a novo electo Pontifice Romæ debitis modis statim promulgantur, et ex tunc incipiunt obligare ubique, nisi iis per Concordata derogatum sit. Imo observat Devoti quod per obitum Pontificis tantum reservata esse desinunt Beneficia quæ continentur Regula nona, quæ scilicet respicit Beneficia quæ vacant in mensibus Papæ reservatis. Quod ut intelligatur notandum, reservationes alias esse *certas*, et est, quando ante mortem beneficiati jam constat Beneficium ab ipso possessum esse reservatum; alias *incertas*, quando reservatio pendet ab eventu futuro et incerto, qui nonnisi ab ipsa beneficiati morte certus fit. Porro reservationes certæ semper obtinent, etiamsi inductæ a regulis Cancellariæ, et vacet Sedes Romana; non item incertæ. Sed incerta reservatio ex Regulis Cancellariæ una tantum est, quæ scilicet respicit menses papales.

Tres autem præcipuæ sunt Cancellariæ regulæ quæ ob maximam quam præseferunt utilitatem, semper obtinent, etiam mortuo Pontifice, nempe Regula XIX *de viginti*, XX *de idiomate*, XXX *de verisimili notitia*. Rigantius et Marenco.

Verum ut, mortuo Pontifice, Beneficia recte ab Episcopo conferantur, expedienda est collatio, vacua Sede apostolica; nam electo Pontifice confirmatisque regulis, amittit Episcopus vel quivis alius conferendi facultatem. — Item observandum, quod reservatio per se non obtinet in Beneficiis jurispatronatus laicalis et mixti. Verum hoc non obest, ut si talia Beneficia vacant apud Sedem, scilicet per obitum in Curia vel in loco vicino, Pontifex ea Beneficia conferat, modo non sint jurispatronatus regii.

337. Reservatio: Regulæ Cancellariæ, prout respiciunt *expeditiones Literarum* apostolicarum, aderant etsi non scriptæ ante Joannem XXII; prout respiciunt *causas judiciales*, volunt Nicolaum V versus annum 1447 eas publici juris fecisse cum regula reservatoria mensium. Regula vero *reservationum generalium*, si excipiatur reservatio ob vacationem apud Sedem, obtinuerunt anno 1316, sub Joanne XXII. En porro reservationes præcipuæ:

1. Reservantur R. Pontifici Beneficia, si vacent apud Sedem apostolicam, vel in Curia romana, si Sedes Pontificia non sit vacans. Non sufficit autem ut quis Romæ degat ratione originis vel domicilii,

nisi etiam Curialis sit, et etiam ibi ratione dictæ Curiæ existat: dicuntur vero *Curiales* ad hunc effectum qui Papæ vel Cardinalibus vel Prælatis aut aliis Officialibus Romanæ Curiæ inserviunt. Dicitur etiam *vacare in Curia* sive Beneficiatus Romæ moriatur sive extra per duas dietas, id est spatium 40 milliarium italicorum, seu per iter duorum dierum: *cap.* II *et* XXXIV *de præben., in* 6. Ubi notandum cum Rigantio, aliud esse, proprie loquendo, vacare *in Curia*, aliud *apud Sedem:* vacatio in Curia est nomen generale quod sub se continet duas species, et vacationem per obitum naturalem quæ est vacatio *apud Sedem*, et vacationem per obitum civilem, v. g. privationem, promotionem, etc.

2. Beneficia familiarium et continuorum commensalium Papæ aut Cardinalium, dummodo obtenta tempore famulatus hujusmodi.

3. Si vacent per promotionem Titularis ad Patriarchatum, Archiepiscopatum, Episcopatum vel Abatiam; etiamsi promoto a Summo Pontifice indultum sit retinendi Beneficium: quo in casu vacat post ejus mortem *(Extravagans, Ad regimen;* et Regula I *Cancell.)*. Attamen de Jure communi ad hanc vacationem requiritur adeptio possessionis Episcopatus et Episcopi consecratio, seu loco consecrationis lapsus trimestris ad eam peragendam assignati. Excipe nisi, in promotione, Papa decernat Beneficia vacare; tunc statim ab ipso conferri possunt, non expectata consecratione ac possessione. Attamen quamvis statim conferrantur hujusmodi Beneficia, non censentur vere vacare nec collatio suum plenum sortitur effectum, nisi postquam promotus Ecclesiæ canonicam possessionem adeptus fuerit vel per ipsum steterit quominus eam adipisceretur; non enim, ait Rigantius, juri et æquitati consonum est, ut quis primum Beneficium amittat antequam plene secundum Beneficium assecutus fuerit. — *V.* Ferraris; V. *Vicarius capitularis*, a. I, n. 56.

Hæc autem reservatio non obtinet contra promotos ad Episcopatus Titulares seu ad Ecclesias in partibus infidelium, ob impossibilitatem assequendi illarum possessionem; quod valet etsi Episcopus titularis deputetur ad exercendum suffraganei munus.

4. Si vacent, dum Sedis episcopalis Diœcesis, in qua existunt, est viduata suo Pastore, nisi Beneficia sint patronatus *(Pius V*, Bulla *Sanctissimus)*.

5. Si vacent per assecutionem pacificam quorumcumque Prioratuum, Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Canonicatuum, Præbendarum Apostolica auctoritate provisorum, nisi fuerint resignata vel remissa ante postulationem Bullarum de provisione novi Beneficii *(Extravagans, Ad regimen)*.

6. Si Beneficia sint dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus aut Patriarchalibus, et principales in Collegiatis *(Reg.* IV *Cancell.):* hæc reservatio plerisque in regionibus sic temperata est per Concordata, ut nominet princeps, confirmet et consecret Pontifex. Bullæ adhuc requiruntur. Quoad Regnum Pedemontanum vide *Conventiones* 25 *octobr.* 1726, 5 *jan.* 1741; quoad Austriam vide *Concordatum* 25 *septembris* 1855, art. 22 et seqq.

7. Si vacent ob crimen hæresis patratum a possessore *(Pius V*, Bulla *Cum);* vel ob delictum ejus qui offendit litigantes in Curia romana *(Alexander VI*, Bulla *In eminenti);* vel quia unus pro alio examini se subjicit; aut quia illi qui spoliantur eisdem, impetrarunt Beneficia pro aliis intentione simoniaca, ut scilicet ab ea obtinente aliquid reciperent; aut quia spoliatus Beneficium impetravit eo animo ut illud postea resignet *(Paulus IV*, Bulla *Inter ceteras)*.

8. Si collata fuerint contra dispositionem Concilii Tridentini; vel

vacent ob non factam publicationem *(Pius V*, Bulla *In Conferendis; Gregorius XIII*, Bulla *Humano)*.

9. Si Beneficio libere renuntiato, renuntians intra dies viginti a facta renuntiatione moriatur et dicitur *Regula de viginti*. Item est si Beneficium cum cura animarum sit collatum ei qui non intelligat nec intelligibiliter loqui sciat idioma loci Beneficii, et dicitur *Regula de idiomate*. Item si provisio Beneficii sit facta ante verisimilem notitiam obitus prioris Beneficiati, et dicitur *Regula de verisimili notitia*. *(Reg.* XIX, XX et XXX *Cancellariæ.)*

10. Reservantur cuncta Beneficia quæ vacant mensibus januarii, februarii, aprilis, maji, julii, augusti, octobris et novembris: *Reg.* IX *Cancell.* Excipiuntur tamen Beneficia quæ vacant, licet in dictis mensibus, per renuntiationem in manibus collatoris Ordinarii, vel per permutationem. Item apud nos, ex peculiari Sabaudiæ consuetudine, omnia Beneficia simplicia: vide Marenco, *De Beneficiis*.

338. Si tamen Episcopo concedatur *alternativa*, tunc februarius, aprilis, junius, augustus, october et december assignantur ipsi Episcopo; ceteri menses Summo Pontifici. Alternativa conceditur tantum ad vitam concedentis Pontificis et quidem sub expressa conditione, ut Episcopus *vere et personaliter* resideat in Diœcesi; unde si quando vacat Beneficium, non sit in Diœcesi, eo privilegio non gaudet etsi impeditus, etsi injuste expulsus (cui privilegio sine Pontificis venia nequit amplius renuntiare). Attamen conditio residentiæ non afficit Beneficia vacantia mensibus junii et decembris; nam alternativa etiam seposita (ut dicunt Garcias et Marenco, et praxis probat), menses isti sunt episcopales, quæ ideo censentur retinere propriam qualitatem. Illud quoque receptum est a Rota, et tradit Rigantius contra Garcias et alios graves auctores, ut si Episcopus initio tantum mensium unice papalium absit, nequeat Beneficium conferre, licet die vacationis in Diœcesi moraretur illis mensibus. Gaudet tamen alternativa si vacationis die et in ipso mensis papalis initio resederit, etsi non per totum illum mensem in Diœcesi fuerit.

Ceterum Episcopus pro iis solum Beneficiis alternativa gaudet, quæ (sublata papali reservatione) ad liberam ipsius collationem pertinerent, nec sunt de jure tertii, puta Capituli, Congregationis, aut alicujus patroni. Hinc Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Novariensis cum habeat ab immemorabili, nempe usque et de tempore Alexandri III qui obiit 1216, ut conferat jure proprio et ordinario Canonicatus suæ Ecclesiæ (quod etiam probant plura instrumenta collationum usque ab annis 1235, 1251, 1284, 1361 et seqq.), nequit in illis se ingerere Episcopus neque proponendo neque eligendo in mensibus liberis, scilicet martii, junii, septembris et decembris; tunc omne jus ad Capitulum unice spectat (nisi Canonicatus ex alio capite sint reservati, v. g. si illum obtinuerit a Cardinali cum esset ejus commensalis, vel ob munus exercitum Coadjutoris). Imo quandiu Sedes Pontificia vacat (cum tunc cessent Regulæ Cancellariæ suum robur habere), solius est Capituli omnes Canonicatus conferre, quocumque mense vacent, uti decisum habemus a R. Rota 28 junii 1677. Quod et documentis firmatur in illa causa relatis; vacante enim Sede Apostolica per obitum Urbani VI anno 1389, Joannis XXIII 1415, Clementis IX 1669, et Clementis X 1676, Capitulum solum contulit jure et cum effectu Canonicatus omnes eodem tempore vacantes. Ex quibus patet Capitulum Cathedralis Novariensis esse legitimum et ordinarium collatorem Canonicatuum suæ Ecclesiæ; ad quod proinde pertinet nominare, eligere, instituere et in realem possessionem immittere; et ideo in casu

renuntiationis ad ipsum quoque spectat de illis providere etiam in mense papali, nisi alia ratione reservati vel affecti sunt. — V. *R. Rota, decis. recent.*, parte XIX, decis. CXXI in Novariensi — Spada, *Consult.*, t, II, cons. LXXIV. — Rigantius, *In* I *par. Reg.* IX *Cancell.*, §§ 3 et 4.

339. Affectio: Beneficia dicuntur affecta:

1. Si Papa det Beneficium in Commendam; nam in ea appositione manus Papæ illud Beneficium affectum remanet, et solus Papa de eo providere debet quando vacat; idem est in unione facta a Pontifice de Beneficio ad vitam alicujus *(Rota*, par. IV, t. I, *decis.* LXX). Item ex deputatione coadjutoris cum futura successione: ex *Text.* I *de confir. util. vel inutil.* Si vero coadjutor decedat ante coadjutum, an Beneficium eo in casu remaneat affectum, Rota primitus id censuit; sed postea recessit a decisis. — *V.* Rigantius, *In reg.* I *Cancell.*, § I, n. 87.

2. Si Papa concedit alicui mandatum de providendo de certo Beneficio, etiam ante vacationem *(Extravagans, Ad Romani Pontificis*, XIV *de privil.).*

3. Ex Decreto per Papam apposito de Beneficio dimittendo in manibus Papæ *(Rota, decis.* XIV *de rerum permut.).*

4. Si Papa jure præventionis contulit Beneficium, et collatio non teneat ex aliquo defectu impetrantis, vel alias collatio sit inutilis; etenim ex quo Papa manus apposuit, Ordinarii manus remanserunt ligatæ: idem est si collatio sit facta absenti, qui ante acceptationem decedat *(Gonzales, ad reg.* VIII *Cancell.; et Rota*, p. II, *dec.* CDI).

5. Si resignatio Beneficii fiat in manibus Papæ; vel si Papa electoribus Beneficii mandet, ne ad electionem procedant *(Rota*, p. V, tom. I, *decis.* XXXIV; et cap. *si eo tempore* XLV *de electionib.*, in 6).

6. Si electus renuntiet juri ad rem sibi quæsitam ex electione in manibus Papæ, qui eandem renuntiationem admittat.

7. Si Papa post electionem, ante confirmationem, manum suam apposuit in aliquo actu concernente validitatem electionis; nam tunc dicitur affecta confirmatio.

8. Si Papa per suum rescriptum mandet quod talis Beneficio privetur obtento; nam, secuta privatione, Beneficium affectum remanet.

9. Habens collationem a Papa de Beneficio, si postea etiam ab Ordinario de eodem Beneficio collationem recipiat, cadit a jure quæsito ex dicta collatione Papæ, ut ingratus, et collatio Ordinarii tanquam de Beneficio affecto est invalida. Item habens collationem a Papa, si egeat aliqua dispensatione, non potest Episcopus cum eo quoad dictum Beneficium sic effectum dispensare, quamvis alias posset.

10. Si quis fuerit provisus de Beneficio a Papa, quod sit incompatibile cum primo, hoc primum remanet affectum, per secundi Beneficii collationem (dicitur autem tunc vacare *per risulta).*

Prædicta tamen limitantur, ac: — 1) affectio non procedit, quando Beneficium ad effectum provisionis non vacat: uti si Beneficium alicui fuit collatum qui nondum acceptavit, nam si interim Papa alio conferat, non erit affectum: sed si primus collatarius noluerit acceptare, vel cedat juri suo aut decedat, potest Ordinarius illud conferre. — 2) Si Papa manum apposuit ad Beneficium vacaturum certo modo, puta per privationem: nam si Beneficium alio modo vacaverit, non erit affectum, quia appositio manuum fuit conditionalis, et deficiente conditione, non operatur. — 3) Quando Papa apponit manum super Beneficio resignato, et resignatio non tenet, vel quia verus valor non fuit expressus, vel alia de causa; quia Papa non censetur manum apposuisse, nisi ad effectum ut resignatio sequatur. — 4) Cum Papa providet de Beneficio uti reservato, quod tamen reservatum non est. —

V. Rigantius, Gonzales, Garcias, *In Cancellariæ Regulis;* — Ferraris; V. *Alternativa, Beneficium*, art. 8 et 9; — *Pratica legale*, t. IX, p. 2ª pro Subalpino Regno; — Vecchiotti, *Just. can.*, ubi de reservationibus.

340. *Ultima decembris nocte obit beneficiarius; ambigitur an media nox esset elapsa; ad quem pertinet conferre Beneficium, ad Pontificem vel Episcopum?* — Hic datur locus præventioni et ille prævalebit, qui prius conferet, ex juris regula: *qui prior est tempore, potior est jure.* Si autem duo essent jam provisi, is qui possideret, præfereretur, *quia in dubio melior est conditio possidentis.* Si vero non appareret quisnam anterius providisset, provisus a Papa propter dignitatem ejus in possessionem immiteretur.

(N) Pag. 155.

341. Sæcularis potestas a Deo procedit; sed mediate tantum (si excipias nonnullos casus, in quibus etiam immediata regum electio a Deo erat, ut apud Judæos). Deus enim dedit principio justitiæ et ordinis politici, sed immediate non præstabilivit gubernii formam, neque personas gubernantium: reliquit ut id determinaretur facto aliquo societatis, ex libera hominis voluntate, nempe vel per popularem electionem, vel per successionem hæreditariam, quæ quidem a principio fundamentum habuit in aliquo expresso vel tacito societatis pacto. Hoc semel præstabilito, accedit Dei auctoritas, quæ pactum illud firmat, electo auctoritatem tribuens: sane auctoritas liberis hominibus præsidendi nonnisi a Deo esse potest, a quo omne dominium est. Hinc illud Danielis ad Nabuchodonosor: *Deus tibi dedit regnum, fortitudinem et imperium.* Hinc illud Pauli: *Non est potestas nisi a Deo:* in quem locum ait Chrysostomus: *quid dicis? ergo omnis princeps a Deo constitutus est? Istud non dico: non enim de quovis principe mihi sermo est, sed de re ipsa, id est de ipsa potestate: quod enim Principatus sint, quodque non simpliciter et temere cuncta ferantur, divinæ sapientiæ opus esse dico. Propterea non dicit:* non enim princeps est, nisi a Deo; *sed de re ipsa disserit dicens:* non est potestas, nisi a Deo. — V. *La Repubblica italiana del* 1849: *Suo processo;* Torino, cap. XXVI; — Taparelli, *Saggio teoretico: La Società;* — Salzano, *Elementi di Storia antica*, lib. II.

P. Ventura in Opere, *Saggio sul Potere pubblico*, c. VI, n. 28, pluribus veritate de qua hic, confirmata, addit de Sancto nostro: « Santo Alfonso, il più grande dei Dottori della Chiesa de' nostri giorni, senza essere domenicano per la professione religiosa, lo è stato per la sua devozione a s. Tommaso e per la sua fedeltà in seguirne le dottrine. Può dunque essere risguardato egli pure come l'ultima illustrazione della stessa scuola, tanto famosa nella Chiesa per scienza e santità. Or nelle giunte ch' egli ha fatte nelle Teologia morale del Busembaum, s. Liguori si esprime così *(Op. Mor.*, l. I, n. 104): *certum est dari in hominibus potestatem ferendi leges; sed potestas hæc quoad leges civiles a natura nemini competit, nisi communitati hominum; sed ab ipsa transfertur (sicut debet necessario transferri) in unum vel plures a quibus communitas regatur.* »

Potestas vero ecclesiastica (ait A-Lapide in cap. XIII *ad Rom.)* est immediate a Deo; quia Christus expresse præposuit Petrum Apostolis et sic successive; et regnum Ecclesiæ monarchicum est, quia summa potestas uni Petro, ejusque successoribus tributa fuit. Sunt qui cum Bellarmino tuentur, Ecclesiæ monarchiam aristocratia aliquatenus tem-

peratam esse; quod tamen alii negant cum Salzano, *Lezioni di Diritto* ecc., vol. I, l. VII. — *V.* Cercià, *De Ecclesia;* et Gregorius XVI, *Il Trionfo della S. Sede:* Discorso preliminare. — Et nostrum *Novum Manuale Compendium Juris*, ubi plura de Ecclesiæ regimine.

Ex dictis etiam patet differentiam inter potestatem laicam et ecclesiasticam: nam prima potest habere diversas species, cum hæc ultimo sit de humana electione ac determinatione; non autem secunda, quod esset contra institutionem Christi, qui gubernium Ecclesiæ suæ voluit perdurare immutatum usque ad consummationem sæculi eo tantum modo, qui ab ipso primitus præstabilitus est, nempe in solis et omnibus d. Petri successoribus.

(O) Pag. 156.

342. Dum tuemur necessitate subditos nos esse et obedientes etiam superioribus discolis non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; non ideo discolos superiores excusamus, *quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet; exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur* (Sap. VI). Subditi siquidem quorum vitam despiciunt, eorum imperata contemnunt; quod si aliquatenus eorum bonis verbis ipsi moventur, illorum tamen pravis exemplis trahuntur. Superiorum dotes p. Binet (eructans quod biberat familiariter agendo cum s. Francisco Salesio) mire exponit in Opere, *Dell'Arte di ben governare;* quod eleganter italice reddit p. Bresciani: ex quo hic aliqua innuimus:

a) « I due più grandi uomini che si segnalassero nel governo e conducessero con più felice riuscimento i figliuoli di Dio, cioè Mosè e s. Pietro, inclinarono sempre alla dolcezza. Chi non si sentirebbe intenerito fino all'intimo del cuore al considerar la dolcezza di s. Paolo? Non presumete già di udire dalla sua bocca un *vero comando da parte di Dio; io voglio così sotto pena di disobbedienza.* Le sue parole sono preghiere, non comandi: *io ti scongiuro*, dice a Timoteo, *per l'affetto che tu mi porti; io ti prego per le viscere di Gesù Cristo; io ti supplico per tutta la dolcezza di nostro Signore; se tu m'ami, e se mai facesti alcuna cosa per piacermi, fa ancor questa per la gloria e per l'onore di Gesù Signor nostro.* Che direbbero qui codesti superiorelli, che comandano sì arditamente e sì bruscamente...?

» Fu fatta l'osservazione che in tutto il tempo, in cui il cardinal Bellarmino fu Rettore al Collegio Romano, non gli fu mai rifiutato nulla da veruno; e quei che talora erano chiesti della ragione di ciò, rispondeano, non essere possibile il negare cosa ad un uomo che governava con tanta amorevolezza.... S. Giovanni Crisostomo leva a cielo con somme lodi quel detto di s. Paolo: *io vi supplico, miei cari, per la dolcezza di Gesù mio Signore e Maestro.* Non potea certo scongiurarli con più possente motivo, poichè finalmente la dolcezza è la regina de' cuori, e le sue leggi sono sì amabili che lor si obbedisce senza il menomo dispiacere.... *Mio sommo Iddio*, diceva il coronato Profeta, *vi sovvenga di Davide e della sua dolcezza nel reggere il popol suo:* ecco tutta la preghiera che posso farvi. Quanto questo gran Principe conosceva la forma della clemenza...!

» Quali erano i modi che si tenevano nella Sacra Famiglia, composta di Gesù, di Giuseppe e di Maria? Chi comandava? Gesù no, poich'egli era figliuol d'obbedienza ed era venuto in terra per obbedire. Maria? Maria no; ella era pienamente sommessa a Dio ed al suo sposo. Dunque Giuseppe? meno che mai; egli non sentiasi in grado di coman-

dare al suo Creatore ed alla Vergine Regina degli Angeli. Chi dunque comandava fra loro? Tutti tre, o a dir meglio niuno di tutti tre. Tutto faceasi senza comando, si prevenivano i desiderii l'un dell'altro, si pregavano scambievolmente, non si comandavano mai. Oh bella ed ammirabile famiglia! ove niuno la facea da superiore e ciascuno era suddito di tutti, nè v'era d'uopo di precetti, poichè ognuno andava a gara d'eseguire i suoi doveri! Qual dolce impero è quello ove pesa più il comandare che l'obbedire, ove ciascuno è servo dell'altro, e dove null'altro governa che la modestia e la dolcezza!

b) » In generale eccovi in ristretto le precipue massime:

» 1. Non comandar mai precipitosamente o a caso. Non lasciarsi mai uscir di bocca un comando, quando la passione è in sul caldo.

» 2. Non esporsi mai a contrastare ostinatamente cogl'inferiori, o a difendere con durezza i suoi ordini: ciò suscita sdegno, e fa che si obbedisca per forza. Ma dar luogo all'animo amareggiato e chiuso del suddito d'aprirsi con libertà, affinchè possa disporsi a ricevere dolcemente e con piacere ciò che gli verrà imposto.

» 3. Se si nega ciò che ne vien chiesto (come talora conviene di fare), si faccia in modo che il suddito vegga la pena che voi provate di non poter concedergli ciò che domanda; e si conosca da lui che la pura forza della regola e non altro v'induce al rifiuto.

» 4. Non infiammarsi e agitarsi e dar tanto peso a cosuccie da nulla; quasi che vi fosse poca dovizia di que' superiori che comandano con accigliata serietà certe inezie, come se fossero cose di rilevata importanza; nè s'accorgono intanto i poveretti che movono a riso ed a compassione.

» 5. Rammentate sovente che quando foste eletto superiore, la prima volta, faceste molti complimenti e molte proteste della vostra indegnità e piccolezza, dicendo ch'eravate l'infimo di tutti e mal atto a reggere voi stesso, non che i vostri fratelli. Dirovvi adunque che bisogna fomentare questi vostri buoni sentimenti, e non perderli mai di vista; e che dovete comandare per soddisfar all'obbligo vostro, tenendovi però interiormente per servo di tutti, e non lasciandovi abbacinare allo splendore di quella dignità che v'adorna.

» 6. Quando per necessità occorre di dover metter mano al rigore, farlo di sì mal cuore che diate a conoscere, come s. Francesco Saverio, che terreste più volontieri per voi la penitenza, di quello che la imponiate agli altri.

» 7. Non voler far languire coloro, a'quali vuoi usare qualche grazia; perchè tirando a lungo gl'indugi, amareggi tutta la dolcezza del benefizio.

» 8. Non è buono l'ostinarsi a difender soverchiamente la propria innocenza, ma egli convien fare come Davide e s. Bernardo, e dire con essi: *audiant mansueti et lætentur;* io mi rimetto appieno al giudizio de'buoni. Se essi mi condannano, io pure mi condanno; e se essi pigliano le mie parti, io ne lodo il Signore e onoro la sua Provvidenza che si compiacque di guidare la cosa a suo grado.

» 9. Se anco vi venisse il rapportamento di un Santo, non condannate mai chicchessia senza prima averlo ascoltato, poichè v'esponete a trascorrere in qualche danno irreparabile.

» 10. Odiate con tutto l'animo i vizi; ma amate, vi prego, colla più tenera carità quelli che hanno mancato; poichè la vostra amorevolezza giugnerà a convertirli.

» 11. Vi sono alcuni che non saprebbero riprendere gli altri di una colpa veniale senza quasi commettere un peccato mortale; voglio

dire che la passione colla quale correggesi un semplice difetto, li rende più colpevoli di colui che riprendono.

» 12. Egli è vero che si può abusare della bontà del superiore; ma siccome le serpi solamente suggono il veleno dai fiori; così del paro gli uomini cattivi solamente abusano della sua dolcezza e piacevolezza. Non avvien però così del rigore, i buoni se ne scandalizzano, i più giudiziosi se ne offendono e ciascuno ne mormora. »

(P) Pag. 157.

343. Quoad modum tenendi circa regni usurpatorem plura disputabimus Libro II *De cooperatione* (nn. 997 et 1058); plurima autem Libro IV in Append. XXXV et seqq. Hic tamen nonnulla pressim pro praxi cum episcopo Bouvier in suis *Instit. philosoph.* Certum est usurpatorem, qui supremam auctoritatem vi aut astutia consequitur, magnum esse latronem, juxta verba Scythæ apud Q. Curtium (l. VII, n. 23), et nulla acquisiisse jura in populum, quem regere intendit. Attamen leges facit, populo imperat, pœnas decernit, etc.: petitur *quid in illo casu agere possint, aut debeant fideles subditi?*

R. Obsequium legitimo principi certo præstare tenentur, quandiu illud velut sibi utile postulat; solo enim usurpationis facto, a vinculo fidelitatis erga illum solvi non potuerunt. Hinc ad ipsius vocem debent arma contra usurpatorem sumere, illum expugnare, vincere, illumque expellere si possunt.

At ex hypothesi, *quod princeps legitimus obsequium non exigat, aut obsequium sit moraliter impossibile, vel prorsus inutile, peccantne subditi obediendo usurpatori?*

R. Distinctione opus est: vel agitur de legibus jam antea existentibus, aut ab usurpatore conditis, sed ad tranquillitatem publicam, aut ad prosperitatem regni conducentibus; vel de legibus, aut mandatis contra legitimum principem directis.

In priori casu non solum possunt, sed tenentur subditi legibus obedire et obsequium usurpatori præstare, non quidem vi ipsius auctoritatis quæ nulla est, sed vi ordinis naturalis id evidenter postulantis; in societatibus enim politicis suprema lex est salus populi. Atqui salus populi postulat manifeste ut in casu dicto leges usurpatoris custodiantur; nisi enim servarentur, omnis ordo in confusionem mox verteretur, et ipse Status in ruinam abiret. Unde hic sapienter observat Grotius, quod legitimus princeps saltem tacite jubeat, ut istæ leges serventur; quia supponi non potest illum destructionem regni sui velle. Hinc colligitur magistratus civiles functiones publicas sub usurpatore acceptare et exercere posse; necesse est enim ex dictis, ut leges observentur; observari autem non possunt, nisi præponantur magistratus qui illarum observationi et publicæ tranquillitati continuo invigilent. Qui ergo tales functiones ex recta intentione suscipiunt, contra voluntatem legitimi principis rationabiliter præsumptam non agunt, sed rem ipsi gratam faciunt, et causam ejus utiliter fovent, quam si, vitam privatam eligentes, locum improbis hominibus vel usurpatoris fautoribus cederent. Quinimo fidem suam usurpatori in his functionibus obeundis sub juramento obstringere possunt; juramentum enim est de re licita, et laudabili fine præstatur. Verum, rebus mutatis et legitimo principe auctoritatem suam de novo obtinente, vinculum juramenti erga usurpatorem præstiti statim cessat, quia tum fieret de re illicita.

In posteriori vero casu, id est, si usurpator aliquid contra legitimum principem directe jubeat, v. g. si præcipiat subditis, ut vi armata illum repellant, aut adversus exercitum ejus debellent, illi parere non licet (sicut neque partes ejus directe tuendas suscipere). Attamen qui ab usurpatore sub pœna mortis cogeretur ad militiam, non peccaret arma sumendo, vestem militarem induendo, inter agmina stando, donec tuto fugere posset; sed defensores legitimæ auctoritatis ferire non posset, nec periculo eos vulnerandi vel occidendi se exponere.

Milites qui sub usurpatore adversus hostes patriæ, privatos aut publicos, internos vel externos, pugnant, culpari non debent, modo ex pura intentione agant; tunc enim non causam usurpatoris defendunt, sed causam patriæ: quod semper licet; quia ordo id præscribit et in eo causa legitimi principis indirecte defenditur. Verum uti patriæ hostes haberi non debent extranei exercitus, qui partes legitimi principis defendentes, contra subditos ejus rebelles dimicant: potius veluti amici et protectores æstimandi sunt; sunt quidem onerosi, sed onera inde provenientia solis rebellibus tribui debent.

344. Item hac in re pro norma sit *Instructio* data a Pio VII, 1809, 1810, suis subditis in civili Romanæ Ecclesiæ Principatus invasione: « Con essa Istruzione (ita refert Bercastel, *Storia ecclesiastica*, Contin. xxxvi; Firenze) si regolavano principalmente tre oggetti: 1) il giuramento di fedeltà ch'esigeva il governo intruso; 2) l'accettazione di impieghi; 3) il canto del *Te-Deum* comandato dalle autorità laiche per festeggiare lo stabilimento del nuovo governo.

» Quanto al giuramento. Il Pontefice dichiarava illeciti i giuramenti illimitati, implicando infedeltà e fellonia verso il legittimo governo. Assentiva poi, che fosse dato ne' limiti di obbedienza passiva; bene inteso che questa di lui permissione non si potesse giammai interpretare per un' abdicazione della sovranità temporale. Prescriveva la formola del giuramento nei termini seguenti: *Io prometto e giuro di non prender parte in nessuna cospirazione, complotto, o sedizione contro il governo attuale: siccome altresì di essere sommesso ed obbediente in tutto ciò che non sarà punto contrario alle leggi di Dio e della Chiesa.*

» Non permetteva poi, che si esercitassero, nè si accettassero impieghi, dai quali ne nascesse il riconoscimento dell'usurpazione: anzi avea stabilito, che coloro che ne accettassero di tal fatta, incorressero nelle censure. Quanto agli impieghi, che non portassero riconoscimento, acconsentiva il Pontefice che fossero accettati, sempre per altro con dispensa del Diocesano.

» Finalmente vietava ai Vescovi ed altri Pastori ecclesiastici di prestarsi al canto dell'Inno Ambrosiano, il quale, per le circostanze dei tempi, diveniva più un insulto a Dio che un atto religioso. »

(Q) Pag. 161.

345. Ut quæstio de legis subjecto diversis regnis aptari possit præstat referre, quæ habet Bouvier in Opere: *Institutiones philosophicæ.*

Monarchia (a duobus verbis græcis *monos*, solus; et *arco*, dominatio, principatus sic dicta) est societas, in qua unus totam habet auctoritatem, et vocatur rex, imperator, princeps, dux, comes, etc. Duplex est monarchia: absoluta et temperata. *Absoluta* ea est in qua sola monarchæ voluntas vim legis habet, et subditos tenet obstrictos (et hoc est regimen omnium perfectissimum ex Angelico). *Temperata*, quando monarchæ voluntas intra quosdam limites determinatos coer-

cetur. Rex enim plenam non possidet auctoritatem condendi leges, tributa exigendi, etc.; sed insuper requiritur consensus per majoritatem suffragiorum expressus, utriusque conventus, scilicet conventus *Parium regni* et conventus *Delegatorum populi* (vulgo *la chambre des Pairs et la chambre des Députés).* Hæc monarchia gallice appellatur *gouvernement représentatif:* hodie tamen non amplius viget in Gallia. — *V.* Taparelli, *Gli Ordini rappresentativi;* — *Civiltà Catt.*, ser. 2ª, vol. I: *Di un'apologia cattolica degli ordini rappresentativi,* ser. 3ª, vol. VIII; ser. 5ª, vol. VII, pag. 337; — Della-Margarita, *L'uomo di Stato,* l. II: *I ministri costituzionali.*

Aristocratia (a vocibus *aristos*, optimus; et *cratos*, potestas) est societas, in qua primates supremam auctoritatem habent, sive nobilitate sive opibus sive capacitate ceteris præcellant. Tale diu fuit gubernium Venetiarum. Si in hoc regimine quidam irrepant abusus, v. g. si primates populum opprimant, si dignos a concilio avertant, si indignos vel incapaces admittant, tunc gubernium istud vocatur *oligarchia* a vocibus *oligos*, pauci; et *arco*, potestas.

Democratia, quæ etiam in usu vulgari appellatur *respublica*, illa est societas, in qua suprema auctoritas penes generalia populi comitia residet. Nomen accipit a verbo *demos*, populus; et *cratos*, potestas. Hac gubernii forma usi sunt Lacedæmones, Athenienses, Romani, etc. Gubernium democraticum male constitutum, in quo plebs infima prævalet, dicitur *ochlogratia* a vocibus *ochlos*, multitudo; et *cratos*, potestas.

Sunt adhuc gubernia, quæ vocantur *fœderata*, et coalescunt ex pluribus societatibus a se divisis, aliquo tamen vinculo unitatis inter se conjunctis, et sub hoc respectu unicam societatem politicam constituentibus. Talia sunt fœdera inter respublicas Helvetiorum, inter principes Germaniæ, inter provincias Americæ *(les États Unis).* — *V.* Gerdil, *Della Sovranità, del Sovrano e dei Sudditi.* Scritto inedito; Genova, 1853; — Della-Margarita, *Avvedimenti politici*, c. III: *Forme diverse di governo;* — Balmes, *Il Protestantismo comparato al Cattolicismo*, c. LVII.

346. Q. 1. *An legislator suis ipse legibus ligari dicendus sit?*

R. Si regimen, in quo vivit legislator, est vel Aristocraticum in quo summa potestas est penes Optimates, vel Democraticum in quo ea est penes populum, vel Repræsentativum seu constitutionale, ut ajunt, in quo potestas ferendi leges est penes regem ac simul penes suos et populi delegatos, utique legislator legibus propriis ligatur, nisi in ipsa lege aliqua sit facta exceptio. Ratio est, quia singuli sunt inferiores ipsa communitate, a qua leges feruntur: sic Ordinum religiosorum Generales legibus in generali Capitulo latis subjiciuntur; sic *Parlamentorum* deputati ligantur legibus ab ipsis probatis.

Si vero regimen sit Monarchicum, in quo summa potestas penes unum residet regem, tunc vel legum materia talis est ut ad legislatorem monarcham (uti est rex in regno, Pontifex in Ecclesia) nullo modo pertineat; vel talis est, ut ipsi quoque conveniat. — In primo casu legibus iis minime ligatur; aliter ejus dignitas læderetur: sic nemo dixerit regem ligari legibus, quæ armorum vetant gestationem. In secundo vero casu legibus suis rex in conscientia tenetur; tum quia recta ratio jubet, ut caput, quo magis fieri potest, membris suis conformetur; *si enim*, ait Augustinus, *turpis est omnis pars suo universo non congruens, quanto magis caput* (L. III *Confess.*, c. VIII)? tum quia ipse vi officii sui legum observantiam promovere tenetur; atqui nihil est ad hunc finem conducibilius, quam proprium illius exemplum. Unde d. Ambrosius ad Valentinianum imperatorem scribebat: *quod-*

cumque præscripsisti aliis, præscripsisti tibi (Epist. XXI). Quare graviter peccare dicendus esset, v. g. Episcopus, qui contra graves Synodi suæ Diœcesanæ Constitutiones cauponas ad manducandum, atque bibendum, ingrederetur extra casum necessitatis.

Q. 2. *Quid si monarcha in materia gravi contra propriam legem delinquat; sed occulte, absque alterius scandalo et injuria?*

R. Non desunt qui cum Laymano eum graviter peccare contendunt; cum sit agere contra naturalem æquitatem et proprium officium in re gravi. Attamen probabiliter alii cum Lessio, Azorio, Salmanticensibus eum a mortali liberant, si revera absit scandalum, neque agatur de materia justitiæ, in qua oportet servare æqualitatem; quia non vi propriæ legis, tenetur, cum sibi nequeat imperare; sed tantum ex quadam decentia, quæ si obligat, non potest obligare nisi sub levi.

Monarcha publice delinquens (addes), *ultra peccatum quod admittit, incurritne pœnam, quam ipse transgressoribus imposuit?*

R. Negative; ut enim ait Angelicus, *nullus proprie cogitur a seipso: lex autem non habet vim coactivam, nisi ex principis potestate. Sic igitur princeps dicitur esse solutus a lege, quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Unde super illud Ps.* 50: tibi soli peccavi, *dicit Glossa*, quod rex non habet hominem, qui sua facta dijudicet (I. 2, q. 96, a. 5, ad 3). Ex hoc consequitur, quod si Episcopus, quid sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ prohibuit, ne clerici sui cauponas ingrediantur, ipse eas ingrediatur, suspensionem non incurrit. — Hic tamen cum communi excipiendus est casus, quo lex contractus respiciat vel prætii taxationem; justitia enim postulat, ut in iis cum reliquis monarcha pari conditione utatur ad servandam æqualitatem. Vide Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 154

347. Circa subjectum legis civilis animadvertenda sunt ex *Codice civili*, art. procem.: « Art. 6: lo stato e la capacità delle persone ed i rapporti di famiglia sono regolati dalla legge della nazione a cui essi appartengono. — Art. 7: i beni mobili sono soggetti alla legge della nazione del proprietario, salve le contrarie disposizioni della legge del paese nel quale si trovano. I beni immobili sono soggetti alle leggi del luogo dove sono situati. — Art. 11 : le leggi penali e di polizia e di sicurezza pubblica obbligano tutti coloro che si trovano nel territorio del regno. — Art. 12: in nessun caso le leggi, gli atti e le sentenze di un paese straniero e le private disposizioni o convenzioni potranno derogare alle leggi proibitive del regno che concernano le persone, i beni o gli atti, nè alle leggi riguardanti in qualsiasi modo l'ordine pubblico ed il buon costume. » Quoad testamenta et contractas vide Lib. II: *De contractibus.* — *C. A.* 4; — *C. G.* 3; — *C. S.* 5; — *C. P.* 5; — *C. M.* 18; — *C. T.* 7.

(R) Pag. 163.

348. Triplex est ecclesiastica immunitas *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta*, nempe *realis*, *localis* et *personalis*, prout ea respicit res, loca vel personas sacras. Harum immunitatum violatores ipso facto excommunicationem incurrunt Pontifici reservatam ex Bulla *Cœnæ*, ex Bulla Martini V *Ad eradicandas*, et Gregorii XIV *Cum alias:* quæ omnia innovat Tridentinum, sess. XXV, c. 20. Et Pius IX in suo *Syllabo* damnat has propositiones; n. 30: *Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit;* n. 31 : *ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus*

sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede; n. 32: *absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.*

1. Est *immunitas realis*, sive exemptio bonorum tum Ecclesiæ tum Ecclesiasticorum a tributis et oneribus omnibus (can. *si quæ causæ* 26). Ait porro d. Thomas (Epist. XIII *ad Rom.*): *ab hoc debito* (solvendi tributa), *liberi sunt clerici ex privilegio principum, quod quidem naturalem æquitatem habet:* et hoc mutuis conventionibus inter Papam et Principem firmatum est. Ceterum in regno Sabaudiæ ex Literis Leonis XII, 14 maji 1828, et ferme ubique ab hoc onere hodie eximuntur tantum res, quæ nihil afferunt utilitatis temporalis, uti Ecclesiæ ipsæ, cœmeteria, vasa, vestes sacræ ad cultum pertinentes et similia. — *V.* Ferraris; V. *Contributio.*

2. Est *immunitas localis*, seu jus loco sacro concessum, ut ibi existentes vel eo confugientes tuti fiant a potestate laicali (et dicitur *jus asyli);* ex Constitutionibus *Cum alias* 1591, *In supremo* 1734, etc. Pro regno Sabaudiæ vide *Instructiones* Benedicti XIV 1742, Clementis XIII 1763, Clementis XIV 1769, Pii VI 1775 et Leo XII 1826. Quibus locis et personis competat hoc jus, notant Talento et Alasia, *De Legibus.*

3. Est *immunitas personalis*, seu personæ ecclesiasticæ exemptio a personalibus oneribus, quæ componi non possint cum sanctitate et officiis clericalibus, sive ea sint onerosa sive honorifica. Hinc immunes sunt a servitio militari, a vilis operibus, ab assumenda tutela, ab onere recipiendi milites hospitio, a capitis censu seu tributo, quod personis imponitur (l. I, *Cod. Theod. de Episc. et Cleric.;* l. I, *Cod. de civ. capit.* etc.); in aliquibus tamen usu derogatum est.

Quibus privilegiis adde privilegium tum *competentiæ* in clericalis Ordinis honorem inductum ex cap. III *Eduardus clericus de solut*, quo clericus impar solvendo debitis, nequit ad id obstringi, nisi prius deductis ad honestam sustentationem necessariis; tum *canonis* de quo dictum est ubi *de Censuris;* tum demum *fori* in eo consistens, ut ecclesiastici nonnisi in foro ecclesiastico conveniri possint (cap. *etsi Clerici* IV; *Clerici* VIII; *de foro compet.).* Sed de hac re videantur Concordata. Verum clericus ut gaudeat privilegio *fori*, requiritur ut prima saltem tonsura sit insignitus, habitum et tonsuram clericalem deferat, alicui Ecclesiæ sit addictus vel in seminario aut alia schola de licentia Episcopi versetur: Tridentinum (sess. XXIII, c. 6 *de Ref.).* Et S. C. Immunit. 20 sept. 1860, jussu Pontificis declaravit quod clericus quando, ob non observatas conditiones Tridentini (sess. cit.), fori privilegium amittit, ipso jure et ipso facto amisisse censetur et reapse amittit cuncta privilegia clericalia, ita ut considerari ac tractari debeat ut persona mera laica etiam in causis criminalibus ac pœnalibus effectibus, quin trina monitio vel peculiaris declaratio de hac amissione requiratur. — *V.* Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, l. I, pag. 469; — *Acta* etc., t. III, p. 440.

349. Q. 1. *Quid juris quoad nos circa immunitates?*

R. Quoad Sabaudiæ regnum clarissimus Alasia tum ex celebri *Instructione* Benedictina 6 jan. 1742, tum ex consuetudine jam inducta, hæc resolvit:

« Quoad *causas civiles* clericus adhuc subest judici laico: 1) in causis feudorum; 2) ratione cœpti judicii, quando scilicet causa fuit inchoata, cum reus nondum erat clericus, aut ad clericum res nondum specta-

bat; 3) quando vocatur nomine alieno, v. g., quia laici procuratorem vel tutorem egit; 4) ratione reconventionis, si nempe clericus actor ad sæcularem forum aliquem traxerit (nomine et utilitate propria, non Ecclesiæ), hic eundem clericum in eodem foro laicali reconvenire poterit: quare si clericus petat in foro laicali pecuniam sæculari mutuatam, poterit hic laicus suum æs quod vicissim illi credidit, in eodem foro reposcere. Item ex Concordato 27 martii 1841 clerici directe subjiciuntur civili tribunali tum quoad delicta, si in iis complices habeant laicos, tum quoad crimina, tum quoad reatus vulgo *di contravvenzione* et violationes regiarum gabellarum.

» Quoad alias causas civiles, si ii qui litem habent, omnes sunt clerici, nonnisi in foro ecclesiastico possunt quæstionem agere. Si vero actor sit clericus, et reus laicus, tunc causa agitanda est in foro civili, quia actor sequitur forum rei. Si tandem actor sit laicus et reus clericus, tunc casu quo laico competat solummodo actio personalis quæ nempe oritur ex jure ad rem, clericus erit conveniendus coram judice ecclesiastico. Quod si laico competat actio realis seu jus in re, tunc clericus etiam coram judice laico potest vocari ex longa consuetudine; nam etsi tunc conveniatur etiam persona, non tamen convenitur propter se, sed propter rem possessam; res autem laico subest judici (hoc tamen ultimum non omnes concedunt).

» Quod autem pertinet ad *causas ecclesiasticas*, ad judicem ecclesiasticum omnino pertinet judicare de criminibus contra fidem ac cultum, de polygamia, de sponsalibus, de divortio, de matrimonii vinculo, etc.; de sacris ritibus ac præcedentiis in functionibus. Quoad causas vero de beneficiis, decimis, aliisque bonis temporalibus quæ spectant ad Ecclesiam, distinguendum est: si judicium sit petitorium, in quo quæritur ad quem spectat rei proprietas, res est definienda a judice ecclesiastico; si judicium sit possessorium, in quo quæritur ad quem possessio rei spectet, permittitur judici laico se immiscere in possessoriis *retinendæ et reintegrandæ* (nisi petitorium ita perspicuum sit, ut possessorium absorbeat). Ceterum in possessorio una cum judice civili agere etiam potest judex ecclesiasticus, et ideo locus est præventioni. »

Tandem si debeat conveniri debitor Ecclesiæ, confraternitatum aut aliorum locorum piorum, tunc si iste debitor sit laicus, coram judice laico; si vero sit ecclesiasticus, coram ecclesiastico citari debet ex Benedictina *Instructione*, § 5. »

Quæ omnia adhuc rata habentur in Statuto fundamentali Caroli Alberti; « art. 18: i diritti spettanti alla podestà civile in materia beneficiaria, o concorrenti all'esecuzione d'ogni natura provenienti dall'estero, saranno esercitati dal re. » Non ita tamen Lege 9 apr. 1850 (vulgo *Legge Siccardi)*, per illam enim omnes causæ civiles reales et personales ecclesiasticorum subduntur civili tribunali; qui insuper quoad leges pœnales habentur uti ceteri cives; salva superioris ecclesiastici facultate quoad pœnas spirituales. Item a civili tribunali exclusive judicabuntur jura omnia activa ac passiva quæ ecclesiastica Beneficia respiciunt vel illorum bona et quoad petitorium et quoad possessorium. Tandem adimitur omne jus asyli in casu perquisitionis et sequestri et reorum capturæ, admonito tamen quoad citius poterit, Ecclesiæ rector. Contra hanc legem S. Sedes merito reclamavit, cum sit contra omnem fidem Concordatorum: quod sane mutuo partium consensu initum est, nonnisi eodem partium consensu disrumpi potest. — V. *Allocuzione di S. S. Pio IX al Sacro Collegio nel Concistoro segreto dei* 22 *genn.* 1855 *seguita da una esposizione corredata da documenti sulle incessanti cure della stessa Santità Sua a riparo dei gravi mali*

da cui è afflitta la Chiesa cattolica nel regno di Sardegna; Roma, 1855, tip. Segretaria di Stato. (Novum item vulnus latum est in *Codice civili*, cum civilem matrimonium statuit.)

Hinc quisque pro conscientia adhuc recurrere debet ad tribunal legitimum; quod si ad jus suum efficaciter prosequendum necesse habeat in alio tribunali causam dicere, obtinere debet a legitimo superiore ad censuram vitandam necessariam facultatem. Item si quis ratione officii civilis quod tenet, debeat contra Ecclesiæ canones judicare de rebus ac personis, a S. Sede licentiam postulet, quæ necessitate urgente illam concedere non renuet sub certis conditionibus.

350. Q. 2. *Quid agere debent ecclesiastici, si civilis potestas Concordata, legitimas consuetudines et jura clericorum violaret?*

R. Frassinetti, *Compendio della Teol.*, n. 136: « Ecclesiastici simpliciter protestationem emittere deberent contra talem violentem abusum, et cedere vi, quin provocent apertas violentias quæ non inserviunt nisi ad multiplicanda Dei offensa, et Ecclesiæ injurias inferrendas. Clerici qui tunc vi cederent, probarent se et prudenter agere, et evangelicam mansuetudinem ostendere; neque timendum scandalum, nam populus in certis temporum adjunctis quæ satis expendere scit, perspiciendo ecclesiasticos cedere vi illatæ quin provocent inutiles ac damnosas oppositiones, temporum tristitiam deplorat, et probat commiserando moderationem, qua illorum iniquitatem subit qui fortis in jure, illud experiri nequit.

» Est tamen regula universalis et jugiter ab ecclesiasticis tenenda, ut in conflictu cum civili auctoritate ante omnia fiat ad Episcopum recursus, et adamussim adimpleant quod ipse præscribit aut consulit. Quod si huic consultationi non fiat locus ob temporum angustiam, et statim agendum sit, quoad potest faciliorem viam tentare deberent, quin tamen proprio muneri, quod clarum ac manifestum sit, deficiant. »

351. Q. 3. *Quid præ oculis habere debeant Episcopi quoad ecclesiasticarum immunitatum usurpationes?*

R. Audiendus Benedictus XIV *(De Syn.*, l. IX, c. 9): « Sæculares potestates, ait Guillelmus Durandus junior, *quidquid ad ecclesiasticam jurisdictionem potissime quoad temporalia pertinet sibi competere putant.* Huic judicium sæcularium consilio ab initio obstiterunt Pontifices maximi et sanctissimi Ecclesiarum Antistites; sed cum illos a proposito dimovere nequiverint, ad evitanda majora mala inolescentes in dies contra ecclesiasticam jurisdictionem, consuetudines dissimularunt et tolerarunt; quandoque Summi Pontifices consultius duxere id ipsum privilegio principibus concedere quod propria auctoritate jampridem sibi usurpaverant. Jam vero cum desperandum jam sit, ut potestas sæcularis intra constitutos sibi ab antiquo limites contineri patiatur, imprudenter ageret Episcopus si in sua Synodo aliquid decerneret quo jurisdictionem sibi olim Jure communi attributam recuperare tentaret; rem siquidem impossibilem aggrederetur, et sine ulla Ecclesiæ utilitate graviter apud principem offenderet. Quare suo muneri satis abunde facturum se credat, si ad hæc tria animum diligenter intendat:

» 1) Ne princeps sæcularis sibi unquam arroget jus Sacrorum; hoc est ne in ullo rerum eventu se immisceat in causis primi generis, mere scilicet spiritualibus et ecclesiasticis; — 2) ne judex laicus eam quoque partem jurisdictionis invadat, quæ hactenus perseverat intacta; nisi enim Episcopus ejus vindicem statim se præbeat, hanc pariter pedetentim amittet....; — 3) denique ubi aut privilegio aut legitima consuetudine fori ecclesiastici limites ultra Juris communis

sanctiones ampliati sunt, quod ceteroquin perquam raro contingere scimus, curabit Episcopus, ne sua incuria aut conniventia, contrahantur. »

352. Q. 4. *Quo jure ecclesiastici exempti sunt a sæculari potestate?* R. Quod ecclesiastici Jure divino exempti sint a potestate sæculari quoad materias spirituales vel mere ecclesiasticas, ut sunt ordinationes, electiones prælatorum, etc., est certum; siquidem Ecclesiæ, non sæcularibus, hæc fuit tributa potestas.

Quoad loca vero atque personas ecclesiasticas, utrum exemptio a certis oneribus sit non tantum de jure humano, sed divino, quæstio est, alii negant cum Salmanticensibus *(De Ordine*, c. vii); quia nullibi hoc jus expresse traditur; alii vero affirmant cum Suarez, Layman, etc., quod probant pluribus Juris canonici textibus et signanter ex verbis Tridentini in textu adductis. Quidquid sit, negari non potest naturali æquitati, et per consequens divinæ ordinationi consentaneum esse, ut qui sacris Mysteriis sunt deputati, non omnino in omnibus ceteris æquiparentur hominibus; quos enim in omnibus pares habemus, eos non tanti facimus, neque etiam eorum officium. Vel in ipsa republica ejus repræsentator pluribus gaudet supra ceteros; idque merito, nam illius dignitas vilesceret, si ab aliis non distingueretur. Nonne apud ipsos gentiles eorum sacerdotes semper magno in honore habentur? Romæ ipsi erant a juramento liberi, in Ægypto a tributis soluti, in Græcia negotiorum consultores, in Asia præsides judiciorum, in Gallia præceptorum magistri, etc. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tr. xx, n. 18; — Vecchiotti, *Inst. Can.*, l. iii, c. 5, § 76.

Audiendus d. episcopus Parisis, *Quesiti di coscienza:* « V'hanno certi vantaggi che la Chiesa o fruisce o dimanda, i quali mentre sono indispensabili all'esistenza di lei, sono ostinatamente tenuti dal mondo in conto di privilegi accordati quasi a prova di benevoglienza. Tale è da aversi l'esenzione al servigio dell'armi per quei giovani che aspirano al Sacerdozio; tale è il diritto che hanno i Pontefici della Chiesa di assembrarsi nella forma da' canoni prescritta, onde intendersi sui comuni bisogni; tale la facoltà di raccogliere in iscuole cattoliche la cattolica gioventù, onde informarla a virtù ed a scienza, secondo i principii dell'ortodossia. No, non v'ha in tutto ciò un privilegio, specialmente se tu mi parli di quegli Stati, dove a tali diritti partecipa ogni fatta di religiosa credenza; v' ha un diritto sì sacro, sì inviolabile, che questo conculcato in qualsivoglia paese, n'andrebbe con esso in bando ancora la Chiesa, sia per difetto di ministri, sia per manco di disciplina o di fede. Dunque è oppressore, ingiusto quel governo che disconosce tali diritti. Sia esso cattolico, nol sia, non sarà mai in facoltà sua l'opprimere la Chiesa di Dio. »

« Mentre non è punto vero (ad rem, *Saggio intorno al Socialismo* ecc., t. ii) ciò che per rincalzare le sue teorie si condusse a dire il Gioberti, che *la morale Evangelica è essenzialmente democratica, perchè fondata nel domma dell'eguaglianza naturale*, e mentre anzi il Vangelo mette nella società spirituale, sola che egli costituisca, le più recise disuguaglianze tra clero e laicato, tra corpo docente e corpo discente; non entra però a consigliare nelle società umane un ordine a preferenza di un altro, nessuna forma a preferenza di un'altra, non dà nè toglie a veruno un diritto di comando e di proprietà altrimenti da ciò che gli competa pei suoi titoli legittimi che fondano le disuguaglianze naturali e civili, senza delle quali non può esistere società pubblica. La morale Evangelica data per compiere le leggi divine anteriori di tempo, e per ristorare la natura scaduta, è essenzialmente conservativa di tutti i diritti e di tutti i loro limiti, come natura e

giustizia li prefinisce, e come la legge umana con legittima ragione li distribuisce, ordina e scomparte. »

Et in nota: « Se l'Evangelio fosse *essenzialmente democratico* ripugnerebbe alla condizione del genere umano, che è sulla terra *essenzialmente gerarchico*. Gerarchico nella divisione dei sessi e nella propagazione dei figli; gerarchico nella successione delle generazioni, che ereditano dai maggiori beni spirituali e temporali, e dottrine di ogni maniera; gerarchico nelle differenze di età, di attitudini e capacità fra gli individui, e nelle gradazioni d'ingegno. Tutti questi lineamenti o elementi di gerarchia, che svariatissimamente sottordinano, in diversi rispetti, gli uomini gli uni agli altri, il Vangelo o li accrebbe e sublimò creando tutta nuova la gerarchia sacra nella società religiosa, santificando l'unione socievole dei sessi, così che la santità del matrimonio rende sacra per la donna l'autorità del marito, suo capo, come Cristo lo è della Chiesa, e sacra fa l'autorità dei genitori sui figli; o li sanzionò, ordinando rispetto ed onore ad ogni podestà e autorità legittima, a ogni titolo rispettabile di scienza, di età e ad ogni diritto: così che ove molti uomini si trovassero assieme non classificati, osservando colla virtù e luce evangelica la ragione della natura, si classificherebbero tosto da sè.

» Epperciò, a vero dire, la democrazia assoluta è impossibile in natura: fra uomini ragionevoli e retti *non durò mai*, come scriveva Giovanni Müller, *cinque minuti;* difatti nelle repubbliche stesse le più democratiche, per poco che sieno ordinate a ragione, soltanto alla superficie, *secundum quid*, e ancora in poche cose regna il principio democratico, e la gerarchia artificiale che è nato a produrre, mentre la vita sociale si aggira sempre, come sul suo perno più stabile, sulla gerarchia naturale, che penetra colla forza dell'autorità tutta l'umana famiglia e limita tutte le libertà, ringagliardita poi soavemente nelle nazioni cattoliche dalla gerarchia religiosa. »

V. Thomassin, *De nova et veteri Ecclesiæ disciplina*, t. III, lib. I. — De-Héricourt, *Compendium Thomassin.* — Bingam, *Origines et antiquitates Ecclesiæ*, t. II, l. V. — Natalis Alexander, *Hist. Eccl.* sæc. IV et V. — Vaudet, *Des Changements opérés dans l'administration de l'Empir*, t. II, c. 2. — Dupues, *Traité de la Jurispr. crim.* — Bergier, *Dizionario* ecc. V. *Immunità.* — Muzzarelli, *Il buon Uso della logica* ecc. Dissertaz. *Sulle immunità eccles.* — *Dell'origine delle immunità del Clero cattolico, e d'ogni altro Sacerdozio creduto dagli uomini legittimo e santo.* Libri due; Cesena, 1791. — Ferraris; V. *Clerus*, *Clericus*, art. 2 et 7: *Forum*, *Franchitiæ*, *Immunitas.* — *Civiltà Cattolica*, ser. 1ª, t. X: *L'unico Fôro dei governi ammodernati.* — *Prælectiones Juris canonici S. Sulpitii*, t. II. — Franco, *Risposte popolari* ecc., c. LVI. — *Analecta* etc. 1865: *Priviléges du Clergé.*

(S) Pag. 168.

353. Si dubitetur an lex in aliqua sua parte præcipiat, an tantum suadeat, quoad partem illam non obligat, ut dicunt Croix, Sanchez, et fuse probat Gobat; quia libertas est in possessione, et *in obscuris minimum est sequendum;* atque *semper in dubiis benigniora præferenda sunt.* Nec obstat quod lex si tantum consuleret, non esset lex, cum lex non sit consilium, sed præceptum; nam jam satis sustinetur in ea parte, qua præcipit.

Idem dicatur, si post diligentem veritatis inquisitionem dubium sit, an lex obliget sub gravi; nam est Sanctorum doctrina declarari non

debere quidpiam uti mortale, nisi constet ex certa Scripturæ vel Traditionis vel Ecclesiæ auctoritate, aut ex ratione manifesta.

Quid autem (addes), *si dubitetur, an res sub præcepto expressa licita sit, necne?*

Verior sententia et communis affirmat tunc subditum teneri dubium deponere et superiori obtemperare, nisi res præcepta esset valde difficilis, molesta et periculosa, *prudentum judicio.* Dubium autem deponet, si vix consulat rationem et auctoritatem.

1. *Rationem*, tum quia ipsa præcipit, ut superior legitime existens in possessione imperandi, eadem non debeat expoliari, nisi aperte constet rem imperatam esse illicitam; tum quia clare patet nullam hominum societatem consistere posse, si semel subditis concederetur facultas sese eximendi ab obedientia, quotiescumque dubium occurreret de honestate actionis a superiore imperatæ.

2. *Auctoritatem*, quia clamat Deus: *si difficile, et ambiguum apud te judicium esse perspexeris...., facis quodcumque dixerit qui præsunt loco, quem elegerit Dominus* (Deut. XIX) Clamat Jus canonicum, obediendum esse, *si quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est: vel utrum sit, certum non est.* Clamat Jus civile, *obediendum in omnibus, quæ non sunt contraria animæ et regulæ.* Clamant omnes Theologiæ mysticæ Magistri, quorum unum appellamus, nempe s. Ignatium, qui ait: *obediendum in omnibus ubi peccatum non cernitur, id est ubi nullum manifestum est peccatum.* Item est si dubitetur an superior sit legitimus, si talis habeatur communiter.

Diximus: *nisi res præcepta esset valde difficilis, molesta et periculosa*, v. g. si personam exponeret certo periculo gravis damni subeundi in vita, fama, honore et fortuna. Nam tunc subditus non tenetur se privare suo jure certo, quod jam possidet circa talia bona magni momenti. Neque lex humana per se obligat cum gravi incommodo; eo igitur in casu præceptum est exorbitans. Ita communiter Billuart, Dens, Salmanticenses, etc. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 99; l. III, n. 617.

Sed (dices) *si in dubio de existentia legis, possidet libertas, cur non etiam in dubio de illius justitia?*

Latum est discrimen; nam in 1° casu, cum dubium sit an lex existat, possidet utique libertas quæ anterior est. Non item in 2°; cum enim quæratur de legis justitia, jam supponitur ipsa præexistere; ideo ipsa possidet, nostrumque propterea est illius inhonestatem certo probare. Eadem ratione possidet lex, si dubitetur *an* cessaverit, *an* abrogata, *an* ierit in desuetudinem, *an* acceptata, *an* eam impleveris. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 97.

(T) Pag. 169.

354. *Casus:* Quid si pater incredulus et impius diceret filiis suis: *volo ut die veneris carnes manducetis, idque in contemptum Papæ et Ecclesiæ?* Filii a carnibus debent omnino abstinere?

R. Frassinetti: « Videtur quod non; si enim ipsi responderent, *pater, scias quod nos carnes manducamus, quia alios cibos nobis minime tribuis, ideo manducamus quia in hoc casu nobis illas edere licet:* tunc ex parte ipsorum nullus contemptus, imo protestationem contra contemptum emitterent.

» Simili modo, si fidei inimicus mortem nobis minaretur, quia in Religionis nostræ contemptum nolumus cibos prohibitos manducare,

vel die vetito solvere jejunium, etc.; si respondemus, *nos manducabimus quia in necessitatis casu id licitum est*, tunc nullus amplius contemptus adesset; imo aperte profitemur quod leges Ecclesiæ veneramur, sed eas in illo casu ideo non observamus, quia notum nobis est quod leges Ecclesiæ non obligant cum tanto damno ac periculo (semper tamen in omni casu dempto scandalo). » *Compendio della Teologia*, Ediz. III; nota 3.

(U) Pag. 177.

355. Quoad *insurrectiones* vide propositiones sub n. 59 et sequentibus damnatæ a Pio IX in *Syllabo*. Certo omnis revolutio fortiter comprimenda est; sero inaniter medicina paratur. Monitum gravissimum dat imperantibus cl. p. Ventura in Opere, *Il Potere politico cristiano;* Discorso IV: « L'idra rivoluzionaria è dominata dalla rabbia di divorare non il Sacerdozio o il Re; ma il Re e il Sacerdozio. È dunque un calcolo ben miserabile quello di darle da mangiare il prete, nella speranza ch'ella faccia poi grazia al re; dopo il prete verrebbe alla sua volta il re: ecco tutto. Uno spediente non meno miserabile, quanto colpevole, è quello di abbandonare al ludibrio delle passioni rivoluzionarie la Religione per farsi perdonare la politica, e di consentire che il popolo scuota il giogo di Dio, per fargli accettare quello dell'uomo. Per ben due volte in questo secolo, e in questo paese *(la Francia)*, noi abbiamo veduto il potere aver ricorso a tale spediente, e il risultamento fu in entrambe tanto infelice, che siamo ben fondati nello sperare che non se ne vorrà fare l'esperienza per la terza volta. » (Vide *Cod. Pœn.*, art 155 et seqq.).

Quid (dices) *si regimem principis sit excessive tyrannicum?*

R. Cum d. Thoma: si ad jus multitudinis alicujus pertineat sibi singillatim providere de rege, non injuste ab ipsa institutus rex potest destitui, si potestate tyrannice abutatur; cum pactum speciale multitudinis fideliter gubernandæ non servetur: sic Romani Tarquinium Superbum, quem in regem susceperant, propter ejus et filiorum tyrannidem e regno ejecerunt. — Si vero non ad jus multitudinis, sed ad jus alicujus superioris pertineat providere de rege, tum ab eo expectandum est remedium: sic Judæi a rege Archelao vexati ad Cæsarem Augustum, a quo ille dependebat, recurrerunt. — Quod si neque ad multitudinem neque ad alium superiorem pertineat providere de rege; cum independenter ab aliis regnum habeat, ut ordinarie contingit, tunc *etsi princeps perversus ac populus gravatus esset, tenetur tamen populus obsequium obedientiamque illi præstare, cum subditi nunquam jus habere possint de rebus gestis principis judicare, et tanto minus eum damnare ad vitam aut regnum amittendum.* Et nimis perniciosum fuit hac de re principium Gersonis, qui ausus est asserere, quod monarcha potest legitime a tota natione judicari, si regnum injuste regat; nam hoc modo duæ in regno essent supremæ potestates, et inde enormissima schismata regnique desolatio.

In eo igitur casu *recurrendum est ad Regem omnium Deum, qui est adjutor in opportunitatibus, in tribulatione; ejus enim potentiæ subest, ut cor tyranni crudele convertat in mansuetudinem secundum Salomonis sententiam* (Prov. XXII, 1): cor regis in manu Dei; quocumque voluerit inclinabit illud.... *Sed ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare; quia in ultionem peccati, divina permissione, impii accipiunt principatum, dicente Domino per Oseæ* (XIII, 11): dabo tibi regem in furore meo; *et in Job* (XXXIV, 30)

dicitur, quod regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi: *tollenda est igitur culpa, ut cesset tyrannorum plaga.* (S. Thomas, *De Regim. principi.*)

Quid (quæres) *si tyrannus nondum sit in pacifica regni possessione?* R. Esto quod tunc non sit ei obediendum, quia nec vere superior est, nec ullum jus habet dominandi; attamen non ideo licet ipsum interficere, cum malefactores occidere privatorum non sit, extra casum personalis aggressionis. Neque privatus quisquam præsumere potest hanc auctoritatem sibi a republica commissam; si secus frequenter evenirent in societate perturbationes, subversiones, etc.; nulla foret principum securitas, nulla reipublicæ quies; quia quisque semper autumare posset casum necis adesse. Hinc Concilium Constantiense, (sess. xv), hanc propositionem: *quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum vel subditum*, damnavit *tanquam hæreticam, scandalosam; et ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem.* Quam iterum damnavit sub anathematis pœna Summus Pontifex Paulus V Constit. *Cura dominici gregis*, 1615.

356. Seditio seu *tumultuosa aggressio unius partis reipublicæ contra aliam* vel *principem*, est profecto speciale atque gravissimum peccatum, cum opponatur speciali ac bono gravissimo, paci ac tranquillitati publicæ. Ad rem quoad populorum insurrectionem scribit Audisio in libro, *La Repubblica italiana del* 1849, cap. XLIII: « A parlar propriamente, niuno è sovrano sulla terra, e la parola dell'Alfieri suona vera e solenne: *Innanzi a Dio chi re?* La sola giustizia è sovrana: la sua luce è la norma dei diritti e dei doveri, la sua spada lampeggia sui popoli e sui troni, al suo giudizio converranno i principi e le nazioni. Ma frattanto, prima che venga quel dì della giustizia, chi chiamerà a sindacato i principi prevaricatori di quella giustizia, al danno dei popoli? Ecco la questione che agita la Francia, l'Italia, l'Alemagna ed il mondo. Cerchiamo la soluzione.

» Ad ogni accusato vuolsi concedere un tribunale competente, un processo e una deliberata sentenza. Ad un privato non si torce un capello senza un giudizio ponderato e legale; fra le nazioni più libere il giudizio è più maturato ed autentico. Or dunque dov'è il tribunale, dove la legge, dove i giudici che sentenziano i sovrani? Il medio-evo collocava quel tribunale nel Pontefice e negli assessori della Chiesa cattolica, e il gran Leibnitz ne fu rapito di maraviglia, perchè in quello i principi avevano un freno e una guarentigia i popoli; e durando quella dittatura, fondata nelle pure ragioni della moralità e della giustizia, l'umanità sarebbe stata libera dai due sommi flagelli, che sono le guerre e le rivoluzioni, nelle quali si fa combattimento, come dalle fiere, di agilità e di forza, non di giustizia nè di ragioni. Sciogliere i popoli dal giuramento di fedeltà, per esempio al IV e all'VIII Enrico, non era una guarentigia di libertà contro la tirannide?

» Ma quella giurisprudenza, quantunque spontaneamente suggellata dai principi e dai popoli, quasi lampo di suprema civiltà nella suprema barbarie, non era inerente alla Chiesa: era un patto accidentale di quel tempo, ed è passata. Resta però il principio che detta: ogni membro dell'umanità, epperò anche i sovrani, volersi giudicare competentemente e conforme al diritto e non alla violenza. Ripeto adunque: dov'è quel tribunale autentico che giudichi i sovrani? Si risponde: « Questo tribunale è la nazione. »

» Sia: perchè se v'ha sulla terra un consiglio, al quale debba comparire un sovrano, questo è certo la nazione, essendo egli sovrano

per la grazia di Dio e della nazione. Ma le società segrete, ma le turbe faziose e rivoluzionarie non sono la nazione, che anzi oppugnano il pensiero della nazione, e coi raggiri la seducono, o la trascinano colla violenza: dunque si ritirino questi giudici incompetenti e corrotti, e lascino, prima d'insorgere, che la nazione con tranquilla e libera discussione pronunci il suo giudizio alla luce del sole. È questo il procedere dei cospiratori? Rispettano essi la sovranità della nazione? O piuttosto non sono essi i neri demoni che giran nelle tenebre, e non prorompono, se non quando hanno gia soffiato l'incendio che invade le nazioni? I socialisti di Francia e dell'Europa tutta avevano consultata la nazione prima di lanciarla nel golfo apparecchiato dalla rivoluzione? Essi sono come il sasso della montagna, che si sfrana e precipitando schiaccia gli alberi e le case, i pastori e le greggie. Direste allora che le greggie ed i pastori, le case e gli alberi furono consultati e schiacciati liberamente? Tale è l'opera delle insurrezioni: esse schiacciano le nazioni; ma in quanto al fare le rivoluzioni, le nazioni non vi entrano quasi per nulla: l'urto di pochi le trasporta, e non sanno dove. Qui è la storia di pressochè tutte le insurrezioni.

» Insistiamo ancora su questo tribunale della nazione. Quale sarebbe il delitto per cui la nazione potrebbe esautorare il sovrano, e levarsi in armi contro di lui e di chi ne sostiene le parti? Perchè, oltre le ragioni del diritto, qui si hanno da bilanciar le conseguenze d'una lotta civile fra chi sostiene e chi ripudia il principe; non essendo le menti d'un qualche Stato sì facilmente accordabili come furono i sensi della piccola Roma nella cacciata del piccolo re Tarquinio; nè potendo le politiche fantasie trovare quell'accordo di spiriti, in cui vennero i Romani contro quella superba e disonesta famiglia.... Per quale colpa del principe sarà dunque giusto e conveniente alla nazione l'insorgere a mano armata contro di lui, e precipitar sè stessa negli orrori d'una guerra cittadina? Qui impallidiscono i pubblicisti; e quegli stessi che propugnano la sovranità del popolo, discendendo dalle loro speculazioni, si accordano coi propugnatori del diritto divino dei principi, negando nella pratica l'onestà e la convenienza delle armate insurrezioni.

» S. Tommaso, il Bellarmino e Suarez consentono all'intera nazione il diritto di ritirarsi dall'obbedire al principe, che viola sostanzialmente il patto fondamentale dello Stato ed esercita la tirannide; ma nè essi nè alcun Teologo di valore tiene per lecite le armate insurrezioni. Suarez, interpretando il Bellarmino, consente al popolo il diritto della difesa negli estremi casi, e non mai dell'offesa (Suarez, *Defens. fidei*, lib. III, c. 3). E s. Tommaso concede pure che per nazionale decreto si destituisca il tiranno, e ricorda Tarquinio il Superbo e Domiziano, i cui atti furono anche rescissi dal senato; ma non consente tale diritto se non nella dichiarata tirannide, alla sola nazione, e non agl'individui nè alle fazioni. Avvisa che le lagnanze si portino lealmente dall'inferiore al superiore, come gli Ebrei deferirono ad Augusto i gravami di Archelao imitatore della paterna scelleratezza. E se ciò non si possa o non sia il caso nè giovi la giustizia umana, s. Tommaso, lungi dall'autenticar l'uso delle armi, ci consiglia di ricorrere al Re dei regi, nelle cui mani è il cuor dei principi. Egli piegò a mansuetudine la crudeltà di Assuero; egli cacciò dal trono e dal consorzio degli uomini il superbo Nabucco; egli vide nell'Egitto i guai del suo popolo, e inghiottì nelle acque del mare Faraone e l'esercito suo; e la mano di lui non è abbreviata. Dio manda i cattivi principi

a castigo dei popoli; si tolga dunque la colpa dei popoli, perchè cessi la piaga dei tiranni. Così argomenta e conchiude s. Tommaso, *De Regim. Principis*, l. I, c. 6.

» Nè altro insegnamento ha la Chiesa di Cristo, il quale stabiliva i due vertici sociali in Cesare e in Dio. S. Pietro comanda l'obbedienza al principe *propter Deum;* s. Paolo *propter conscientiam*, e pure ai cattivi, dove il comando non sia cattivo. L'autore delle *Costituzioni apostoliche* chiama questa legge di Dio: *hæc enim est Dei lex.* Tertulliano, lampeggiando sui cristiani la spada dei tiranni, scriveva a Scapola: « Il cristiano non è nemico di nessuno, e neppure dell'impe- » ratore, il quale sapendo essergli costituito dal suo Dio, gli è forza » d'amarlo, riverirlo, onorarlo e pregare che sia salvo. »

» Ma da niuno meglio che dal grande Agostino ci venne ritratta la condotta sublime de' primi cristiani, e la sapienza che la ispirava: » Giuliano egli dice, fu un imperatore infedele, fu apostata, iniquo, » idolatra. Ora i militi cristiani obbedivano all'imperatore infedele; » ma nel culto di Cristo non altro imperatore conoscevano, se non » quello che è in cielo. Quando venivasi agli idoli, all'imperatore ante- » ponevano Dio. Quando poi diceva: *Schieratevi*, *combattete*, essi ob- » bedivano: cioè distinguevano l'eterno Signore dal signor temporale, » e per cagione del Signore eterno obbedivano e soggiacevano al si- » gnor temporale: *Distinguebant Dominum æternum a domino tempo- » rali; et tamen subditi erant propter Dominum æternum domino tem- » porali (De Civ. Dei*, l. XVIII, 53). » Eccovi la dottrina e la pratica del Cristianesimo, esposta dal più grande ingegno che illustrasse la filosofia ed il Vangelo: obbedire nel bene, tollerare il male. »

V. D. Thomas, *De Regimine principum*, opuscul. II, c. 6 (hujus tamen opusculi auctorem negant eruditi fuisse d. Thomam si duos primos libros excipias, vide *Civiltà Catt.*, ser. 2ª, t. VII: *La dottrina di s. Tommaso sull'origine del potere e sul preteso diritto di resistenza;* et t. XII: *L'autorità spiegata dagli scolastici).* — Taparelli, *Saggio teorico* ecc., § 659. — Parisis, *Quesiti* ecc., p. II. — Bianchi, *Della Podestà e Polizia della Chiesa*, l. I. — Balmes, *Il Protestantesimo comparato* ecc., c. LV. — *Civiltà Catt.*, ser. 3ª, t. II et III: *La Provvidenza negli eventi politici.* — Carrière, *De Justitia et Jure*, p. II: *De tyranno.* — Liguori, *Homo Apost.*, tract. VIII, n. 13, ubi fuse.

357. Hodie scelesti extolluntur: frustra seditiones improbamus, si hodie vel ipsi scelesti et proditores omni existimatione indigni glorificantur: « Sì, ormai il delitto ha chi gli fa coraggio; leggete i nostri libri, andate ai nostri teatri: non ci si trova sotto nomi diversi, accarezzato, celebrato, glorificato il delitto? Non abbiamo noi procacciata a' maggiori delinquenti una celebrità tale da muovere invidia nelle persone dabbene? Non si è fatta ricerca, con avidità insensata, de' loro scritti, delle loro poesie e de' ritratti e degli autografi? Diciamolo pure a vergogna del nostro secolo: siamo giunti a un tal segno d'accecamento e d'aberrazione, che la pia compassione pei delinquenti sembra crescere in ragione della immunità e della scelleraggine del loro misfatto. Se la giustizia pone la mano su di un delinquente, tosto ognuno si sforza di obbliare ch'esso è un vile avvelenatore, o un infame assassino, per non più veder in lui che un'*anima di tempera energica*, una *forte intelligenza*, una *organizzazione superiore*, troppo altiera di certo per piegarsi alle comuni leggi sociali. Il suo nome passa di bocca in bocca, ripetuto da mille echi delle conversazioni e della stampa. I suoi fatti antecedenti, le sue abitudini, le sue lettere familiari, le particolarità più insignificanti della sua

vita, diventano il testo di tutti i discorsi e l'oggetto del più incredibile ed assurdo interessamento. Le sommità del fôro si disputano l'onore di farne la difesa, i letterati di stenderne le memorie, ed i romanzieri di tesserne l'apologia. Non basta aver per lui riguardi e cure, gli si fa visita, gli si recano complimenti e consolazioni. La giustizia medesima, dimenticando la fredda e cieca impassibilità del suo ministero, è presa da tenerezza per questo eletto delinquente: provvede ad ogni suo desiderio, e pubblica ogni mattina il bollettino del suo stato di salute.... E così non vedete come il giorno del suo giudizio è pel gran delinquente una specie di ovazione? una non so qual misteriosa simpatia si unisce a lui. Ognuno vuol vederlo, osservarne i lineamenti, studiarne la fisonomia; si stenta a sottrarlo alle ardenti sollecitudini, e (presso che non dissi) agli omaggi rispettosi della moltitudine. Tutti vogliono assistere al trionfo che sperano sia per ottenere sopra la legge: i funzionari più gravi, i cittadini più commendevoli non hanno ribrezzo di venire ad accrescere colla loro presenza la scandalosa solennità del dibattimento. Si distribuiscono viglietti d'ingresso come ad uno spettacolo; e perfino alle signore, avide delle forti e pungenti emozioni della Corte delle Assisie, abbandonano l'educazione delle loro figlie per venire in abiti sfarzosi a far corteggio, per intere giornate, a questi eroi dell'adulterio, dell'avvelenamento e dell'assassinio? » (Quod si reus ad mortem justissime damnetur, extollitur magis; commendatur ejus fortitudo; ejus effigies reverenter exponitur et honoris causa servatur; omnia quæ illius sunt, avide disputantur; imo illius se vestiendi morem impudenter imitari gloriantur.) « Invano cercasi nei nostri costumi corrotti, e nelle nostre guaste immaginative, la cagione unica di questa universale e funesta aberrazione. Bisogna attribuirla massimamente a quella folla di filantropi, i quali, accarezzando l'obbietto particolare dei loro studi, s'infatuano delle galere e delle carceri, e non hanno più viscere, che pei *poveri delinquenti!* Anche i governi hanno subito il contagio di questo strano entusiasmo: e non si è veduto come sono mille volte più solleciti di ben vestire, ben alloggiare e ben nutrire ed istruire i condannati d'ogni sorta, che di porgere una mano provvida e benefica all'onesto operajo infermo o morente di fame? » Beneville, *De la récidive*, t. I. Paris.

358. Meeting: neque illud tantum, sed hodie magis lugendum est, quod rei publicæ rectores sinant circumferri ab omni ventu opinionis, et vinci a platearum tumultu. Invalido legum auxilio, omnia vi, ambitu ac pecunia turbantur in hodiernis politicis conventibus vulgo *meeting* (a voce anglicana *to meet*, congregari, confluere); ubi videre est malos homines cupidine dominandi concitos, imperitam multitudinem impellere paulatim, et dilapsis melioribus, deterrimum quemque congregare; omnes demum agitare, conclamare, perstrepere. « Non per seditionem et turbas desideria civium ad Cæsarem ferenda sunt, » legitur apud Tacitum, *Annal.*, l. I, n. 19. — V. *Civiltà Catt.*, ser. 4ª, t. VI: *Il sì e il no nel regno dell'opinione;* et ser. 6ª, t. III: *Lo scioperio degli operai.*

Originem tot malorum exponit Pius IX Encycl. 8 dec. 1864: *Quoniam ubi a civili societate fuit amota Religio ac repudiata divinæ Revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana justitiæ humanique juris notio tenebris obscuratur et amittitur atque in veræ justitiæ legitimumque juris locum materialis substituitur vis; inde liquet cur nonnulli certissimis sanæ Religionis principiis penitus neglectis posthabitisque, audeant conclamare, voluntatem populi, publica quam dicunt*

opinione, vel alia ratione manifestatam, constituere legem ab omni divino humanoque jure solutam, et in ordine publico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim juris habere.

(V) Pag. 180.

359. *Nonne* (dices) *Roma est, ut vocant politici, territorium exterum relate ad regiones, quæ extra romanam ditionem sitæ sunt? Ergo ne ipso volente Pontifice, leges Romæ promulgatæ pro dictis regionibus valere possunt, nisi in ipsis debite promulgentur.*

R. Distinguendo ant. *Roma est territorium exterum relate* etc., in rebus politicis atque civilibus, *concedo;* in rebus religiosis et sacris, *nego.* Nos hic loquimur de legibus ad Religionem spectantibus, et datis ad orbem catholicum, quo sensu negamus Romam esse territorium exterum; nemo enim ignorat hoc regnum et territorium non esse aliud, nisi mundum ipsum universum, a solis ortu usque ad occasum, juxta illud Christi ad Apostolos: *euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Ad hujus regni seu territorii centrum sive urbs, Roma est uti residentia Pontificis Maximi visibilis Christi Vicarii ac Supremi Legislatoris, in rebus utique religiosis et sacris.

Roma (inquit Fenelonius) *è la patria comune di tutti i cristiani: tutti sono concittadini di Roma: ciascun cattolico è romano.* Et Carolus V imperator appellabat Romam: *comunem omnium patriam.*

« Gli uomini politici (ad rem episcopus Parisis, *Della Chiesa e dello Stato)* accoglievano generalmente con favore quella parola, che tanto ferisce i nostri cuori cattolici, essere il Papa *un sovrano straniero.* Ah no, no! il Papa non è per noi, non sarà mai un sovrano *straniero;* egli è anzi il sovrano di ciascheduno di noi in tutto quanto abbiamo di più personale, di più intimo; poichè comanda alle nostre menti colla sua parola, comanda alle nostre coscienze colla sua volontà. — Cotale sovranità il Papa la esercita sempre e sopra tutti, sia per sè medesimo, sia per l'intermezzo de' Pastori, dei quali egli domina tutta la gerarchia. Quella sovranità si estende non meno sui cristiani dispersi ne' paesi idolatri, che sui fedeli agglomerati nelle cattoliche contrade; poichè tutti, malgrado ogni distanza ed ogni ostacolo, malgrado ogni discredenza de' costumi e la rivalità nelle nazioni, tutti, qualunque lingua parlino, a qualsiasi sociale classificazione appartengano, sono egualmente i membri di uno stesso corpo, i cittadini di una stessa patria, i sudditi di uno stesso Capo visibile, preposto al governo di una società medesima, la quale, spirituale nel suo oggetto, è nullameno partecipe necessariamente nella sua esistenza di tutte le condizioni delle umane società. »

« Cependant il peut arriver qu'une loi, qu'une constitution disciplinaire, quelque sage qu'elle soit, ne convienne pas également partout, et qu'elle offre des inconvénients particuliers dans une ou plusieurs diocèses. Alors les évêque de ces diocèses peuvent et doivent même en suspendre l'exécution, à charge par eux d'exposer leur motifs au Souverain Pontife, en le priant ou de ne pas appliquer cette loi à leurs Églises, ou d'en accorder la dispense au moins pour un certain temps; pourvu que d'ailleurs ils soient dans la disposition de s'en rapporter à la décision du Pape: *illud autem omnino tenendum est* (dit le dernier Concile de Reims, an. 1857, c. IV *d'après Benoît XIV), ut in hujusmodi recursibus debita Apostolicæ Sedis reverentia semper servetur; et cum ipsa, omnibus auditis, judicium suum protulerit, illius*

sententiæ obtemperetur, ejusque jussa prompte executioni demandentur... At non hic agitur de Pontificiis constitutionibus, ut addit idem Benedictus *(De Syn.*, l. IX, c. 8), dogmaticis quæ ad fidem pertinent, cum in his irreformabile sit R. Pontificis judicium. Agitur itaque de constitutionibus ad disciplinam pertinentibus; at non ad illam quæ sacros respicit ritus, cæremonias, Sacramenta, clericorum vitam. » *Exposition de Principes du Droit canonique*, n. 100. — Vecchiotti, *Institutiones canonicæ*, l. I, c. 2, § 23.

Item notandum est cum Suarez, nempe quod leges illæ ecclesiasticæ, quæ infirmant contractum natura sua validum, aut jurisdictionem auferunt jam existentem in foro Sacramentali, possunt benigna donari interpretatione et sic intelligi, ut non censeatur esse mens R. Pontificis illas obligare, nisi in singulis provinciis promulgentur. Alioquin ipsæ redundarent in detrimentum fere commune.

(X) Pag. 182.

360. Ad legem implendam ordinarie non requiritur status gratiæ, nec intentio satisfaciendi.

1. *Non status gratiæ*, cum etiam sine illa totum ponatur, quod ponendum est de præcepto. Neque dicas: *illud est in præcepto, quod maxime legislator intendit; atqui legislator sua lege principaliter intendit homines virtuosos facere. Ergo de necessitate præceptum in statu gratiæ impleri debet ac fine bono, ut juxta mentem legislatoris sit capax virtutis ac meriti.*

Respondeo cum Billuart: intentio legislatoris est de duobus, de uno quidem quod non intendit præcipere, sed ad quod intendit per præceptum legis inducere; et hoc est virtus, quæ est finis legis. Aliud est, de quo intendit præceptum ferre: et hoc est quod tanquam medium inducit, vel disponit ad virtutem. Secundæ porro intentioni oportet satisfieri, ut lex impleatur, non primæ; *non enim*, ait Angelicus, *idem est finis præcepti, et id de quo præceptum datur: sicut, neque in aliis rebus idem est finis, et quod est ad finem*, seu quod est medium ad finem. Atque ex hoc natum est illud ab omnibus receptum axioma: *finis præcepti non cadit sub præcepto.* Hinc qui modo pure naturali rem alienam domino restituit, vel pauperculo eleemosynam elargitur cum vanagloria, is satisfacit præceptis de restitutione vel de eleemosyna facienda: licet aliunde peccet contra virtutem, cui finis illi opponitur. (D. Thomas, 1, 2, q. 100, a 9.)

2. *Non intentio satisfaciendi;* est enim axioma: *lex non obligat nisi ad substantiam operis injuncti; quo posito, non est amplius in potestate operantis, ut lex dicatur non impleri.*

Neque obstat: 1, quod actus non operetur ultra intentionem agentis; nam id procedit solum in iis, quæ pendent a sola potestate operantis ipsius. Nec 2, quod qui debet alteri centum, non satisfaciat obligationi, si libera donatione det ducentos. Nec 3, quod voto obligatus ad recitandum Rosarium, si recitet animo non implendi, non satisfaciat. Ratio est, quia hæ et similes obligationes proveniunt ex voluntate promittentis, qui sicut ab initio debitorem se libere constituit, ita in debito libere remanere potest. Obligatio autem parendi legi provenit ex voluntate legislatoris, ideoque non extenditur ultra ejus intentionem et voluntatem, nempe ultra substantiam operis præcepti. Imo adhuc in illis, quæ procedunt a propria potestate, operans satisfaceret sine dicta intentione (modo opus suum alteri fini particulari

hic et nunc deliberate non destinaverit); nam quilibet ex generali intentione prius intendit debito satisfacere, quam iis quæ sibi libera sua voluntate imposuit.

Hoc valet, paritate rationis, etiam de sacramentali satisfactione, si nempe agat opus a confessario impositum, non tamen intendens pœnitentiam implere: ita docent Suarez, Azorius, Lessius, Layman, etc. Hac doctrina (ait Roncaglia) poterit confessarius sæpe occurrere conscientiæ scrupulosorum: recitant v. g. isti Horas canonicas, vel pœnitentiam sacramentalem, et cum non videatur ipsis hæc recitari uti par est, non habent intentionem ex recitatione satisfaciendi, sed intendunt illa repetere. Interdicat novam recitationem. Idem dicatur de illo qui audit Missam die festo; cum non videatur ipsi eam audire ut oportet, intendunt novam Missam audire; quod est prohibendum. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 164; — Ferraris; V. *Lex*, a. 4.

(Y) Pag. 188.

361. Q. 1. *Quænam sunt regulæ ad doctrinalem interpretationem?*

R. Ad doctrinalem interpretationem regulæ receptæ sunt:

1. In legis interpretatione sequi oportet naturalem verborum proprietatem, nisi sic agendo sensus fieret absurdus, aut lex ipsa prorsus inutilis. Cum enim lex debeat esse clara, præsumendus legislator eo loqui sensu, quem verba in communi hominum acceptione referunt.

2. Lex generaliter loquens omnia significata propria complectitur: ubi *lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.* Quod si verba legis sint æquivoca, eorum significatio sumenda est ex antecedentibus, et consequentibus, præsertim ex fine legis; cum finis sit prima ratio operis. In dubio autem fit interpretatio pro valore actus.

3. In legis interpretatione præ oculis semper habendum est vulgatum illud: *odia restringi, favores convenit ampliari.* Quare in odiosis stricta, in favorabilibus lata interpretatio adhibenda. Idem est si lex exhibet duplicem sensum, unum naturalem, alterum civilem: sic vocabulum *mortis* ex communi acceptione tribuitur morti naturali, sed ex jure accommodatur etiam exilio et professioni religiosæ (in pœnalibus sensus naturalis teneatur; civilis in favorabilibus). Sic nomen *filii* ex communi intelligentia refertur ad filium naturalem, sed ex beneficio legis accommodatur etiam ipso adoptivo. — *V.* Liguori, *Ho. Apost.*, t. II, n. 76.

A *Codice civili* statuitur hac de re (art. 3 proœm.): « nell'applicare la legge non si può attribuirle altro senso che quello fatto palese dal proprio significato delle parole secondo la connessione di esse e dalla intenzione del legislatore. Qualora una controversia non si possa decidere con una precisa disposizione di legge, si avrà riguardo alle disposizioni che regolano casi simili o materie analoghe; ove il caso rimanga tuttavia dubbio si deciderà secondo i principii generali di diritto. » — Et art. 4: « le leggi penali e quelle che restringono il libero esercizio dei diritti o formano eccezioni alle regole generali, o ad altre leggi, non si estendono oltre i casi e tempi in esse espressi. » Concordat *C. A.* 6 et 7; — *C. M.* 7; — *C. T.* 4 et 5.

Statuto fundamentali art. 73, habetur: *l'interpretazione della legge in modo per tutti obbligatorio spetta esclusivamente al potere legislativo.*

Q. 2. *Authentica interpretatio indigetne nova promulgatione?*

R. Oportet distinguere inter puram legis declarationem, et inter meram interpretationem ejusdem. Est *pura legis declaratio*, quando expli-

catur aliquis sensus, qui jam ab initio erat in lege satis imbibitus: uti si dubium sit, an sub vocabulo *filii* intelligatur solus filius legitimus, an etiam spurius, et legislator declaret intelligi etiam spurium. *Mera* autem *legis interpretatio*, quæ etiam dicitur declaratio non pure talis, est quando explicatur sensus, qui in lege non erat clare imbibitus: v. g. si legislator declaret, quod sub nomine *patris* veniat etiam avus. — Hoc posito, dicimus: si agitur de pura legis declaratione, tunc declaratio illa obligat statim omnes, qui eam cognoverint, neque requiritur promulgatio, nisi fiat a successore; quia non est nova lex. Si vero agitur de mera legis interpretatione, tunc promulgatio est necessaria; cum nova constituatur obligatio. Diximus *nisi fiat a successore*, cum enim mens legislatoris non ita sit cognita; ideo tunc ad declarandum sensum etiam imbibitum in lege, recurrere est ad argumenta et interpretationes, quæ cum novam quasi legem inducant, nova indigent promulgatione.

Hic observamus, Pium IV Bulla *Benedictus Deus*, doctrinalem ac privatam Tridentini interpretationem ex professo factam, et typis mandatam Prælatis prohibuisse sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ; omnibus autem sub pœna excommunicationis *ipso facto* et reservatæ. Et merito, ut sic vitetur confusio, quæ de facili oriri potest in iis tanti ponderis sanctionibus.

(Z) Pag. 194.

362. De *delegatione* et *subdelegatione* hæc notanda:

Stylus romanæ Curiæ ita se habet, ut Literæ dispensationis committantur pro executione vel Ordinario seu Episcopo, vel ejus Vicario generali. Si Episcopus sit delegatus, ejus Vicarius non potest se ingerere in tali dispensatione: et idem currit e converso, si sit delegatus Vicarius; quia in causis delegatis Episcopus et Vicarius non faciunt unum tribunal. Atque ita res se habet sistendo in generalibus juris regulis. Tamen ex hodierna praxi obtinet doctrina Piasæcii, *Praxis episcopalis*, et Sbrozzi, *De Vicario generali*, et aliorum (quam etiam innuit s. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. VII, n. 224): nempe si Literæ dispensatoriæ in delegando utuntur verbo *Episcopo* vel *Diœcesano*, delegatur solus Episcopus vel successor in Episcopatu; sub hoc enim nomine, rigorose, in causis delegatis soli Episcopi et Archiepiscopi veniunt, non alii etsi habentes ordinariam jurisdictionem, ideoque non veniunt eorum Vicarii generales. At poterunt Episcopi generatim loquendo suos Vicarios subdelegare de vice in vice; nam executorem Literarum apostolicarum uti delegatum principis posse subdelegare indubium est, ut multis probat Sanchez, *De Matrimonio*.

Diximus *generatim loquendo;* etenim excipe: 1, si in delegatione sit electa industria personæ, uti esset (prout habet Monacelli cum Graffio), si electio sit facta ratione confidentiæ, si conscientia oneretur et nomen delegati exprimatur, si præstatio consilii requiritur in certo actu ad certum tempus, si mandatur negotium non determinatum, si delegatus esset datus ad partis instantiam, si gravia et ardua mandantur, denique si agatur de re et controversia, quæ ingenium et hominis peritiam exposcat: tunc nec poterit Episcopus subdelegare, nec potest hanc causam cognoscere ejus successor. Excipe 2, si agatur de dispensando ab irregularitatibus ex c. fin. § *ceterum de offic. deleg.:* quam quidem prohibitionem extende etiam ad dispensationes matrimoniales (ex S. Pœnitentiaria 5 sept. 1859); cum istæ non minus graves sint;

in quibus ideo prohibetur subdelegatio. Hoc tamen intelligendum de ipso solo ministerio dispensationis; nam pro capienda informatione necessaria executor alios subdelegare potest.

Diximus *de vice in vice*, adeo ut (ait Sperelli) nequeat ab initio Episcopus deputare Vicarium generalem ad omnes causas in futurum sibi delegandas; sed dumtaxat potest singularium delegationem, illi specialiter subdelegare; nequit enim ipse alteri committere quod nondum sibi neque actu neque habitu commissum est, ut cum aliis docet Garcias. Patet autem quod subdelegatus Vicarius non potest alterum iterum subdelegare.

Quod de Episcopo, idem valet de Vicario, si ipse delegatur; ipse solus cognoscere potest causam sibi commissam, vel ejus successor in Vicariatu, non autem illius Episcopus.

Si vero Literæ utuntur verbo: *committimus Ordinario*, tunc non tantum Episcopo, sed etiam ejus Vicario generali competit illas exequi; nam sub nomine *Ordinarii* veniunt illi omnes, qui habent jurisdictionem ordinariam. Unde tunc æquali jure potest dispensationem exequi sive Episcopus sive etiam ipse Vicarius generalis Episcopi. Ita Genuensis, Gratianus, Guttier, etc. Vicarius, inquiunt, censetur quasi Ordinarius, cum habeat delegationem ad universitatem causarum: et hac ratione deducunt Vicarium generalem posse certe exequi ea omnia, quæ Tridentinum committit exequenda Ordinario. — *V.* Ferraris; V. *Executor Literarum apostolicarum.* — Dejustis, *De dispensat.*, l. I, c. 3, n. 65. — Sanchez, *De Matrimonio*, l. x, disp. 7. — Reinffestuel, *Jus can.: De forma Literarum* etc. — Smalzgrüber, *De Matrimonio*, p. III, tit. 16, n. 10. — *Acta S. Sedis*, vol. I, pag. 674.

(AA) Pag. 195.

363. Quoad *dispensationem a lege* notanda pro praxi:

1. Valet dispensatio alicui improbo concessa, quem dispensator probum putavit etsi cognita improbitate, ipse certo non fuisset dispensaturus: quia probitas non reputatur nisi causa impulsiva.

2. Valet, etsi concedatur in mala fide, ut cum putat dispensator causam non adesse, quæ revera adest; nam valor non pendet a cognitione, sed ab existentia causæ. Item valet si causa finalis tempore petitionis sit falsa, sed vera fiat tempore concessionis; quia a concessione dispensatio obtinet.

3. Valet dispensatio concessa a primario superiore, licet ab alio jam fuerit negata, etsi de negatione mentio non fiat. Imo probabiliter valet etsi a primario negata, fuerit a secundario superiore concessa; quia potestas inferioris non est restricta per negationem superioris, nisi hic expresse eam restringat.

4. Advertunt recte Salmanticenses, non bene se gerere Prælatos qui ad se confugientes in dubio pro dispensatione, illorum conscientiæ relinquunt; sic conscientiarum tranquillitati non provident. Consultius erit ut aperte dispensent, vel ut aperte dispensationem denegent; semper autem clare loquantur, ne novo dubio fiat locus.

364. Q. 1. *An superior, justa extante causa, teneatur dispensare?*

R. Si justa causa sit talis, ut tantum reddant convenientem dispensationem, non tenetur superior dispensare; nam est mera gratia, ideo libera. Sed e contrario dispensare tenetur, si dispensatio conferat ad damnum avertendum, vel bonum procurandum; ideo enim ipsi potestas data fuit. Denegata tamen dispensatione, subditus nequit agere

contra legem, cum adhuc sub ipsa sit. Excipe, nisi causa adeo urgeat, ut eum a lege omnino subducat; nam *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum* (cap. IV *de reg. juris).* Uti si urgeret necessitas contrahendi matrimonium, omissis denuntiationibus, et Episcopus certo injuste negaret dispensationem, ut dicunt Sotus, Sanchez, Salmanticenses, Palaus, Coninck, etc. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 179; *Ho. Apost.*, tr. II, n. 52.

Addit Frassinetti: Ordinarie loquendo Parochus judicio Episcopi stare deberet, etsi illi injusta videatur denegatio dispensationis; hinc non assistat tali matrimonio, et respondeat Episcopus de damnis et scandalis quæ a vetita matrimonii celebratione oriri possunt. Quoad casum autem omnino extraordinarium, de quo loquitur s. Alphonsus, oporteret ut Parocho evidentissime constaret quod Sancta Sedes erit certe probatura in illis adjunctis suam agendi rationem; uti si certo certius sciret nullum adesse impedimentum et sponsi illico simul navigare deberent in longinquas regiones, v. g. in Americam (*nota* 13).

365. *Quid si dubitetur, an causa extans justa sit ac sufficiens?*

R. Eo in casu superior poterit dispensare in lege humana; quia possidet illius potestas, et causa extans præsumitur legitima. Secus si dubitetur, an quis habeat potestatem, vel an adsit causa: tunc ipsa remanet probanda (nisi tamen dubitetur post factum; nam *præsumitur recte factum quod erat de jure faciendum)*.

In dubio autem sive positivo sive negativo, an casus indigeat dispensatione, satius erit adire superiorem, saltem ad majorem tranquillitatem, ut ipse casum declaret vel dispenset; est enim commune, quod in casibus dubiis Prælatus, quamvis inferior, possit dispensare, etsi nihil specialiter circa hoc sibi commissum fuerit a superiore. At poterit tunc ipse subditus uti sua libertate; quia idem est ac dubitare, an casus ille sit inclusus in lege. Excipe dispensationes matrimoniales, ratione Sacramenti, ne frustrationis expenatur periculo. — *V.* Frassinetti, *Compendio della Teol.*, nota II.

366. Q. 2. *Quid si causa dispensationis sit certe injusta?*

R. Quæstio est de dispensationis licitate vel validitate.

1. Quod pertinet ad licitatem, certum est dispensationem sine causa esse illicitam utpote bono communi contrariam. Unde Tridentinum ait: *sciant universi, sacratissimos Canones exacte ab omnibus et quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens, justaque ratio et major quandoque utilitas postulaverint cum aliquibus dispensandum, id causa cognita ac summa maturitate, atque gratis a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum* (sess. XXV, c. 18 *de R.).* Potestas enim hæc non est data ad destructionem, bene vero ad ædificationem; atqui ea ad destructionem uteretur qui dispensaret sine justa causa. Iste enim latam transgressionibus viam aperiret, et superiores facillime exponeret contemptui. Quare licet in communi sententia excusetur a peccato gravi, et probabiliter etiam a levi qui, præcluso scandalo, utitur dispensatione sine causa obtenta, cum non amplius sit sub lege; certum est tamen tum concedentem tum petentem peccare, quia unus alteri cooperatur in violatione legis naturalis, quæ dictat partem deberi conformari toti. Peccant autem in aliquorum opinione mortaliter; in aliorum vero (et quidem satis probabili) opinione tantummodo venialiter, prout levem vel gravem censent esse deformitatem. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 178 et seqq.

2. Ad valorem quod spectat dispensationis sine justa causa concessæ, distinguendum. Qui sic dispensat vel superior est, ita ut lex sit ab ipso lata (aut a prædecessore ejus); vel est inferior. Si supe-

rior, valide agit, quia legis obligatio totaliter pendet ab illius voluntate: unde, cessante hac superioris voluntate, legis obligatio cessat. Si vero inferior, invalida erit dispensatio: non enim superior præsumi potest dedisse inferiori potestatem imprudenter dispensandi in lege propria; cum non sit præsumendus velle peccare.

367. Q. 3. *An valeat regis dispensatio exorta per metum, vel tacita de præsenti, vel præsumpta de futuro.*

R. Dispensatio extorta *per metum* etiam injustum valet, si non constet omnino defuisse in superiore animum dispensandi; quia metus non tollit voluntarium. Item valet dispensatio *tacita*, modo possit juste præsumi consensus de præsenti; tunc æquivalet expressæ. Hinc si superior videat suam legem negligi, et taceat, cum possit facile ac sine incommodo corrigere, nec monendo majus malum timeat, juste tunc præsumitur dispensare; ne dicatur superior peccare. Non tamen valet dispensatio *præsumpta* de futuro; nam præsumptio indicat tantum dispositionem ad dispensandum, non actualem et veram dispensationem. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tr. II, n. 51.

Nec refert, quod valeat licentia præsumpta; etenim dispensatio cum sit vulneratio legis, stricte est accipienda. Non item licentia, quæ non aufert legis obligationem, sed tantum conditionem apponit, sub qua lex non obligat. Sic v. g. si agere aliquid prohibeatur sine licentia, qui licentiam illam obtinet a superiore, ut agat, non proprie in lege dispensatur, imo potius operatur juxta legem ipsam, quæ vult ut in casibus occurrentibus licentia petatur.

(BB) Pag. 196.

368. Q. 1. *Quid de dispensatione* ob duritiam cordium?

R. Hac de re habet Gousset: « Specialmente in oggi i superiori hanno riguardo alla durezza dei cuori, e si credono obbligati a dispensare da una legge unicamente per timore di più gran male. » (*Theol.*, vol. I, n. 204). Addit Frassinetti in suo *Compendio* (nota 12): *Si recte res expendatur, hæc est vera causa concessionis Indultorum pro Quadragesimalis jejunii mitigatione. Utique indultum petitur ob alias causas: at Pontifex illud concedit ob fundatum timorem quod alioquin maxima christianorum pars peccaminose violaret Ecclesiæ præceptum.* (Verum de ista Pontificis intentione non ita constat, prout contendit auctor, imo aliter eruendum est ex Bullis Benedicti XIV de jejunio, quæ sunt in viridi observantia). Concludit autem:

Hinc pro praxi dicimus: confessarii ipsi qui suos pœnitentes vident nimis repugnantes quoad cibos esuriales atque jejunium, qui tamen sunt in bona fide putantes adesse valide se dispensandi causas, cum illis indulgentes sint et dispensent, vel melius promittant, ut id agant quod putant recte agere posse, etsi causæ (in rigore sistendo) non sint sufficientes: casu quo prævideant quod moniti non erunt obtemperaturi, sed et legem violarent et Sacramentis valedicerent.

369. Q. 2. « *Toutes les fois qu'ayant obtenu une dispense, on en demande une seconde, est-on tenu de faire mention de la première?*

R. « Si la première dispense obtenue a un rapport avec la seconde, et qu'elle la rende plus difficile, d'après le droit, on est strictement obligé d'en faire mention: ainsi, par exemple, si un mari, après s'être défait de sa première femme, avait encore tué celle qu'on lui avait permis d'épouser, et qu'il demandât une seconde dispense, il serait tenu de faire mention de la première, autrement la seconde dispense

serait nulle. Mais si la première dispense n'a aucun rapport avec la seconde, et qu'elle ne la rende nullement plus difficile à obtenir, il n'y a point l'obligation de faire mention de la première: si quelqu'un, par exemple, était dispensé pour une autre parente, et que le mariage ne se conclût point, il pourrait demander une semblable dispense pour une autre parente, sans fair mention de la première qu'il avait obtenue. » — V. *Examen raisonné.* — Et plura dicenda, *De Matrimonio*, l. III atque l. IV, Append. quoad modum ac formulas dispensationis obtinendæ.

(CC) Pag. 205.

370. Plura circa consuetudines adnotamus.

Q. 1. *Quænam prudentia ad evellendam consuetudinem?*

R. Circa prudentiam in evellenda consuetudine audiendus inter ceteros Benedictus XIV, qui Constitutione *Paternæ charitatis*, quoad mercatus, qui festis diebus alicubi agebantur, ait: « Quia malum universale est, ac alte radices egit, opus est prudentia et maturitate, ne fructu careat medela, ac vulnus exasperet: *quod possumus, exigendum est, non quod optamus.* Admonitionibus proinde uti satius videtur quam minis; et si minæ quandoque intententur, servandum est exacte monitum sapientissimum s. Augustini (*Epist.* XXII ad Aurelium Carthaginiensem Episcopum), qui agens de auferenda conviviorum licentia totam passim Africam fœde occupante, sub inani obtentu honorandi festa Martyrum, scripsit: *Non aspere quantum existimo, non duriter; non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo quam jubendo; magis monendo quam minando; sic enim agendum est cum multitudine; severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futurorum, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur.* » *V.* Ferraris; V. *Abusus.*

371. Q. 2. *An privata familia possit inducere consuetudinem?*

R. Cum Suarez: Privata familia non potest inducere jus consuetudinis, quia per se non est capax legis proprie dictæ, cum sit imperfecta omnino societas. Veruntamen consuetudo potest induci a certa classe personarum, v. g. clero, a magistratibus, imo a persona publica quoad suum officium; quia in his conditionibus seu statibus lex proprie dicta convenit. Reinffenstuel animadvertit communitatem etiam monialium hac ratione posse inducere consuetudinem, quæ nempe vim legis habeat.

372. Q. 3. *An actus ad inducendam consuetudinem contra legem fieri debeant bona vel mala fide, scienter vel ignoranter?*

R. Non consentiunt: alii volunt requiri bonam fidem; consuetudo enim est quædam species præscriptionis quæ bonam requirit fidem. Alii supponunt requiri cognitionem legis; et sane qui illam ignorant non possunt habere intentionem illam abrogandi, at deficiente intentione consuetudo nihil operatur. Ideo in hac sententia triplicem in consuetudine veluti temporis statum distinguunt Salmanticenses: *initium, progressum* et *finem. Initio* introducentes consuetudinem contra legem omnes peccant; quia adhuc obtinet lex. In *progressu* non peccant qui ea jam a majoribus inducta utuntur bona fide, sed adhuc possunt a principe puniri; quia nondum ea est legitimata. In *fine* neque peccant, neque amplius puniri possunt; cum jam sit vera lex. — Alii tandem arbitrantur valere consuetudinem sive bona sive mala

fide inducatur, quia in utroque est sufficiens intentio legem abrogandi; et sane voluntas legislatoris est se conformare moribus communitatis; quod valet sive scienter sive ignoranter consuetudo inducatur.

373. Q. 4. *Quæ regulæ ad judicandum consuetudines inductas legitimas esse vel non?*

R. Regula 1ª: Videndum an lex consuetudinem abroget, prohibeat vel reprobet. Quando lex *abrogat* tantum, consuetudo non tollitur nisi quæ antea existebat, non postea exurgens; quando lex *prohibet*, prohibitio etiam ad consuetudinem in posterum inducendam refertur; quando lex *reprobat*, tunc consuetudo et præsens et futura irrationabilis declaratur. Ceterum in praxi rem definire non ita facile est. — *V.* Vecchiotti, *Institutiones canonicæ*, l. I, c. 2, § 27.

2ª: *Nemo consuetudinem rationi et veritati præponat; quia consuetudinem ratio et veritas semper excludit* (Decret. dist. VIII, c. 4). « On ne peut, par exemple, regarder comme raisonnable un usage qui, sans être mauvais de sa nature, ou dans son objet, est une occasion de péché pour un grand nombre, et devient pernicieux au salut des âmes. On doit également mettre en nombre des coutumes illégitimes celles qui sont repoussés par le droit (v. *Decret.* cap. *Cum in cunctis;* c. *Noverint;* c. *Cum terra;* c. *Cum inter;* c. *Irrefragabili;* c. *Cum officii;* etc.), ainsi que celles qui tendraient à altérer la constitution de l'Église qui est une vraie monarchie; ou à troubler l'ordre hiérarchique qui élève le Souverain Pontife au-dessus de tous les évêques, et les évêques au-dessus de tous le prêtres de leur diocèse, ou a rompre le nœud de la discipline ecclésiastique, soit en faisant dépendre l'éxécution des Constitutions Apostoliques du *placet* des souverains ou de l'acceptation des évêques, soit en favorisant des actes contraires au libre exercise de la jurisdiction du Chef de l'Église. » *Gousset.*

3ª: Si lex contra quam prævalere dicitur consuetudo sit valde necessaria ad servanda jura Ecclesiæ; si timendum ne nervus disciplinæ solvatur ea lege remota; si consuetudo allegata sit affinis aliis a S. Sede improbatis, illam admodum suspectam habebimus. E contrario si consuetudo ita se habeat, ut per eam non detur locus hisce periculis, reputabitur rationalis. Quod si res dubia sit, erit præsumenda rationalis,ait Reinffestuel, ac bono publico expediens; *in dubio enim favor consuetudinis velut in possessione existentis, erit firmandus*

374. Q. 5. *An per consuetudines legitime derogari possit decretis Concilii Tridentini quoad humanum jus?*

R. Audiantur *Acta apud S. Sedem* etc., t. IV, pag. 26: » Non multo post Tridentinum apud Canonistas incœpit invalescere dictio *contra Tridentinum nulla admittitur consuetudo.* Hæc dictio, quæ nec grave habuit ab initio fundamentum, admissa merito fuit a S. Congregatione Concilii. Dixi *grave* non habuit fundamentum; nam ea generalis clausula neque a Patribus Tridentinis apposita fuit decretis, neque explicite ab aliqua Constit. Romani Pontificis. Attamen a variis auctoribus persæpe repetita fuit usque ad nostra tempora; nihilominus hæc dictio decursu sæculorum pedetentim amittit suam veritatem; et reapse modo videmus multas invaluisse consuetudines contra Tridentinum quæ irrationabiles præsertim pro locorum adjunctis non reputantur. Nemo autem mirabitur, cum agitur de legibus disciplinalibus quæ natura sua rationales admittunt consuetudines; nam mutationis obnoxiæ sunt. Nec refert, si forte præseferant clausulam; *exclusa quavis contraria consuetudine contraria in futurum;* valor hujus clausulæ non alius esse potest quam difficiliorem reddendi consuetu-

dinem novæ legi contrariam, ac vigilantiam particularem auctoritatis excitandi, ne consuetudo adversa invalescat. Habemus autem exempla solemnia in ipsis *Decretalibus* quoad hanc mutationem per consuetudines inductam. »

375. Q. 6. *Quid circa desuetudinem speciatim notandum est?*

R. Duo sunt notanda præcipua quoad desuetudinem: unum respicit *conditiones* necessarias, alterum *effectus* inde provenientes.

Desuetudinis *conditiones* sunt, ut ea sit tum rationabilis, ideo non contra divinum Jus; tum legitime præscripta, spatio nempe decem saltem annorum. *Effectus* vero desuetudinis est legi derogare, etiamsi ipsa in lege apposita sit clausula: *non obstante quacumque consuetudine;* talis enim clausula præteritas tantum respicit consuetudines. Ubi observamus, non esse novum legem servari quoad aliqua, et quoad alia abire in desuetudinem. — V. *Analecta Juris pontificii.* 1864, pag. 503.

Sed notandum est, quod ut desuetudo legi deroget, non sufficit intentio legem transgrediendi; sed expresse intentio requiritur legem delendi. Nihilominus si lex in bona fide, nempe ex legis ignorantia, non observaretur, ait Layman cum Suarez, Azorio, Glossa, etc., quod decennio ipsa præscribitur, etiam ignorante principe; præsumitur enim princeps, qui positive non obstat, approbare quemlibet usum, qui legitime præscriptus est. Dicunt autem Salmanticenses cum Granada, Salas aliisque sufficere dictum eximii doctoris etiam moderni, asserentis legem abrogatam esse, ut a lege deobligemur. Bene tamen advertit Mazzotta, quod in dubio de desuetudine possidet præceptum. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. II, nn. 80 et seqq.; et *Op. Mor.*, l. I, n. 108; l. III, n. 290.

Lex civilis hac de re statuit: «Nelle materie che formano soggetto del nuovo Codice, cessano di aver forza dal giorno dell'attuazione del medesimo tutte le altre leggi generali o speciali; come pure gli usi e le consuetudini a cui il Codice stesso espressamente non si riferisce.» — V. *Legge transitoria per l'attuazione del Codice civile:* 1866, art. 48; — *C. A.* 10; — *C. S.* lege 21 martii 1819; — *C. P.* decr. 23 martii 1820; — *C. R.* 1; — *C. M.* decr. 25 oct. 1851; — *C. H.* lege 15 nov. 1814; — *C. T.* 5.

Q. 7. *Quid de consuetudinibus seu libertatibus nonnullarum Ecclesiarum?*

R. Majores Ecclesiæ privilegia seu consuetudines, vulgo *libertates*, nonnunquam urgent; sunt nempe quædam exceptiones a jure et disciplina communi, v. g. ut Episcopus dispenset in impedimentis, quin fiat recursus ad Romanam Sedem, ne ab Episcopo interdicatur regnum. Quæ si habeant assensum expressum vel tacitum Apostolicæ Sedis, non sunt reprobandæ. Huc spectat privilegium concessum regibus subalpinis a Bonifacio VIII, a Julio II, a Leone X et Clemente VII, 13 febr. 1529, ut excommunicatio in reges, vel generale interdictum in totum regnum nequeat ferri, nisi a Papa ipso, vel ab expresse delegato a Papa.

Quoad libertates Ecclesiæ Gallicanæ, de quibus tot abusus, vide *Prælectiones S. Sulpitii* etc. Id unum notamus experientia multarum gentium nedum particulares Ecclesiæ lucrentur ex hisce libertatibus, quas tenacius retinere contendunt, in periculum potius veniunt vera jura amittendi: hoc mira verborum concinnitate significat Fenelonius: *libertés à l'égard du Pape, servitudes à l'égard du roi.* — *V.* Rhorbacher, *Storia universale della Chiesa*, l. LXXXVIII; — C. Cantù, *Storia* ecc.; Documenti; religione: *Le libertà gallicane.*

(DD) Pag. 206.

376. Turpiter errant qui Ecclesiæ præcepta parvipendentes, ad rusticanos et infirmæ mentis homines ea amandantes, nihilominus catholici nomine gloriantur.

« *Ma questa* (ajunt adversarii) *è solo una legge ecclesiastica, una legge di preti....*

» R. Non provenendo quei mandati se non dalla S. Chiesa medesima, chi non vede che sotto quella formola s'impugna direttamente l'autorità legislatrice di lei?.... Che cosa è la Chiesa? Essa è la continuazione dell'opera di Gesù sulla terra; essa è la erede legittima dei diritti di Gesù, la depositaria fedele de' suoi tesori, la maestra infallibile delle sue dottrine. Essa possiede l'autorità di Gesù, vive dello spirito di Gesù, gode l'assistenza di Gesù, in nome di Gesù parla, ordina, comanda, concede e proibisce, scioglie e lega, apre il cielo e lo chiude, e tutto per espressa volontà di Gesù. Questa è la dottrina cattolica. Ora in faccia a questa verità ponete uno di quegli infelici che all'occasione di un comando o divieto di S. Chiesa si lascia uscire dalla chiostra dei denti la bella massima: *Oh questa è sola una prescrizione di preti;* e con ciò crede di poter violare impunemente qualunque prescrizione: a chi fa ingiuria costui? Ad alcuni preti, ad alcuni uomini, oppure allo stesso Gesù? Rispondano di grazia: se è vero che l'autorità della Chiesa non è altra da quella di Gesù Cristo, ognun vede dove vada a parare quel colpo.

» Che se non si ammette che l'autorità della Chiesa sia quella di Gesù, allora saremo anglicani, saremo calvinisti, saremo quaccheri, saremo quello che volete; ma non saremo cattolici. Il ricevere un ordine dal principe o riceverlo dal suo luogotenente in nome di lui, non è tutto lo stesso? ed il ricusare obbedienza all'ordine venuto per mezzo del luogotenente, non è disubbidire al principe stesso? Ebbene dite il medesimo rispetto alla Chiesa, la quale parla in nome di Gesù, perchè da lui a ciò costituita.

» *Io credo a Dio, ma poi tante altre cose....*

» R. Orsù che vogliono significare con quel *tante altre cose?* non osano dirlo chiaro, ma a un buon intenditore poche parole. Voglion dire che quando si è creduto a Dio, non è poi necessario l'ammettere quello che insegna la Chiesa; non Sacramenti, non Messe, non digiuni, ecc. Or questo è anche più che protestantismo, è negazione di tutto il Cristianesimo, è deismo.... Coloro che professano di non credere a *tante altre cose*, farebbero bene a non vantarsi neppure di *credere a Dio;* perocchè mentre non credono a quest'altre cose, fanno segno evidente di non credergli in niuna. Chi crede, osserva e si assicura se egli abbia parlato; ma quando poi ha fatto ciò, quando è certo che ha parlato, crede universalmente a tutto questo che egli ha detto. Ha Dio proposto misteri? ed egli li ammette sulla sua parola. Ha Dio stabilito Sacramenti per le varie necessità de' fedeli? ed egli in queste contingenze li riceve. Ha costituita madre e maestra la Chiesa? ed egli la riverisce da figliuolo ubbediente e la ascolta da discepolo sottomesso. Ha questa Chiesa coll'autorità del suo Sposo divino fatte leggi, prescrizioni, divieti? ed egli si tiene in dovere di osservare ogni cosa per l'appunto.

» Il credere a Dio importa tutto ciò, e chi grida che *crede a Dio,* ma poi non crede a quello che Dio ha rivelato, costui si burla di Dio

e degli uomini; di Dio poichè è uno strazio che fa della divina autorità; e degli uomini, poichè è una fiaba quello di cui si vanta. » — Franco, *Risposte popolari* ecc., c. XXI. — *V.* Righetti, *Lettere sul digiuno*, lett. I. — *I Comandamenti della legge di Dio e della Chiesa, confermati da fatti storici.* Modena. — Frassinetti, *Dialoghetti sui Comandamenti della Chiesa.* — *Summa doctrinæ christianæ*, auctore Petro Canisio.

(EE) Pag. 208.

377. Missa parochialis: cum plurimum conveniat, ut populus *Missæ parochiali* assistat tum ut oves suum agnoscant pastorem, tum ut Verbum Dei audiant, poterit Episcopus, uti declaravit S. Congregatio 22 maji 1552, disponere, *ut diebus festis Missæ celebrari non debeant in aliis Ecclesiis, nisi celebrata Missa in Ecclesia parochiali.* Et d. Carolus gravibus verbis ac per viscera misericordiæ J. C. omnes adhortatur et obsecrat, ut ad Parochiam festis diebus conveniant. *(Acta Eccl. Med.*, p. I, pag. 302.)

Et sane (ad rem Stapf) *res est pessimi ominis, si oviculæ, derelicto pastore suo, diebus festis huc illuc discurrant. Præterquamquod tales dum ad pascua aliena deflectunt, in doctrina salutis plerumque jejuni maneant, etiam multis magnisque vitiorum illecebris implicantur, tum in ipsis locis celebrioribus ubi per diem commorantur, tum in transitu et reditu ex illis; atque exinde curatores animarum præsertim illis in communitatibus parum solatii experiuntur, quæ urbi, vel oppidulo cuidam adjacent* (§ 221). Tanto magis præstat, ut populus parochiali Missæ assistat, quia inde uberiorem fructum partecipare potest, cum hæc Missa pro ipso applicetur. Adde in ea vigiliæ si quæ sint per hebdomadam et festa indicuntur, proclamationes fiunt, edicta superiorum promulgantur et opportuna monita tribuuntur. En quot bonis se privat, qui renuit Missæ parochiali interesse; ideo optimi Parochi esse debet assidue urgere suos parochianos, ut in festis jugiter ad Parochiam conveniant.

378. Sunt qui Parochum post Evangelium concionaturum statim deserunt, templo quasi columbario exeunt; ac nonnisi finita concione, revertuntur. Abusus est eliminandus; sic enim agentes si Missæ non deficiunt, deficiunt instructioni, cujus quidem nulla major necessitas. Hujusmodi homines olim a Concilio Carthaginiense IV excommunicabantur; quot hac tempestate hanc pœnam incurrerent! — At videamus ne et ipsi culpa teneamur, si populus nauseat super cibo nostro levissimo. Nullam forsan industriam impendimus in concione ac catechesi paranda, illas similitudinibus, exemplis ac certa quadam expositionis festivitate exornando: quæ quidem adeo auditores alliciunt. Nullam fidelibus reverentiam exhibemus; nil de illis blande prædicamus, aliquando si opus, laudem ipsis concedendo; sic enim eorum corda lucrifiunt. Inter ceteros vide Mullois in Opere, *Corso di sacra Eloquenza popolare*, ossia *Saggio sul modo di parlare al popolo;* Torino, 1855, ubi hosce modos mire docet; item ejusdem commendandum Op. *Il Libro degli operai.* Milano, 1861.

379. Missa in Oratoriis: *an* (quæres) *præcepto satisfaciat Missam audiens in Oratorio privato, in iis nempe sacellis, quæ in domo privata erecta sunt ex privilegio Papæ, ut ibi peragantur divina mysteria?*

R. Licentia quæ olim ab Episcopis dabatur celebrandi Missam in Oratoriis privatis, hodie ex Tridentino (sess. XXII *de cel. Missæ)*, a

Sancta Sede est petenda, quam, sub datis limitationibus, tribuit. Porro ex Brevibus concessionis generatim habetur non satisfacere præcepto qui Missam audiunt in Oratoriis privatis, nisi vel sint domini aut eorum conjuncti, qui habitent in eadem domo eorumque expensis vivant; vel sint servi, qui a dominis alantur, et quidem familiares necessarii. Imo pro omnibus festa principaliora excipiuntur, nisi concessio facta sit causa infirmitatis. Quæ festa ex S. R. C. anno 1607, sunt Pascha Resurrectionis, Feria V in Cœna Domini, Ascensio, Pentecostes, Nativitas, Epiphania, Annunciatio et Assumptio B. V., Festum Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum. — Merito autem docent Pasqualigus, Gattico et alii, quod dominus tenetur pro se et suis uti privilegio Oratorii privati in festis, si non possint adire Ecclesiam, non quidem ex vi privilegii, quia privilegium liberum est prout tale, et nemo tenetur eo uti; sed ex vi præcepti, quod obligat ad Missam audiendam illos omnes, qui illud sine gravi incommodo implere valent.

Non tamen uti privata Oratoria sunt habenda: 1) Oratoria benedicta et designata ad usus sacros, licet erecta in domibus privatis; si tamen ingressus juge omnibus pateat etiam a via publica; 2) Oratoria erecta in seminariis, conservatoriis, publicis carceribus, hospitalibus et domibus religiosorum; sic enim habet praxis, nec sunt privatæ domus. Item Oratoria in Palatiis Episcoporum ac Cardinalium ex S. Concilii Congregatione: imo Episcopi possunt celebrare vel celebrare facere, se præsentibus, in omnibus domibus (etiam extra Diœcesim), ubi reperiuntur causa visitationis aut itineris, aut moræ extra Diœcesim a jure vel a Sancta Sede ob aliquam causam peculiarem permissæ. Ita Bulla *Apostolici muneris* Innocentii XIII confirmata a Benedicto XIII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 359. — Fusius de Oratoriis privatis et publicis erit Lib. IV, Append.

(FF) Pag. 210.

380. Q. 1. *Qualis attentio requiritur in Missa audienda?*

R. Duplex attentio: interna et externa. *Interna* ea est, qua quis advertit, et animum applicat vel ad verba et actiones sacerdotis ex fine bono; vel ad sensum et mysteria, quæ per actiones et verba significantur; vel ad Deum precibus ac meditatione adorandum, laudandum, colendum. *Externa* vero in eo consistit, quod qui Sacrum audit, non ponat actionem aliquam externam impedientem mentis suæ applicationem.

Jam vero certum est, necessariam esse *attentionem externam*; cum illius defectus impediat Missæ attendere humano modo. Hinc non satisfacit qui tempore Missæ scribit, pingit, legit libros profanos, imo etiam sacros, si sint historiarum, et legat vel sola eruditionis vel curiositatis vel studiis causa. Item nec satisfacit qui per notabile tempus aut de re seria confabulatur, aut imagines attente considerat uti res artis, aut inscriptiones legit, aut scientias meditatur aut dormit etiam involuntarie. Dormitans tamen interdum inter Sacrum satisfacit, aut saltem non graviter delinquit, modo advertat ad id quod fit, ita ut rationem sibi reddere possit quod reapse Sacro assistat, etsi vexatus a somno non satis attendat ad significationem.

381. Quod vero pertinet ad *internam attentionem*, sententia communior, probabilior et consulenda cum s. Thoma (In 4, dist. 15, q. 4, a. 2), Billuart, Elbel, Salmanticensibus, aliisque recentioribus præser-

tim, docet ipsam quoque requiri, sed satis esse virtualem et confusam, ita nempe ut aliquo saltem modo advertatur quid fiat: nam ita sufficienter applicatur mens ad divinum cultum; nec plerumque a rudibus perfecta applicatio attendi potest. Item neque requiritur oratio vocalis; nam assistentia religiosa etiam sine illa haberi potest: tamen in praxi rudibus maxime suadendum, ut orationes aliquas recitent, videlicet orationes consuetas pro Missa vel Rosarium, ne nimiis distractionibus exponantur. Etsi autem Ecclesia directe non præcipiat actus internos, eos præcipit indirecte, in quantum actio interna necessaria est, ut actio externa rite fiat: sive ut Missæ Sacrificium religiose audiatur. Ceterum ad levamen fidelium præstat animadvertere:

1. Ut dicatur quis præcepto de Missa audienda minime satisfecisse, requiritur non solum ut voluntarie se distrahat per notabile tempus, sed etiam ut plene advertat, se in Missa audienda distrahi, et tamen adhuc in illa mentis divagatione moretur. Si secus, locus sexcentis anxietatibus foret.

2. Satisfaciunt collectores eleemosynæ, cantores, musici, attollentes folles, etc., si aliquo modo attendere studeant. Ratio est, quia tales actiones Sacrificio inserviunt, et ad Dei cultum referuntur. Sentit autem probabilius Croix, sacerdotem posse Missam alienam audire, dum ipse celebrat, quia dum celebrat, jam orat.

382. Q. 2. *An qui ab audienda Missa legitime excusatur, alium religionis actum in compensationem elicere teneatur?*

R. Audiendus Bouvier: *Certum est eos ad nihil teneri vi præcepti Ecclesiastici, quo Missæ assistentia præcipitur et nihil ultra. At notat Billuart, cum ex præcepto naturali aliquando divinis vacare debeamus, aliquam compensationem Deo præstare debent; non tamen die dominica, potius quam altera die; quia præceptum naturale non determinat tempus. Qui ergo preces matutinas et serotinas recitat, Missam infra hebdomadam audit loco dominicæ, naturali præcepto satisfacit.*

Nota: Quomodo dirigendus scrupulosus circa Missæ auditionem vide Lib. IV, Append. ubi plura ad rem circa pœnitentes dirigendos.

(GG) Pag. 212.

383. Q. 1. *An uxores et filii semper teneantur abstinere a Missæ auditione, si ideo vir aut pater in blasphemias erumpat?*

R. Frassinetti: *Non videtur dubitandum quod si res non progrediatur ultra verba, nulla illius esset habenda ratio; tunc viri et patris scandalum esset pharisaicum, et ideo non curandum; item neque sufficiens est ad dispensandum molestia quam exhibent illorum verborum auditus, secus daretur ansa blasphemantibus ad terrendos, ac cogendos sibi subjectos. Quare pro praxi, si uxor et filii non alia gravia damna sustinere cogantur, aut vexationes, hortandi ut eorum religiosa munia adimpleant, non obstantibus illis imprecationibus ac blasphemiis. Aliter res se haberet, si id raro tantum eveniret; tunc enim ex una parte non grave damnum paterentur animæ omittendo uno vel alio festo Missam, ex alia impedirent gravia illa peccata. Hæc resolutio valet pro casibus similibus, uti si paterfamilias hac ratione quæreret ut eorum subjecti die vetito carnes manducarent, non jejunarent in quadragesima, Sacramenta non susciperent juxta Ecclesiæ præceptum, vel propriam necessitatem, etc.* (nota 41).

384. Q. 2. *An matres, nutrices et similes semper, et indiscriminatim liberentur ab auditione Missæ, si habeant irrequietos parvulos domi custodiendos?*

R. Si providere non possint sistendo ad januam Ecclesiæ, ut aliqui dicunt, utique maneant domi, ne adstantes et sacerdotem perturbent. Verum observant merito plures quod, generatim loquendo, matres ac nutrices, illo parvo Missæ tempore parvulos suos poterunt committere mulieri amicæ aut conjunctæ, prout bene moratæ agere solent. Ceterum in hisce et similibus casibus, in quibus saltem generatim videatur adesse aliqua ratio per se habita uti sufficiens ad excusandas matres a Missa, caveat confessarius ne dicat pœnitenti: *omittendo Missam graviter deliquisti.* Quod si videat causam non esse certo sufficientem, et alio modo potuisse provideri, tunc confessarius non omittat admonere pœnitentes, non recte scilicet ipsos egisse, illos instruat de modo quo agere debent inposterum. Verum de peccato mortali taceat: tum quia probabilissimum est et forsan certum, quod illud haud patraverint, putantes eo in casu non teneri præcepto; tum quia timendum est ne alia vice idipsum agant, et tunc peccarent mortaliter ob eorum conscientiam. Confessarius porro tunc tantum pronuntiare debet aliquam actionem esse mortaliter peccaminosam, quando id evidens est; et agendo de rudibus qui alioquin supponantur in bona fide, tunc solum eos de gravitate monere debet, quando prævidet quod monitio erit profutura; in aliis transgressionibus dicat simpliciter: *hoc peccatum est* (Frassinetti, nota 44).

(HH) Pag. 213.

385. De jejunio Ecclesiastico inter ceteros poterit videri Natalis Alexander, *Hist. eccles.*, sæc. II, diss. IV; — Bellarminus, *Controv. de bonis operib.*, l. II, c. 14; — Concina, *De Jejunio*, diss. VII, c. 1; — Bergier, *Dizionario* ecc. V. *Quaresima*, *Astinenza;* — Scotti, *Teoremi*, par. IV, teor. 8; id. *Omelie;* id. *Catech. medico;* — Belli, *Sul Digiuno e le Astinenze;* Roma, 1842; — Virringh Medicus, *De Jejunio et abstinentia medico-ecclesiastica;* — Gaume, *Catechismo di perseveranza*, par. IV, lez. 33ª; — Dottor Pistelli, *Commentario fisico sull'astinenza e il digiuno;* Lucca, 1841; — Righetti, *Lettere sul Digiuno e la Quaresima;* — *Civiltà Cattolica*, ser. 2ª, vol. V: *Storia del Digiuno;* — Martinet, *Filosofia del catechismo cattolico;* — Ferraris; V. *Jejunium*, *Quadragesima;* — Comba, *La Religione dimostrata* ecc.

Præstat hic referre quæ leguntur in Diario, *L'Armonia*, n. 25, 1852, supplem.: « In tutte le pratiche del Cattolicismo si avvera quel detto di Montesquieu: *far esso la nostra felicità quaggiù, mentre non ha per iscopo che il bene dell' uomo nell' altra vita.* I santi Padri ebbero costume d'insistere anche su questo punto, che il digiuno è vantaggioso alla salute ed ha pure le sue delizie. « Il digiuno, dicevano, è la sa- » nità del corpo, la robustezza delle membra, la diuturnità della vita, » cresce il gusto dei conviti, è il condimento dei cibi, perchè è più » soave il mangiare quanto miglior l'appetito... » Tutti gli esempi di longevità vanno sempre uniti ad una soverchia sobrietà nel vitto. Ricordiamo i più celebri monaci dei deserti: Antonio, Romualdo, Saba, Pafnuzio, Arsenio, Eutimio, Giovanni il Solitario. Ebbene tutti costoro, macerandosi con continui digiuni, oltrepassarono il secolo. Si sa che dai Certosini non si fa uso delle carni, neppure nelle più gravi malattie. Quando la Sede Romana trovavasi in Avignone, uno di quei Papi mandò a dire al Priore della Gran Certosa di Parigi, che licenziasse i suoi cenobiti ad usare le carni in occasione di malattia. Quella licenza fu sentita con tale dispiacere, che i monaci decretarono una

deputazione da mandarsi al Papa, per pregarlo a permettere loro che mantenessero nelle proprie costituzioni un precetto tanto antico. La deputazione era composta di ventisette monaci, e il più giovane contava ottant'anni, e ve n'erano parecchi che ne avevano novantacinque. Come il Pontefice li vide in quell'età gravissima così paffuti e bene stanti, non insistè più, e rimandolli a continuare la loro vita mortificata. — Se gli esempi dei frati non fossero bene accetti, ne abbiamo in egual copia di medici, che praticando l'astinenza menarono vita lunghissima. Ippocrate morì di centonove anni; Galeno, comecchè di temperamento gracilissimo, finì decrepito, perchè aveva in costume di non soddisfare mai totalmente l'appetito; Hecquet oltrepassò i settantasei anni mangiando sempre di magro, e non bevendo che acqua; e settanta ed ottant'anni contarono Stahal, Santorio, Cirillo, Sacco ed altri moltissimi vissuti sempre nell'astinenza. »

Et n. 55, anno 1855, scribit: « Aristotile ci fa sapere dei Lacedemoni che, per impetrar dai Numi vittoria in una guerra, ordinarono un pubblico digiuno d'ogni uomo e d'ogni animale. Il qual esempio fu poscia imitato dai Tarentini che, prima di muoversi in ajuto degli assediati Reggiani, digiunarono strettamente otto dì; e poi perchè quivi riuscirono vincitori contro i Romani, solevano insieme con quei di Reggio celebrare ogni anno la ricorrenza con un digiuno commemorativo. A' tempi nostri si rinnovano questi fatti in Inghilterra dove la regina prescrisse un giorno di digiuno e di umiliazione per ottenere la vittoria alle armi degli alleati in Crimea (quod iterum fecit anno 1857 in Indiarum revolutione). Essa (l'Inghilterra) ha nella sua liturgia un gran numero di digiuni.... Quanto è più dignitoso il digiuno cattolico ordinato e regolato dalla Chiesa, che il digiuno anglicano stabilito e fissato da una donna! che autorità, che missione venne data alla regina Vittoria di prescrivere un giorno di digiuno? E questa sua prescrizione come può conciliarsi collo spirito privato? Nonostante nessuno v'ha che critichi, o derida l'ordine della regina d'Inghilterra, mentre ogni giorno si sparge il ridicolo sulla disciplina della Chiesa cattolica. Questa parzialità agli occhi nostri è un omaggio reso alla verità del Cattolicismo: si combatte il forte, e si lascia in pace il debole; si odia il vero, ma si tollera e si palpa l'errore. L'ordine della regina serve anche per battere un falso principio, che non vuol vedere *il dito di Dio* negli umani avvenimenti. La papessa Vittoria non la pensa così; ma riconosce la necessità di placare coll'astinenza e col digiuno la collera divina che produsse il rovescio delle armi inglesi. L'*Unione* di Bianchi-Giovini perchè non mette in derisione quest'ordine? Ma lasciamo i tristi ravvolgersi nel fango del fatalismo, e da ciò che ordinano gli Anglicani, impariamo una volta a rispettare e ad osservare il digiuno.

386. « Pur troppo, se, in fatto di disciplina ecclesiastica, valesse la maggioranza, da buona pezza la quaresima sarebbe abolita. Conviene dirlo con rossore: gli ebrei si vergognerebbero di non essere in pubblico ebrei, i maomettani di fallire alle regole del Corano; ed i cattolici, o almeno molti di loro, non hanno onta di violare le leggi della Chiesa, anzi ne menano vanto come di grande e coraggiosa impresa! Spiriti deboli! imparate da Boileau: questo celebre letterato fu invitato a pranzo dal duca d'Orléans; era giorno di magro, e non v'aveano ammanite che le pietanze grasse. Boileau non mangiava che pane. Della qual cosa avvistosi il principe gli disse: *Il faut bien que vous mangiez gras, comme les autres: on a oublié le maigre.* E Boileau prontamente rispose al duca: *Vous n'avez qu'à frapper du pied, monsei-*

gneur, et les poissons sortiront de terre. Così il gran poeta ribatteva un pretesto, facendo ad un tempo un elogio della potenza del duca e solleticando il suo amor proprio. La sua risposta piacque; le prescrizioni della Chiesa trionfarono, e Boileau vi ebbe quell'onore che acquistano sempre, presso gli onesti, gli uomini di carattere, gli uomini fedeli alle leggi della loro religione.

» Spiriti deboli, imparate da Luigi XVI; egli contava appena vent'anni, quando sul finire della prima quaresima che passasse sul trono, disse: *Ho terminata questa quaresima senza molta pena; ma acquisterò un po' più di merito nella quaresima ventura.* E in che cosa? ripigliò un cortigiano. — *Sì è perchè*, rispose il buon Luigi, *non ho avuto in questo anno che il merito dell'astinenza, ma l'anno venturo acquisterò anche il merito del digiuno comandato, giacchè avrò raggiunto l'anno 21 della mia età.* E il cortigiano rispose al re: *Il digiuno! Sire, ma esso è incompatibile colle vostre occupazioni e coi vostri esercizi. Dopo il lavoro voi andate alla caccia, e come potreste digiunare senza recar nocumento alla vostra salute? — La caccia,* tornò a dire il pio monarca, *è per me un sollievo, ma muterò genere di ricreazione se sarà il bisogno, giacchè il divertimento dee cedere al dovere.* Venuta la quaresima Luigi XVI continuò ad andare a caccia, ma digiunò nel medesimo tempo. Fa schifo e pietà il tormento che più tardi a questo buon re apprestarono i rivoluzionari, ed è riferito dal Marguet, *Essai sur l'Abstinence.* I suoi carnefici, quando egli era prigioniero, facevansi una gloria sacrilega di rivoltarsi ad un tempo contro la loro madre la Chiesa, e il loro padre il Sovrano. In giorno di venerdì gli apprestarono cibi grassi, non essendo paghi d'averlo privato della sua libertà, ma volendo inoltre tiranneggiare anche la sua coscienza. Luigi XVI, senza scomporsi o movere lagnanza di sorta, riempì un bicchier d'acqua, v'intinse il suo pane, e sorridendo disse: *Voilà mon dîner!* Chi non ammira, non s'inchina a tanta virtù? Questo semplice fatto basterebbe per rendere gloriosa la memoria del Re infelice; esso prova quanto dominio tenesse sull'animo suo, e come si sentisse più forte di que'scellerati, che aveano a'loro cenni i cannoni, la ghigliottina ed il boja.

» Di questi aneddoti noi ne potremmo recitare assai, avendone raccolti moltissimi Paolo Jouhanneaud nel suo *Dictionnaire d'anecdotes chrétiens.* Paris, 1854.... Vi aggiungeremo una risposta del sig. Véron de Forbonnais, ispettore generale delle manifatture di Parigi, il quale ci sembra notevole così per la qualità della persona, come per quella tinta costituzionale ond'è abbellita.... Uno dei suoi parenti avendolo invitato a pranzo in venerdì, sorridendo gli disse: *Sans doute qu'une poularde ne vous fera pas peur!* — E il sig. de Forbonnais a lui: *Monsieur, je ne suis pas au-dessus de la loi, et personne ne doit s'y mettre.* La lezione portò il suo frutto e il desinare si apprestò magro. Dal detto fin qui noi dobbiam raccogliere un gran rispetto per le ordinazioni della Chiesa, che gli eretici stessi imitano; e come ci recheremo a disdoro d'essere pessimi cittadini, così, e molto più, dobbiamo noi vergognarci di mostrarci cattivi cattolici. »

387. Et n. 32, anno 1856, habet: « Virringh professore di medicina nell'Università di Lovanio provò che la quaresima, cadendo in primavera, conferisce assai alla salute del corpo. Lo stesso dimostra Zaccaria nelle sue *Questioni medico-legali;* Hecquet riputatissimo medico di Parigi, nel trattato: *Della Dispensa della quaresima,* e Cohausen protomedico di Treveri nelle sue *Riflessioni sopra l'Enciclica di Benedetto XIV sul digiuno.* Linaud, medico di gran nome, stabilì i vantaggi igienici che derivano dall'astinenza delle carni; nello stesso senso discorre il

dottore Lemery nel suo *Trattato degli alimenti*.... Noi sappiamo di molti che morirono per la gola, ma sûdiamo a citarci un solo, morto per aver osservato la quaresima.... Luigi Cornaro vinse di molte malattie colla vita sobria; e Lessio nell'astinenza trovò il mezzo *de valetudine tuenda.* »

388. At quot ex juvenibus qui vellent hanc saluberrimam sanctæ matris Ecclesiæ legem observare; sed ab impiorum dicteriis deterrentur! Audiant cl. Bresciani, *Tionide nemesiano al giovane conte di Lione. De' mezzi di conservare il frutto della buona Educazione ricevuta in collegio:* « La prima arme che dee maneggiare l'ingenuo giovane contro il rispetto umano, si è *disinvoltura*, la quale non è altro, che una grazia di volto, una giovialità d'occhi, una prontezza di ricambiare motto a motto, frizzo a frizzo. Il giovane festivo e pronto rintuzza la saetta de'maligni, anzi la ridardeggia rapidissima contro colui che l'ha scoccata. Non vidi mai un giovane franco e risoluto essere stuzzicato due volte; ognun lo teme, ognun l'apprezza; e se altri più audace o più villano l'affronta, ne torna malconcio e scornato....

» Trovandosi a pubblici alberghi ne'giorni di vigilia chiede il pranzo maghero, senza la minima soggezione d'una torma di giovani che si sta scosciando i grassi capponi e le starne. Se altri fosse sì goffo da rimproverarglielo, ei sorridendo gli si volge e dice: *Che? il mio pesce v'è forse indigesto agli occhi? O siete voi che mi pagate lo scotto? voglio mangiare a mio talento.* Il vile non ha che soggiungere, e mentre ghigna dispettoso, si sentono gli altri ad una voce: *Bravo, bene; ecco un giovane franco e fermo ne'suoi principii.* » — V. Gaume, *Il Signore è la mia porzione* ecc.; lettera XVII: *I confetti.*

(II) Pag. 214.

389. *a)* Quadragesima ubique semper viguit. Et si quæ hac in re opponitur diversitas, est tantum circa accidentalia, v. g. quoad rigorem: sic alicubi nonnisi semel post biduum vel triduum sumebatur cibus; alicubi etiam, ut apud Græcos sabbatis non jejunabatur, sed una addebatur hebdomada. Unde non est dubitandum quod jejunium Paschale semper fuerit quadragenarium; non vero paucorum dierum, ut falso nonnulli adstruunt.

b) Antiquæ Vigiliæ aliis noviter inductis locum cessere: sed illæ erant ad pietatem fovendam; hæ ad solatium et peccata insumuntur. Has porro suis temporibus inolescentes graviter insectabatur p. Segneri junior; sic saltem fit ut tardius mane a lecto surgendo pluribus pietatis operibus valedicatur. — *V.* Muzzarelli, *Delle cause dei mali presenti e del timore dei mali futuri e suoi rimedi;* — Ferraris; V. *Vigilia;* — Franco, *Delle Veglie ed Amoreggiamenti nelle campagne.*

c) In aliquibus regionibus, uti in regno Sabaudiæ, nonnullis suppressis festivitatibus, jejunium indictum fuit tempore Adventus, bis videlicet in hebdomada (Brevi Pii VII, 9 nov. 1814). De *Adventu* videndus Benedictus XIV, *Notificatione* XI.

(JJ) Pag. 217.

390. Q. 1. *Quorum animalium carnes in jejunio prohibentur?*

R. S. Thomas docet in jejunio prohiberi carnes omnium animalium in terra nascentium et respirantium. Alii vero communiter dicunt ea animalia prohiberi, quæ carnes, non pisces usu habentur: ad quod dis-

cernendum non leve judicium est attendere, an diu extra aquam vivant. Magis tamen inspicienda est æstimatio communis fidelium ac peritorum et consuetudo legitima. Hinc cum nutriantur uti pisces, et vix sanguinem habeant et frigidum, communiter non censentur prohibitæ *locustæ*, *limacæ*, *testudines*, *cammari*, *cancri*, *ranæ* et *conchæ*. Idem dicendum de *lustris*, *castoribus*, *fibris* et aliis quæ piscibus comparantur. Ad aves vero quod attinet, licet aliquæ nutriantur in aquis uti *fulices*, *anates feræ (anitre selvatiche)* et *corvi marini;* inter carnes tamen adnumerantur.

In dubio autem videndum, an animal sit simile an dissimile iis, quorum esus interdictus est; et an illius carnes humanum corpus validius nutriant. Et si adhuc res nequeat resolvi, ea ad Sedem Apostolicam est deferenda ex Benedicto XIV *(De Syn.*. lib. XI, c. 5).

391. Q. 2. *Quid sentiendum est de larido et sagimine?*

R. Non est dubitandum, laridum *(grasso di majale)* vel alterius animalis sagimen, ut anserinum *(grasso d'oca)*, etc. veras esse carnes, quia vere de substantia carnis participant; ideo iis non licere uti diebus esurialibus, nec die veneris et sabbati, salva superioris facultate ob defectum condimenti, vel legitima consuetudine id honestante: « e questo divieto (ait Gousset) si estende al sangue, alla midolla, al grasso, al lardo sminuzzato o fuso. » Verum quoad pauperes nimis dura videtur illorum sententia, qui eos damnant, qui oleo carentes frustulum sagiminis aut laridi adhibent ad herbas temperandas, si carentia esset per tempus notabile, v. g. per hebdomadam. Saltem in tali necessitate probabiliorem censemus sententiam Alensis, Elbel et Layman, qui laridum pauperibus permittunt.

« Ci sembra (iterum Gousset) che chi mangiasse una porzione ordinaria di erbaggi o di legumi conditi col lardo o col grasso, se ne mangiasse una volta sola al giorno, non peccherebbe che venialmente: lo stesso sarebbe, a nostro avviso, per chi mangiasse *(una vice)* della minestra grassa... Si potrebbero scusare almeno da colpa grave i poveri, i quali non avendo che un po' di lardo e di cattivo pane, ne mangiassero una porzione, specialmente se fossero obbligati a lavorare: la Chiesa ha pietà dei poveri. » *Teol. Mor.*, t. I, nn. 301 et 308.— Ceterum nemini sine vera causa id indulgendum, ne fideles assuescant Ecclesiæ præcepta parvifacere.

Qui tamen gaudent diplomate Bullæ *Cruciatæ* larido uti possunt. Est porro Cruciata Bulla primitus 1569 a Julio II et ab aliis Pontificibus concessa Hispanis ob infidelium expugnationem. Hæc a Pio V 1605 etiam Neapolitanis fuit concessa ad piratas repellendos. Quæ Bulla adhuc viget, etsi prima illa concessionis ratio cessaverit; sed eleemosynæ in alias pias causas impenduntur. Gratiæ et indulta sunt: 1) privilegium vescendi ovis et lacticiniis et larido utendi pro condimento, diebus aliunde vetitis; 2) commutatio votorum simplicium in alia pia opera, sed exceptis votis castitatis et religionis, ut patet ex Bullæ renovatione anno 1856 per R. Pontificem Pium IX; 3) absolutio a reservatis Papæ; 4) plures indulgentiæ. Et ideo *Cruciata* dicta fuit, cum plurimum assimiletur iis gratiis et indulgentiis, quas 1095 Urbanus II concessit militantibus pro recuperatione Terræ Sanctæ. Hanc fusius exponunt Salmanticenses, Diana et Croix; it. *v.* Pavone, *La Luce fra le tenebre;* et D'Avino, *Enciclopedia dell'Ecclesiastico;* V. *Crociata.*

392. Q. 3. *Quinam excusatur, in die jejunii, ab abstinentia a carnibus, ovis et lacticiniis?*

R. Probabile nobis videtur cum Croix, Salmanticensibus, Sanchez, etc., eum, qui in longa inedia est per plures dies (ubi aliud haberi non

possit quam panis) posse utique vesci non solum ovis et lacticiniis, verum etiam carnibus. Idem affirmandum, quoad ova et lacticinia, de pauperibus, qui non possunt aliud sibi comparare ad alendum se et familias suas; lex enim humana nequit obligare cum gravi incomodo. Docent nonnulli id esse tenendum etiam de iis, qui per plures dies carerent piscibus: hoc Roncaglia probabilius asserit de illis, qui piscibus sunt assueti; sed non de rusticis, qui pane et herbis, aut leguminibus ordinarie aluntur. Hi tamen probabiliter ab unica comestione eximuntur, eo quod tales cibi parum sustentent. — V. Benedictus XIV, *Notificatione* XV, n. 13; — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1008.

393. Q. 4. *An Constitutio Carthusianorum, qua sub gravi prohibentur vesci carnibus, obliget in extremis?*

R. Sanchez ita distinguit: si necessitas vescendi sit ab intrinseco, v. g. morbo, ex quo judicio medicorum convalescere nequeat sine tali esu, ait probabilius eum non teneri vesci, etsi licite possit; quia morietur naturali morbo, cujus ipse non est causa. Si vero sit ab extrinseco, v. g. ob inopiam aliorum ciborum, vel quia alii cibi permissi sunt venenati, fame esset moriendum, tenetur carnibus vesci; quia mors illa cum sit violenta, ipsi imputaretur. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 370.

394. Q. 5. *An liceat aliquando domesticis, operariis, filiis et viatoribus vesci carnibus?*

R. « Si pecca mortalmente (ait Gousset, *Teol. Mor.*, n. 304) allorchè, nonostante il divieto della Chiesa, si fa mangiar carne ai propri figliuoli, ai propri familiari o ai propri operai; il che per mala sorte troppo spesso accade. Ma si dee scusare una moglie, un figlio, una cuciniera che imbandiscono carne allorchè il marito, il padre, il padrone della casa, lo vogliono assolutamente. La Chiesa li dispensa dal resistere, a motivo degli inconvenienti che da un rifiuto potrebbero risultare. Quanto ai figli di famiglia, se non hanno cibi magri, possono mangiar carne; perchè troppo duro sarebbe il condannarli a non mangiar che pane. Lo stesso è de' servitori ed operai, a cui non si appresta che cibi grassi, se non possono lasciare il loro padrone senza gravi inconvenienti. Ma i figliuoli, i servitori e gli operai, per quanto lo permette la prudenza, debbono riclamare contro questa violazione delle leggi della Chiesa.

» Le persone di servizio, essendo sempre libere a cercarsi altro padrone, il confessore non potrebbe loro permettere di rimanere in quelle famiglie irreligiose, dove si mangia grasso nei dì vietati: tutto al più, se altrimenti dovessero soffrire grave danno, potrebbe loro accordare che vi rimanessero finchè trovassero altro impiego, e frattanto, non potendone a meno, mangiassero il grasso; dico *non potendone a meno*, poichè tante volte le domestiche possono farsi una minestra magra per sè ad insaputa del padrone, il che potendo dovrebbero pur fare, e così osservare il precetto. È da notarsi che dovrebbero cercarsi altro padrone ancorchè avessero a contentarsi di minore salario, se sufficiente al congruo sostentamento proprio, e della famiglia se ne avessero. Potrebbe tuttavia anche avvenire che una buona domestica o cameriera fosse di grande utilità in una famiglia... in quanto che fosse l'unica persona che potesse giovare alla religiosa educazione dei figliuoli, specialmente delle fanciulle...; in questo caso colla domestica o cameriera si dovrebbe usare dell'indulgenza accordata sopra; tenendo fermo che se potessero si facessero minestra magra, e si astenessero poi dalle pietanze grasse. » (Frassinetti, nota 88).

Ad *viatores* quod attinet, si isti, præter cibos vetitos, nihil in cauponis reperiunt, neque alio divertere possunt, eos licite sumunt, si in-

digeant cibo; serio tamen et instanter cibos licitos petere tenentur, et sola ratio itineris eos non eximit a lege abstinentiæ, etsi a jejunio ob nimiam defatigationem eximeret. Insuper sciant eos non excusari ob humanum timorem; ob metum displicendi sociis, ob irrisiones, aliasque hujus generis difficultates; secus fere omnes agentes iter ab hac lege eximerentur. (Gury.)

(KK) Pag. 223.

395. Primitus ita jejunium (maxime quadragesimale) rigorosum erat, ut nihil omnino extra unicam refectionem sumeretur in die, prout testantur s. Athanasius, *De Virginitate;* s. Basilius, *Orat.* I *de jej.;* s. Epiphanius *adv. hæreses*, in fine; s. Ambrosius, *Serm.* VIII in Ps. CXVIII; d. Hieronymus *ad Eustoch.* etc. — V. Ferraris; V. *Jejunium.*

Qui ex refectione prandii satis est confortatus, aut qui vespere non esurit; nihilominus collatiunculam juxta morem receptum sumere potest, tum propter consuetudinem existentem, tum propter anxietates ex contraria doctrina continuo obventuras. Ita Azor et Cozza apud Dens, qui eos citat et approbat Bouvier.

Quod pertinet ad quantitatem, in collatiuncula: « Ci sembra che non si possa dar qui veruna regola fissa e generale: debbesi aver riguardo alla maggiore o minor forza del temperamento che non è uguale per tutti... Convien anche aver riguardo alla continuità del digiuno; la colezione delle Vigilie o delle Quattro-Tempora debb'essere meno abbondante di quella della Quaresima, perchè è più facile di sostenerne il rigore. Perciò, in ordine alla colezione, le persone tenute al digiuno prenderanno tanto cibo quanto giudicheranno necessario per evitare una indisposizione che impedirebbe loro di adempire convenientemente i propri offici, avuto riguardo alla forza o alla debolezza della loro complessione, alle fatiche che sostengono o alle obbligazioni, cui sono tenute d'attendere. Un Parroco, p. es., incaricato d'una Parrocchia considerevole, può certamente, senza essere dispensato dal digiuno, prendere più di nutrimento d'un altro che fatica meno, in parità di circostanze. » *Gousset.*

Quod etiam currit de aliquibus juvenibus studio indefesse vacantibus: attamen cavendum, ne cœnula de facili convertatur in cœnam.

In vigilia Nativitatis communiter admittitur collatiuncula duplo major, nempe sexdecim unciarum, ratione talis solemnitatis; etiamsi talis vigilia incidat in sabbato Quatuor-Temporum... Si quis autem vellet in eadem vigilia anticipare collatiunculam in mane, ut cœnet vesperi, rationabiliter advertit Sanchez contra id, quod sentiunt alii, non posse excedere octo uncias; quia tunc non adhuc incœpit Festivitas, quæ incipit a vesperis. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XII, n. 16.

396. *Sed* (quæres) *an liceat sumere in collatiuncula panem, in aqua simul cum oleo decoctum (vulgo* panata, pancotto)?

Affirmant cum Gury ex hodierna etiam timoratorum consuetudine; et hoc supponit s. Alphonsus. Quæstio est de unciis: aliqui octo uncias admittunt; sed hæc opinio jure merito ab aliis communiter refellitur, quia panis per coctionem et fermentationem in aqua diversam materiam acquirit; nam ita consubstantiatur cum aqua, ut non amplius possit separari: unde esset quid et magis nutriens et excedens quantitatem. Vix ergo poterit permitti cum Tamburini panem in vinum aut aquam infundere, et illico illum sumere; quia tunc non intervenit fermentatio (quod quidem magis valet de castaneis vino madefactis, quæ difficilius licet decoctæ, modo non sint omnino pressæ,

intumescunt; neque fermentantur, aut fiunt quid unum simul tunc ponderandum). Aut cum Roncaglia permitti possunt quatuor, vel cum Salmanticensibus ad summum quinque unciæ panis aridi decocti in aqua cum oleo et sale. Et idem fortius videtur posse dici de leguminibus coctis seu aqua elixatis, quæ quidem minoris sunt nutrimenti.

Probabilior autem Azorius, Bonacina, Laymanus, Leander, Mazzotta, Palaus, Salmanticenses et Viva permittunt vesci jusculo ex herbis coctis cum oleo, aqua, aceto aut vino decocto. Sed advertendum cum Viva, quod oleum et acetum computanda sunt in pondus octo unciarum, dum hæc non habent amplius rationem potus. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1029.

Nota: Plures S. Pœnitentiariæ resolutiones circa jejunium vide Lib. IV, Append.

(LL) Pag. 224.

397. Quoad dispensationem ab jejunio habemus tres Bullas Benedicti XIV: Bulla *Non ambigimus* 30 maji 1741 declarat dispensare cum *multitudine, veluti populo aut civitate aut gente indiscriminatim integra*, circa qualitatem ciborum uni Sedi Apostolicæ reservatum esse. Volunt tamen adhuc Episcopo licitum dispensare per se cum aliquo collegio particulari, vel instituto, aliqua urgentissima causa durante, uti epidemia, etc.; cum non sit ista multitudo, iste populus aut gens indiscriminatim integra; sed parva gens in gente.

Bulla *Libentissime*, 10 junii 1745, docet Episcopum petere non debere ab Apostolica Sede dispensationem circa qualitatem ciborum, nisi gravissima et urgente necessitate, et toties quoties. Nec valere, quod sit usus eam impetrandi etiam a pluribus annis; aut quod pisces vel ova caro pretio vendantur; aut quod milites permanentes abstinentiam non servent; aut quod deficiant oleum et pisces, si ova et lacticinia haberi possint. Sed esse causam sufficientem morbum universalem, vel deficientiam earum rerum, sine quibus jejunium observari nequit.

Bulla *Prodiit jam*, 30 jan. 1751, ait esse communiorem et magis in ratione fundatam opinionem, quæ docet Episcopum non posse in sua Diœcesi dispensare a jejunio, sine Apostolicæ Sedis facultate, etsi periculum sit quod non observetur. Si tamen jejunium caderet in Festum Patroni, tunc dicit jejunium esse transferendum in præcedentem diem. Et S. R. C. (7 sept. 1816), si recurratur in casibus particularibus, concedit arbitrio Episcopi, ut jejunium anticipetur in diebus non tantum Patroni universalis, sed Titularis et Patroni loci, et etiam nundinarum. Ita in Papiensi, Mediolanensi, Cremonensi, Derthonensi; 27 junii 1644; 21 julii 1635; 3 dec. 1672; 2 apr. 1677; etc.

In Literis concessionis, quæ ad Ordinarium mittuntur per Congregationem S. Officii (a qua Congregatione petitur etiam a privatis, exhibita medici fide jurata, si de adversa valetudine agatur licentia edendi carnes diebus prohibitis, nec jejunandi), facta nonnullorum dierum reservatione, additur: « Si compiacerà di dichiarare il potere avutone dalla S. Sede, inculcare ai suoi diocesani l'esatta osservanza del Quadragesimale digiuno, ed esortarli a compensare l'Indulto medesimo con altre pie opere; fra le quali piacerebbe a S. Santità, che Ella ingiungesse la visita in ogni settimana in qualche Chiesa designata da Lei. » Hanc autem visitationem injugunt Episcopi, et speciales etiam orationes vel eleemosynam: hinc quæri solet an hæc sint sub gravi? Sunt qui affirmant, quia dispensando Episcopi ex delega-

tione, censentur facere quandam commutationem, et proinde opus subrogatum repræsentat gravem obligationem abstinentiæ: et ita declaravit episcopus Montis-Pessulani anno 1861. Verum alii cum Gury generatim non agnoscunt hanc rigorosam commutationem; sed probabilius dicendum, Episcopos intendere principaliter dispensare, et accessorie aliquod opus pium in quandam satisfactionem levem imponere, et ita inter ceteros aperte declaravit episcopus Montis-Regalensis anno 1844.

398. Anno 1853 episcopi Belgii petierunt a Sua Sanctitate, ut dignaretur auferre legem, qua prohibetur esus carnium die Sabbati. Sanctitas Sua non abrogavit legem illam, sed dignatus est concedere illis Episcopis facultatem dispensandi cum iis qui id petunt. — Natum est dubium, et quæsitum fuit an illi qui obtenta dispensatione peregrinantur extra Belgium, liceat comedere carnes in locis, in quibus viget ista lex? S. C. Officii 10 jan. 1855 respondit: *negative.* « Motivée par la difficulté de se procurer des aliments maigres, la dispense est censée en pareil cas plutôt locale que personelle. » Ita *Analecta Juris Pontificii*, an. 1857, pag. 382. — Gury, *Casus conscientiæ*, t. I, n. 496.

Absit ut hæc concessio a catholico vel minimum improbetur; diversæ enim sunt locorum, temporum ac personarum circumstantiæ, quas pensitare ac dijudicare ad Ecclesiam spectat. At si sabbatum in aliquibus regionibus legitime dispensatum est, non tamen adhuc in Italia nostra; unde evellendus eorum abusus, qui sexta feria legem servantes eam sabbato floccifaciunt, quasi illud non sit ejusdem gravitatis ejusdemque matris præceptum grave ac firmum. — *V.* Benedictus XIV, *De Synodo Diœc.*, l. XI; c. 5; et Encycl. ejusdem Pontificis *Jampridem* 22 jan. 1745.

399. Q. 1. *An ad eximendum se a jejunio, et maxime a carnium prohibitione, requiratur utriusque medici consilium?*

R. Præter manifestam impossibilitatem Benedictus XIV Encycl. *Non ambigimus*, et *In suprema* ad dispensandum cum particulari in esu carnium, ovorum et lacticiniorum requirit *utriusque medici consilium*, id est tum spiritualis (Confessarii nempe vel Parochi), tum physici seu medici corporum. Synodus autem Novariensis (pag. 72), pro esu carnium requirit medici judicium in scriptis Parocho exhibendum. Ubi notandum: simpliciter dispensati a jejunio, non ideo intelliguntur dispensati in esu carnium. Jejunium est divisibile: et sic communiter accipitur dispensatio, ut valeat in reliquis, non in esu carnium, nisi speciatim nominentur carnes, vel aliunde sint permissæ.

Præstat tamen, pro praxi hodierna, audire Gousset: « Assai generalmente i fedeli si credono dispensati dal digiuno e dall'astinenza senza ricorrere al Parroco, allorchè, a motivo di qualche indisposizione, il medico consiglia loro di mangiar grasso o non digiunare. Noi pensiamo che non si debba inquietarli a questo riguardo, sì perchè sono in buona fede, sì perchè hanno una certa consuetudine in lor favore. Un Parroco non istà mallevadore degli abusi che risultano dalla troppo grande facilità dei medici in materia di digiuno e di astinenza. » Est praxis pene universalis.

Imo hodie neque medicus corporis semper auditur; imo plures sunt qui ob aliquid salutis incommodum putantes sibi sufficientem adesse causam non jejunandi et manducandi carnes in jejunii die, se ipsos dispensant quin consilium petant a medico, ne mercedem illi tribuere cogantur, aut quia nec subito nec facile inveniri potest. At neque ad Parochum recurrunt, cum ejus non sit judicare de physica indispositione. Attamen post factum se accusant in Confessione, non quod cre-

dant se peccasse, sed ob quendam scrupulum quem sentiunt in eo quod se ipsos dispensaverint, atque ut a confessario obtineant hujusce facti tacitam approbationem. Quid confessarius?

R. Si confessarius revera cognoscat pœnitentem in ea esse persuasione, ut credat sibi adesse justam non jejunandi causam, et data occasione eodem modo se gereret, maxime si subditus sit, ut uxor, filiusfamilias, illum relinquat in bona fide nihil observando, sive suo judicio sive aliorum de familia acquiescat in jejunii fractione vel carnium esu. Hæc lex *de utriusque medici consilio*, ob contrariam et fere universalem consuetudinem, non est certum quod adhuc graviter obliget; hac de re antiqua disciplina mitigata est; quod novit Ecclesia quin reclamet; observant autem Gousset et Gury, quod in Gallia ubi major adhibetur rigor circa jejunium, ibi etiam majores deplorantur transgressiones ac peccata.

At si obtineri potest ut pœnitens consilium petat a medico, confessarius ad ipsum mittere debet, ut errores vitet ac firmius agat. Si tamen evidens sit ratio dispensationis obtinendæ, confessarius pœnitentem ad medicum mittere non deberet, quin imo ipse deberet positive jejunium illi prohibere. Hactenus Frassinetti, *Compendio della Teolog.* ecc., nota 88.

100. Q. 2. *An subditus semper debeat petere dispensationem?*

R. En verba s. Alphonsi: *Ait, s. Thomas, quod si causa, quæ a jejunio eximit, fuerit evidens, potest subditus a se eximi; præsertim cum sibi non esset facile superiorem adire (hoc intelligitur ob suæ conscientiæ majorem quietem). Sed si causa est dubia, debet tunc subditus sine dubio ad Prælatum confugere; tunc tuum est probare causæ sufficientiam ad te liberandum a lege jejunii, quæ te jam ligat: unde tunc vel obtinenda est dispensatio, vel observanda est lex* (2, 2, q. 147, a. 4). — V. *Op. Mor.*, l. III, n. 1032; *Homo Apost.*, tract. XII, n. 22.

Ceterum notandum est, aliud esse dubitare, num talis casus indigeat dispensatione; et aliud, num extet causa sufficiens ad te dispensandum. Nam in prima facti specie dubitatur, num casus sit inclusus in lege et cadat sub ejus influxu, ita ut dispensandus sit; et tunc possidet libertas. In secunda vero facti specie non jam dubitatur de influxu legis, cum jam supponatur eam influere, sed tantummodo, an adsit causa sufficiens ad te liberandum ab illo influxu; ideoque possidet lex, alia circumstantia præcisa. V. *Gury*, *Frassinetti*, ecc.

(MM) Pag. 226.

101. Quoad *sexagenarios*, quod a jejunio liberentur, consuetudinem testantur pro *Italia* Viva, Roncaglia, Elbel; pro *Hispania* Salmanticenses, Azor, Palaus; pro *Lusitania* Sa; pro *Germania* Busembaum. Gousset archiepiscopus Gallicanus id pro certo admittit pro septuagenariis. « Sporer rapporte en faveur de ce sentiment, que s. Pie V a déclaré lui même de vive voix, que le sexagénaires ne sont plus tenus au jeûne ecclésiastique; il cite un auteur, Jérôme Lamas, qui atteste avoir été temoin de cette déclaration. » Ita lib. *Exame raisonné.*

Hic audiendus card. Cajetanus, qui floruit sæculo XVI, et quem laxitatis nota nemo incusat. Ait enim de jejunio. « Excusantur senes, quia senectus morbus est incurabilis. Sed ætas, qua incipit senectus, non est determinata; quia naturaliter aliqui trigesimo anno senescunt, aliqui quadragesimo, alii quinquagesimo, prout habent naturaliter diversas ætates. Communiter tamen qui sunt sexaginta annorum senes sunt,

quia scriptum est: *dies annorum nostrorum septuaginta anni.* Unde in hac ætate, nisi evidenter constet ex robustiore complexione posse absque læsione jejunare, non tenentur ad jejunia; quia ex quo de ætate constat et de robore est ambiguum, non est expectandus casus amplior virtutis, quæ quum manifeste deficere incipit, irreparabilis est. »

Adde: difficilis est et anxietatum plenissima inquisitio, an sexagenarius aliquis sit satis robustus, necne ad ferendum jejunium. Quod si ex una parte urget positiva jejunii lex, non minus urget ex altera parte jus, et naturalis obligatio propriam valetudinem servandi. Quidquid tandem sit, semper adest periculum moraliter certum gravis diminutionis virium quæ semel amissæ nunquam reparantur. At hic juverit Synodi Novariensis consilium: *qui jejunii abstinentiæque disciplinam ex infirmitate seu virium imbecillitate ferre nequeunt, aliis pietatis officiis et charitatis operibus jejunium et abstinentiam redimere studeant* (pag. 73).

An (quæres) *excusentur a jejunio fœminæ quinquagenariæ?*

R. Affirmant Escobar, Pellizarius et alii; quia in fœminis antecedit senectus. Sed Layman, Croix, Elbel, etc., negant, excepto casu specialis debilitatis; nam experientia constat quod fœminæ sine detrimento facilius jejunant, cum indigeant minori nutrimento. Primam sententiam non audeo improbare, sed neque audeo probabilem dicere.

402. Qui vovit jejunare, v. g. semel in hebdomada *toto vitæ suæ tempore*, id exprimendo, in veriori sententia contra Sanchez et alios, tenetur jejunare etiam in ætate sexagenaria; quia tali expressione censetur advertisse ad omnem ætatem, et voluisse jejunare usque ad mortem. Idem putamus de religiosis, si ex regula expresse promittatur observantia *usque ad mortem;* eo in casu tenentur ad jejunium etiam sexagenarii; secus non.

Quid (dices) *si jejunium subrogatum sit voto castitatis, an vovens teneatur jejunare post annum* 60? Disputant: putarem hunc teneri ad impetrandam dispensationem, pro qua ætas illa est quidem sufficiens causa. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 1037 et seqq.

(NN) Pag. 227.

403. Q. 1. *Quid de illo dicendum est, qui ideo præcise laborem suscipit, ut a jejunio liberetur?*

R. Non est dubitandum, quin iste a jejunio sit liber, postquam, labore suscepto, graviter defatigatum se sentit: cum evaserit moraliter impos. Attamen peccavit operando in fraudem legis; quia omnis lex obligat etiam, ut nemo sine gravi causa, cum manet *sub legis influxu* (id est quando adhuc est et moratur in eo loco, ubi lex viget), data opera quidquam agat, quo ejus elidantur præcepta. Ita docet s. Thomas, qui damnat de omissione Sacri fidelem, qui talibus *se occupat, quibus ab eundo in Ecclesiam impediatur* (2, 2, q. 117, a. 4). Hinc graviter peccat qui ultro sine causa gravi, sed meræ recreationis, vel delectationis gratia assumit laborem gravem, qui stare nequeat cum jejunio, v. g. venationem, piscationem, lusum pilæ. Vide supra n. 241.

404. Q. 2. *An opifices divites qui ex officio artes mechanicas exercent, teneantur die jejunii a laboribus se suis abstinere?*

R. Alii affirmant probabiliter cum Angelico, ad hoc teneri opifices divites, ut valeant jejunare; cum abstinere possint sine jactura gravi. Verum sententia communis negat, et pro ea habetur expressa declaratio Eugenii IV, anno 1440, quam nunquam audebo, quandiu non

constabit, apocrypham dicere (ut aliqui contendunt), postquam tot classici auctores communiter pro vera illam tuentur. Ratio est quod reipublicæ plurimum interesse videtur, ne artifices et rustici divites suos intermittant labores jejunando. Et ita fert consuetudo et praxis quotidiana ab Ecclesiæ Prælatis non improbata (ex Billuart).

Quod dicitur de artifice, illud dicendum est etiam de iis, qui studiis operam navant. Videlicet, si ratione debilitatis, modicis ac crebris refectionibus ad laborem sustinendum indigeant, a jejunio excusabuntur; nihil enim refert utrum labor corporis sit, an mentis.

405. Q. 3. *An itinerantes teneantur jejunare?*

R. Distinguendum est: vel itinerantes agunt iter breve et expeditum; vel longum agunt iter et asperum. Si 1, quomodocumque illud iter agant, a jejunii lege non liberantur; cum non sit gravis incommodi. Si 2, liberantur, modo pedibus illud conficiant, nempe ob grave incommodum: si vero illud conficiunt curru vel equo, præcepto ordinarie adhuc ligantur ob rationem contrariam. Hinc ab Alexandro VII damnata fuit hac n. 31 propositio: *excusantur absolute a lege jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant; etiamsi iter unius diei conficiant.* Diximus *ordinarie;* nam recte ajunt excusari, qui etiam equo aut curru iter agit ad plures dies cum incommodo; vel si iter sic agendum sit cum magna defatigatione, ut evenit cursoribus; vel si equitans sit debilis, et iter arduum aut extraordinarium.

Billuart a jejunio excusat itinerantem ubi defatigatio est gravis, uti et laborantem honestæ recreationis gratia: addit autem aliove fine honesto. *Adeoque puto non meræ delectationis causa; hæc enim non concordat cum pœnitentiali jejunio; sed simul adsit alia causa, v. g. exercitii corporalis, ad recuperandam vel conservandam valetudinem, ad relaxandum animum studio defatigatum, ad invisendum ex honestate amicum infirmum, etc.; tunc enim commiscetur titulus quispiam, sive necessitas convenientiæ; similiter excusat eum, qui instituit peregrinationem ex devotione.* Hæc Dens inter probabilioristas non ultimus: quæ tamen non omnia probamus; neque enim sola convenientia, vel relaxatio animi, vel sola peregrinatio (si potest diferri) videntur causæ sufficientes. Quanquam ex communi, si jam peregrinatio cœpta fuerit, non est obligatio intermittendi eam, ut jejunium servetur.

Quoad iter, ratio potior a jejunio excusans est gravis defatigatio, quæ venit mensuranda non tam a tempore vel duratione, quam a qualitate itinerantis et arduitate itineris. Tamburini recte excusat famulos pedestres comitantes dominum, qui per totum diem equitaret per urbem. Et sic adhuc probabiliter quidam doctus excusat famulos qui jugiter per diem inserviunt, ambulantes ad emendum, ad comitandum, ad literas ferendas, etc. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1047.

406. Q. 4. *Quid faciet qui jejunii die mane sumpsit jentaculum vel ex ignorantia, vel ex eo quod intendebat complere iter aut opus laboriosum, a quo tamen postea fuerit impeditus?*

R. Si mane sumpserit jentaculum æquivalens refectioni, non potest nisi sumere collatiunculam vespertinam. Si illud vero fuerit solum æquivalens collatiunculæ, poterit plenam refectionem capere ad vesperam, vel etiam meridie, si ratio quædam requirat; quia debet salvari unica refectio quoad potest, omissa collatiuncula. Si tandem jentaculum æquivaleat semiplenæ refectioni, poterit tantum sumere collatiunculam; excipe nisi pateretur nimia incommoda. (Billuart, Sylvius, Gury.)

Concludamus cum Stapf, § 550: « Caveatur, ne abstinentia quæ virtutis subsidium esse debet, eidem adversetur; unde multam reprehensionem merentur si qui jejunio addicti, domi sui inquieti, injuriarum

impatientes, dissolutæ linguæ, vani, imperiosi, etc. sunt, in solo quasi jejunio arbitrario officiorum summam consistere autumantes: *cave ne si jejunare aut abstinere cœperis, putes te esse sanctum; hæc enim virtus adjumentum est, non perfectio sanctitatis. Quid enim tenuatur abstinentia corpus, si animus intumescit superbia? quam laudem merebimur de pallore jejunii, si invidia lividi simus? quid virtutis habet vinum non bibere, et ira et odio inebriari?* (d. Hieronymus, *Epist. ad Celant.).* Plura Isaiæ, XL. »

(00) Pag. 232.

107. Quoad Obolum S. Petri ad rem *Civ. Catt.:* « Oh non è egli un privilegio toccato in sorte unicamente alla nostra generazione, che ogni uom privato, ogni idiota, ogni artigianello, ogni femminetta possa oggidì ambire la parte sua nel vanto ambito già da' più decantati monarchi d'Europa, di sostenitore del Pontefice Romano? In quale altra età del Cristianesimo, si ammirò mai una simile vocazione dei popoli alla difesa della Sedia di S. Pietro?

» Sono investigabili i decreti eterni e da non iscrutarsi con audace pupilla; tuttavia non è temeraria cosa pronosticare, che da questa vocazione germineranno fuor di contrasto frutti esimi di onore, d'indipendenza, di grandezza, e di prosperità per questo doppio Trono di Roma, che è il trono di Dio fra gli uomini. Di *onore*, poichè nel giorno, forse non lontano, del trionfo, il Pontefice esultante potrà dar grazie a Dio di non andar debitore di nulla ai prepotenti del secolo; ma dopo Lui, di dovere la vittoria alla dilezione dei popoli figli suoi. Di *indipendenza*, poichè il sostegno di quest' universale affetto delle genti cattoliche al regio scettro del Pontefice, rallenterà e ancora spezzerà vincoli milantati di certi politici patrocinii, che si mutarono troppo spesso in flagelli ed in catene. Di *grandezza*, poichè la temporale regalità del Pontefice salutata per tutto l'orbe dal voto di millioni e millioni di lingue, acquisterà un novello splendore che non potrà essere pareggiato da qualunque si voglia corona di re o d'imperatori. Di *prosperità*, poichè da questo insolito ravvivamento d'amore nei fedeli d'ogni contrada pel Pontefice, si centuplicheranno gli aurei legami della cattolica unità; e la imperversante procella siccome ha stretto in nodi non più visti il Clero e l'Episcopato alla Cattedra centro dell' unione gerarchica; così compirà di serrarle intorno il corpo de' fedeli, ed il sole della pace rinascente feliciterà di nuovi gaudii l'ovile, tutto raccolto sotto la verga del Pastore giulivo. »

V. Richaudeau, *L'Oeuvre du denier de Saint-Pierre:* Blois, 1866; — *Civiltà Catt.*, ser. 4ª; vol. XII: *Il Denaro di S. Pietro;* ser. 5ª, vol. X: *Il Denaro di S. Pietro spavento dei tristi, conforto dei buoni;* — Nardi, *Scritti* ecc.: *Sul denaro di S. Pietro;* Marietti, 1862; — *Cristiani doveri verso il Sommo Pontefice Pio IX nei presenti bisogni della Chiesa;* Torino, 1867; — Et Opus: *De Italorum Charitate erga R. Pontificem, seu gratiarum actiones, devotionis testimonia, munera Italorum Pio IX Pontifici Max. delata per Taurinenses Ephemerides, queis ab Unitate Catholica nomen est,* VI. *Idus decembris an.* M. DCCC. LXV, *quum solemnia essent Mariæ Augustæ ab origine labis nesciæ, et dies anniversarius ageretur, qua primum prodiit Encyclica.* Quanta cura *cum Syllabo:* Opus in duodecim vol. quod benigne excepit Summus Pontifex. *(Civ. Catt.*, ser. 6ª, t. V.)

LIBER PRIMUS

TRACTATUS TERTIUS

DE OBLIGATIONIBUS.

408. A Legibus, ut effectus e causa, diversæ oriuntur obligationes, seu quædam præcepta particularia, quæ certo hominum statui propria sunt, in societate tum religiosa tum civili. Hinc postquam *de legibus* in genere actum est, erit nunc nostra disputatio *de obligationibus* in specie, habita ratione utriusque societatis.

1. *Est societas religiosa:* cum obligatio afficiat ipsas hominum personas, patet tot ejusdem esse genera distinguenda in societate religiosa, quot in ipsa distinguuntur genera personarum; atqui in ipsa duo distinguuntur genera personarum, nempe Laici et Clerici. Clerici autem vel sunt sæculares, et *clerici* simpliciter dicuntur; vel sunt regulares, et *religiosi* appellantur. Clericorum porro obligationes aliæ sunt communes, aliæ vero speciales.

Communes respiciunt ea, quæ clericis omnibus vel generatim *præscribuntur*, et revocantur ad animi sanctitatem, ad exercitium ministerii et Ecclesiæ cultum, ad exterius sese gerendi methodum, atque ad habitum clericalem; vel generatim *prohibentur*, et sunt quædam actiones, artes et officia, v. g. armorum gestio, habitatio cum mulieribus, choreæ, tabernæ, ludus, venatio, negotiatio, medicina, procuratio, etc. — *Speciales* obligationes respiciunt ea quæ unumquemque afficiunt in ordine hierarchico, quem quisque in Ecclesia tenet. Cum tamen de omnibus singillatim agere sit potius canonistæ; ideo in præsentiarum erit tantum de Episcopis, Vicariis, Canonicis, Parochis, tandem de simplicibus presbyteris ac ceteris clericis inferioribus.

Quod vero ad *regulares* pertinet, illos consideramus prout ipsa monachorum qualitate sunt præditi; quatenus enim sunt clericali dignitate insigniti, sub *clericorum* nomine veniunt.

2. *Est societas civilis:* duplex autem distinguitur obligationum species in societate civili: aliæ, quæ hominem ligant publico munere in ipsa donatum, et obligationes publicas nuncupamus; aliæ, quæ ligant eum in vita privata, easque appellamus obligationes privatas.

Obligationes publicæ exhibent: 1) obligationes principum et subditorum; 2) obligationes personarum ad Forum spectantium, quæ publicam justitiam administrant; 3) obligationes medicorum, chirurgorum et pharmacopolarum, qui munia exercent publicum bonum proxime afficientia; itemque pariter artificum, opificum, juratorum, arbitrum, apparitorum et vectorum.

Item obligationes privatas in tre species dividimus, cum tres sint species privatarum societatum: est *paterna*, quæ exhibet obligationes parentum ac filiorum; cum vero tutores ac magistri habeantur uti patres respectu minorum ac discipulorum, ideo istorum obligationes huc revocamus. *Conjugalis*, quæ exhibet obligationes mariti et uxoris. *Herilis*, quæ tandem exhibet obligationes dominorum ac famulorum.

QUÆSTIO PRÆAMBULA

DE OBLIGATIONE GENERATIM.

409. Obligatio sic dicitur quasi *ligatio ob*, id est ob aliquam causam, justum nempe superioris præceptum. Potest autem definiri: *vinculum accommodatum naturæ intelligenti, validum et internum, quo adstringimur ad aliquid faciendum vel omittendum.*

Dicitur: 1) *vinculum*, ut sic indicetur vis illa maxima, qua prædita est lex ad ligandos subditos; 2) *accommodatum naturæ intelligenti.* Si enim creaturæ irrationales ad actum trahuntur pulsu exteriori et per impressiones corporeas, naturæ intelligentes et rationales trahi debent modo sibi convenienti, videlicet rationabili superioris ordinatione; 3) *validum*, quod nempe gravibus ac certis rationum momentis innitatur, ut valeat nos efficaciter determinare; 4) *internum*, quo nempe ipsa conscientia afficiatur; 5) *quo adstringimur* etc.; obligatio enim ita moraliter agit in homine, ut clare ipse perspiciat se debere aliquid facere vel omittere, ne cogatur se reprehendere et pœnis dignum judicare, si renuat *(A)*.

Cum autem homo quilibet duplici sub respectu hic a nobis consideretur, vel quatenus est membrum Ecclesiæ, vel quatenus est membrum Reipublicæ, patet obligationem generatim acceptam, aliam hominem ligare in societate religiosa, aliam eum ligare in societate civili. Ideo nemo illam ignorare potest, qui velit quæ sui muneris sunt, rite complere: *unusquisque*, ait s. Augustinus, *scire tenetur legem et statum, quem profitetur* [1]. Unde Apostolus: *vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas* [2].

DISPUTATIO PRIMA

DE OBLIGATIONIBUS IN SOCIETATE RELIGIOSA.

CAPUT PRIMUM

DE OBLIGATIONIBUS LAICORUM IN SOCIETATE RELIGIOSA.

410. Q. *Quænam sunt laicorum obligationes in societate religiosa?*

R. Omnes laicorum obligationes generales in societate religiosa eo reducuntur, ut ii præcepta Dei et Ecclesiæ fideliter observent, si velint ad societatis ipsius scopum pervenire, qui est salus æterna.

[1] *De fid. et oper.*, l. I. [2] Coloss. IV.

Primo *Præcepta Dei*, quæ quidem Decalogo continentur; Christus enim cuidam ab eo sciscitanti quid agendo vitam æternam haberet, hoc dedit responsum: *si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata* [1]. Nomine autem *mandatorum* vocabantur Præcepta Dei.

Secundo *Præcepta Ecclesiæ;* aperta enim sunt illa Christi verba ad Ecclesiæ Antistites: *qui vos spernit, me spernit* [2]. Et iterum: *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* [3].

Qui autem Christi Ecclesiam vexare, ejus aspernari præcepta, ministros irridere, constitutiones proculcare, eique bellum intentare non erubescunt, audiant nunquam satis laudata verba percelebris *Montalembert* [4]: « Permettetemi un paragone familiare: Quando un uomo è condannato a lottare con una donna, se questa non sia l'ultima delle creature, essa può bravarlo impunemente colla fronte alta e dirgli: *Ferisci, ma tu ti disonori e non mi vinci.* Ebbene la Chiesa non è una donna, essa è ben più che una donna, essa è madre.

» Sì, essa è madre! È madre dell' Europa, è madre della società moderna, è madre della moderna umanità. Un figlio può esserle ingrato, snaturato, ribelle; ma sempre le resterà figlio: e viene il momento, in cui questa lotta parricida contro la Chiesa diventa insopportabile al genere umano, e chi l' ha provocata, cade schiacciato, annientato, sia per la disfatta, sia per la riprovazione concorde dell'umanità. »

CAPUT SECUNDUM

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM.

411. Q. *Unde oriuntur, et ubi continentur clericorum obligationes?*

R. Ad 1: Duo sunt fontes, ex quibus obligationes hauriuntur clericis peculiariter impositæ: 1) excellentia status, quem profitentur; unusquisque enim naturali Jure clamante, tenetur peragere quæ propria sunt sui status: status autem clericalis est status perfectionis juxta illud Hieronymi ad Nepotianum: *propterea clerici dicuntur, quod de sorte Domini sint, vel quia Dominus sors, id est pars clericorum est* [5]; 2) ratio boni exempli laicis exhibendi ex illo Apostoli ad Titum: *in omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum* [6].

Diximus: *clericis peculiariter impositæ;* nam per has clerici non liberantur a mandatis unicuique christiano communibus, si hæc ipsis conveniant. Neque enim, qua clerici, christiani esse desinunt: imo fortius obligantur ex eodem duplici memorato capite.

[1] Matth. XIX. [2] Luc. X. [3] Matth. XVIII; — Ferraris; V. *Laicus;* et supra n. 289.
[4] V. *La Questione Romana discussa nell'Assemblea francese;* ott. 1849.
[5] *Clerici* nomen est a greca voce *cleros*, quæ sortem significat.
[6] Capite II. — *V.* Ferraris; V. *Clericus*, ubi perplura.

R. Ad 2: Obligationes clericorum continentur: 1) *implicite* in ipso Jure naturæ, quatenus ratio præcipit, ut omnes proprii status officia fideliter impleant; 2) *explicite*, præter quam in Scriptura et Traditione, continentur in Jure canonico, in Bullis Pontificum, in Conciliis generalibus et maxime in Tridentino. Item in Synodis provincialibus et diœcesanis, quæ ideo præcipue conditæ sunt. Uno verbo in omnibus superiorum statutis, ac consuetudine legitime præscripta. In quibus omnibus sita est illa *vita et honestas clericorum*, de qua sacri Canones tam gravia verba faciunt.

412. Cura clericorum vitæ invigilandi Episcopis incumbit, ex Tridentino: *Statuit sancta Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus et a sacris Conciliis de clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda; ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, ludibus ac quibuscumque criminibus, necnon sæcularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerint, eadem in posterum iisdem pœnis vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur. Nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si quæ vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari et ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas, Deo vindice, pœnas persolvant.* — Iterum habet: *Eos qui turpiter et scandalose vivunt, postquam præmoniti fuerint, coerceant ac castigent; et si adhuc incorregibiles in sua nequitia perseverent, eos Beneficiis juxta sacrorum canonum constitutiones* [1], *exemptione et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant* [2].

Qua in re decretoria quoque sunt verba Pii Papæ IX, Enciclyca *Qui pluribus*, anno 1846, ad omnes Episcopos: *Summa cura et studio Ipsis esse elaborandum, ut in Clero morum gravitas, vitæ integritas, sanctitas atque doctrina eluceat, et ecclesiastica disciplina ex sacrorum Canonum præscripto diligentissime servetur, et ubi collapsa fuerit, in pristinum splendorem restituatur* [3].

Art. I. — *De obligationibus Clericorum communibus* [4].

§ 1. — *De iis, quæ Clericis generatim ac communiter præscripta sunt.*

413. Q. 1. *An clerici teneantur ad vitæ sanctitatem?*

R. Affirmative: ecclesiastici omnes tenentur ad vitæ sanctitatem:

Prob. 1: *Scripturis.* In veteri Testamento Dominus de suis Ipse ministris inquiebat: *sancti erunt Deo suo, et non polluent Nomen ejus*

[1] C. *Felicis* de pœn., in 6; et Clem. *Multorum*, de pœn.
[2] Tridentinum, sess. XXI, c. 6; sess. XXII, c. 1 *de R.*; et sess. XXI, c. 6.
[3] Ex quibus constat, quam dura et atrox sit injustitia eorum, qui Episcopos debitis pœnis clericos malos plectentes nimiæ severitatis audent insimulare. *V.* Benedictus XIV, *Notificazione* CII; — Bouix, *De Episcopo*; — Ferraris; V. *Clericus*, art. 8.
[4] V. *Specchio del Clero coll'aggiunta di un Esame sui principali doveri degli Ecclesiastici.* — Et maxime Appendix lib. IV: *Avvisi al Clero*; — Dubois, *Il santo Prete, Il Seminarista*; — Nicolai, *L'amico dei Seminaristi* ecc.

incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt [1]. Jam vero (inquit Bellarminus [2]) si tanta vitæ sanctitas requirebatur in illis, qui sacrificabant boves et oves, quid in iis, qui sacrificant Divinum Agnum? Ex novo autem Testamento sufficiat gravissimum illud monitum Apostoli ad Timotheum: *manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* [3]; id est non ante exercitium virtutis et experimentum sanctitatis, ut exponunt Patres et Interpretes, et ratio ipsa suadet.

Prob. 2: *Patribus:* divus Hieronymus majorem in clerico sanctitatem requirit, quam in simplici religioso; scribens ad Rusticum: *sic vive in monasterio, ut clericus esse merearis.* Sane status religiosus est status ad perfectionem; at status clericalis est status perfectionis. S. Augustinus habet: *clericus duo professus est, sanctitatem et clericatum* [4]. Et d. Thomas: *Ad idoneam executionem Ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens: ut sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis; ita et superioris sint merito sanctitatis* [5].

Prob. 3: *Conciliis:* sufficiat Tridentinum, cujus hoc est decretum ab omnibus alta mente tenendum: *Sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil, nisi grave, moderatum ac religione plenum præseferant* [6].

Prob. 4: *Ratione:* cur in Ecclesia ministri sunt constituti? teste Evangelio, non alia de causa, quam ut sint *sal terræ* et *lux mundi;* atqui tales esse nequeunt sine morum sanctitate. Deinde ecclesiastici sunt *Doctores pietatis*, ut eos vocat d. Chrysostomus; *Salvatores mundi*, ut eos vocat s. Hieronymus; *Januæ populis Civitatis æternæ*, ut eos vocat s. Prosper. Sed tales esse nequeunt, si sancti non sint. Unde concludendum cum ipso Hieronymo [7]: *clamat vestis, clamat status, clamat professio animi sanctitatem* [8].

414. Clericorum sanctitas sita est:

1. In *peccatorum etiam venialium fuga;* quomodo sane dici poterit filius perfecte diligere patrem, si a gravibus tantum, non vero a levibus injuriis ei irrogandis se abstineat? Adde tam excellentem esse ecclesiastici electionem, *ut* (verba Leonis Magni) *quæ in aliis Ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis habeantur illicita.*

2. In *virtutum exercitio, præsertim vero castitatis;* magna sane cordis mundities in eo requiritur, qui minister est Agni immaculati,

1 Lev. XXI. 2 In Ps. X, v. 9. 3 Ep. I, c. 5.
4 Serm. LXXXIII *de Div.* 5 Sup. q. 35, a. 4.
6 Sess. XXII, c. 1 *de R.* — *V.* Stapf, § 38. 7 Ep. LVIII.
8 *V.* Liguori, *Selva di materie predicabili;* — Clary, *Lo Spirito del Sacerdozio cristiano;* — Savoy, *Introduzione al Sacerdozio;* — Ferraris; V. *Sacerdotium, Sacerdos.*

qui *pascitur inter lilia* [1]. Humilitatis, quia dicente s. Bernardo, *tanto quisque debet esse humilior, quanto est sublimior* [2]. Obedientiæ, quia hac decet illum esse præditum, qui Sacerdotio perfungitur pro Christo Jesu, qui *est factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* [3]. Patientiæ, quia ecclesiasticus verus est minister illius, *qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur* [4]. Denique charitatis: in Deum quidem, ita ut possint indesinenter clerici omnes clamare: *quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram* [5]? in proximum vero; quia clerici supremum illum Pastorem debent profecto imitari, qui *in charitate perpetua dilexit nos* [6].

415. Media ad vitæ sanctitatem in clerico præcipua sunt:

1. *Quotidiana lectio spiritualis;* ait enim d. Bernardus [7]: *per eam discimus quid facere, quid cavere, quo tendere debeamus.* Qua de re recte monet Stapf: *Libri spirituales non raptim et præpropere, sed attente, mature atque iterato evolvantur. Sæpe sensum auctoris tum demum assequimur, ubi bis terve illum versamus; prout ad scientiam, ita etiam ad pietatem valde conducit, ut multum quidem, non tamen multa legamus. Hunc in finem, ubi mentem nostram aliqua veritate suaviter attrahi et commoveri sentimus, lectionem jam non prosequi, sed tamdiu suspendere convenit, donec dapes appositæ rite digestæ, atque in succum et sanguinem conversæ fuerint* [8].

2. *Jugis oratio,* tum *vocalis,* ut veniat in nos *spiritus sapientiæ* [9]; tum *mentalis,* hæc enim, ex eodem d. Bernardo, *regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus* [10].

3. *Quotidianum conscientiæ examem,* tum *generale* quo omnes, tum *particulare,* quo aliquem specialem defectum illa die commissum studiosius inquirimus ad correctionem. Hujus exercitii utilitatem vel ipsi gentiles agnoverunt: *hoc nos pessimos facit,* ait Seneca, *quod nemo iram suam respicit, nemo se pravum esse intelligit, nemo cupidum, nemo elatum.* Unde de se ipso ajebat: *quotidie apud me causam dico: cum ablatum est lumen, totum diem mecum scrutor, facta et dicta mea remetior* [11].

4. *Custodia cordis* et *sensuum* per cogitationem præsentiæ Dei [12]. *Dic mihi,* perbelle ait d. Chrysostomus, *si tibi semper prope principem standum esset, an non cum timore adstares? Adeoque quando co-*

1 Cant. VI. 2 De VII Dono S. S., c. 7.
3 Philip. II. 4 I, Petri II.
5 Ps. LXXII. 6 Jerem. XXXI. — *V.* Dieulin, *Il buon Pastore* ecc., t. I : *Costumi.*
7 *V.* Opera cl. Dubois, Rodriguez, Scaramelli, Boudrand, etc.
8 Huc optime faciunt, *Manuale ecclesiastico proposto al Clero Nevarese* dal cardinale Morozzo ; — *Méditations ecclésiastiques* etc. Lyon, 1836; — Croust, *Meditationes de præcipuis Fidei mysteriis ad usum Clericorum ;* — Chaignon, *Nouveau cours de Méditations sacerdotales ;* — Stub, *Meditazioni per gli Ecclesiastici in tutti i giorni.*
9 Sap. VII. 10 *De consid.,* l. I, c. 27.
11 *V.* Tronson, *Serie di esami particolari proposti agli Ecclesiastici ;* Milano ; — Dubois, *Il santo Prete,* c. V, par. 3ª; — Stapf, *Theol. Mor.,* § 527.
12 *V.* Vanni, *Esercizio della presenza di Dio.* Torino, 1858.

medis, cogita præsentem Deum; adest enim. Quando dormiturus es, quando irasceris, quando deliciaris, et quidquid tandem feceris, cogita adesse Deum [1]. Ipse Seneca ad rem ajebat: « maxima pars peccatorum tollitur, si *peccatoribus testis assistat* [2]. »

5. *Sacramentorum frequentia:* confessione enim peccatorum avertimur a creaturis et convertimur ad Deum. Per sacram vero Synaxim sumitur qui plenitudo est fons et origo totius sanctitatis.

6. *Exercitia spiritualia, quibus quidquid sordidum de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma vel instituitur vel comprobatur,* uti ait Clemens XI, Encyclica *Reverendissime* ad omnes Italiæ Episcopos et Insularum adjacentium, 1 febr. 1710. Hoc inter ceteros Pontifices urget pro ecclesiasticis omnibus tum Benedictus XIV Encyclica *Ubi primum* 3 dec. 1740, tum Pius IX Encyclica *Qui pluribus* 1856, 9 nov. Imo id Christus ipse jam insinuavit illis verbis ad Apostolos: *venite in locum desertum seorsim, et requiescite pusillum* [3]. Ubi etiam notandum: omnes, qui residentiæ lege et chori servitio tenentur, semel in anno per id temporis, quo, Episcopo annuente, huic saluberrimo exercitio, in aliqua religiosa domo diu noctuque manendo, operam navant, ex citato Clemente præsentes esse censendos [4].

7. Denique *pia* ac *fervens devotio in Beatam Mariam* Apostolorum Reginam: *in qua,* dicente s. Bernardo, *totius boni plenitudinem posuit Deus, ut proinde si quid spei nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab Ea noverimus redundare* [5]. — Hinc versus:

Sancta legas, ora, recolens tua facta labora,
Sit Deus ob mentem, videat te ad Sacra frequentem,
Sedulus ad pia secedas, sit corde Maria.

[1] Homil. VIII *in Phil.* II.

[2] Epist. XI.

[3] Marci, VI. — *V.* Stapf, § 548. — Kempis, *De imitatione Christi,* l. I, c. 2. — Benedictus XIV, *De Synodo,* lib. XI, c. 2; et *Notificatione* CIV; ubi Exercitiorum utilitatem ostendit. — Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIX,* t. I: *Scelta del confessore; Necessità dei consigli; Necessità degli Esercizi spirituali;* ecc.

[4] Hæc permissio ab Episcopo *nullatenus concedenda erit Adventus et Quadragesimæ tempore ac in solemnioribus festivitatibus. Nec unquam omnibus simul Canonicis, aliisque choro inservientibus; sed adhibito modo, ut chori servitium nequaquam intermittatur. Et quoad Parochos, idoneis prius Œconomis ab ipsomet Ordinario approbandis relictis, qui animarum curam laudabiliter administrent:* sunt verba Clementis XI.

Provinciæ Vercellensis episcopi literis, 18 nov. 1849, decernunt ut omnes sacerdotes exercitiis vacent saltem singulo quinquennio. Archiep. Lucæ, anno 1865, sub pœna suspensionis *ipso facto* spiritualia Exercitia per dies octo in religiosa domo singulo quinquennio præscribit; et noviter electos Parochos prohibet curam animarum suscipere, nisi prius Exercitiis expletis: hoc ultimum obtinet etiam in Diœcesi Comensi. Alii Episcopi singulo præscribunt triennio; Romani Pontifices ea optarent singulis annis, per decem dies. V. *Esercizi al Clero,* Circol. di monf. Colli vescovo di Alessandria, 1868.

[5] Serm. *Dom. infra oct. Assumpt.* — *V.* Righetti, *Il Mese di Maria proposto agli ecclesiastici* (sub initio); — Savoy, *Doveri ecclesiastici;* — Monforte, *Della Divozione a Maria SS.* Modena, 1861; — *Maria Immacolata Madre di Dio; Ricordi agli Ecclesiastici;* ecc.

416. Q. 2. *Quænam sunt clericorum obligationes relate ad ministerii clericalis exercitium et Ecclesiæ cultum?*

R. Obligationes ecclesiasticorum hac de re præcipuæ sunt:

1. Ut singuli Ordinis proprii munia recte cognoscant et exerceant, ne dicantur inaniter ordinati; et in proprio gradu sistentes glorificent Deum æmulatores, non invidi [1].

2. Ut Ecclesiæ, cui addicti, ex animo inserviant; et operam præstent assiduam tum in doctrina christiana explananda, tum in ceteris functionibus (die præsertim festo) celebrandis; nam turpe esset lucrosa officia libenter obire, cetera prætermittere. Nemo autem sine licentia Episcopi potest Ecclesiam derelinquere, cujus servitio fuerit addictus: *quod si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur*, ait Tridentinum [2].

3. Ut in sacris ipsis functionibus, præter talarem vestem, induant etiam mundum et decens superpelliceum; et præditi sint clericali birreto, ut rite ac decenter munere suo fungantur.

4. Ut sacros ritus ac cæremonias ediscant, et adamussim observent; atque in ecclesiastico cantu sese exerceant. Teste experientia, summa reverentia Mysteriis sanctis hoc modo conciliatur [3].

5. Ut in sacra studia sibi et populis profutura summa ope nitantur; clerici enim super ceteros constituuntur, ut eos viam salutis edoceant: at quomodo edocebunt quod nesciunt? quomodo scient quod non ediscunt? Hinc Deus: *quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi* [4]. Et Concilium Toletanum IV (omnium Hispalensium celeberrimum, cui præfuit s. Isidorus): *nullus ad sacra Mysteria veniat indoctus, sed solus accedat, quem morum innocentia et literarum splendor reddunt illustrem; aliter ordinaturis et ordinandis imminet in posterum Dei et Ecclesiæ vindicta (B).* Hinc versus:

Fungere muneribus, templo famulare libenter,
Congrua sint vestis, ritus, doctrina Levitæ.

417. Q. 3. *Quænam clericorum obligationes relate ad methodum sese exterius gerendi, ad spiritualem fidelium ædificationem?*

R. Obligationes omnium ecclesiasticorum, quoad methodum sese exterius gerendi ad spiritualem fidelium ædificationem, sunt:

[1] De jure præcedentiæ plura Lib. IV, Append.

[2] Sess. XXIII *de R.*, c. 6; et Benedictus XIV, Constitut. *Ex quo.* — *V.* Bouix, *De Episcopo*, p. V, c. XXIV. — Ferraris; V. *Testimoniales* et *Commendatitiæ literæ* (art. novus). Si autem clericus alicui Ecclesiæ inserviat sine vel contra mandatum Episcopi, etsi peccet, non ideo tamen jus fori amittit ex S. C. Concilii. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. XII, c. 6.

[3] *V.* Fornici, *Institutiones Liturgicæ ad usum Seminarii Romani;* — *Trattato delle sacre Cerimonie* proposto dal cardinale Morozzo. Novara. — Cesari, *Cerimonie della Messa privata e solenne* ecc. Bologna tip. Mareggiani, 1864.

[4] Oseæ, IV. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XII, n. 52.

1. Ut interiorem animi pietatem exteriori agendi ratione exprimant clerici; nam *ex visu cognoscitur vir* [1]. Huc præcipue spectant illa Tridentini verba: *Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur* [2]. Unde perbelle ait Synodus Turritana (anno 1537): *liber laicorum vita clericorum;* et sane, dicente d. Bernardo, si *vox verbi sonat, vox exempli tonat.*

2. Ut abstineant ab iis, quæ malum vel mali speciem aliis ingerere valeant, juxta illud Apostoli: *nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum* [3]. Pro nobis facit illud d. Bernardi: *sicut non omne quod libet, licet; sic non omne quod licet, expedit* [4]. Hoc notent nonnulli, qui contendentes opus quod aggrediuntur nihil mali continere in se, illud sine scrupulo peragunt, etsi fideles scandalum sumant, tuto ajentes: *qui scandalizatur, ipse videat; nos licita agimus.* Verum si non ipsa res, utique charitas urget nos, ne offendiculum proximo ponamus; *quis infirmatur*, ait Apostolus, *et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* [5]?

418. Q. 4. *Quænam clericorum obligationes relate ad habitum* [6]?

R. Clerici obligationes quoad habitum in Italia præsertim sunt:

1. Ut proprius clericorum habitus (excepta itineris causa, aut cum quis rure versatur) censeatur vestis talaris nigri coloris; quæ zona vel globulis tota sit clausa, addito superpelliceo in sacris functionibus peragendis. Hanc continenter (ex pluribus Synodis, signanter ex Novariensi, pag. 165), ecclesiasticus quisque in urbe et oppidis Diœcesis frequentioribus gestare deberet: ceterum ab omnibus ubique adhibenda est in festis, donec saltem parochiales functiones in vesperis fuerint expletæ.

2. Ut nemo in publicum prodeat sine decenti collari linea tænia obducto [7]. Item vestes omnes, quibus clerici publice incedunt, sint coloris nigri; vix in itinere tolerantur subobscuræ, vel nigricantes. Pileum triangulare omnino præscribitur. Femoralia vero genu prætergredientia, hominis laici propria, clericis interdicuntur.

3. Ut tonsuram singuli Ordini suo congruentem habeant [8]: et anulum non deferant, nisi officii ratio vel gradus postulet; illum-

1 Eccl. XIX. 2 Sess. XXII, c. 1 *de Ref.*
3 I, Cor. VI. 4 Epist. XXV. 5 II, Cor. XI.
6 *V.* Gregorius M., *Dial.*, c. IV, c. 40; Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XI, c. 8; *Concil. Med. provinc.* I, p. 2ª, tit. *de vestibus cler.*; — Ferraris; V. *Habitus, Clericus*, art. 3.
7 Animadvertendum collaria *artificiose elaborata* fuisse jampridem ab invictissimo illo ecclesiasticæ disciplinæ restauratore d. Carolo Borromeo reprobata.
8 *V.* Thomassinus, *De Eccl. Discipl.*, p. 1ª, l. II, c. 39.

que semper deponant in Missæ sacrificio, etsi sint protonotarii honorarii, vel Canonici ac Dignitates Cathedralis ex S. R. C. 27 aprilis 1818, confirmante Pio VII [1].

4. Ut in omni vestis genere neque appareat elegantia studiosius quæsita, neque conspiciantur sordes et incuria; sed in omnibus elucescat modesta quædam simplicitas, quæ clerici animum indicet ab omni sæculari vanitate alienum.

Quis non irrideat, quos interdum videre est: *cincinnatulos, calamistratos et amasiunculos* clericos, contra quos sacra ira abreptus d. Hieronymus exclamabat (Epist. ad Nepotianum): *Omnis eorum cura de vestibus est, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat, et ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia... tales cum videris, sponsos magis existimato, quam clericos.* — Hinc versus:

Vestis, collare et pileum, tonsuraque sunto
Longa, lino obductum, triangulare, patens.

419. *An* (quæres) *peccent ecclesiastici non deferentes habitum clericalem, neque tonsuram?*

R. Ad 1: Certum est clericos beneficiatos aut in Sacris mortaliter peccare, si per notabile tempus sine rationabili causa clericalem habitum non deferant: nám Tridentinum (Constitutionem Clementis V ea de re ampliando) ita de ipsis loquitur: *Tanta aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant publice laicales: pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus. Propterea omnes ecclesiasticæ personæ quantumcumque exemptæ quæ aut in Sacris fuerint, aut Dignitates aut Personatus, Officia aut Beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo etiam per publicum edictum monitæ fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini et dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio, et beneficio ac fructibus, reditibus et proventibus ipsorum beneficiorum, nec non, si semel correptæ denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum, coerceri debeant* [2]. Quæ sane loquendi ratio arguit peccatum grave.

Diximus 1: *Clericos beneficiatos aut in Sacris;* nam communius docent cum Holzman, Navarro et Soto, simplices clericos, qui scilicet neque Beneficium possident neque in Sacris sunt constituti, non peccare, si clericalem habitum non deferant, cum hæc gravis obligatio clericis in Sacris, ac beneficiatis tantum sit imposita. Excipe, nisi id

[1] De anulo vide Benedictus XIV, *Notificatione* XXXIV. — Clericatus, *Decisiones.* — *Bibliotheca Liturgica* studio Pauli-Carli canonici; Brixiæ, 1832; V. *Anulus.*
[2] Sess. XXII, c. 1 *de Ref.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 188; l. VI, nn. 825, etc.

Episcopus statuat pro clericis omnibus, prout hodie merito passim fit (ut in Novariensi Diœcesi); congruum enim est, ut omnes proprio statui se conforment.

Diximus 2: *Per notabile tempus*, si enim id rarissime fiat, ad breve intervallum, nec sit ad malum finem et sine scandalo, non censetur tam gravis inordinatio [1]. Attamen excipe, nisi Statutis diœcesanis pronuntietur pœna suspensionis ipso facto in eos, qui cum veste laicali in publicum prodeunt; hoc enim supponit gravem prohibitionem etiam semel tantum patratam.

Diximus 3: *Sine rationabili causa* (vel ut habet jus, *nisi justa causa timoris exegerit habitum transformari* [2]), ut est si urgeat periculum persecutionis in clericis, ut patet; item si clerici pergant in regiones, in quibus ecclesiastici viri non soleant clericalibus vestibus induti in publicum prodire, casu saltem quo periculum adsit ne ideo gravibus se exponant probris. Quod non currit de illis, qui cum se itineri committunt, de facili proprium habitum dimittunt, quocumque tandem pergant, quia hodie fere ubique ægre feruntur clerici; tunc enim pluribus aliis statutis esset valedicendum.

420. R. Ad 2: Bene ait Croix, facilius peccare graviter qui habitum non defert, quam qui non defert tonsuram; cum illud sit longe major inordinatio fidelibus scandalum præbens: ideo ipse nequit clericum in sacris vel beneficiatum tonsuram per sex aut octo hebdomadas non deferentem damnare de mortali. Neque opponas illud Lateranensis Concilii sub Leone X: *clerici in Sacris nec barbam nec comam nutriant, sed tonsuram ferant; si quis contra fecerit, excommunicationem incurrat.* Nam non est certum Concilium (nomine *tonsuræ*), loquutum fuisse de simplici tonsura hodierna; sed potius videtur loquutum de tonsione longioris comæ, quæ proprie venit tonsuræ nomine, quæque tunc temporis erat in usu una simul cum barbæ nutritione.

421. Q. 5. *Quæ pœnæ in non deferentes habitum ac tonsuram?*

R. Clericus in Sacris vel beneficiatus non deferens habitum neque tonsuram, si tertio admonitus ab Episcopo non emendetur, amittit privilegium fori et canonis [3]. Si vero clericus sit in minoribus qui clericalem habitum ac tonsuram non deferat, nec alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario aut alia schola de ejus licentia non versetur, tunc privilegium fori amittit absque ulla monitione [4].

[1] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, App. III, n. 50; *Op. Mor.*, l. VI, n. 826.
[2] *De vita et honest. Cler.*, c. XV.
[3] Ex C. *contingit* XLV *de sent. excomm.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 827.
[4] Tridentinum, sess. XXIII, c. 6. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XX, n. 19.

Ex nova autem declaratione S. Congregationis Immunitatis 20 sept. 1860, clericus quando amittit privilegium fori, ipso facto amittit omnia alia clericalia privilegia, ita ut considerari debeat uti persona laica, etiam in causis criminalibus [1] *(C)*.

§ II. — *De iis quæ Clericis generaliter et communiter prohibentur.*

422. Q. 1. *Quid de armorum gestatione, quoad clericos?*

R. Arma offensiva et defensiva gestare extra necessitatem clerici prohibentur; tum quia dedecet illorum characterem; tum quia ad Christi exemplum debent esse mites corde; tum quia arma clericorum debent esse spiritualia; cum eorum sit militare contra potestates tenebrarum: *clerici arma portantes* (ita canonico Jure) et *usurarii excommunicentur* [2]. Hinc et consequenter extra necessitatem ipsi per se pugnare eodem jure prohibentur; cum eis potius competat proprium, quam aliorum sanguinem effundere, uti notat Angelicus [3]. Adde bellica exercitia maximas habere inquietudines, quæ a spiritualibus avertunt: ideo unanimiter docent cum Benedicto XIV, clericos in Sacris mortaliter peccare, si militiam amplectantur [4].

Diximus: 1) *extra necessitatem;* nam necessitas legem non habet: unde arma licerent in itinere ad præcavendas insidias; item ad propulsandos irruentes hostes; 2) *per se:* constat enim, ex variis juris capitibus, eos bellum justum posse suadere, ad strenue pugnandum hortari; et si temporalem habeant jurisdictionem, bellum indicere, exercitum conscribere, arma præbere; non tamen personaliter Ducis officio fungi; 3) *canonico Jure:* id enim Juri divino non repugnat: hinc sacerdotes licite pugnabant in lege veteri [5].

423. Q. 2. *Quid de clericorum habitatione cum mulieribus?*

R. Quoad clericorum habitationem cum mulieribus, notatu digna sunt quæ in Nicæno I (anno 325) leguntur [6]: *vetuit omnino Synodus, ne liceat Episcopo, nec presbytero, nec diacono, nec uni penitus eorum, qui sunt in Clero, introductam* (id est extraneam) *habere mulierem, præterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas per-*

[1] In Regno Sabaudiæ iis locis, ubi viget, § 15, *Instruct. Benedictinæ*, clerici qui expuncti sint a tabella, quæ in Sacristia Cathedralis apponi debet referens omnes clericos Diœcesis, jam ipso jure privati existunt omnibus privilegiis.
V. Glossa in c. 23, q. 5 *Miles;* et cap. *Qui malos*, habet: *Clericus immiscendo se enormitatibus amittit privilegium Canonis.* — *V.* Il *Cattolico*, Giorn. di Genova, 1852, nn. 900, 914 et 916; — Benedictus XIV, *De Synodo*, l. XII, c. 2 et 3.
[2] *Decr.* Greg., l. I, t. III *de vita et honest. Cleric.* c. 2. — Ferraris; V. *Arma.*
[3] 2, 2, q. 49, a. 2. [4] *Notificatione* CI. [5] I, Macab. X.
[6] Can. 3. — *V.* Pavone, *Spicilegio* ecc., n. 214; — Benedictus XIV, *De Synodo*, l. XI, c. 4; — Bouix, *De Parocho*, part. 5ª; — Dubois, *Pratica dello zelo ecclesiastico*, par. 2ª, c. 6, ecc.

sonas, quæ omnem suspicionem effugiunt. Hinc fere omnes Episcopi sapienter præscripserunt, ut clericis propriis cum iis tantum mulieribus cohabitare fas sit, quæ primo aut secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu junctæ sunt; quæ tamen nullam occasionem præbeant scandalosæ suspicioni. Secus et ipsæ dimittendæ, et renuentes ab Episcopo *pœnis a sacris Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur* [1]. Ceterum etsi de consanguineis nulla suspicio, videamus ne suspicio de iis habeatur, quæ consanguineas invisunt; hinc Augustinus nec cum sorore habitare consensit, dicens: *quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt* [2].

Ad *famulas* vero quod attinet, voluerunt eas compertæ omnino probitatis: debent ergo esse ætate graves, morigeratæ, honesto loco ortæ, ac illius cui inserviunt pietatis æmulatores [3]. Imo nonnulli etiam ætatem in iis præscripserunt, annorum nempe 40 completorum (ita in Synodo Novariensi pag. 167, ubi mulcta 40 libellarum in usus pios impendenda contraventoribus imponitur). Cujus quidem pergravis præcepti sapientiam nemo non videt: *in medio mulierum noli commorari,* ait Scriptura; *de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri* [4]. Neque in præterita castitate quis confidat; monet Augustinus apud s. Thomam: *magnos Prælatos Ecclesiæ sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu non magis præsumebam, quam Hieronymi et Ambrosii* [5]. Et d. Bernardus scribit: *cum fœmina semper esse et non peccare cum fœmina, plus est quam mortuum suscitare* [6].

Nulla ergo vigilantia satis, etenim sub omni lapide scorpius dormit: *prima tentamenta sunt clericorum fœminarum frequentes accessus,* scribebat ad Oceanum d. Hieronymus; *quid tibi cum fœminis, quid ad altare cum Domino fabularis? te cuncti in publico et in agro... graviter lacerabunt, si contra depositum fidei cum fœminis habitare contendas.* Ideo in hac re nihil intentati relinquendum est, ut omnis occasio, omneque periculum amoveatur, ad famulatum virum vocando potius quam fœminam, si fieri possit. Utique sacrificium est; sed sacrificium quod sæpe liberat domum a dæmone, animam a damnatione, parœciam, pagum, civitatem a perniciosissimo scandalo. Vix credere est quot abominationes pessimas lugeat Ecclesia hac de causa *(D).*

424. Q. 3. *Quid de clericorum interessentia choreis et comœdiis?*

R. Choreis tam publicis quam privatis, et publicis spectaculis interesse clericos passim sub obedientiæ præcepto prohibent post

1 Tridentinum, sess. XXV *de R.*, c. 14.

2 Possidius, *Vita s. August.*, c. 86. — *V.* Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIX*, t. I: *Precauzioni preservatrici dei costumi;* — Tarino, *Il Libro del buon Pastore*, n. 63.

3 *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LXXXII et LXXXIII.

4 Eccl. XLII. — *Id est,* explicat A-Lapide, *sicut tibi nihil tale volenti nascitur tinea; ita tibi nihil tale volenti nascitur a fœmina desiderium.* Sit ergo, monet Augustinus, in Ps. L, *cum fœminis sermo brevis et rigidus,* ac sola necessitate cogente.

Christum omnes imitemur, cui adeo insolitum erat cum mulieribus sermocinari, ut Apostoli mirati sint quadam die, qua ipsum viderunt cum Samaritana loquentem. Quod fecit ad instructionem nostram; neque illi aliquid timendum erat ex collocutione.

5 *De modo confit.*, a. 2. 6 Serm. LXV *in Cantica.*

Tridentinum [1] Synodi omnes, ut notat Benedictus XIV, tum propter gravissimum damnum et status clericalis dedecus, quod inde solet exoriri; tum ob periculum, cui exponitur clericalis vitæ sanctitas [2]. Imo nonnulli Episcopi suis in Synodis eo usque merito pervenerunt, ut pœnam suspensionis ipso facto incurrendæ et reservatæ inflixerint illis, qui in Sacris constituti, *vel* comœdias agere *vel* in choreis publicis saltare, *vel* deposito habitu clericali per vias personati incedere præsumpserint. Ita in Synodo Novariensi (pag. 168); ubi etiam quoad inferiores clericos decernitur a statu clericali dejectio.

Hoc tamen non prohibet, quominus honestæ recreationis, et exercitationis causa, clerici agant vel intersint (uti fert usus) iis repræsentationibus, quæ in communitatibus habentur, servatis tamen modestiæ ac temperantiæ regulis, et ceteris servandis. Cum enim res sit ex se indifferens, nil prohibet quominus illa in bonum finem dirigatur.

425. Q. 4. *Quid de clericorum ingressu in popinas ac tabernas?*

R. Ingressum in popinas et tabernas extra necessitatem clericis vetat Lateranense IV: *tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.* Id vel ipse prohibuit apostata Julianus falsorum numinum ministris: *sacerdotem*, scribit ad Ursacium, *hortare ne accedat ad spectacula, neve in taberna bibat... et qui tibi in his resistunt, expellito* [3]. Et sane hoc nimium opponitur clericali modestiæ atque gravitati.

Et quoad bibulos habet laudatum Concilium: *A crapula et ebrietate omnes clerici diligenter abstineant, unde vinum sibi temperent et se vino: nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas et mentis inducat exilium, et libidinis provocet incentivum.... Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a superiore commonitus satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur* [4].

426. Q. 5. *An ludus omnis ecclesiasticis sit prohibitus?*

R. 1. Ludus alearum, nempe puræ sortis (uti sunt vulgo *bazzetta, ai dadi*, etc. [5]), clericis saltem beneficiatis et in Sacris sic expresse prohibetur in Lateranensi IV: *clerici ad aleas, et taxillos non ludant nec hujusmodi ludis intersint* [6]. Et Cyprianus multis argumentis probat, quod *indignum est, ut manus quæ Sacramenta consumunt, aleas*

[1] Sess. XXII, c. 1 *de R.* [2] *De Synod.*, l. XI, c. 10.
[3] Epist. XL. — Etiam Synodus Novariensis id prohibet speciatim (pag. 168).
[4] *De vita et honest. Clericor.*, c. XIV et XV.
[5] Ludus alearum proprie dictus, uti docent latinæ linguæ magistri, totus est in pura sorte. Unde illius exitus pendet a simplici casu, quin ullam in eo partem habeat ars et industria ludentis. Juxta s. Isidorum *alea inventa est a Græcis in otio Trojani belli a quodam milite nomine Alea, a quo et ars nomen accepit.* Hac porro de re videatur Rosignoli, *Il Giuoco di fortuna.*
[6] Can. 10. — Quoad inferiores clericos communiter dicunt Lugo, Sanchez, etc., id non prohiberi; quia quoad ipsos saltem ex consuetudine canones contrarii derogati censentur.

tractent [1]. Jam vero si agatur de aleatore publico, consentiunt omnes eum peccare graviter, si in magna quantitate aleis ludat; aut in modica, sed frequenter; quia id graviter dedecet statum clericalem, et nimium animus avocatur a divinis et a proprio ministerio, et scandalum præbet. Si vero non agatur nisi de clerico qui ludat raro, moderate et privatim sine scandalo, putamus cum Laymano, Sporer et aliis hunc peccare solum venialiter. Imo probabiliter ne venialiter quidem, si ludat recreationis causa, aut lucrum pauperibus tribuatur, quia tunc ex hodierno casu non censetur gravis inordinatio [2].

Excipe Religiosum et Episcopum, qui etiam semel ludentes ludo aleatorio, nobis videntur difficulter excusari posse a gravi scandalo. Quod etiam dicendum quoad alios ludos, etsi non omnino fortuitos, si luderent frequenter [3].

R. 2. Si vero ludus sit mixtus, qui pendet partim a sorte, partim ab arte, scientia et industria ludentis (uti sunt v. g. vulgo *tarocchi, tressette)*, tunc dicimus clericos sic ludentes non peccare mortaliter, nisi alicubi esset specialis prohibitio aut grave scandalum, et modo propria ministeria non negligantur. Imo ne venialiter quidem, si id agatur mera recreationis causa, absque scandalo, moderate ac parvam exponendo summam, et privata in domo; uti fert hodierna ferme universalis consuetudo.

427. Q. 6. *Quid de venatione et piscatione quoad ecclesiasticos?*

R. Ad 1. Venatio vel clamorosa est, uti Scholæ loquuntur, quæ nempe exercetur magno clamore et apparatu armorum, canum, etc., ut majores feræ capiantur, v. g. cervi. Vel est quieta, quæ nempe nullum importat clamorem, et exercetur laqueis, retibus et similibus, vel etiam sclopeto ex Benedicto XIV [4], sed paucis adhibitis canibus, et sine ullo strepitu, ad occidendas minores feras, v. g. lepores.

Clamorosa venatio, clericis (strictius vero religiosis) prohibetur et quidem sub gravi, si frequens sit, aut cum magnis expensis; cum id fieri nequeat quin status vel officii proprii ratio negligetur; et de hac venatione communius explicant illa verba Juris canonici: *canes et aves sequi ad venandum.... ecce talia et his similia ministris altaris*

1 *De aleatoribus.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 893.

2 Imo in ipsis communitatibus certis anni temporibus ludi, qui sunt puræ sortis (ut sunt ludi vulgo *all'oca, alla tombola)* publice permittuntur, si sint moderati.

3 Ex allato Canone patet clericos prohiberi etiam interesse illis ludis. Attamen hodie communiter docent assistentes non peccare graviter; cum ex se non videatur tanta inordinatio. Excipe nisi fortasse sint causa ludi mortalis: vel negligerent ludentes corrigere; vel nisi de tali ludo, uti mortali, sibi ipsis complacerent: vel nisi agatur de Episcopis, qui ex proposito et frequenter assistant; cum isti a gravi scandalo difficulter valeant excusari. — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XXXVII; — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 903.

4 *De Syn. Diœc...*, l. XI, c. 20. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 606; et l. IV, n. 191.

Domini nec non monachis omnino interdicimus [1]. Quieta tamen venatio hodiernis moribus ubique fere permittitur; modo (quod caute perpendendum) mentem a Deo non distrahat, neque a studio, ab oratione, ceterisque muniis vocationis nostræ. Gravissime enim venit reprehendenda illorum ecclesiasticorum agendi ratio, qui sæcularibus vestibus induti cum sæcularibus hominibus venationem ad plures etiam dies protrahunt, de Missa nihilo curantes, Breviarum negligentes, omnem clericalem decorem pessumdantes, et portentosum scandalum forte in regione seminantes: quot scelera! Hujus periculi causa venatio indiscriminatim in Synodo Novariensi prohibita fuit [2].

R. Ad 2. Quoad piscationem, commune est eam licitam esse utpote natura sua quietam, nec ullibi legatur proscripta. Verum non desunt qui piscationem comparant venationi.

128. Q. 7. *Quid de ecclesiasticorum negotiatione?*

R. Negotiatio proprie dicta tunc habetur, quando aliquid emitur animo illud idem non mutatum carioris vendendi, v. g. libros, segetes, vinum, etc. Sub gravi culpa ac pœna vetatur religiosis omnibus atque clericis (in Sacris tamen vel beneficiatis, ut communiter docent cum Habert, Concina, Collet et Lugo). Constat primo ex Alexandri III Decreto: *secundum instituta Prædecessorum Nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi vel clerici causa lucri negotientur* [3]. Et merito, tale enim commercium obnoxium est periculo multorum peccatorum, et valde distractivum pro iis qui debent ex officio vacare Deo. Hinc d. Hieronymus vult ut pestem evitandum *negotiatorem clericum et ex inope divitem.* Benedictus vero XIV (25 febr. 1741) Bulla *Apostolicæ,* constituit pœnas inflictas adversus clericos negotiatores extendi etiam debere ad *clericos illicite sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si per se ipsos, ac proprio eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent.* Tandem Clemens XIII Bulla *Cum primum* (17 sept. 1759) rursus prohibuit clericis, ne per personas interpositas negotientur; ac præsertim ne cambium activum per alios contrahant; addens quod si adsit familiæ necessitas, vel si negotium obveniat aliquo titulo a laicis, v. g. hæreditate, clericus adhuc negotiari non possit sine Sedis Apostolicæ in Italia, extra vero sine Episcopi licentia [4]. *Nec verum est* (ait laudatus Benedictus XIV) *clericos per interpositam personam cambiis, alteriusve generis negotiationi vacantes a curis liberari, quibus negotia-*

[1] C. *Multa* 1 *ne clerici;* et c. 1 *de clerico venatore.*

[2] Pag. 170. — Hoc tamen periculo præcluso, hodie ab omnibus venatio quieta et in Novariensi Diœcesi habetur permissa, ipso superiore connivente.

[3] *Decr.* Greg., l. III, t. L *Ne cler. vel mon.,* c. 6; et Tridentinum, sess. XXII, c. 1 *de R.*

[4] Usus et consuetudo ex Alasia negotiari permittunt (modo per se negotium non exerceant) ecclesiasticis, si una cum fratribus in patris negotio succedunt.

tores implicantur; scimus quippe experientia teste, eos continue anxios et sollicitos esse de lucro quod ex data alteri pecunia sint reportaturi, plenosque timoris, ne a socio decipiantur [1].

Juxta plures graviter peccat qui frequenter negotiatur, licet præciso scandalo, neque in materia gravi; *tum quia negotiatio nimis implicat animum sæcularibus curis; tum quia est ordinata ad terrenum lucrum, cujus clerici esse debent contemptores* [2]. Pœnæ, in negotiatores, sunt lucri confiscatio, excommunicatio, suspensio ab officio ac depositio a gradu et Ordine; omnes ferendæ sententiæ. Qui tamen bis vel ter in levi, vel semel in gravi materia negotiatur, ajunt illum peccare venialiter tantum, nec pœnas incurrere; quia jura vetantia videntur indicare habitum.

Diximus: *negotiatio proprie dicta* seu lucrativa: solet enim distingui etiam *œconomica*, qua emuntur necessaria ad sustentationem et superflua venduntur; et *artificialis*, qua aliquid emitur, ut per industriam mutatum vendatur. Harum neutra prohibita est:

Non 1ª, idest *œconomica;* eam enim prudentia suggerit, non lucrum; quod si quid inde lucretur, per accidens evenit. Non 2ª, idest *artificialis;* quia, ut ait s. Thomas, sic agere non *est proprie negotiari, sed præmium laboris accipere* [3]; et Apostolus hoc modo victum sibi comparabat [4]. Unde non est verus negotiator qui emit colores ut vendat picturas; ferrum ut vendat gladios, uvas ut vendat vinum, asseres ut vendat scamna, lanas ut vendat pannum; modo non conducat alios operarios ad hæc efficienda: secus opus valde accederet ad negotiationem. Item nec est verus negotiator qui proprios agros colit, ut fructus vendat; vel emit animalia et ea suis in prædiis alit, ut ex fœtu, lana, lacte pecuniam conficiat, aut ut saginata vendat. Sed agros vel prædia aliena conducere ad lucrum a sæculo V prohibuit Concilium Chalcedonense: licet vera negotiatio non sit [5].

Ceterum si aliquis contractus dubitatur, an licite possit a clerico iniri, necne, *expeditissimam* (ait Clemens XIII) *esse viam scribendi* ad *S. C. Congregationem, quæ dubium resolvat;* hic enim caute agendum, ad conservandum clericalis status decorem. « È un fatto incontestabile (ad rem Frassinetti) che gli ecclesiastici negozianti, agenti e fattori, e

[1] *De Syn.*, l. x, c. 6. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 831.
[2] Angelicus, 2, 2, q. 77, a. 4. — Addunt etiam probabilius et communius licitum esse clerico negotiari, si adsit necessitas gravis conservandi statum decentem pro se aut suis, si tamen omne amoveatur scandalum, omnisque indecentia in lucro captando; nam leges ecclesiasticæ non obligant cum gravi incommodo; et probant ex C. *Multa* 11 *ne cler. vel monach.* Sed ne facile fingatur ista necessitas; avaritia subdula febris est; ideo pro praxi recte dicunt recurrendum ad S. Concilii C. pro licentia, cujus quidem plura exempla referunt. *Analecta;* anno 1864.
[3] 2 2, q. 77. — *V.* Liguori, *Homo Ap.*, tract. x, n. 192.
[4] Act. XVIII. — *V.* Pavone, *La Luce fra le tenebre*, diss. VI.
[5] *Decr.*, 2ª pars, dist. 86, c. ult.

che in qualunque altro modo attendono agli affari del secolo, sono ecclesiastici che non hanno buono spirito, non danno edificazione al popolo cristiano, provocano molte dicerie, e non sono per nulla tenuti in quella stima, in che deve essere un ministro di Dio, seppure ha da far del bene... Si adoperi il confessore con tutto lo zelo, perchè dimettano tale tenore di vita [1]. »

429. Q. 8. *Quænam artes et officia clericis prohibentur?*

R. Ad 1: Prohibetur monachis ac clericis (in Sacris tamen, prout verius dicunt, cum de illis tantum fiat mentio in jure [2]) ars medicorum et chirurgorum, ubi opus sit incisione, amputatione vel adustione, nec adsit necessitas: et quidem sub irregularitate, si inde mutilatio vel mors sequatur; id enim opponitur lenitati, quam jugiter omnes habere debent clerici. Si tamen peritus non adsit et casus urgeat, ecclesiasticus sine peccato, proinde sine pœnæ aut irregularitatis periculo, incisionem vel adustionem agere poterit. Item aliis præsto esse potest optimis artis salutaris consiliis [3].

Omnibus autem clericis eodem canonico Jure prohibetur ars quælibet, quæ status clericalis honestati generatim contraria censetur: uti ars macellariorum, tabernariorum, joculatorum, etc [4].

430. R. Ad 2: Cum nemo specialiter militans Deo implicare se debeat negotiis sæcularibus, hinc clerici beneficiati vel in Sacris passim Jure canonico prohibentur officia exercere:

1. Tutoris, curatoris, aut procuratoris minorum, et quodcumque aliud, quod sit ministerii publici, quodque eos obliget ad reddendas rationes de justitia vel de bonis administratis; excepto casu quo pupilli seu minores sint proximi clericorum propinqui [5]; vel (addunt) si ad id ecclesiatici omnino a lege cogantur.

2. Judicis in causa sanguinis; item militis, advocatorum, procuratorum, et notariorum in Curiis sæcularibus; nisi in casu, quo clericus agat causam *vel* suam *vel* suæ Ecclesiæ *vel* egeni *vel* personæ sibi in quarto gradu conjunctæ.

3. Administratoris bonorum personæ laicæ, privatæ, non miserabilis, cum obligatione reddendi rationes. Ceterum non auderem damnare de mortali clericum, qui ob talem procurationem sua munia non negligeret; maxime si id non faceret avaritiæ causa, sed

[1] *Compendio* ecc., nota 77. [2] C. Sententiam: *Ne clerici vel monaci.*

[3] *V.* Opus a Leone XII benigne exceptum, *Il Parroco istruito nella Medicina* del dott. Barzelotti. — Antonacci, *Catechismo medico ragionato a complemento del Manuale di medicina, chirurgia e farmacia pubblicato già per comodo specialmente delle missioni straniere.* — Aquistapace, *Memoria diretta ad un Parroco sul bene, che può fare nelle malattie de' suoi parrocchiani.* Milano, 1834. — Debreyne, *Étude de la mort;* it. *La Physiologie et la Médicine dans son accord avec la Théologie.* Paris.

[4] *Sex Decr.*, l. III, t. I. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 835. — Pavone, *Spicilegio* ecc. n. 217.

[5] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 838; l. IV, n. 190. — Ferraris; V. *Clericus*, art. 3. — Bouix, *De Judiciis*, v. I, ubi omnia discutit ex jure antiquo et novo.

ad decentius statum suum et familiæ conservandum: jus enim loquitur tantum de eo, qui ita se immergit in hujusmodi procurationibus, ut ideo sua ministeria cogatur negligere [1] *(E)*.

Art. II. — *De obligationibus Ecclesiasticorum in particulari.*

§ 1. — *De Episcopis, Vicariis generalibus et Canonicis.*

131. Q. 1. *Quænam sunt Episcopi obligationes?*

R. Plurimæ ac gravissimæ sunt Episcopi obligationes: cum ipsis commissa sit gubernatio totius Diœcesis [2]; unde merito ajebat d. Augustinus *Episcopatus nomen est oneris, non honoris* [3]. Nos præcipuas (hisce versibus) indicabimus obligationes ex s. Alphonso [4], quem Pius VII appellabat *illustre Episcopalis ordinis decus:*

Sanctis Sancta dabis; curas, sacrumque Tribunal;
Audi; vise; vigil sis; sta; sal esto jubarque.

1. Oportet, ut Episcopus ad sanctum altaris ministerium dignos dumtaxat eligat, qui sint bonitate positiva præditi ac debita scientia instructi. *Accurate investigandum*, ait Angelicus, *num videlicet Dei causa tantum, aut potius suæ commoditatis gratia ad Ordines capessendos aspirent, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, Sacris inhiantes, et honores ab hominibus expetentes: quisquis talis est, non Dei filius, nec ovilis Christi idoneus pastor futurus, sed mercenarius est* [5]. « Vobis summopere cavendum (ita Episcopos alloquitur Pius IX sua prima Encyclica *Qui pluribus* 9 nov. 1846), ne cuipiam, juxta Apostoli præceptum, cito manus imponatis (1, Tim. v); sed eos tantum Sacris initietis Ordinibus ac sanctis tractandis admoveatis Mysteriis, qui accurate exquisiteque explorati, ac virtutum omnium ornatu et sapientiæ laude spectati, vestris Diœcesibus usui et ornamento esse possint, atque ab iis omnibus declinantes, quæ clericis vetita; et attendentes lectioni, exhortationi, doctrinæ, *exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate* (1, Tim. iv); cunctisque afferant venerationem, et populum ad christianæ Religionis institutionem fingant, excitent atque inflamment; *melius enim profecto est*, ut sapientissime monet immortalis memoriæ Benedictus XIV, *pauciores habere ministros, sed probos, sed idoneos atque utiles; quam plures*

1 C. *Sed nec* iv *ne cler. vel mon.* — *V.* Salamo, *Regula cleri.*

2 *V.* Opus a Benedicto XIV commendatum, *Icnografia*, ossia *Piano o pianta della vita e dei doveri del Vescovo.* — Clary, *Lo Spirito dell'Episcopato cristiano.* — Abelly, *Episcopalis sollicitudinis Enchiridion.* — Bolgeni, *L'Episcopato.* — Maraviglia episcopus Novariensis, *De Legibus prudentiæ episcopalis.* — Bouix, *De Episcopo.*

3 L. xix *de Civ. Dei*, c. xix. — *V.* Salzano, *Lezioni di diritto* ecc., vol. ii.

4 *Homo Apost.*, tract. vii, n. 47. — It. *Riflessioni a' Vescovi per la pratica di ben governare le loro Chiese.*

5 2, 2, q. 189, a. 1. — Dices: *qui Episcopus potest certior fieri de recta candidatorum intentione, de eorumque in bono perseverantia?*

R. Sanctus Alphonsus Liguori (Opuscolo, *Degli abusi nel prender le Messe* ecc., n. 41): « In questa terra di tenebre ognuno sa, che dagli uomini non può operarsi che a modo umano. Della detta buona intenzione non potrà aversi sicurtà fisica; ma ben può aversi la morale, e questa basta per quietare la coscienza de' Vescovi. Lo stesso dicasi della perseveranza. »

qui in ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri [1]. »

2. Ut bonos Parochos et confessarios eligat, ipsis continuo invigilando: *unus confessarius, qui sit ignarus aut moribus pravis, potest totam regionem perditam facere*, ait d. Alphonsus: quod magis currit de Parochis, ut patet. Loquendo autem de eorum electione affirmat: *pro certo habendum, Parochum probum uno mense utiliorem esse populo, quam Parochus doctior, sed minus probus, toto anno.* Ut autem bonos confessarios, Parochos atque ministros habeant Episcopi, sedulo curare debent, ut ab ineunte ætate, omnes juvenes in Seminariis ad pietatem morumque integritatem et ad canonicam disciplinam informentur. *Eadem vero collegia* (ita Episcopis loquitur laudatus Benedictus XIV) *singulari vestra sollicitudine foveantur necesse est, videlicet sæpe invisendo, singulorum adolescentium vitam, indolem et in studiis profectum explorando, magistros idoneos virosque ecclesiasticos spiritu præditos ad eorum culturam destinando, literarias ipsorum exercitationes sive ecclesiasticas functiones quandoque præsentia vestra decorando, aliqua demum beneficia iis qui virtutum suarum specimen clarius præstiterint, majoremque laudem retulerint, conferendo... Consueverunt Episcopi sæpius dolere messem quidem esse multam, operarios autem paucos; at fortasse eis quoque dolendum esset, non eam quam debuissent, industriam ipsos adhibuisse, ut operarii ad messem pares aptique formarentur; boni namque et strenui operarii non nascuntur, sed fiunt; ut autem fiant, ad Episcoporum solertiam, industriamque maxime pertinet.... etc.*

3. Ut continuo meminerit, se pro bono Diœcesis, non pro se positum Episcopum, nempe omnium patrem atque magistrum omnibus omnia factum. Ideo necesse est, ut quoad potest, unum teneat locum, vel saltem ut notum faciat quo se confert, ut fideles, et præsertim ecclesiastici suis in necessitatibus ad illum subito confugiant: *accessum ad se patentem assidue tenere debet subditis* (verba sunt s. Alphonsi), *et præcipue Parochis et Vicariis foraneis, quos statim ad sui præsentiam admittere tenetur.* Item et ceterorum de Clero sollicitam curam gerere, ne verificetur illud d. Bernardi: *insolentiæ clericorum mater est negligentia Episcoporum* [2]. Ipsi autem Episcopi provideant *non coacte, sed spontanee secundum Deum...; neque ut dominantes in clericis, sed forma facti gregis ex animo* [3]. Hinc d. Hieronymus ad Nepotianum, postquam sic clericum est allocutus, *esto subjectus Pontifici tuo et quasi animæ parentem suscipe*, addit: *illud etiam dico, quod Episcopi sacerdotes se esse noverint, non dominos: honorent clericos, quasi clericos, ut et ipsis a clericis, quasi Episcopis, honor deferatur.* — Item (ne teneatur etiam de peccatis alienis) videat quos sibi eligit in negotiis expediendis adjutores, officiales, vicarios, quos oportet esse *probos*, corrumpi nescios, secretum silentes, boni nominis ac nemini dantes ullam offensionem in scriptis, in verbis, in moribus; *doctos* et *expertos*, ut recte tot arduis provideant, neque magis coarctent quos solvere debent; *operosos* ac *promptos*, omnibus nempe omnia factos, non propriis commoditatibus, sed aliorum necessitatibus sedulo studentes.

4. Ut totius Diœcesis visitationem frequentius, et, quoad potest, per se ipsum, et cum debita diligentia persolvat, prout districte præcipit Tridentinum [4]. *Ob quot perturbationibus occurritur a Prælato*

[1] Bulla *Ubi primum*, 1740; data catholico orbi, cum Pontifex renuntiatus fuit.
[2] Ep. CLII. [3] 1, Petr. v.
[4] Sess. XXIV, c. 3 *de R.*; et sess. VI, c. 4 *de R.* — *V.* Encyclica Leonis XII, 3 maji 1824. In visitatione Cathedralis ratio postulat, ut Episcopus solus visitet, quia de ea uti

circumeundo, et propriis oculis res inspiciendo, exclamat s. Alphonsus; et personaliter oves suas cognoscendo, pascendo, corrigendo, ad fervorem excitando; earumque necessitatibus auctoritate, consiliis eleemosynis prospiciendo! Item non parum confert, si grato animo excipiat quæ a populis in ejus adventu illi exhibentur lætitiæ signa, diversa quidem pro diversitate regionum, ex corde tamen. Pro ipsa autem visitatione accuratius facienda eligi solent ab Episcopo duo convisitatores satis experti et in rebus ecclesiasticis versati: non est tamen ex Tridentino necessaria talis electio, sed tantum voluntaria; imo quoscumque sibi benevisos, etiam extra Capitulum, eligere potest, nisi inita sit aliqua conventio a S. Sede approbata [1]. Item ad fructum visitationis melius consequendum Episcopus visitaturus suos mittat præcursores, qui concionando, instruendo, confitendo per aliquot dies populum disponant: qui sive sint sæculares sive regulares debent a Parochis etiam regularibus lubenter excipi et adjuvari, ut jubet Benedictus XIV Bulla *Firmandis*, 6 nov. 1744.

5. Ut omni sollicitudine vigilando in custodia gregis Christi oves proprias a venenatis pascuis avertere satagat; et quoniam hac in re *tacere* (ex s. Hilario Pictaviensi) *diffidentiæ signum est, non modestiæ ratio* [2]; *et veritas cum minime defenditur, opprimitur* (ex s. Felice) [3], murum æneum, et columnam ferream Episcopus se constituat pro domo Dei contra vaniloquos et seductores, etiam ipsas potestates, si opus: nullo timore concussus, sciens (prout ajebat pius quidam Episcopus) non jam opus esse, ut ipse vivat; opus tamen esse, ut salebrosum officium suum vivendo rite compleat. Si aliter non potest, saltem faciat protestationem reverentem quidem, sed cum evangelica libertate, ut ita nullum conniventiæ argumentum exhibeat fidelibus, tacendo; etenim *protestatio solet illæsum conservare jus protestantis* [4].

6. Ut in Diœcesi resideat: secus quomodo poterit recte gregi suo providere? Et hoc quidem strictius debet ipso Parocho, cum sit pastor principalis; hinc in ejus Ordinatione ipsi consignatur anulus, ut illum gerendo consideret, se non esse amplius sui juris, sed Ecclesiæ suæ sponsæ, cui perpetuo assistere debet. Quod adeo solemne est, ut sine justa causa ac Pontificis venia nequeat Episcopatum deserere et renuntiare, neque etiam ad Religionem ingrediendam. Tridentinum tamen Episcopis concedit, posse quolibet anno abesse tres menses a Diœcesi, ex causa tamen æqua, ait Concilium: *ergo animi levitas, oblectationum cupiditas, aliæque futiles causæ excluduntur*, uti declarat Benedictus XIV Bulla *Ad universæ* 3 sept. 1746 [5]. — Ut autem ultra

de sua sponsa majorem tenetur habere notitiam, nec convenit assumere Capitulares suspectos, cum sint in causa propria (quæ ratio valet etiam quoad ceteros, ne scilicet assumantur uti convisitatores, cum agitur de visitanda eorum Ecclesia). Ita Sancta Congr. C. apud Barbosam, Fagnanum, et Scarfantonium, l. IV, tit. 4. — *V.* Lucidi *De Visitatione Ss. Liminum.* — Item Monacelli, Crispinus, Gavantus, etc.

1 *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. VII, nn. 60 et 64; — Gavanti, *Episcopus Institutus;* — Crispino, *La Visita pastorale;* — Piasecius, *Praxis Episcopalis;* — Resta, *Decretorium visitatorum ac visitandorum;* — De-Janua, *De Visitatione;* — Bouix, *De Episcopo;* — Ferraris; V. *Missiones, Missionarii, Visitare;* — *Analecta*, an. 1853, pag. 511.

2 *Exhort. ad certand. pro fide*, n. 1.

3 S. Felix III, dist. LXXXIII, decr. 1. — *V.* Pius IX, *Brevi* 22 aug. 1851. Et Sacræ Pœnitentiariæ responsum, 10 decembris 1860.

4 Leg. 14, § 8, Dig. *de relig.*

5 Sess. XXIII, cap. 1 *de Ref.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 76 et 120. *Episcopi, temporibus a Tridentino præscriptis, scilicet Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item et Corporis Christi diebus tenentur quidem apud suam Cathedralem Ecclesiam residere, ita ut aliter suæ obligationi non satisfaciant, nisi munia episcopalia in sua Diœcesi eos alio vocent. Ceterum non incidunt in pœnas a S. Synodo* (c. 1, sess. VI, et c. 1, sess. XXIII *de R.*). *Episcopis non residentibus infli-*

tres menses abesse possint Episcopi ex eodem Tridentino assignatur *christiana charitas*, ut si ageretur de componendis gravibus inimicitiis, præsertim potentium; *urgens necessitas*, ut si Episcopo immineat periculum extrinsecum et illi particulare; *debita obedientia*, ut v. g. obediat Pontifici ad bonum aliquod curandum; et *evidens Ecclesiæ aut Reipublicæ utilitas*, ut si agatur de se aut suos defendendos. Quæ causæ ex Tridentino erunt approbandæ in scriptis vel a Pontifice vel a Metropolitano, aut (eo absente) ab antiquiore suffraganeo residente; sed nunc ex Benedicto XIV semper ad Papam recurrendum.

7. Ut cunctis in omnium virtutum genere bonum exemplum præbeat; *Episcopus enim*, ex s. Alphonso, *est illa lucerna a Deo super candelabro posita, ut luceat omnibus qui sunt in domo Domini.* Iterum audiendus Benedictus XIV: *Postremo, ut multa paucis complectamur, fratres, in omni sacra et ecclesiastica functione, et in omni divini cultus ac pietatis exercitio, vos ipsos auctores, vos duces, vos magistros esse convenit, ut quasi de vestræ sanctitatis splendore tum Clerus tum grex universus lumen hauriat, et charitatis vestræ igne incalescat. Itaque in tremendi Sacrificii frequenti et devota oblatione* [1]; *in solemni Missarum celebratione, in Sacramentis administrandis, in divinis Officiis obeundis, in cultu et nitore templorum, in disciplina domus et familiæ vestræ, in pauperum amore et ope eis ferenda, in ægrotis invisendis et sublevandis, in peregrinis hospitio excipiendis, in omni denique christianæ virtutis opere, estote vos forma gregis vestri, ut omnes imitatores vestri sint, sicut et vos Christi (F).*

432. Q 2. *Quid de Vicario generali Episcopi?*

R. Vicarius generalis Episcopi (qui alicubi *Officialis* vocari solet; quamvis Officialis proprie sit qui habet jurisdictionem contentiosam) in iis quæ jurisdictionis sunt, censetur una persona cum Episcopo. Unde in arbitrio quidem est Episcopi illum sibi non constituere; sed semel ab ipso constitutus Vicarius, per se loquendo habet a jure ordinariam, et liberam potestatem gerendi quæ potest ipse Prælatus, et alios etiam delegandi; inspecta enim ipsa praxi Ss. Congregationum, sub nomine *Ordinariorum* Vicarii generales generatim comprehenduntur [2]. Hinc Vicarius generalis dispensat in proclamationibus matrimonii, fert censuras, approbat ad Confessionem, absolvit percussorem clerici, etc.

Diximus: *per se loquendo;* nam excipiuntur ea, quæ peculiare mandatum postulant, quia uni Episcopo servantur vel jure, vel ex com-

ctas. Sic declarasse S. Congregationem Concilii refert Fagnanus, l. III, Decr. *in* c. *qualiter q.* de cler. non resid., n. 39. » Ita Ferraris; V. *Episcopus*, a. 13. — *V.* Rosa, *De residentia Episcoporum.*

Tempore pestis item tenentur et magis in Diœcesi residere; attamen ex Decreto Gregorii XIII, 6 nov. 1576, tunc possunt residere in locis tutioribus Diœcesis, ut inde securius per substitutos provideant: vide infra n. 446.

[1] Habert (ex c. *ult. de priv.*, in 6) docet Episcopos non decere ullam diem transigere sine Missa, remota rationabili causa. At advertit Liguori *(Op. Mor.*, l. VI, n. 313), quod textus non loquitur absolute de celebratione Missæ, sed vel de celebratione vel de auditione Missæ. Dicendum ergo ad celebrandum certo teneri sub gravi quoties tenentur pro Diœcesi applicare Sacrificium, nempe in Festis; ad id autem tenuntur post adeptam Episcopatus possessionem ex S. R. C. 12 nov. 1831.

[2] V. *Acta S. Sedis* etc., vol. I, pag. 674.

muni Doctorum, nempe ratione gravitatis rei: quæque proinde non censentur venire in commissione generali. Hinc non potest, sine speciali mandato, cognoscere causas criminales, in quibus gravius in reum est animadvertendum; nec conferre Beneficia [1], neque in iis permutandis, uniendis, erigendis consensum præbere [2]: sed instituit præsentatos a patronis, et judicat causas beneficiarias de jurepatronatu, et ejus quasi possessione [3]. Non visitat Diœcesim, neque Synodum cogit [4]; non indicit collegium Canonicorum [5]; non absolvit a casibus quæ a Jure canonico uni Episcopo reservantur [6]: (imo neque a casibus quos sibi reservat Episcopus, sine speciali commissione, ut commune est [7]). Non tollit irregularitates ex delicto occulto [8]; non concedit literas dimissorias, nisi Episcopus diu in longinquo versetur; non dispensat in juramentis nec in votis; item neque in statutis Episcopalibus et Synodalibus [9]. Demum nihil potest, uti patet, eorum quæ sunt ordinis Episcopalis.

Expirat autem Vicarii generalis jurisdictio si removeatur a suo superiore vel si ipse renuntiet; item cessante sui Episcopi jurisdictione per mortem, renuntiationem, translationem, etc. In quo illud peculiare est (ut notat Vecchiotti), quod etiam de negotiis jam cœptis ipse non amplius progredi possit, illius potestate cessante; in quo Vicarius differt a Delegato, cujus jurisdictio in negotiis jam incœptis morte Delegantis non expirat.

433. Q. 3. *Quid de Vicario generali Capitulari?*

R. Vacante Sede Episcopali, proprio jure ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis venit ordinaria Episcopi jurisdictio, atque ejus est judicare, condemnare, leges ferre ac cetera agere, quæ ordinariæ sunt jurisdictionis. Sed Capitulum tenetur intra octiduum eligere Vicarium capitularem: et recte eligitur etiam extraneus a Capitulo, si nemo ex Canonicis habeatur aptus [10]. Semel electus in officio perdurat usquedum novus Episcopus Diœcesis possessione adipiscatur; neque amplius dimoveri potest, nisi a Congregatione Episcoporum probata causa; totamque ordinariam Episcopi jurisdictionem accipit

1 Cap. II et III *de Off. Vic.*, in 6. 2 Cap. V *de rer. perm.*

3 Cap. III *de Inst.*

4 S. C. C. IV decr. 1655. — Hoc tamen potest Vicarius Romani Pontificis ex Benedicto XIV, *De Syn. Diœces.*, l. II, c. 3.

5 Tridentinum, sess. XXV, c. 6 *de R.* 6. Cap. *de pœn. et rem.*, in 6.

7 *V.* Laurenius, *De Episcoporum Vicariis*, q. 130. Verum vide dicenda lib. III, ubi *De Casuum reservatione.*

8 Tridentinum, sess. XXIV, c. 6 *de R.*

9 Cap. III *de temp. ordin.*, in 6. — Bouix, *De Judiciis*, t. I. — Liguori, *Homo Apost.*, tract. II, n. 58; et V, n. 42. — Benedictus XIV, *De Synodo*, l. II, c. 8.

10 Tridentinum, sess. XXIV, c. 16 *de R.* — Si tamen Episcopo datus sit ab Apostolica Sede Vicarius, is etiam illo mortuo, officium retinet; ideo si moriatur Episcopus, non fit locus Vicario capitulari; vide De-Petra, *Commentaria in Constit. Apostolicas; ad Const.* II Leonis IX: *Cum ex venerabilium*, anno 1053; sect. 5ª, n. 42.

(cujus nullam partem sibi Capitulum reservare potest). Hinc ipse solus judicat causas matrimoniales, cognoscit de hæresi, absolvit a censuris, concursus indicit, vota ac juramenta dispensat, visitat Diœcesim; elapso anno ab ultima visitatione et post annum luctus potest celebrare Synodum, etc. [1].

Quamvis vero jurisdictio Vicarii capitularis latius pateat jurisdictione Vicarii generalis Episcopi; attamen multa ipse Capitularis non potest, vel quia non habet potestatem, vel quia ei Canones modum constituerunt. Hinc non visitat monasteria exempta [2]; non confert Beneficia specialiter uni Episcopo reservata [3]; non concedit non arctatis dimissorias, nisi post annum luctus [4]: non dat Indulgentias [5]; nequit quæ sunt ordinis Episcopalis agere, etsi ad ea gerenda vocare possit exteros Episcopos. Item prohibetur aliquid innovare: ideo non potest de juribus Ecclesiæ detrahere, ejus bona permutare, dividere, alienare; et tenetur futuro Episcopo de administratione rationem reddere, et si deliquerit, potest puniri [6] *(G)*.

434. Q. 4. *Quænam sunt Canonicorum obligationes?*

R. Canonicorum obligationes tres notantur præcipuæ:

Sollicitudo chori, residentia, Missa perennis.

1. Ut Missam unam quotidie celebrent in cantu, et applicent pro fundatoribus et Ecclesiæ benefactoribus in genere, a qua quidem neque immemorabilis consuetudo excusat: idque sane sub gravi præceptum est, cum res gravis sit. Ita Benedictus XIV Constitutione *Cum semper*. Ita pluries S. C. Congregatio statuit; ac ultimo Leo XII a Capitulo Cenomanensi consultus eo sensu respondendum esse jussit: Missæ porro omnes Canonici interesse debent [7]. Is vero cui onus inest Missæ conventualis, die quo Episcopus pontificaliter celebrat, illam applicet lectam: S. C. Concilii 12 nov. 1831.

2. Ut omnes choro intersint ad psallendum, statis horis: *omnes compellantur*, inquit Tridentinum, *in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare.* Unde, in sententia veriori, mortaliter peccant qui sine grave causa absunt notabiliter ultra dies permissos: nam assistentia est de primaria institutione Beneficii ipsius. Errant ergo Canonici illi, qui se

[1] *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. II, c. 9. — Ventriglia, *Praxis rerum notabilium præsertim Fori ecclesiastici;* — Marchetti, *Praxis Vicarii capitularis;* — Ferraris; V. *Vicarius capitularis, Sedes vacans.*

[2] Tridentinum, sess. XXV *de Regul.*, c. 9. [3] Cap. *Illa* II, *ne Sede vac.*

[4] Cap. *cum nullus* III *de temp. ord.* — Ceterum vide dicenda Lib. III *De Ordine.*

[5] Ita definivit S. Congregatio Indulgentiarum.

[6] Innocentius III, c. *Novit ille* 1, *ne Sede.* — Tridentinum, sess. XXIV, c. 16 *de R.*

[7] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 314. Imo aliquoties tenentur ad plures Missas eadem die, ut in Rogationibus, in Vigiliis, etc. *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* CVII; — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. I, pag. 308.

tutos in conscientia putant, quia si ad libitum et sine causa absunt a choro, distributiones etiam amittunt; obligatio enim chori est a distributione ipsa independens: est tamen commune, tres vel quatuor dies non constituere materiam gravem. Canonici vero, qui sine justa et gravi causa non intersunt choro, distributiones lucrari non possunt, etiamsi consocii eas condonent [1].

Insuper in delinquentem Tridentinum statuit: *Primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem usus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum Canonum Constitutiones procedatur*, nempe expolientur tertio anno ipsis Beneficiis. Ubi notandum, esse quidem pœnale, quod debeant privari dimidiis vel omnibus fructibus, et ideo non ante sententiam solvendis. Sed distributiones absentiæ respondentes, statim amittuntur; nam residentia est conditio sine qua nemo illas facit suas.

3. Ut resideant in propriis Ecclesiis, cum hæc sit canonicalium Beneficiorum natura. *Non liceat*, ait Tridentinum, *vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt:* et postea in non residentes pœnas decernit [2]. Ubi notandum non omnes simul Canonicos abesse posse diebus permissis; nam vacationes conceduntur Canonicis, non Capitulo: unde Ecclesia convenienti servitio nunquam est destituenda. Quot autem simul abesse possint, si agatur de Canonicis cathedralibus, relinquitur arbitrio Episcopi et Capituli; si de aliis, S. Concilii Congregatio censuit eos abesse non posse ultra tertiam partem uno tempore; sed Ceccoperus restringit ad quartam partem, et asserit id decisum ab eadem Congregatione.

135. Q. 5. *Quænam sunt justæ causæ, quæ excusant a choro?*

R. Præter menses unicuique Canonico a Tridentino, vel a legitima consuetudine permissos, tres sunt constitutæ causæ a Bonifacio VIII [3],

1 Sess. XXIV, c. 12 *de R.* Et cap. *Pervenit ad nos* XXVIII, *Decr.* Gregorii IX. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 675; et l. IV, n. 129; et *Homo Apost.*, tr. XIII, n. 51.

2 Sess. XXIV, c. 12 *de R.* — Hinc a Laurenio, Lottario, Pickler, etc., residentia definitur: *præsentia personæ, seu commoratio assidua in loco Beneficii, seu apud Ecclesiam, ad effectum illi personaliter serviendi.* Quod quidem est ipsi Tridentino conformius; supra enim citatis verbis duo videntur absolute Canonicis præscribi et residentia in loco et interessentia choro. Sunt tamen qui cum Scarfantonio tenent Canonicos curam animarum non habentes posse diu noctuque moram trahere extra locum proprii Beneficii, modo horis congruis accedant ad Ecclesiam pro servitio. Et Zamboni hac de re profert declarationem S. Concilii C. 28 febr. 1795.

Ad residentiam tenetur etiam coadjutus, licet a chori servitio immunis; qua in re (notat Vecchiotti) melior est conditio jubilati, qui residentiæ lege non tenetur; nec ab Episcopo ad Ecclesiæ servitium constringi potest, nisi ob illius absentiam divinus cultus detrimentum aliquod subire dignoscatur.

3 C. unic. *de cleric. non residentibus*, in 6.

quæ excusant a chori assistentia, quin fructus præbendæ amittantur aut distributiones: sunt infirmitas, necessitas et utilitas.

1. *Infirmitas*, si sit gravis vel gravis fieri possit per accessum ad Ecclesiam: excusantur etiam qui propria culpa infirmitatem contraxerint (ut cum communi docet Concina), quia indistincte lex excusat infirmos; et hoc etiamsi quis data opera in morbum se conjecerit, ut absit e choro (prout probabile putat idem Concina), etsi tamen graviter peccet: quia lex non ad intentionem, sed ad ipsam infirmitatem respicit.

2. *Rationabilis corporis necessitas:* sub qua intelligitur timor cujuscumque gravis damni in vita, honore aut bonis. Unde non privantur neque distributionibus qui domi morantur ad medicinam sumendam, ad venam scindendam; item qui proficiscuntur ad balnea, causa salutis; item qui ab hostibus capiuntur, aut patiuntur, a gubernio injustum exilium vel carcerem [1]. Idem probabilius currit (nisi Canonicus sit etiam Parochus), de absente ob metum belli vel pestis grassantis in loco canonicalis Beneficii.

3. *Ecclesiæ utilitas*, si gravis, judicio Episcopi vel Capituli, et sit Ecclesiæ propriæ, vel universalis aut totius Diœcesis [2]. Hac ratione habetur uti præsens Canonicus qui mittitur ab Episcopo ad visitanda Limina Apostolorum: duo Canonici qui comitantur Episcopum ad eadem Limina; accessus autem, mansio et regressus hujus visitationis est trium mensium. Item excusatur Canonicus missus ad Concilium provinciale tanquam theologus, canonista aut procurator Capituli; sicut etiam Canonici et Beneficiati absentes a choro, ut assistant Episcopo in civitate ministranti. Item habentur uti præsentes Vicarius capitularis; Canonicus curatus, dum tamen in Parœciæ cura versatur; Pœnitentiarius, dum in sua Ecclesia Confessiones audit; Theologus item et quidem tota die quo legit, etsi mane vel sero tantum legat; si vero Matutinum et Laudes recitentur die præcedenti, non censetur pro iis præsens ex S. C. Congregatione. Circa locum tamen, tempus et horam habendæ lectionis S. Scripturæ standum est prudenti judicio Episcopi.

Quæ porro Scripturæ expositio præteriri nequit omnino tuta conscientia, vel aliud opus substitui (sine pontificia licentia); *ne cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus sua*

[1] Ita S. Conc. Congregatio 8 julii 1865 declaravit, et alias pluries.

[2] *V.* Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. 9; et maxime *Notificatione* CVII, ubi de singulis Canonicorum obligationibus eruditissime more suo. — Pavone, *Spicilegio* ecc., nn. 113 et 226. — L. Ferraris; V. *Canonicatus, Canonicus*, a. 9: *Absens, Residentia, Insignia, Distributiones, Punctator, Capitulum, Cappa, Collegium.* — Bouix, Scarfantonius, Bouvier, *De Ordine.*

liberalitate hominibus tradidit neglectus jaceat [1]; idque hodie maxime, cum adeo necessaria evaserit ad retundendam malorum audaciam: *qui* (dicente Pio IX Enciclica *Quibus quantisque*, 20 apr. 1849) *hæreticorum hominum vestigiis inhærentes, suprema auctoritate omnino despecta, plane non dubitant sacrarum Scripturarum verba, testimonia, sententias privato, proprio, pravoque sensu invocare, interpretari, invertere, detorquere.*

His adde tum Canonicos jubilatos ex indulto; tum Canonicos qui non ex pœna, sed sponte per decem dies in anno in aliqua religiosa domo (exceptis Quadragesimæ et Adventus tempore solemnibusque festis) exercitiis spiritualibus vacant ex Decreto Clementis XI [2].

136. Q. 6. *An suæ obligationi faciant satis Canonici, qui choro intersunt, sed minime canentes, vel canentes voce tantum submissa?*

R: Canonici cum aliis non psallentes etsi recitent Psalmos submisse, non satisfaciunt choro, nec lucrantur distributiones, neque fructus præbendæ respondentes. Servitium enim chori in eo consistit, ut clerici conveniant simul ad psallendum [3]. Idque definitum est a Benedicto XIV, 1744 Bulla *Cum semper;* et 1748 alio Brevi declaravit, contrariam consuetudinem abusum et corruptelam. Aliter esset, ut docent valde probabilius et communius Concina, Lessius, Salmanticenses, Sanchez, Suarez, etc., siquis choro non addictus suam partem submisse recitaret, alteram partem canentem audiendo. Quia generatim loquendo non requiritur ut recitantes in uno choro audiant voces omnium recitantium in altero; cum jam per se una pars unum corpus cum altera constituat, et sic invicem omnes sufficienter communicent, neque adsit positiva lex contraria.

137. Concludamus cum d. Carolo, qui in Concilio Mediolanensi provinciali I ita Canonicos monet: *Suum quisque locum in choro adeat; ibi flexis genibus et submissa voce, saltem Orationem Dominicam dicat.... Omnes in choro divina officia ut temporis ratio postulaverit alternis vocibus canant, recitent attenteque audiant. Id non cursim, non perturbate, non oscitanter; sed leniter, distincte ac studiose faciant. In choro pro temporis et officii ratione ex instituto et more Ecclesiæ sedeant, stent, flectant genua, caput aperiant et submittant, ceteraque hujus generis adhibeant; omnes vero æque idem faciant.... Facessunt somnus, risus, joci, rixæ, colloquia; ne vagentur in choro vel Ecclesia; neve locum mutent, ne occasione quidem genua flectendi (H).*

§ II. — *De Vicariis foraneis et Parochis.*

138. Q. 1. *Quinam dicuntur, et ad quid tenentur Vicarii foranei?*

R. Vicarii foranei sunt presbyteri illi, quos in oppidis Diœcesis Episcopi solent constituere ad certos actus certasque vices pro bono Diœcesis regimine. *Foranei* autem dicti sunt, quasi *foris* constituti; at in Gallia Vicarii foranei vocantur *decani.*

[1] Tridentini verba, sess. v, c. 1 *de R.*

[2] Ceterum vide uniuscumque Capituli privilegia, consuetudines atque constitutiones, quas quidem Capitula singula ex Decreto Romanæ Synodi 1725 tenentur condere ab Ordinario confirmandas.

[3] *Clement.*, l. III *de cel. Missæ;* et Tridentinum, sess. XXI, c. 3; et sess. XXII, c. 3 *de R.*

De iis d. Carolus habet: *Ut Episcopus in urbe etiam externum gregem facilius quasi præsens intueri et curare possit, deligat aliquot probatos sacerdotes, quibus singulis, imposito Vicarii foranei nomine, tribuat certas regiones Diœcesis suæ.* [1]. Ex *Actis Ecclesiæ Mediolanensis*, ex Conciliis provincialibus, ex Synodis diœcesanis et ex natura rei obligationes Vicariorum foraneorum præcipuæ sunt:

1. Ut diligenter in omnes clericos Vicariatus inquirant, utrum ea, quæ de vita et honestate clericorum præscripta sunt, observentur? Parochi muneri suo satisfaciant? Ecclesiæ rite ac decore ubique teneantur? Bona ecclesiastica, Beneficia et Legata bene administrentur et onera impleantur? etc. Et quotannis (omni posthabito respectu) Episcopum certiorem faciant de omnibus.

2. Ut delinquentes, si quos invenerint, admoneant et corrigant; ac si de re gravi agatur, neque monitiones et correctiones profuerint, Episcopo vel ejus Vicario generali rem totam significent.

3. Ut sacerdotes ac clericos inferiores Vicariatus fato functos Curiæ Episcopali denuncient. Et ubi Parochus aliquis supremum diem expleverit, cito Vicarius foraneus in eam Parœciam se conferat; ejus curam committat idoneo sacerdoti audiendis Confessionibus approbato, donec rei certior efficiatur Episcopus. Dein inventarium bonorum ac rerum Ecclesiæ mobilium rite conficiat; scripturas, libros et alia ad Parœciam pertinentia in tuto reponat.

4. Ut dissidia, si quæ sint in Vicariatu, maxime si inter viros ecclesiasticos, componere studeant, si possint. Si nequeant, judicis personam agant, servatis tamen limitibus, quibus coercetur eorum potestas in Literis, quibus hoc munus ipsis committitur [2].

5. Ut suo tempore Congregationes indicant, iis præsint, atque omnia præscripta adimpleant, *tum* quoad functiones celebrandas, *tum* quoad casus resolvendos, *tum* quoad refectionem sumendam, etc.

6. Denique ut cum ad octiduum abesse voluerint a Vicariatu, si animarum curam gerant, discessum et absentiam Pro-Vicario, vel antiquiori Vicariatus Parocho significent.

439. Q. 2. *Quot sunt Parochorum obligationes* [3]?

R. Parochorum obligationes sic enumerantur et dividuntur, ut aliquæ respiciant proprios et personales eorum mores, et residentiam in

[1] *Acta Med. Eccl.*, p. 1, h. t. — *V.* Synodus Novariensis, p. 181. — Ferraris; V. *Archipresbyter.* — Corius, *Promptuarium Episcoporum;* V. *Vicarius foraneus.*

[2] Ubi notandum ex *C.* 11 *de appell.*, in 6, a Vicario foraneo ad Episcopum dari appellationem, cum sit aliud tribunal; etsi ordinarie non datur appellatio a Vicario generali. Diximus *ordinarie*, nam aliquando potest etiam Vicarius generalis Episcopi recusari ob aliquam specialem qualitatem illi inhærentem, ob quam videatur suspectus, et tunc causa probanda est coram Episcopo, ex cap. *Si contra offic. deleg.*, in 6. — *V.* Sanchez, *Consilia moralia*, l. VI, c. 8, dub. 3.

[3] Quod disputatur de Parochis, idem fere valet de aliis omnibus in cura animarum, ut de Vicariis perpetuis, item coadjutoribus titularibus, qui utique animarum habent curam, cum dependentia tamen a Parocho.

Parœcia servandam; aliæ referantur ad Ecclesiam parochialem et functiones sacras; aliæ tandem ad populum et gregem ipsis commissum, quem cognoscere, docere, corripere, solare, Sacramentis munire, oratione juvare tenentur.

Hinc versus:

Corripe, nosce, doce, solare, precare, ministra.

N. I. — *De Parochi moribus et residentia.*

440. Q. 1. *Quænam Parochi obligationes relate ad mores proprios?*

R. Parochi obligationes, quoad personales ejus mores, colligimus ab *Actis Ecclesiæ Mediolanensis* et ex ipsa officii natura. Sunt:

1. Ut Parochus quotidie meminerit, se onus sustinere angelicis humeris formidandum. Nec tamen animo concidat; sed alacriter in Deo agat ob oculos sibi proponens mercedem, quam pastoribus laboriosis pollicetur Pastor pastorum Christus: *si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui est in cœlis. Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus* [1].

2. Ut sciat, se boni rectoris officio haud posse satisfacere, si quam aliis inculcat pietatem, ipse non exprimat in se, factus *forma gregis ex animo* [2]. Observat enim Concilium Urcellense: *magis oculis, quam auribus credunt homines.* Et d. Thomas: *cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur, et omnia spiritualia ab eo exhibita* [3]. Et d. Bernardus habet: *bonus si fuerit qui tibi præest, nutritor tuus est; si malus fuerit, tentator* [4].

3. Ut constantem studiis sacris operam impedat, ne errare contingat cum tanto fidelium detrimento. Item Congregationibus a Vicario foraneo indictis intersit; et in sua etiam Parœcia, si quatuor saltem sint sacerdotes, eas teneat de rerum sacrarum studiis exercitationes; quæ mirifice inserviunt (si rite habeantur) ad mutuam in Domino charitatem fovendam, ad fervorem augendum, abusus tollendos et disciplinam incorrupte servandam; ædificationi populo sunt, ipsis ecclesiasticis maximo profectui [5].

4. Ut in omni agendi ratione maximam prudentiam præseferat, sciens, non omnia semper expedire quæ licent, et in se bona sunt. Unde sit cautus ac modum servet, *tum* in abusibus evellendis, ne eos volens auferre, augeat [6]; *tum* in propriis juribus defendendis,

[1] Joann. XII. [2] 1, Petr. v. [3] Suppl. q. 34, a. 4.
[4] Serm. 71 *in Cant.*
[5] S. Alphonsus id valde commendat, *Homo Apost.*, tract. VII, n. 57. — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XXXIII, CI et CII; et Synodus Novariensis, p. 35.
[6] *V.* Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIX*; t. 1: *Prudenza nelle innovazioni e nella correzione degli abusi; Parrochie difficili.* Item vide supra n. 370: *De prudentia in consuetudine evellenda.*

ne dum minimum curat, quod est majus et substantiale deserat ac pessumdet; *tum* in extraordinariis etiam pietatis operibus inducendis, si promovendo quod consilii est, certo periculo exponat quod est de necessitate. Si velit tuto agere extraordinaria non tentet sine ecclesiastici suis superioris judicio. Diximus *extraordinaria;* nam in ordinariis totus esse debet: ideo contra vitia opportune insurgat, si grassentur; contra indifferentiam religiosam clamare ne cesset, si dominetur; orationem assidue urgeat, devotionem erga Virginem Mariam christianorum auxilium jugiter foveat, ad Sacramentorum frequentiam invitet; etc. Quod si aliqui id vellent improperare, quia novum est, dicendum illis cum d. Bernardo [1]: *sileant qui in tenebris de luce judicantes, vos arguunt novitatis ex abundantia malæ voluntatis; ipsi potius arguendi vetustatis et vanitatis.*

5. Ut de nullo sinistre loquatur; sed omnibus bene velit: omnes sine ulla acceptione divites ac pauperes paterne audiat, patienter sustineat, cum iisque, quoad res tulerit, leniter agat [2]. Caveat ne suum antecessorem quoquomodo incuset vel notet; nemo enim magis contemnitur quam qui contemnit; sed quæ ille negligenter commisit, ipse in silentio corrigat. Item omnes ecclesiasticos (etiam sibi subditos) ac civiles potestates, Clerum universum, ac maxime viciniores Parochos plurimi faciat: honoret et honorabitur. Sic fiet, ut sibi omnes conciliet animos, adeo ut liberrime postmodum valeat bono Parœciæ providere *(I)*.

6. Ut continuo recordetur eorum, quæ agit, consectaria; etenim neque bonus neque malus Parochus, ubi ex hac vita decedit, totus moritur; sed ejusdem opera quasi viva quædam semina in novos semper multiplicatosque fructus conscendunt: adeo ut de unoquoque Parocho defuncto illud usurpari possit: *defunctus adhuc loquitur* [3]. Hæc modo non curantur; ast ultima judicii die omnia coram omnibus aperta erunt: hinc qui Parochus non intime commovetur, dum tanti spectaculi, quod certe impendet, attente meminerit [4]?

En versus:

Impiger atque pius, studiis incumbe Sacrorum,
Prudens, detrahe nunquam, post tua fata corusca.

[1] Epist. *Ad fratres de monte.* Ubi sunt plures in una Parœcia Parochi difficile est ut rixæ, dissidia, contentiones, non existant, et inde populo malum exemplum ac spirituale damnum; et ideo merito decernit in Concilio provinc. Mediolanensi IV divus Carolus ut quoad potest unicuique Parochorum sui assignentur limites, ut unus solus in uno loco sit Parochus.

[2] *V.* Binet, *Dell'Arte di governare: Qual è il governo migliore, se il severo o il dolce?* Item videat Parochus ne facile uni potius parti adhæreat, quam alteri, si quæ oriantur circa publicam administrationem vel politica negotia lites inter suos, sed omnibus pacem ac concordiam insinuare curet, neutri parti favendo.

[3] Hebr. II. [4] *V.* Stapf, *Theol. Mor.*, t. I, § 152, ubi plura ad rem.

441. Q. 2. *An Parochi teneantur ad residentiam?*

R. Affirmative: Parochi tenentur ad residentiam, et quidem sub gravi. Constat ex Tridentino: postquam enim definit residentiam esse graviter Episcopis præscriptam, declarat idem esse affirmandum *de Curatis inferioribus et aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent* [1]. Hanc autem obligationem magis inculcarunt Pontifices, præsertim Pius IV 1560 Const. *De salute animarum*, et s. Pius V Constit. *Cupientes* 1568. Adde: Parochus eo ipso, quod spirituale Parochiæ regimen in se suscepit, strictam contraxit obligationem per se ipsum incumbendi in salutem animarum, quæ sibi commissæ sunt; quod assequi non valet sine personali residentia. Quare ex pluribus decretis S. Concilii Congregationis uno ore definiunt Canonistæ, Parochum teneri ad residentiam etiamsi haberet Parœciam tenuem; et quamvis tres tantum vel quatuor remanerent incolæ; et quamvis ipse sit ad nutum amovibilis. Imo neque abesse posse ob intemperiem, vel aeris insalubritatem; neque ut grammaticam doceat in civitate, licet aliunde idoneum relinquat vicarium.

Quamvis aliqui censeant, Parochos ad residentiam obligari dumtaxat Jure ecclesiastico; nos vero dicimus cum communi, Parochos obligari etiam de Jure naturali et divino. Satis constat ex Tridentino, in quo si non expresse definitum, suppositum tamen videtur uti certum his verbis: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre Verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera pastoralia munia incumbere (quæ omnia ab iis nequaquam præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt); sacrosancta Synodus eos admonet et hortatur, ut divinorum præceptorum memores factique forma gregis, in judicio et veritate pascant et regant* [2]. Id clarius declaravit Benedictus XIV Bulla *Ubi primum*, in qua ait residentiam *vi muneris* esse servandam.

442. Q. 3. *Ad quamnam residentiam Parochi tenentur?*

R. Parochus tenetur materialiter et formaliter residere.

1. *Materialis* residentia eo spectat, ut Parochus habitet domum suæ Ecclesiæ, si in Parœcia adest; si non adest, debet residere in alia domo, quæ sit intra limites Parœciæ, et ita propinqua Ecclesiæ parochiali, ut commode ei possit inservire, et parochiani facile valeant ad ipsum recurrere: id declaravit S. Concilii Congregatio et ipsa parochialis officii natura postulat. Sciant autem Parochi (et invigilent) parochianos ægre ferre petulantiam nonnullarum domesti-

1 Sess. XXIII, c. 1 *de R.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 121.
2 Loc. cit. *V.* Ferraris; V. *Parochus, Residentia;* — Benedictus XIV, *Notificatione* XVII.

carum, quæ curiosius inquirunt, notant, scrutantur omnes ad Parochum accedentes, et cur accedant; curiose subauscultant.

2. Tenetur insuper ad *formalem* residentiam: porro vi hujusce residentiæ, ut communiter docent, Parochus debet quoad potest, per se exercere munera principaliora, uti sunt prædicatio, catechismus et administratio Sacramentorum, præsertim Pœnitentiæ; ideo enim ex Tridentino ad personalem obligatur residentiam. Potest quidem pro meliori parochialium officiorum implemento unum aut plures habere vicarios seu coadjutores, quibus munera magis laboriosa committat, uti esset divinorum officiorum celebratio in oratoriis. Sed legitimo cessante impedimento munia principaliora, quoad potest, debet præstare per seipsum, maxime si nominatim a parochianis vocetur, cum ipse sit eorum rector. Neque ideo liberantur; quia jam in Parœcia sunt qui fidelibus prædicant, qui catechizantur pueros, qui Confessiones audiunt: si enim alii ex charitate, ipse ex justitia tenetur hæc omnia præstare; vel quia alii suo funguntur officio, non ideo ipse liberatur a munere suo. Adde: vox proprii pastoris majorem habet efficaciam, si tamen rite omnia fiant. Secus si ei sufficit, quod per alium laboret, sufficere quoque debet, quod per alium manducet: *qui per vicarium servit, per vicarium remunerabitur,* ait ad rem s. Bernardus [1]. — Sentit autem Hurtadus non esse tutum in conscientia Parochum, qui degens in Parœcia per duos menses Sacramenta per seipsum non ministraret, nisi in ea constitutus esset alius vicarius perpetuus (seu coadjutor cum cura animarum), ut dicunt Salmanticenses, Barbosa, Garcias cum aliis [2].

413. Q. 4. *Quænam pœnæ in non residentes Parochos?*

R. Parochus qui sine legitima causa non residet, peccat mortaliter et amittit ipso facto, *alia declaratione non secuta* et quacumque *compositione remota* (ut ait S. C. Congregatio) fructus omnes, qui ejus absentiæ correspondent; qui quidem ex Tridentino erogari debent vel fabricæ Ecclesiæ propriæ vel loci pauperibus [3]. Hoc autem verius valet etiam de Parocho, qui residet, sed omnino otiose; nam ei fructus non dantur, nisi sub conditione residentiæ utilis suæ Ecclesiæ. Adde ipsum Tridentinum postquam declaravit Parochos ad personalem residentiam teneri, addit: *ubi injuncto sibi officio fungi teneantur;* ergo si injuncto sibi officio minime funguntur, non cen-

[1] Epist. IV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 127, dub. 2.

[2] Proprie *Vicarius perpetuus* est qui deputatur ad curam in Parœciis unitis alicui monasterio, vel cathedrali, aut alio pio loco; tunc verus Parochus est vicarius perpetuus, congregatione illa curam habitualem tantum retinente. Idem currit, si Vicarius curatus esset amovibilis; qui quandiu Parœciam tenet, iisdem ligatur obligationibus. — *V.* Ferraris; V. *Vicarius parochialis.*

[3] Sess. XXIII, c. 1 *de R.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 128.

sentur implere residentiam præscriptam, ideo nec facere fructus suos; cum non de materiali residentia Concilium sit allocutum, sed de formali, quæ nempe cum proprii muneris implemento jungatur. Et Benedictus XIV Bulla *Grave*, declaravit non esse veram residentiam, nisi ea sit formalis seu utilis.

Ceterum qui non residet teneri ad integram fructuum restitutionem, si alia munia impleat, probabiliter negant Barbosa, Bonacina et Viva cum communi, ut hic asserit. Nam fructus non dantur pro solo residentiæ onere; sed etiam ob alia, nempe ob Horas, Missam, etc. Unde videtur Juri naturali consentaneum, quod qui duplici onere gravatus est, non debeat privari mercede utrique assignata, eo quod unum omisit; si tamen aliud adimplevit. Neque Tridentinum clare contrarium expressit: unde est benigna interpretatione donandum.

444. Q. 5. *Quænam causæ excusant a residentia?*

R. Tridentinum ob quamlibet honestam causam Parochis liberam facultatem facit discedendi a propria Parœcia duorum mensium spatio [1], his adnexis conditionibus et quidem sub gravi, cum agatur de præcepto gravi: 1) ut causa discessus ab Episcopo cognoscatur et approbetur; 2) ut vicarius idoneus ab ipso Ordinario approbandus cum debita mercedis assignatione relinquatur. Si tamen gravis occurrat causa, quæ dilationem non patiatur (relicto vicario idoneo) discedere poterit Parochus absque Episcopi licentia, quia *necessitas non habet legem.* Sed quam primum certiorandus Episcopus, nisi brevi sit reversurus. Ita S. Concilii Congregatio.

Item excusari poterit Parochus, saltem a mortali, si inconsulto Episcopo, discedat per modicum tempus, v. g. per unam hebdomadam, juxta alios etiam per duas; modo non relinquat graviter infirmos, et vicarium substituat. Episcopi tamen complures in Synodis (ut in Novariensi, pag. 185) præscribunt, ut Parochus ultra triduum abesse nequeat absque licentia Vicarii foranei, semper autem idoneo sacerdote relicto. Vicarius vero foraneus ultra octiduum non poterit licentiam hanc elargiri, sed ea erit ab Episcopo vel ab ejus Vicario generali in scriptis impetranda [2].

Audiendus Gousset: « Non basta essere nella Parrocchia nei giorni di domenica e di festa di precetto; è d'uopo esservi tutti i giorni moralmente parlando, perchè tutti i giorni vi è qualche cosa da fare pei parrocchiani: tutti i giorni il ministero del prete può essere ne-

[1] Sane naturæ consentaneum est, ut quilibet munere aliquo donatus animum aliquando relaxet ac ferias habeat, ut vires resumat. Neque ideo violatur Jus divinum residentiæ; residere est præceptum affirmativum, quod non obligat semper et pro semper. — Videatur Benedictus XIV, *Notificatione* XXXIV, n. 15.

[2] Invaluit usus ut quandoque concedatur viva voce: id sufficit, modo de voluntate Episcopi constet. Ferraris, Reinffestuel, aliique notant non sufficere, ut licentia fuerit petita, nisi sit obtenta; atque Episcopo eam negante, ad superiorem recurrendum, vel residentia tenenda. Coninchius vero cum aliis dicit, sufficere licentiam tacitam, saltem si talia occurrant signa, ut constet Episcopum actu revera consentire. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 123 et seqq.

cessario a qualche fedele. Non basta neppure il passarvi la notte e una parte della mattina: chi senza motivo legittimo si allontana tutti i giorni, o quasi tutti i giorni, o tre o quattro volte la settimana, partendo la mattina per non ritornare che la sera, non può essere sicuro in coscienza; oltre il pericolo di lasciar morire degli infermi senza Sacramenti, perde il tempo, si mette fuori di stato di adempire esattamente i suoi doveri, e scandalizza i popoli. Una vita così dissipata è incompatibile con lo spirito ecclesiastico, con l'amor del ritiro, della preghiera e dello studio necessario a qualunque prete, e specialmente a quelli che sono incaricati della direzione delle anime. »

415. *An* (quæres) *sint legitimæ causæ, quibus ex Episcopali licentia Parochus abesse possit a Parœcia ultra bimestre?*

R. Tridentinum statuit, Parochum non posse abesse ultra bimestre nisi *ex gravi causa et cum Episcopi licentia* [1], et quidem *licentia expressa*, ait Concilii Congregatio; aliter peccat graviter et non facit fructus suos. Pro causa a Tridentino assignatur:

1. *Charitas christiana;* uti si agatur de componendis litibus, præsertim inter potentes; aut de liberando aliquam Ecclesiam ab hæresi, vel ab aliis enormibus sceleribus.

2. *Necessitas urgens;* ut si immineat aliquod grave periculum: non tamen periculum commune, ut esset pestis, inimicorum invasiones, bellum et similia; sed periculum particulare ipsius Parochi, ut si immineat periculum mortis individuale illius [2]. Vel si ab inimicis vexetur, quo casu S. Concilii Congregatio concedit sex menses, ut dicit Roncaglia cum Fagnano. Quæ licentia posset prorogari si inimicitia perduraret; sed, transacto uno vel altero anno, debet Parochus induci ob Parœciæ bonum ad resignandam vel permutandam Ecclesiam; et tunc Parochus (concludit Fagnanus) punitur sine culpa, sed non sine causa [3].

3. *Obedientia debita;* ut cum quis abest ex mandato Papæ, uti si occupatur in servitio Sedis Apostolicæ et Reipublicæ. Ideo Episcopus non potest sua auctoritate, ut declaravit S. Concilii Congregatio apud Garciam et Barbosam, uti opera Parochi in visitatione,

[1] Si pastores absint ultra bimestre cum causa, sed sine Episcopi licentia, non tenentur restituere fructus nisi post sententiam judicis, modo per alium satis fidelibus provideant; tunc enim restitutionis obligatio (ait Viva) est de Jure positivo tanquam pœna, quæ ideo non debetur nisi post sententiam. Attamen quoad Episcopos aliter dicendum est Bulla *Ad universæ* Benedicti XIV, ubi sancitur quod si Episcopus ultra menses conciliares absit sine licentia expressa Romani Pontifices habeatur uti transgressor et non faciat fructus suos.

Qui vero abest inculpabiliter putans causam esse justam ac sufficientem, cum tamen non sit, tenetur ad fructuum restitutionem; ipsi enim dantur sub conditione residentiæ, qua non impleta etiam sine culpa, non acquiruntur. Attamen Frassinetti, Garcia et Viva id negant: neque enim benignitas Ecclesiæ vult damnare qui non est in culpa. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 127.

[2] S. Thomas, 2, 2, q. 185, a. 5. — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 132.

[3] *V.* Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, t. I, ubi plura de residentia. — *Acta ex iis decerpta quæ apud S. Sedem geruntur*, t. I, pag. 513. — Item vide dicenda Lib. III, nn. 651 et maxime 740.

vel alio suæ Diœcesis servitio (v. g. in prædicatione, in officio secretarii, fiscalis, etc.), nisi pro tempore illi permisso duorum mensium. Item neque potest Parochum sumere in Vicarium generalem, præsertim si Parochia extra civitatem sit. (Ferraris; V. *Parochus*, a. 2.)

4. *Evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas;* si nempe contingat Parochus abesse vel ut Synodo assistat, vel ut sacram Scripturam, Theologiam, aut Jus canonicum doceat, prout probabiliter tenent Barbosa, Gonzales, Roncaglia, etc. (non tamen probabilius ut hæc ediscat ex declaratione Congregationis Concilii penes Garcias); vel ut se aut suos aut Ecclesiam in negotio gravi apud Regium Tribunal defendat. Attamen Benedictus XIV, Bulla *Ad universæ* anno 1746, dicit, si agatur de lite propriæ familiæ, non esse concedendos, nisi *menses conciliares*, nempe duos tantum.

446. Q. 6. *Quid de Parochorum obligatione tempore pestis, atque morbi choleræ?*

R. Cum ætate Gregorii XIII nonnulli docuissent Parochos tempore pestis excusari a residentia, tum quia sani Parochos fugerent, tum quia Parochi omnes morerentur, facta hujus doctrinæ relatione ad Pontificem, ipse decrevit (6 dec. 1576): *Parochos tempore pestis omnino teneri residere in suis Ecclesiis; et si non resederint, contra eos procedendum, servata forma Tridentini* [1]. Quæ verba, uti notat Benedictus XIV, de formali residentia sive utili, sunt accipienda; adeo ut si deficiant, et graviter peccent et de restitutione teneantur; cum deficiant in proprio officio, et tempore magis momentoso [2]. Sane tunc maxime suarum ovium urget necessitas: unde omni modo eniti debent Parochi, ut visitationem Dei patienter sustineant.

Die autem 18 idem Gregorius declaravit: *decretum factum in Parochis multo magis procedere in Episcopis, qui magis obligati sunt; tamen posse Episcopos in locis tutioribus* (Diœcesis) *manere et inde providere.* Et recte: Episcopi se habent uti causæ universales, qui per substitutos, scilicet Parochos, operantur. Ideo tanto minus Episcopi tenentur per se ministrare peste infectis Confirmationem, cum ea non sit absolutæ necessitatis; neque cetera Sacramenta, si alius adsit qui ea conferat, nam id Parochorum est proprium. Ita stricto jure: in praxi tamen videmus plures Episcopos, grassante lue, eximium d. Caroli exemplum sequi [3].

Utilis autem Parochorum residentia in eo maxime consistit, ut gravi obligatione teneantur: 1) ministrare per se vel per alios ido-

[1] Sess. XXIII, c. 1 *de R.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 233; et l. IV, n. 119.
[2] *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. 19.
[3] *V.* Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. 19; — Bouix, *De Episcopo*, parte 5ª.

neos sacerdotes peste correptis, non obstante contrahendæ pestis periculo, Baptismi et Pœnitentiæ sacramenta, in quo omnes conveniunt; 2) etiam duo reliqua et Sacri Viatici et Extremæ Unctionis Sacramenta, ut valde gravis Doctorum auctoritas affirmat cum Suarez, Sylvio, Vasquez et Benedicto XIV; non enim fideles tanto bono in illa necessitate sunt privandi. Excipiunt tamen si Parochus hoc nequeat præstare sine vitæ periculo, casu quo sit solus in Parœcia et peste laborantes Sacramentum Pœnitentiæ jam susceperint.

Id in Concilio Mediolanense provinciali V a d. Carolo præscriptum legitur; et firmatur magis ex rescripto S. Sedis ad Vicarium Apostolicum Juliæ Cesareæ, seu Algerinum [1].

Nota. Horrifico pestis vel choleræ morbo grassante, quid agendum, quæ præcautiones, quæ exhortationes, et quomodo Sacramenta administranda, fusius in *Append.* Lib. IV.

417. Q. 7. *Quale absentiæ tempus requiritur in Parocho ad inducendam gravem restitutionis obligationem?*

R. Si Parochus abest sine causa, communiter Doctores (ex quibus in moralibus res est resolvenda) censent absentiam ultra 15 vel 20 dies materiam gravem constituere; ideoque tunc obligationem adesse restitutionis sub gravi. Si vero Parochus abest cum causa, sine Parœciæ damno, sed absque Episcopi consensu, censet Viva quod si tantum abest per duos menses a Tridentino concessos, ad nullam ipse teneatur restitutionem fructuum. Id non videtur nobis improbabile omnino: quia Concilium Jus naturale interpretando illud temporis spatium non reputat grave cum causa, et si alius substituatur; cum ad id revera Tridentinum Concilium non requirat causam gravem [2] *(J).*

N. II. — *De Parochi studio relate ad parochialem Ecclesiam ac Functiones sacras, necnon de populi cura.*

418. Q. 1. *Quæ Parochi obligationes quoad Ecclesiam parochialem?*

R. Quoad Ecclesiam suam Parochi hæc maxime debent:

1. Ut decorem domus Dei *(quam decet omnis sanctitudo in longitudinem dierum* [3]*)* impense curent: ideo efficiant, ut templum, alta-

[1] *V.* Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. 19; — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 233 et 729; — Ferraris; V. *Pestis*; — Fagnanus, *In* c. *de cleric. non resid.*

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 123 et 127.

[3] Ps. LXLII. — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* c; — Synodus Novariensis, p. 209; — *Acta Eccl. Mediol.*, p. 4ª: *De fabrica Ecclesiæ et suppellect.*, ubi omnia accurate describuntur — Fumagalli, *Il Sacerdote celebrante* ecc. Bergamo 1868; pag. 343.

ria, suppellectilia, et cetera ad usum sacrum congruo decore niteant; ac reparentur quæ reparatione indigent. Quod quidem de omnibus Capellis ac Oratoriis, qui in Parœcia sunt, dicendum est. De novo autem sine Episcopi licentia non permittant excitari: item curent, ut erecta decenter et juxta Ecclesiæ regulas depingantur; procul enim sint illæ tabulæ et imagines ita deformiter depictæ vel inverecunde, quæ non jam ad devotionem excitant, sed ad risum provocant, vel etiam ad morum licentiam [1].

2. Ut inventarium bonorum ad Parœciam pertinentium conficiant [2]. Libros, instrumenta omnia, Reliquias sacras, Indulgentiarum literas, Superiorum decreta, et similia in apposito archivio clave munito, ordinata conservent. Id interest Ecclesiæ ac communi bono.

3. Ut bona et jura Parœciæ diligenter tueantur; sciant etiam hac de causa in Beneficii consecutione juramentum emisisse. Neque ægre ferant, si ideo aliquas expensas debent; nam est de natura rerum humanarum, ut identidem hominum vel temporum injuria deficiant. Unde si illæ prudenti judicio extraordinariæ non sint, non ideo videtur onerum Parœciæ postulanda imminutio; sicuti neque onera augeri solent, etsi augeantur proventus [3].

4. Ut curent, quantum in illis est, eligere Ecclesiarum administratores seu ædituos *(fabbricieri)*, qui sint probi ac providi viri utiliter negotia gerentes [4]. Præscriptam regularitatem in omni administrationis officio, sollícite servent; opportunas habeant convocationes; et invigilent, ut nihil de bonis Ecclesiæ distrahatur, et maxime ut thesaurarius fideliter reditus omnes notet ac custodiat [5].

449. Q. 2. *Quanta esse debet Parochi cura quoad functiones sacras?*

R. Si cupit Parochus populum suum ad functiones sacras allicere, iisque ad salutaria ipsum excitare, maxime curare debet:

1. In omni Ecclesiæ suppellectili decentiam; *nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in pro-*

[1] De veneratione Ss. Imaginum vide Const. *Sanctissimus* Gregorii XIII; de earum forma et habitu Const. *Sacrosancta* Urbani VIII.

[2] *V.* Bulla *Cum primum* Pii V, anno 1566; Bulla *Provida* Sisti V, 1587; Instructio Benedicti XIII *in appendice Concilii Romani*; — Laurenius, *Forum beneficiale*, p. 1ª, q. 446.

[3] Probrosum, si Parochus diligens esset in temporalibus defendendis, deses in spiritualibus studendo: hac de re *v.* Segneri, *Prediche al Palazzo Apostolico*, pred. XI. Quoad restaurationem Ecclesiæ et domus parochialis *v.* Tridentinum, sess. XXI, c. 7. — Benedictus XIV, *Notificatione* c; — Barbosa, *De Officio Parochi*.

[4] Quoad Ecclesiarum ædituos regula generalis haberi nequit, cum id potius regatur consuetudine, quæ quidem plurimum variat pro locorum varietate; vide Avv. Caucino, *Le Fabbricerie* ecc. Torino 1868.

[5] Ut omnem suspicionis notam a se avertant Parochi, ne sint faciles apud se Ecclesiæ proventus custodire; sed Paulum imitentur, qui collectas eleemosynas (II, Corinth. VIII) ab aliis retineri voluit: vide supra n. 307. Pro Regno Pedemontano notetur articulus 3, Regii Decreti 7 ottobre, 1848: *soggiacciono all'esame annuale del Comune i bilanci ed i conti delle Fabbricerie e delle altre amministrazioni, ogni volta che il pubblico dee sopperire all'insufficienza delle loro rendite.* It. Lex 23 oct. 1859.

fanis [1]; et quomodo ea potest populus revereri, quæ non reveretur sacerdos? Neque inopiam suæ Ecclesiæ accuset Parochus: *nos*, ait Benedictus XIV Constitutione *Annus*, data die 19 febr. 1749, *decentiam et munditiam desideramus, quas nemini detrectare licet, quia etiam cum paupertate bene convenire et componi possunt.*

2. In cantu religiosam observantiam; hic enim in divinis officiis semper fuit in usu [2]; illiusque efficaciam ipse fassus est Plutarchus inquiens: *canere pium est, et præcipuum hominum munus erga Deos* [3]. — *Nequaquam igitur mirandum*, ait d. Gregorius, *si sanctissima Dei Ecclesia hoc quoque adjumento a natura ipsa commendato et divinitus instituto, filiorum suorum animos ad Dei ministerium cum voluptate peragendum excitare voluerit* [4]. Addit d. Bernardus: *Cantus in Ecclesia mentes hominum lætificat, fastidiosos oblectat, pigros sollicitat, peccatores ad lamenta invitat; nam quantumvis dura sint corda sæcularium hominum, statim ac dulcedinem Psalmorum audierint, ad amorem pietatis convertuntur* [5]. Neque officit, quod non omnes intelligant quæ cantantur: *intelligunt*, ait Angelicus, *propter quid cantantur, scilicet ad laudem Dei: et hoc sufficit ad devotionem excitandam* [6].

3. In omnibus cæremoniis diligentiam; his rite peractis, *quasi signis*, ait Bona [7], *excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores.* Ad quod etiam maxime conducit, si agantur functiones cum aliquo apparatu.

4. Parocho cordi esse debent religiosæ laicorum Sodalitates, earum zelum excitando, concordiam fovendo, illasque patienter sustinendo [8]: per eas enim mirifice Dei cultus augetur et propagatur *(K)*.

150. Q. 3. *An debeat Parochus oves suas cognoscere?*

R. Tenetur utique Parochus vi præcepti divini oves suas agnoscere, nempe indolem, statum ac necessitatem, si velit illud sibi accomodari: *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas* [9]. Patet ex verbis Tridentini: *cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere* [10]. Sane quomodo

[1] Cap. *Reliqui* 11 *de cust. Eucharistiæ.* — *V.* Tarino, *Il Libro del buon Pastore*, n. 62.
[2] Exod. xv; Num. xxi; Jud. v, xv; i, Reg. xviii; Ps. xii et xxvi, etc. — *V.* Gaume, *Catechismo di perseveranza*, p. iv, lez. 10. Ipse Christus post institutionem Eucharistiæ cantabat: legitur enim Matth. xiv: *et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti;* porro, juxta Augustinum, *hymni laudes sunt Dei cum cantico.* — Ferraris; V. *Ecclesia*, a. 5. — It. *v.* dicenda Lib. iv, Append. ubi *de cantu et cantoribus.*
[3] Lib. *de Music.* [4] *In Isagog. liturg.*, c. xiii.
[5] Ad Sororem, *De modo bene vivendi*, c. lii, n. 122.
[6] 2, 2, q. 91, a. 2.
[7] In *div. Psalmod.*, c. xix, n. 1, § 3. — V. *De Sacramentis*, ubi *de cæremoniis.*
[8] Hic insigni quoque prudentia ac sustinentia opus est, ne verificetur illud: *confraternitates laicorum, tormentum Parochorum.*
[9] Joann. xx. [10] Sess. xxiii, cap. 1 *de R.*

ipsis poterit providere, si eas nesciat? Quare Parochus debet cum suis parochianis paterno affectu colloqui, patres ac matresfamilias prudenter interrogare circa liberos, servos et operarios; ac videre utrum singuli præcepta Dei et Ecclesiæ observent. Caveat tamen, ne audiat ancillarum dicteria et fastidiosas aliarum fœminarum loquacitates; sed ita se gerat, ut omnes agnoscat, quin temeritatis vel imprudentiæ notam incurrat *(L)*.

451. Q. 4. *Quanta est obligatio in Parochis prædicandi?*

R. Maxima est obligatio in Parochis prædicandi, quæ quidem ab ipso divino præcepto descendit; *cum*, dicente Tridentino, *præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere... Verbique divini prædicatione pascere* [1]. Hoc porro ipsum Tridentinum iterum iterumque urget, ac magis alibi determinat: hinc Benedictus XIV Constit. *Etsi minime* 1742: *Duo potissimum onera a Tridentina Synodo curatoribus animarum sunt imposita: alterum ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeant; alterum ut pueros et rudiores quosque divinæ legis fideique rudimentis informent.* Igitur:

1. Est sermonem seu concionem habere; en Tridentini verba: *Mandat Sancta Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cetera sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis et festis* [2]. Et merito sane: *fides* enim *ex auditu; auditus autem per verbum Christi* [3]. Unde Apostolus Timotheum suum monebat: *prædica verbum, insta opportune, importune* [4].

2. Est rudiores et pueros instruere catechesim habendo; iterum Tridentinum: *Archipresbyteri quoque, Plebani, et quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes, Ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel per alios idoneos (si legitime impediti fuerint) diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sui et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea quæ omnibus scire necessarium est ad salutem, annuntiando quoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare; et virtutes quas sectari oportet, ut pœnam æternam evadere et cœlestem gloriam consequi valeant. Ubi ab Episcopi moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas seu alias ad ipsius Episcopi*

[1] Sess. XXIII, c. 1 *de R.* — *V.* Bouvier, *De Ordine.*
[2] Sess. XXII, c. 8; et sess. XXIV, c. 4 *de R.* habetur prædicandum esse etiam tempore Quadragesimæ et Adventus, si ita oportere duxerit Episcopus.
De concionatoribus quadragesimalibus vide Benedictus XIV, *Notificatione* XXVII; et *Synodus Novariensis*, p. 52 et seqq.
[3] Hebr. X. [4] 1, Tim. II. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 269.

arbitrium cogantur [1]. — Signanter vero quoad instructionem puerorum Concilium Episcopos monet: *Saltem diebus dominicis et aliis festis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt: et si opus fuerit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus* [2].

452. Ex quibus omnibus habes non solum grave præceptum, sed etiam modum et tempus illud adimplendi. Hinc commune est atque receptum a mortali non excusari:

1. Qui per tres menses etiam discontinuatos per se vel per alios non prædicant. Imo rationabiliter dicunt Barbosa, Roncaglia et Salmanticenses, eum quoque graviter peccare, qui per integrum mensem id omittit; imo minus temporis spatium sufficit ad mortale, si populus prædicatione graviter egeat. Hinc perabsurda est et Canonum dispositioni contraria illa quorundam consuetudo, qui ferias sibi sumunt certa anni parte (vulgo *vacanze)* a prædicatione.

2. Qui prædicationem agunt capacitati audientium minime proportionatam, nempe habendo catecheses aut conciones ita ornatas, ut major audientium pars eas non valeat intelligere. Hinc Tridentinum Parochis expresse præcipit, ut plebes pascant *pro earum capacitate.* Hinc Pontifex Pius IX (Encyclica *Qui pluribus* 1846), *ne Dei sermo*, qui vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, *ad animarum salutem est institutus, hoc vitio infructuosus evadat*, vult ut omnes divini Verbi præcones iterum atque iterum commoneantur. Hac de re quot damnabuntur Parochi! Hos Avila proditores vocat animarum, qui se ipsos prædicant, et quorum prædicatio nullimode pascit fidem [3].

3. Qui nullam aut fere nullam præparationem præmittentes ita loquuntur, ut omnia sine ordine, multa inutilia, alia falsa proferentes in auditoribus fastidium, in sanctum ministerium contemptum excitent. *De his, ut plurimum verificatur*, scribebat Acquensis Episcopus, *quod quidam de suo Parocho ajebat, referente perdocto Riccardi: Cu-*

[1] Sess. v, cap. 2 *de R.* Dicente Concilio, *si legitime impediti fuerint,* docet Alasia, curam animarum habentem teneri per se ipsum ad explicandam Doctrinam christianam, et solo legitimo impedimento superveniente, excusari. Quod vult non ita rigorose currere de explicatione Evangelii; nam de hac Tridentinum Concilium simpliciter dicit *per se,vel per alios.*

[2] Sess. xxiv, c. 4 *de R.* — Proprie loquendo triplex est Parochorum obligatio circa verbum Dei: una prædicandi, nempe divinam legem populis enunciandi; altera pueros instruendi; tertia fideles in christiana Doctrina erudiendi. De prima loquitur Tridentinum, sess. xxii, c. 8; de secunda, sess. xxiv, c. 4 *de R.;* de tertia, sess. v, c. 2 *de R.* — V. *Specchio del Clero*, p. 344. — Ferraris; V. *Doctrina christiana.*

[3] *V.* Liguori, *Istruzione sulla predica;* — Muratori, *L'Eloquenza popolare;* — Mullois, *Corso di sacra Eloquenza popolare* ossia *Saggio sul modo di parlare al popolo;* — Negri, *Delle condizioni presenti dell'Eloq. in Italia.* Torino. — Et plura Lib. iv, App. i.

ratus noster, dum super ambonem ascendit, nescit quid erit dicturus; dum dicit, nescit quid dicat; et finita oratione, ignorat quid dixerit [1]. Sane requiritur studiosus labor, ut perspicuitatem, ordinem et evangelicam simplicitatem prædicatio nostra præseferat ac fructus faciat. Eleganter dotes prædicatoris numerat Augustinus: *Oportet igitur eloquentem ecclesiasticum quando suadet aliquid quod agendum est, non solum docere, ut instruat, et declarare ut teneat; verum etiam flectere ut vincat* [2]. Et d. Bernardus vult, ut prædicatio nostra sit *delitiosa ad saporem, solida ad nutrimentum, efficax ad medicinam* [3].

453. *Quid* (dices) *si adsint* rudes, *qui nequeant Ecclesiam adire, quia custodiunt domum aut greges, si in gravi necessitate reperiuntur?*

R. Si Parocho maxime molestiæ futurum foret eos per se adire ob talium rudium multiplicitatem, curet saltem eos instruere per alios, vel per se (si aliter nequeat) tempore præcepti Paschalis, aut cum accedunt ad Confirmationem, aut Matrimonium. Studeat autem omnimode eos avertere a peccatis, quæ non raro a talibus rudibus, maxime juvenibus, ad invicem committi solent.

454. *Quid* (subjunges) *agendum, si Parochus habeat* surdos-mutos *in Parœcia?*

R. Parochus tenetur ipsis providere meliori quo potest modo; imo quo miserior est illorum conditio, eo industrior sit oportet pastoris charitas. Ad rem Careno: « Il Parroco è obbligato a pigliarsene cura: però deve studiare alla meglio il modo di far loro concepire l'idea delle verità principali da credersi rapporto agli articoli di necessità di mezzo. Così pure sui precetti del Decalogo; ma in materia di sesto procedere colla più gelosa circospezione per non inserire malizia. Informarsi dai loro genitori, o domestici, in quali peccati cadono, onde avere un dato verosimile, che regoli l'accusa da farsi da loro in Confessione per via di segni [4]. Se sono femmine, confessarle in qualche stanza attigua alla sacristia, o nella sacristia stessa, ma ad uscio aperto; allontanandone le persone, in modo da non potere però non essere veduti, e molto più se la femmina fosse di fresca età. Se possiamo poi assicurarci, che distinguono bene la Particola consecrata dal pane naturale, non dobbiamo avere difficoltà di ammetterli alla Comunione, informandoci dapprima se sieno digiuni [5]. »

455. Q. 5. *An præstet ut Parochus interdum Ss. Missiones vocet?*

R. Affirmative; ad spirituale enim fidelium bonum magnopere conferunt sacræ Missiones; et vix dici potest, quam fructuosa sit assidua Verbi Dei prædicatio, frequentes ad Ecclesiam conventus, tot

[1] Ita *Encyclica præfixa kalendario* anni 1847. — *V.* Audisio, *Lezioni di sacra Eloquenza;* — *Avvisi interessanti sulla predicazione della parola di Dio.* Roma, 1843; — *Lezioni di sacra predicazione per la scuola del Seminario d'Oristano.* Cagliari, 1841. — Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIX,* ubi fuse hac de re.

[2] De *Doctr. christ.* [3] Serm. LXVII *in Cantica.*

[4] Ad rem Alphonsus noster *(Homo Apost.,* tract. ult., n. 44): *cum (confessarius) aliquod jam perceperit ejus (nempe muti et surdi) particulare peccatum, cum signo doloris, illum debet absolvere; sed ego semper eum sub conditione absolverem, nisi quandam moralem certitudinem haberem de sua dispositione:* quæ quidem certitudo de facili haberi potest, si surdus-mutus instructus sit in aliquo ex tot institutis quæ hodie aperta sunt: quod quidem curandum est.

[5] *Delle Regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti,* esame XX.

preces, in quas universus populus erumpit, ad divinam gratiam efflagitandam, ad mores in melius commutandos ac scandala extirpanda. Imo *cum in regione reperiuntur*, ait Alphonsus noster [1], *notabiles morum dissolutiones, quibus nullum occurrit remedium, Parochus tenetur curare, ut Missio eo adveniat. Ille Parochus qui Missionem non curat, suspicionem ingerit suorum morum.* Hoc urget tum Benedictus XIV, Encyclica ad Episcopos regni Neapolitani *Gravissimum* 8 septembris 1745; tum Pius IX ad Italiæ Episcopos Encycl. *Nostis quidem* 8 dec. 1849.

Merito ergo a Pio VI Bulla *Auctorem fidei*, propositio n. 65 Synodi Pistoriensis *enuntians irregularem strepitum novarum institutionum, quæ dictæ sunt Exercitia vel Missiones... forte nunquam aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur; et exteriores illos commotionis actus qui apparuere, nil aliud fuisse quam transcuntia naturalis concussionis fulgura*, damnata fuit *ut temeraria, malesonans, perniciosa, mori pio salutariter per Ecclesiam frequentato et in Verbo Dei fundato injuriosa (M).*

456. Q. 6. *Quid de Parochorum obligatione corrigendi oves suas?*

R. Parochi omnes tenentur sub gravi corrigere oves suas in peccato mortali, vel in proximo ejusdem periculo existentes, etiam cum discrimine vitæ propriæ: neque solum in extrema, sed in gravi quoque earum necessitate spirituali; si quæ tamen adsit spes emendationis, juxta illud: *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* [2]. Qui in hoc deficit Parochus, timeat illam Domini exprobationem: *si non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua; ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram* [3]. Hæc autem gravissima obligatio oritur non tantum ex charitate, sed tum ex ipso officio quo præditi sunt Parochi, tum ex stipendio quod percipiunt; ideo in probabiliori ac communi sententia, si culpabiliter deficiunt, remanent etiam obligati ad fructuum restitutionem. Imo non obligantur tantum ad impedienda gravia, quæ vident, peccata; sed etiam ad inquirendum, num aliquis in iis versetur. Paroco enim commissa est salus uniuscujusque ovis: *illud, quod debetur alicui determinatæ et certæ personæ sive sit bonum corporale sive spirituale, oportet quod ei impendamus, non expectantes quod nobis occurrat; sed debitam sollicitudinem habentes, ut eum inquiramus. Unde sicut ille, qui debet pecuniam creditori, debet eum requirere, cum tem-*

[1] *Homo Apost.*, tract. VII, n. 31; *Op. Mor.*, l. II, n. 40; et l. III, n. 360. — Porro missionarii facultatibus extraordinariis a S. Sede petendis ab Episcopo muniri debent, ut utilissimum opus feliciter consequantur.

[2] Joann. X. — V. *Dei doveri de' Sacerdoti e massime dei Pastori di anime di correggere i traviati;* Opuscolo utilissimo nei tempi presenti. Mondovì, tip. vescovile 1851.

[3] Ezech. XXXIII. — V. *Metodo per la direzione delle anime;* art.: *Avvertimenti.*

pus fuerit, ut ei debitum reddat; ita qui habet specialiter curam alicujus, debet eum quærere ad hoc, quod eum corrigat de peccato: ita Angelicus cum communi[1].

Diximus 1: *Parochi omnes;* ergo etiam qui eorum vices gerunt, vel qui cum ipsis animarum curam dividunt, uti coadjutores titulares atque comparochi. Et multo magis Episcopi utpote parochi parochorum, qui majorem habent efficaciam ad compescendos malos, et maxime ecclesiasticos, quorum scandalum et turpis vita non ipsis tantummodo, sed omni populo adeo est exitialis.

Diximus 2: *Tenentur corripere sub gravi;* agitur sane de summa omnium rerum, pro qua Curati in officio suo sunt, id est de amovendis animabus ab æterna damnatione. *Oves suas;* extraneas enim nonnisi ex generali præcepto charitatis corrigere tenentur, si delinquant, prout ceteri proximi; cum nulla erga illos speciali obligatione ligati sint. *In peccato mortali existentes*, tales sunt, v. g. concubinarii, blasphemi, ebriosi, paschate non communicantes, vetitos libros vel effemerides legentes, prohibitos cibos manducantes, festa contemnentes, etc. *Vel in proximo ejusdem periculo versantes;* officium namque vigilis pastoris est non solum curare oves ægrotas, sed etiam et maxime studere ne ægrotent: uti essent, v. g. juvenes qui malis consociantur; viri qui tabernas frequentant, ubi joci, ubi rixæ; famulæ quæ domo morantur, ubi fortiter ad malum alliciuntur ab hero; sponsus qui, nondum celebrato matrimonio, cum sua sponsa libere agit atque secreto conversatur; etc.

Diximus 3: Quod corripere tenentur; et primo *in extrema necessitate;* quando nempe tanquam certa haberi potest fidelium perditio, nisi opportuna fiat correctio: uti evenit, v. g., quoad milites qui lethalibus inquinati ad micidiale bellum sunt illico profecturi; vel quoad homines, puta concubinarios jamjam animam sine pietatis sensu agentes; vel quoad illos peccatores qui nimis periculosa tentant aut mortem sunt subituri, quin de ea cogitent. Item est, si qui ad aliquod officium vocati, illud sine aliorum jurium læsione, scandalo, sacrilegio, etc. exercere non possunt omnino.

Secundo tenentur ad correctionem Parochi (ex communi sententia contra alios) etiam quando oves constitutæ tantummodo sunt *in gravi spirituali necessitate,* cum nempe etsi de se absolute loquendo valeant a peccato cavere, difficulter tamen se liberabunt, attenta eorum indole et consuetudine, nisi pastor illas excutiat et salutariter terrificet; ut patet de iis qui habitualiter ducunt in malis dies

[1] 2, 2, q. 33, a. 2, ad 4. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. VII, n. 30; *Op. Mor.*, l. II. n. 27.

suos, et in profundum jam venerunt. Quibus omnibus boni pastores subvenire tenentur: quare enim Parochi tanto munere funguntur ac stipendium accipiunt? ideo ut singulorum parochianorum animam curent, et proinde vitia corrigant. Talis igitur obligatio est de natura ipsius ministerii.

Diximus 4: *Si quæ tamen adsit spes emendationis;* hoc autem solari debet bonos pastores, qui hac de re animo plus æquo vexantur, usque timentes ne correctionis officio deficiant. Plerumque enim impossibile est, ut omnes singillatim corrigantur, cum nimius sit delinquentium numerus: quo in casu sufficit si correctio fiat passim in catechesibus et publicis concionibus. Plerumque periculosum est; cum sint homines quos si monueris, pejores fiunt, et scandala et dicteria et persecutiones augeant: quod hodie maxime timendum est in tanta morum dissolutione, et opinandi ac loquendi licentia atque abusu. Plerumque frustraneum omnino, et tunc ne effundas sermonem ubi non est auditus *(N)*.

457. Q. 7. *Quænam Parochorum obligationes quoad Sacramenta?*

R. Parochi tenentur Sacramenta sub gravi ovibus suis administrare: 1) quoties urget commune præceptum illa suscipiendi; 2) quando idipsum exigit privata alicujus necessitas vel utilitas; ideo enim Parochi constituti sunt, ut prospiciant spirituali saluti ac profectui suarum ovium. Quod quidem melius assequi non valent, quam sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis, *per quæ* (ex Tridentino) *omnis vera justitia vel incipit vel augetur vel amissa reparatur* [1].

Hic speciatim loquendo de Pœnitentia, dicimus: Parochus tenetur illam ministrare quoties pœnitentes confiteri etiam ex devotione petunt, nisi intempestive et nimis frequenter vellent audiri, aut essent alii confessarii, et ipse esset legitime impeditus.

Quoad Communionem pariter commune est, Parochum teneri ad illam ministrandam quoties rationabiliter postulatur; dum pastor non solum debet prospicere, ut ejus oves præcepta impleant, sed etiam ut in virtute ac robore proficiant. Hinc ex Decreto S. C. C. 1679 approbato ab Innocentio XI, pastores ob justas causas possunt quidem Communionem taxare alicui subdito in particulari, non tamen præscribere dies Communionis pro omnibus generatim. Quare patet delinquere Parochum qui ægre fert, si qui intra hebdomadam velint communicari, et diu eos expectare facit; sicque a sacra mensa sensim sine sensu avertit.

[1] Sess. XVII. Quod currit, etsi Parochus habeat plures substitutos ex S. Congr. Episc. 5 dec. 1614. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. VII, n. 24; l. VI, n. 58, *Op. Mor.*

458. Q. 8. *Quid de Parochi obligatione orandi pro ovibus suis?*

R. Certum est, teneri Parochos pro ovibus suis orare frequenter, ut supremæ benedictionis effusio in illas pro cujusque necessitate descendat: *neque*, ait Apostolus, *qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus* [1]. Imo expedit summopere, ut Parochus cum suis parochianis simul publice oret in Ecclesia; tum quia illud obtinebitur, ut fideles addiscant quomodo orandum; tum quia ubi plures sunt in Christi nomine congregati, Christus est *in medio eorum*, idest dirigit eorum desideria et vota, illaque adimplet [2].

Sane *modus orationis communis*, ex s. Cypriano, *præstantior est et efficacior particulari; quia majori innititur charitati, et unioni amoris cum omnibus proximis* [3]. Et Tertullianus: *eximus in cœtum, ut Deum quasi manu facta precationibus ambiamus, Deum orantes; hæc vis Deo grata est* [4]. Item d. Ambrosius: *multi animi dum congregantur unanimes magni fiunt, et multorum preces impossibile est contemni* [5].

459. Speciatim vero præcepto divino, ut Tridentinum docet, mandatum est omnibus, qui curam animarum habent, ut pro populo Sacrificium offerant; *omnis namque pontifex... pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* [6]. Quoties autem id debeant, controversiam definivit Benedictus XIV Bulla *Cum semper*, 19 aug. 1744, ubi sancitum est omnes Parochos, sive sæculares sive regulares, etsi sint Vicarii-curati (qui nempe curæ actuale exercitium habeant, remanente penes alium habituali cura); imo etsi ad nutum amovibiles, vel deputati sint ad tempus tantum (Vice-parochi), teneri applicare Missam pro populo omnibus dominicis ac ceteris festis de præcepto, *licet* congruis reditibus destituantur, *licet* adsit immemorabilis consuetudo contraria, imo *licet* ipsis diebus permissum sit opera servilia exercere.

Verum tunc temporis præter eos qui nunc celebrantur dies, alii festi erant (ut constat ex Constitutione Urbani VIII *Universa* anno 1642 data ad totum orbem), qui postea, impellentibus circumstantiis, ab aliis RR. Pontificibus suppressi fuerunt. Hinc quæstio: an adhuc pro hisce festis *reductis* vigeat obligatio Missam populo applicandi. Pluries interrogata S. Congregatio tum Concilii, tum Rituum, tum ipsa Pœnitentiaria respondit obligationem adhuc vigere. Quia tamen hisce responsionibus non omnes acquiescere videbantur, vel etiam

[1] 1, Cor. III. Ferraris; V. *Parochus*, a. 3.
[2] Matth. XVIII.
[3] L. V *ne cant. et allel.*, c. q.
[4] *De Orat. Dom.*
[5] *De Pœnit.*
[6] Hebr. V. — Etiam Episcopus, et quidem plus quam Parochus, tenetur in festis et dominicis omnibus pro totius Diœcesis ovibus Missam applicare uti principalior pastor; non tamen tenetur quotidie. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. VII, n. 65; et *Op. Mor.*, l, IV, n. 326.

contrariam adducentes consuetudinem, dubium omne sustulit Pius Papa IX Encyclica *Amantissimi* 3 maji 1858 hisce verbis decretoriis: *Declaramus, statuimus atque decernimus, Parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missæ sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere tum omnibus dominicis aliisque diebus, qui ex præcepto adhuc servantur, tum aliis etiam qui ex hujus Apostolicæ Sedis indulgentia ex dierum de præcepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de præcepto dies imminuerentur et transferentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies, id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum Officium translatum fuerit in dominicum diem, una tantum Missa pro populo sit a Parochis applicanda, quandoquidem Missa, quæ præcipua divini Officii pars est, una simul cum ipso Officio translata existimari debet* [1].

460. *Quid* (quæres) *si Parochus infirmetur, et nequeat per se Missam pro populo in festis celebrare; tenebiturne per alium?*

R. Censemus omnino contra paucos affirmandum; nam ista obligatio applicandi populo Missæ fructum est tum *personalis*, qui proinde si potest per se, nequit celebrare per alium, cum ipse sit Parochus: hinc S. Rituum Congregatio 20 dec. 1864 declaravit Parochum teneri ad hanc applicationem, etsi ipse privatim celebret, et Missam dictam *parochialem* cantet alius sacerdos; tum *realis* cum sit una ex suis obligationibus a Tridentino indicatis. Sicut ergo Parochus impeditus Sacramenta administrare per se, tenetur hoc agere per alium; ita impeditus Missam per se ipsum applicare, tenetur per alium (et quidem præscripta die) applicare Sacrificii fructum, qui est pabulum utilius, quod fideles juvare potest. Quod confirmatur ex rescripto S. Congregationis de Propaganda fide, quæ 11 martii 1843, Vicario Apostolico Sylvæ-Ducis facultatem concessit Parochis Vicariatus, ut per capellanos Missam pro populo applicare possint in casibus veræ necessitatis et modo ex Canonica causa fiat: quod quidem supponit obligationem personalem adesse [2].

Parochus item tenetur applicare Missam in sua Parœcia: unde si extra versetur, celebret per alium Missam pro populo in ipsa Parœcia, quacumque consuetudine in contrarium non obstante ex ipsa S. Concilii Congregatione [3].

[1] Id est quando una cum Officii recitatione simul transfertur celebratio festi, ut in Gallia ex Indulto Pii VII, 9 apr. 1802. Non vero quando tantum Officium translatum est, ut ordinarie evenit: in hoc ultimo casu, Missa applicanda est die quo currit festum (etsi non celebretur); non autem die quo recitatur illius Officium.

Dein Pontifex: 1) Parochos qui ob assertam consuetudinem festis reductis Missam omiserunt, plenissime absolvit; 2) concedit ut qui hac de re indultum aliquod obtinuerint, illo adhuc fruantur juxta conditiones indulti et donec Parochi officium tenuerint in Parœciis quas in præsentiarum regunt; 3) ut si hac de re sit impetranda aliqua remissio, unice fiat recursus ad S. Concilii Congregationem, iis exceptis qui a Congregatione Fidei Propagandæ pendent. — V. *Appendix* ad Lib. IV, ubi festa reducta notantur.

[2] *V. Analecta*, t. IX, anno 1867, pag. 1131. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 326.

[3] Sufficit Missa lecta. Quod si Parochus sit simul canonicus atque ad eum spectet Missam conventualem celebrare, tenetur alium suis sumptibus substituere, qui Mis-

Quid si Parocho exhibeatur eleemosyna pro Missæ applicatione in festo ?
R. Si Parochus ita pauper est, ut congruos ad sustentationem fructus non habeat, potest cum Episcopi consensu eleemosynam acceptare, celebrando pro populo intra eandem hebdomadam (et tunc etiam anticipando, cum jam sit dispensata dies). Ita citata Encyclica Benedicti XIV, et S. Concilii C., 28 nov. 1761.

461. Q. 9. *Quæ Parochi obligationes erga pauperes et infirmos?*
R. Ad 1: Ex Tridentino Parochus debet *pauperem aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere* [1]. Necesse ergo est (monet s. Carolus), *ut inquirat studiose de pauperibus suæ Parœciæ, præsertim puellis, ægrotis, senio confectis aliisque personis temporali, vel etiam spirituali misericordia indigentibus, quibus ipse pro viribus opitulari, et alios suo exemplo et hortatu ad id officium incitare studeat* [2]. Sed maximam curam gerere debet eorum, qui mendicare rubore impediuntur; alioquin non erit pater pauperum. Videat ne illud Gregorii M. verificetur: *mirandum sane, si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare, non habet* [3]. Vix autem dici potest, quam Parocho noceat nota tenacitatis.

462. R. Ad 2: Nullibi potest splendidius probari Pastoris charitas et sollicitudo, quam ubi quis e suis infirmetur [4]; dicit enim Rituale, hanc esse præcipuam ejus munerum partem: quare vult, ut hortetur parochiales suos, ut ipsum admoneant cum aliquem in Parœcia sua ægrotare contingat; itemque ut etiam non accersitus infirmum adeat, maxime si pauperem, si parum suæ animæ sollicitum. Neque semel, sed crebro infirmum debet invisere; benevolis suasionibus consolari; piis etiam, quoad potest, eleemosynis recreare; tempestive Sacramentis munire ceterisque officiis juvare. Idque eo magis, quo ingravescit morbus ac periculum mortis imminet; ad rem enim Rituale Romanum: *Ingravescente morbo, Parochus infirmum frequentius visitabit, et ad salutem diligenter juvare non desinet, monebitque instante periculo se confestim vocari, ut in tempore præsto sit morienti;* nam tempore mortis, a qua salus æterna pendet, infirmi vires debiliores sunt, inferni vero fortiores: tunc venit *diabolus habens iram magnam sciens, quod modicum tempus habet* [5]. Qua in re

sam applicet pro populo, in parochiali Ecclesia, eo festo. Ita citata Concilii C. 11 martii 1720, et Benedictus XIV, Const. *Cum semper.* — *V.* Bouix, *De Parocho*, parte v, c. 6.

[1] Sess. xxiii, c. 1 *de R.* [2] *Acta Eccl. Mediol.*

[3] L. iv, Ep. xxx. Vide Lib. ii *de eleemosyna*, tract. viii.

[4] Præstat, ut Parochus (maxime si alius non sit in Parœcia sacerdos) suis indicet quo circiter pergit dum exit domo, ut in necessitate statim vocari possit. Alicubi uno vel altero campanæ ictu vocatur.

[5] Ap. xii. — *V.* Liguori, Opusc. *Il Sacerdote provveduto per l'assistenza ai moribondi;* — Careno, *Delle regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti,* esame xxiv: *Regole cogli infermi, moribondi e morti;* — Synodus Novariensis, pag. 190. Quoad infirmos curandos, visitandos, dirigendos, vide *De Pœnitentia,* ubi *de absolutione;* et plurima Lib. iv, *Appendix:* de cura infirmorum, ac de sepultura ecclesiastica, ubi perplura maxime pro praxi.

fortiter redarguendi sunt Parochi nonnulli, qui infirmum, semel omnibus Sacramentis munitum, derelinquunt, vel si aliis curis sint distracti, illum per alios adjuvare non curant.

463. Si autem in Parœcia hospitale sit, non pigeat Parochum crebrius visitare infirmos qui eo morantur, ut videat si quid eis desit, ac quoad potest, provideat. Tenerrimæ erga illos charitatis viscera induat sciens, fortasse non unum adesse, qui consoletur illos ex omnibus caris eorum: et forte qui eis subveniunt, ad id non christiana charitate ductos esse, sed sola mercede temporali *(O)*.

Scholium. — *De Parochorum Coadjutoribus, de Capellanis, Vice-parochis et Œconomis parochialibus.*

464. Q. 1. *Quid de Parochorum coadjutoribus?*

R. Duplicis sunt generis Parochorum coadjutores:

1. Qui ex Beneficii fundatione, vel alio nomine habent, ut Parochos coadjuvent, quin curam animarum teneant; dicuntur etiam *capellani*. Hi præter ea quæ ecclesiasticis omnibus sunt communia, residentiæ lege tenentur ac merito, ut sic coadjutoris munere rite fungi possint: quod-quidem omnes Diœcesanæ Synodi præscribunt, ut Novariensis tit. *de Parochis*.

2. Qui etiam animarum curam habent, licet tota in uno Parocho sit ministerii principalitas, ideo et tota ratio reddenda in casibus occurrentibus. Isti appellantur *coadjutores titulares*, qui generatim iisdem, quibus Parochi, obligationibus tenentur: et insuper reverentiam et obedientiam suis principalibus præstare.

465. Q. 2. *Quinam dicuntur Vice-parochi?*

R. Vicarii Parochorum, seu Œconomi-parochiales dicuntur presbyteri illi, qui Parochorum vices in Parœcias gerunt.

Porro alii ab ipsis Parochis constituuntur de sui voluntate, ut illos coadjuvent in ministerio; sed Ordinario consentiente et approbante: et *mercenarii* appellantur ex pacta mercede; alicubi etiam *coadjutores ex officio*. Quos quidem et Parochi ad eos sibi assumendos tenentur, si per se non valeant omnia munia implere: et ipsi assumpti tenentur sub gravi, et ex justitia, Parochos juvare in iis, de quibus conventum est; cum ideo ipsi stipendio conducti sint [1].

Alii vero constituuntur ab ipso Episcopo, et *Vice-parochi* vocantur. Idque evenit:

[1] Tridentinum, sess. XXI, c. 4 *de R.* — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XCIV.

1) Si Parochi imperiti cognoscantur; vel corpore aut mente infirmi, vel si non possint sufficere ecclesiasticis Sacramentis administrandis, vel si suspensionis pœna coerceantur, quia ob vitæ turpitudinem et scandala potius destruere, quam ædificare aperte judicentur. Tunc Ordinarii, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, illis Vicarios deputant, qui officia parochialia impleant, et de præbendæ parochialis reditibus vivant: ita Tridentinum præcipit [1], et ipsa ratio suadet; 2) quocumque modo vacante Ecclesia parochiali, debet Ordinarius, ex eodem Tridentino, vix nuntio vacationis accepto, idoneum in ea *Vicarium cum congrua, ejus arbitrio* [2], *fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur* [3].

Officia autem Vicariorum parochialium sunt pene omnia quæ Parochos urgent, cum eorum vices gerant. Hoc insuper qui vices tenent defuncti Parochi advertant: videant ne proprio nomini potius quam Religionis bono studeant; ne ut sibi populum benevolum faciant et ideo propriam causam agant, vel cum eo indecore consocientur, vel ei nimium indulgeant, vel nova ac eidem placentia tentent. Summopere vero caveant, ne de ipso Parocho venturo parum reverenter loquantur: nam inde divisiones, contentiones et schismata. Væ illis, per quos tantum scandalum venit [4]! *(P).*

§ III. — *De presbyteris simplicibus ac ceteris clericis.*

466. Q. 1. *An simplices presbyteri teneantur Ecclesiæ, cui addicti sunt, inservire, atque ad salutem fidelium incumbere?*

R. Tenentur certissime, idque probatur:

1. Ex *Scriptura:* Apostolus scribit: *omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis; qui condolere possit iis, qui ignorant et errant* [5]. Christus ipse de sacerdotibus omnibus ait indiscriminatim: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos* [6]. Ergo si sacerdotes constituuntur a Deo, ut ad gloriam ipsius et ad salutem animarum incumbant; si a Christo missi sunt, ut succedant in ejus officium, certum est hanc eis gravem obligationem inhærere.

[1] Sess. XXI, c. 4 et 6 *de R.* — *V.* Bouix, *De Episcopo*, p. V, c. 32. — Ferraris; V. *Congrua, Deservitores.* — *Acta S. Sedis* vol. I, pag. 513. — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. I, pag. 382, ubi etiam de *coadjutoribus.*
[2] Ubi adest œconomatus, ab hoc officio fieri solet pensionis assignatio.
[3] Sess. XXIV, c. 6 *de R.* — V. *Append.* I Lib. IV, ubi plura monita.
[4] Dubois, *Pratica dello zelo ecclesiastico*, p. II, c. 1, ubi plura.
[5] Hebr. V. [6] Joann. XX.

2. Ex *Tridentino*, quod declarat sacerdotes non ordinari, nisi propter Ecclesiæ necessitatem atque utilitatem [1]. Atqui nullam utilitatem Ecclesia perciperet ab illis, nisi tenerentur gloriæ Dei et animarum saluti operam dare, unusquisque pro modo sibi convenienti: nempe prædicando, Sacramenta ministrando, Confessiones excipiendo, instruendo, catechizando sub superioris obedientia.

3. Ex *peculiaribus cujuscumque Diœcesis Statutis;* cum nullus sit Episcopus, qui suis ecclesiasticis districte non præcipiat, ut utiliter in operibus ministerii occupentur. Si autem omnes fideles episcopalia mandata revereri debent, quanto magis sacerdos? Hinc s. Ignatius genuina Epistola ad Smyrnæos ait: *Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem.... Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant.... Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit...; quodcumque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum... Qui honorat Episcopum, a Deo honoratus est: qui contra Episcopum aliquid agit, diabolo præstat obsequium.* Et Cyprianus ad Jursenses: *revereamur omnes Episcopum ut Jesum Christum.*

4. Ex *lege charitatis;* etenim spiritualis populi indigentia hisce maxime temporibus percrebuit et universalis est. Adde scandalum in fidelibus, si sacerdotes viderint parum curantes quæ sunt Dei. Videant ergo, an tuti sint in conscientia illi desides ecclesiastici, quibus, ut ait d. Bernardus, magis placet quies propria, quam utilitas aliena [2]: nos sumus ad alios.

467. Q. 2. *An simplex sacerdos teneatur se aptum reddere ad excipiendas sacramentales fidelium Confessiones?*

R. Non est dubium, quin etiam simplex sacerdos teneatur sub gravi se aptare et assiduum esse ad Confessiones, si in loco versetur, ubi incolæ gravi laborent necessitate spirituali, ut fere omnes laborant, hodie præsertim, cum Religiosorum Instituta temporum iniquitate ubique fere suppressa conspiciantur. Cur enim sacerdotes duplicem potestatem et sacrificandi et a peccatis absolvendi in Ordinatione consequuntur? Ergo, ne dicantur *in vacuum gratiam* Dei recepisse, in gravi hodierna populorum necessitate se habiles reddere tenentur ad hanc quoque potestatem exercendam [3] *(Q).*

[1] Sess. XXIII *De Sacramento Ordinis.*

[2] Epistola *ad Ogerium*, cujus quidem improbat abdicationem curæ pastoralis, etsi piæ quietis amore factam. — *V.* Dubois, *Pratica dello zelo ecclesiastico.* — Mory, *Trattenimenti spirituali adattati a tutti gli Ecclesiastici per eccitarli a faticare per la salute delle anime.* — Valuy, *Appelle au Clergé pour la sanctification spéciale des hommes.* — Liguori, *Regolamento di vita per un Sacerdote;* it. *Regole di spirito per un Sacerdote che attende alla perfezione.* — Parrodin, *Essai sur les caractères ecclésiastiques.* — Synodus Novariensis, pag. 42.

[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 625. — Careno, *Delle regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti;* Esame XVIII.

Hinc non videmus quomodo sacerdotes, qui ob desidiam ab hoc onere se subtrahunt vel diverticula quærunt vix consecrati presbyteri, ne Confessionis periculum cogantur sustinere, possint esse tranquillo animo, et excusari a gravi exprobratione Domini, et a supplicio inflicto servo otioso, qui talentum abscondit [1]: *Notent hoc*, inquit A-Lapide, *qui ingenio, doctrina aliisque dotibus sibi a Deo datis non utuntur ad suam aliorumque salutem ob desidiam vel metum peccandi ; ab his enim rationem reposcet Christus in die judicii.* Et Benedictus XIV aperte docet: *Non esse immunem a gravi culpa eum sacerdotem, qui semel probatus ad sacramentum Pœnitentiæ. deinde (postquam desiit facultatis acceptæ designatum tempus) recusat confessarii munus exercere, ne cogatur ad novum examen accedere* [2].

468. Q. 3. *An simplex sacerdos debeat sub gravi Missam celebrare?*

R. Sunt qui negant teneri simplicem sacerdotem ad celebrandum, præciso scandalo, vel alia necessitate [3]; cum nullum adsit hac de re positivum præceptum neque divinum, neque humanum. Sed s. Thomas affirmat: *Quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum juxta illud Apostoli* 1 Cor. VI: *exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* [4]. Confirmatur illis Christi verbis: *hoc facite in meam commemorationem* [5]: quæ verba Tridentinum declarat verum continere præceptum [6]. Nos huic sententiæ uti longe communiori et tutiori subscribimus; maxime cum evenire non possit, ut sacerdos negligens Missæ celebrationem in anno, non det hodie fidelibus grave scandalum, vel etiam graves suspiciones non foveat circa vitam suam.

Quoties vero in anno sacerdos simplex teneatur celebrare, Benedictus XIV ait, dari obligationem sub peccato singulis dominicis ac festis celebrandi: sed non vult definire, an sub veniali, vel mortali [7]. At Ligorius noster habet, multo probabiliorem sententiam docentem, sacerdotem *per se loquendo* non teneri sub mortali pluries, quam ter aut quater in anno, id est in solemnioribus festis celebrare. Sed nesciret a culpa levi excusare sacerdotem, qui quotidie celebrare posset (aliquo forsan die excepto ob reverentiam, vel ut melius se disponat), tamen sine justa causa (nempe tantum ob desidiam) abstineret; sacerdos enim non tantum pro se celebrat, sed etiam pro bono totius Ecclesiæ et totius populi christiani, cujus quidem et minister et intercessor est constitutus [8].

1 Matth. XXV. 2 *Notificatione* XCIV.
3 *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XCIV, circa finem.
4 3, p. q. 82, a 10. 5 Luc. XXII.
6 Sess. XXII, c. 1. — Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 313.
7 *De Sacr. Missæ*, l. VI, c. 1, n. 9.
8 « L'astenersi dal dir la Messa per umiltà è atto buono; ma non è il migliore. Gli atti di umiltà danno a Dio un onore finito; ma la Messa dà a Dio un onore infinito, poichè egli è un onore che gli vien dato da una Persona divina. » Liguori, *Selva di materie predicabili.* — V. Kempis, *De imitatione* etc. — D. Bonaventura, *De præpar. Missæ*, c. v. Attamen Missa laudabiliter omittitur primis exercitiorum diebus, ut ita sacerdotes longiori Confessione et per accuratam Rubricarum lectionem ad eam ferventius et exactius celebrandam disponantur.

Juverit duo proferre decreta S. Concilii C. [1]: 1) anno 1696 habet, mortaliter peccare et ab Episcopo posse puniri, qui saltem ter vel quater in toto anno non celebraverit; 2) latum anno 1717 dicit, Episcopum non posse obligare sacerdotem ad celebrandum omnibus dominicis et festis solemnioribus, alia ratione præclusa.

469. Q. 4. *Quænam sunt præcipuæ dotes inferiorum clericorum?*

R. Duo præcipua clerici inferiores præseferre debent, ut sacris Ordinibus digni habeantur, scientiam nempe et bonitatem:

1. *Scientiam;* ignorantia enim in ecclesiasticis non solum sibi, sed aliis etiam nocet: et huic quidem nullum remedium, ait Salesius, si tales ignorantes clerici fiant sacerdotes; nam, accepto Presbyterato difficulter cogi poterunt ad studendum. Experientia testis est. Neque doctrinam potest supplere pietas: *zelus absque scientia,* ait. d. Bernardus, *dum prodesse festinat, invenitur obesse* [2].

2. *Bonitatem;* ubi notamus, quod Episcopus non debet tantum acquiescere soli bonitati negativæ, nempe quod nihil sciat mali de clerico; sed oportet ut ejus bonitatem positivam cognoscat. Hinc Tridentinum ait eos tantum debere assumi ad sacros Ordines, *quorum probata vita senectus sit,* nempe qui sint senes in virtute [3]. Quæ bonitas sita est in frequentia Sacramentorum, in zelo Religionis, in fervore devotionis; sed maxime in cordis munditie ac castitate juxta illud Bernardi: *nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cujus castitas, ante susceptum Ordinem, fuerit approbata* [4]. Et Gregorius M.: *ne unquam ii, qui ordinati sunt, pereant, prius aspiciatur, si vita eorum continens ab annis plurimis fuit* [5] *(Q).*

Quam quidem scientiam et bonitatem, ut rite assequantur, oportet omnino, ut clerici (vel a primis unguiculis) a sæculi periculis et contagione removeantur, et in Seminaria ad mentem Tridentini recipiantur instruendi: Seminariorum necessitas talis est, *ut* (dicente Concilio Aquilejense, 1596) *stare ecclesiastica disciplina sine illorum subsidio et adminiculo vix possit.* Nil ergo mirum, si Tridentini Patres dixerint tantam esse utilitatem decreti circa Seminaria, ut labores omnes hoc unum compenset [6].

470. Q. 5. *Quomodo se gerere debet confessarius cum clerico in occultis peccatis lasciviæ habituato*[7]*, qui ad sacros Ordines aspirat, quin prius sufficiens exhibuerit emendationis experimentum?*

[1] *V.* Monacelli, p. I, t. V, fer. 9, n. 15.
[2] *De Conv. ad Cler.,* n. 38. — *V.* Liguori, *Homo Apost.,* tract. VII, n. 48.
[3] Sess. XXIII, c. 12. — V. *Specchio del Clero* ecc., p. 538.
[4] *De Conv. ad Cler.,* c. XXI. [5] Epistola XLII.
[6] *V.* Pallavicini, *Storia del Concilio di Trento,* lib. XXII, c. 8; — Pignatelli, *Consultatio* LXXXI, t. IX. — Crispinus, *Visitatio past.,* p. II: *De Seminarii visitatione.* Item plura de Seminariis vide Lib. IV, *Append.* IV.
[7] Ponimus, quod talis habitus sit occultus; si enim publicus est, clericus esset omnino repellendus ob publicum scandalum.

R. Ex communi sententia clerico in peccatis luxuriæ habituato regulariter loquendo absolutio deneganda est (licet ad Confessionem sit dispositus per cordis dolorem ac propositi firmitatem), si velit ordinari ante sufficientem probationem. Quare? quia clamat recta ratio, clamat Pontificum, Patrum et omnium peritorum auctoritas, quod clericus iste non tantum a culpa mortali debet esse immunis, sed etiam bonitatem positivam (seu habitum virtutis) habere, et non ordinariam, sed talem ut convenit tantæ vocationi; atqui talem bonitatem non habet pœnitens, qui pravo illo habitu etiam post absolutionem irretitus existit. Ergo absolutionis ejusdem prorsus est judicandus indignus, si tali sit animo comparatus, ut velit ad sacros Ordines ascendere, quin prius sufficienti probetur experimento. — Aliud profecto est magnam possidere bonitatem, aliud simpliciter esse in statu gratiæ: magna videlicet illa vitæ bonitas haberi non potest, nisi longo temporis spatio juxta illud vulgare proverbium: *nemo repente fit summus*. Adde prudentem timorem, ne is se iterum peccato commaculet; cum adeo illum habitus proclivem fecerit, cujus quidem ratio omnino habenda est in re tanti momenti, maxime cum hoc nimium probet experientia

Diximus: *regulariter loquendo;* quia potest contingere, quod talis clericus tanta compunctionis gratia a Deo donetur, ut dignus statim sacri Ordinis existimetur; nam gratia non ligatur tempore. Tempus ideo creditur signum sufficiens, quia creditur signum bonæ ac firmæ voluntatis: at Deus unico instanti voluntatem nostram libere mutare potest omnipotenti gratia sua, atque de sui abundantia supplere bonitatem, quæ clerico deest. Hoc tamen non ita facile credendum est: sed potius est præsumendum, Deum gratiam suam conferre modo ordinario; unde si quod citatur exemplum, ex d. Bernardo, *non tam exemplum dicendum est, quam miraculum.* Quare concludimus quoad praxim, quod magna semper cautela est adhibenda in istis clericis absolvendis, quorum frequenter malus exitus deploratur cum maximo Ecclesiæ detrimento. Ideoque cum ipsis potius rigorosius est agendum [1], et sane deliberandum est diu quidquid statuendum est semel. *Utinam, qui contineri non valent,* ad rem d. Bernardus, *perfectionem temerarie profiteri aut cœlibatui dare nomina vererentur: sumptuosa siquidem turris est et verbum grande, quod non omnes capere possunt. Esset autem sine dubio melius nubere, quam uri; et salvare in humili gradu fidelis populi, quam in Cleri sublimitate et deterius vivere et districtius judicari* [2].

Sed (inquies) *quanto temporis spatio extra casum extraordinarium probandi sunt clerici recidivi?*

R. Non una regula est, uti notat Benedictus XIV [3]; id quippe a multis pendet circumstantiis, a frequentia relapsus, ab inclinatione, indole, a conatibus, etc. S. Gregorius M. vult, *ut prius aspiciatur, si vita continens in annis plurimis fuerit* (nota *plurimis* [4]). S. Alphonsus generatim requirit *longi temporis, saltem plurium mensium, probationem* [5]. B. Leonardus, de rigore minime suspectus, requirit *unius anni*

[1] *V.* Liguori, Dissertatio hac de re (a Benedicto XIV commendata, *De Syn.*, l. xi, c. 2 et 3) in *Opere Morali*, l. vi, n. 63; — Rulfus, *Male assueti congruo virtutis experimento nondum probati ad Ss. Ordines et clericalem militiam inepti*, Dissertatio.

[2] De conversione ad clericos, cap. xx. — *V.* Frassinetti, *Compendio* ecc., t. i, note 59 et 150.

[3] *De Syn.*, l. xi, c. 2.

[4] Lib. iii, Ep. xxvi.

[5] *Homo Apost.*, tract. ult., n. 16.

vel duorum spatium [1]. Imo quoad illum, qui in secretas incontinentias secum ipse quandoque relabitur, sive in Seminario sive tempore feriarum, etiamsi antea non adeo inveteratam relabendi consuetudinem habuerit, sunt qui arbitrantur spatium duorum annorum perfectæ continentiæ communius nimium non esse; infausta enim experientia constat, juvenes olim habituatos, facillime iterum atque iterum prolabi, etiam post notabilia intervalla [2].

Quidquid tandem sit, clericum qui sacris proximus Ordinibus in impudicitias relabitur, non satis emendari sentio; imo de eo dubitarem, an bonus futurus sit sæcularis: quomodo igitur bonus erit clericus, sacerdos, parochus? Utinam confessarius pie severus illi aperte ac fortiter diceret: *non licet tibi.* Sed proh dolor! clerici hujusmodi quærunt et tandem nanciscuntur confessarios tantæ rei ignaros, vel loquentes sibi placentia, qui ad sacros Ordines admittunt sub spe futuræ emendationis; at nonne dixerim cum certitudine depravationis? ita est luctuosissima experientia teste *(R).*

CAPUT TERTIUM

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM [3].

ART. I. — *De natura, origine et præstantia Status religiosi.*

471. Q. 1. *Quid est Status religiosus?*

R. Status religiosus, si generatim accipiatur, non aliud indicat, quam illum vivendi modum, in quo homines voluntarie se offerunt divino cultui, se ipsos erga Deum obligando ad aliquam consiliorum observantiam. Quo sensu complectitur eos omnes fideles, qui ex aliqua tantum parte, v. g. per solum votum castitatis, Dei servitio specialiter consecrantur. Usus tamen invaluit, ut hoc nomine stricte sumpto (quasi per antonomasiam) indicetur illud *stabile vitæ institutum ab Ecclesia approbatum pro iis fidelibus utriusque sexus, qui certa sub regula, sub proprio superiore et in data communitate tendere volunt ad perfectionem christianam per tria vota perpetua, paupertatis, castitatis et obedientiæ.* Hisce porro verbis continetur Status religiosi definitio strictiori sensu.

[1] V. *Discorso mistico morale* ecc., n. 6, ubi de istis habituatis habet: « Prima di essere promosso al suddiaconato, e molto più se foste diacono, prima di ricevere il carattere Sacerdotale, provatevi un anno o due a viver casto.... Sentitemi bene: se non vi dà l'animo di viver casti, la vita ecclesiastica non è per voi; e quel collarino che portate al collo, sarà per voi un collarino di ferro infuocato per tutta l'eternità nell'inferno: pensatevi bene! »

[2] *De hoc præciso casu* hæc scribit cardinalis Gousset *(De l'Ordre,* n. 658): *Si le sujet n'est retombé qu'une fois ou deux plutôt par faiblesse que de propos délibéré, et qu'il soit vivement touché de sa faute, nous pensons que l'espace de six mois entre la dernière rechute et le sousdiaconat, peut absolument suffire. Mais, généralement, il faudrait au moins un an, s'il était retombé facilement, sans avoir fait d'efforts pour résister.*

Diximus: *de hoc præcisi casu;* si enim agitur de eo, qui inveteratam habuit consuetudinem relabendi, et maxime si cum aliis peccata luxuriæ consummavit, vel omnino eum a ministerio excludit, vel non admittit nisi post longissimam probationem.

[3] *V.* Rotarius, *Theol. Moralis Regularium;* — Donato, *Rerum regularium Praxis resolutoria;* — Liguori, *De Statu religioso,* in *Op. Mor.,* l. IV, nn. 1 et seqq. — Suarez, *De Statu religioso* etc. — Nardi, *Elementi di Diritto ecclesiastico;* — Bouix, *De Jure regularium:* — Ferraris; V. *Monachus, Monialis;* — Billuart, Gury, etc.

Dicitur: 1. *Stabile vitæ institutum*, ut indicetur illa animi constantia quæ iis necessaria est, qui vivere volunt in statu perfectionis.

2. *Ab Ecclesia approbatum;* Status enim religiosus est sacra quædam communitas, in qua debet esse jurisdictio spiritualis: hanc porro sola Ecclesia tribuit.

3. *Pro fidelibus utriusque sexus;* nam tam ipsos viros, quam ipsas fœminas complectitur.

4. *Certa sub regula, sub proprio superiore et in data communitate;* secus non haberetur status ille specialis qui a se existit, spectato videlicet Jure ecclesiastico hodierno. At de sui natura Status religiosus non necessario requirit vitam communem; cum essentia hujus status in hoc consistat, ut observentur Consilia evangelica, voto firmata perpetuo, quod sit a potestatem habente, Dei nomine, acceptatum; prout tuentur cum Suarez.

5. *Tendere volunt ad perfectionem christianam per tria vota perpetua;* quibus verbis et finis et medium et tempus indicatur, quo fideles utuntur in illo statu.

Ex quibus colligitur tria hæc ad Statum religiosum requiri: — *a)* Vota *prædicta* ac *perpetua;* nec refert si sint simplicia, quia adhuc homo per illa potest se Deo perpetuo mancipare. Hinc Gregorius XIII Bulla *Ascendente* declaravit veros esse religiosos in Societate Jesu etiam illos, qui hæc vota solum emittunt; — *b) Ecclesiæ approbationem;* unde qui vovent tantum coram confessario vel Episcopo, stricto sensu non erunt religiosi; — *c) traditionem suo superiori factam, qui eam acceptaverit;* sic enim habetur perfectus contractus. Deus utique per se acceptat vota quæ in simplici promissione consistunt. At rei promissæ traditionem quæ externe patefit, non acceptat, nisi per alios; nam Deus de ordinaria providentia non suscipit curam de aliquo immediate per se ipsum, sed utitur opera ministrorum.

472. Q. 2. *Quænam origo Status religiosi?*

R. Cum distinctione: vel Status religiosus accipitur generatim pro quocumque vivendi modo, quo homines Dei specialiter se offerunt obsequio; vel stricte pro vero cœtu ac stabili instituto peculiari.

Si 1, sententia est omnium catholicorum, uti ait Suarez, illum fuisse ab ipso Christo immediate traditum; patet enim ipsum non semel ad tria illa vota exhortatum esse apud Mattheum: *vade, vende quæ habes*, en votum paupertatis; *sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum cœlorum*, en votum castitatis; *si quis vult post me venire abneget semetipsum et sequatur me*, en votum obedientiæ. Unde sub hoc respectu status ille est a divino Jure (non quidem præcipiente, sed consulente); et ab ipsa Apostolorum ætate viguisse tradunt eruditi. — Si 2, varias quasi illius ætates nobis pandit historia: primo videmus *ascetas* sic dictos a græca voce *asceô*, quæ indicat *exercitationem*, quia durioribus regulis exercebantur: quos quidem vel ab ipsa primæva ætate extitisse demonstrant moderni Bollandistæ, uti refert Bouix.

Ab istis monachorum origo deducta est; ipsis enim fideles non pauci adhærendo, a civium societate se subducere cœperunt, et vitam agere solitariam sub certa regula ac superiore in cœlestibus occupati, quibus porro *anachoretarum*, *hæremitarum*, *monachorum* et *cœnobitarum* nomina adhæserunt [1]: fuerunt præcipui auctores, Paulus, Pachomius, Macarius, Antonius, Hilarion, etc., in Syria præsertim ac Palæstina,

[1] Anachoreta est a græco *anachoreô*, separari; hæremita a græco *hêremos*, solitudo; monachus a *monos* solus, et *echô* habere, quasi solus vitam habeat; cœnobita vero a *coinos*, commune, atque a *bios* vita.

quos omnes jampridem Ecclesia venerata est. — S. Basilius Monachorum institutum a mera contemplatione ad ministeria spiritualia fidelibus impendenda traduxit. S. Atanasius ab Oriente in Occidentem id invexit sæculo IV: et ita in totam Italiam, ceterasque nationes permeavit: sicque pedetentim venere *benedictini* a s. Benedicto, *dominicani* a s. Dominico, *franciscani* a s. Francisco, etc.

Demum temporum decursu factum est ut religiosi, qui prius extra urbes et oppida morabantur, in ipsa loca frequentiora inducerentur, quod quidem ob fidelium bonum tradit evenisse Doctor seraphicus [1]: *Sedes Apostolica*, ait, *vocavit nos in adjutorium tam Cleri quam populi, ut per officium Prædicationis et Confessionis subveniamus animabus, et onus pastorum sublevando alleviemus.*

Origo monialium cum ipso religiosorum ortu conjuncta est [2]. Et constat ex primis Ecclesiæ sæculis fuisse virgines, quæ se Deo consecrabant per consiliorum executionem, quæque *sanctimoniales* antonomastice dici cœperunt.

473. Quæres: *quæ approbatio requiritur, ut Religiones legitime et canonice in Ecclesia instituantur?*

R. 1. Ex decreto Concilii generalis Lateranensis IV sub Innocentio III anno 1215, confirmato a Concilio generali Lugdunensi sub Gregorio X anno 1273 et Decretali *Sancta romana (Extrav.* Joannis XXII t. VII *de relig. domibus)* sub nullitate prohibetur novam Religionem introducere sine auctoritate Pontificis, aut non approbatam ingredi; sed qui ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. Quæ lex data pro toto orbe respicit omnes Religiones et Ordines sive mendicantium sive non, sive virorum sive mulierum, sive vota habeant solemnia sive tantum simplicia; imo et Congregationes, quæ etsi vota illa substantialia non habeant, aliquid tamen de religioso statu imitantur, v. g. in communi et sub regula vivendo, vota ad tempus emittendo, etc. [3]. Ideo etsi olim de sola Episcopi licentia novæ Religiones inchoarentur, post Lateranense uni Pontifici id reservatum fuit; quod si hodie passim videmus per Episcopos novas induci Congregationes maxime mulierum cum votis simplicibus et sine clausura (quod speciatim prohibuit etiam Pius V Constit. *Circa pastoralis* 1566), illæ ut ab Ecclesia toleratæ, non autem approbatæ censeri debent; imo etsi eos Ecclesia plurimi faciat, ipsis faveat, attamen quousque a S. Sede probationem expressam non obtineant, non habentur uti canonice erectæ. Hinc Congregatio Episcoporum et Regularium ad cognoscendum de hisce novis institutis deputatur ab Apostolica Sede [4].

R. 2. Ut autem aliæ domus Religionis jam approbatæ erigantur ac multiplicentur, præcipitur: 1) ut si agatur de viris religiosis, ii sint

[1] D. Bonaventura, In Opusculis. Unusquisque autem Ordo locum suum elegit juxta propriæ vocationis indolem:

Bernardus colles, valles Benedictus amabat,
Oppida Franciscus, magnas Ignatius urbes.

Religiosi proprium Ordinem opere teneant; ceteros charitate: *quid ad vos de aliis servis?* ait d. Bernardus contra derogantes aliis Ordinibus (ad Guill. Abbat.) *suo domino stant aut cadunt: quis vos constituit judices super eos?.... qui in Regula gloriamini, cur contra Regulam detrahitis.*

[2] *V.* Scotti, *Teoremi*, p. II: *Riflessioni in favore delle monache;* — Bergier, *Dizionario;* V. *Religiosa;* — Benedictus XIV, *Notificatione* XXIX, ubi de origine monialium ac puellarum educatione in monasteriis; — Tridentinum, sess. XXV *de Regular.*, c. 1.

[3] *V.* Bouix, *De Jure regularium*, pars II; — Suarez, *De Religione.*

[4] *V.* Benedictus XIV, Const. *Quamvis* 1749, et *Notificatione* CV; — Opusc. *Methodus quæ a S. Congregatione C. Episcoporum et Regular. servatur in approbandis novis Institutis votorum simplicium;* Romæ, 1862; — *Analecta Juris Pontificii*, t. V: *Traite des Congrégations séculières*, ubi plura.

saltem numero duodecim ex S. C. Congregatione, ad regularis disciplinæ observantiam (quod Ferraris intelligit etiam de monialibus, sed alii negant). Si vero agatur de ipsis monialibus, Tridentinum vult ut earum monasterium, quoad potest, intra urbes vel oppido frequentia fundetur; et ipsæ habeant, unde sustentari commode possint; 2) ne monasteria seu domus tam virorum quam mulierum erigantur sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta: ita Tridentinum [1]. Utrum vero requiratur etiam de necessitate Romani Pontificis auctoritas, nulli dubium esse potest illam requiri si agatur de regularibus mendicantium vel non mendicantium, congregationis, societatis, et cujusvis alterius instituti in Italia et insulis adjacentibus ex Constit. *Instaurandæ* Innocentii X anno 1654. An autem Pontificis auctoritas requiratur item extra Italiam, hinc inde disputant Canonistæ; imo sunt qui tuentur in hisce dispositionibus non comprehendi jam approbatas moniales, quarum domus erigi posse contendunt sive intra sive extra Italiam sola Episcopi loci facultate. — Verum ex hodierna S. Sedis praxi notum est, ut nullum, absque beneplacito Apostolico, monasterium sive virorum sive mulierum erigatur; et ideo recte concludendum cum Pignatellio standum esse stylo Romanæ Curiæ quæ licentiam S. Sedis et Ordinarii copulatim requirit; stylus enim Curiæ Romanæ normam ac legem constituit. Idque aperte tuetur Benedictus XIV probans etiam tribus Rotæ decisionibus; qui solum excipit, si res sit de aliquo simplici hospitio quod pro regularium iter habentium commodo ædificari vellet, pro quo Episcopi localis licentia sufficit [2].

474. Parochus non potest impedire erectionem publici Oratorii, neque obstare si regulares conventum intra suæ Parœciæ fines constituant, modo jura parochialia salventur, ut passim et fuse docent apud Bouix, et constat ex Jure canonico [3]. Sed quænam sunt *jura parochialia* non præjudicanda? Certe non omnia præjudicia sunt attendenda; secus nulla Ecclesia, nullus conventus aperiri possit, cum inde et oblationes et concursus et Missæ Parocho certo minuantur; sed sunt intelligenda ea tantum, ad quæ Parochus jus habet strictum. Sunt præcipue: 1) ut parochiani recipiant Sacramenta a Parocho: quod hodie reducitur ad Eucaristiam in paschate et in morte, ad Extremam Unctionem et Matrimonium (addunt et Baptismum); 2) ut fideles sepeliantur in sua Parochia, nisi habeant alibi jus sepulturæ; 3) ut Ecclesiæ parochiali solvantur decimæ et oblationes juxta consuetudinem. Ita Abbas, Girardi et Ferraris. Quæ omnia si præ oculis habeantur plures solvuntur difficultates inter Parochos et monasteriorum Directores circa functiones in Ecclesiis religiosorum et monialium.

475. Q. 3. *Quænam est Status religiosi præstantia et utilitas?*

R. Quanta sit, ab ipso fine patet Status religiosi: *Monasteria*, ad rem ait Stapf *(Theol.* §§ 554 et 555), *non tantum hominibus, qui se ad sublimiora vocatos sentiunt, certum perfugium præbent...; sed etiam mundo viva identidem vitæ sanctioris exempla proponunt, atque suis tum precibus tum sacris functionibus publicæ saluti insignem plane operam navant. Ne quid de illis dicam, quorum præcipuus labor est erudire juventutem, assistere infirmis, aliisque tum spiritualibus tum corporalibus operibus misericordiæ insudare. Ipsi adversarii negare nequeunt,*

1 Sess. XXV *de Regularibus*, c. 3 et 5. — *V.* Ferraris; V. *Conventus.*
2 V. Benedictus XIV, *De Synodo*, l. IX, c. 5. — Vecchiotti, *Institutiones canonicæ*, l. III, c. 5, §§ 64, 65; — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum;* — Pignatellius, *Consultationes*, t. I, cons. 199.
3 C. *Intelleximus*, t. XXXII *de novi op.* — Bouix, *De Regularibus*, p. I.

quam præclare monachi... de posteritate meruerint, utpote quorum indefessis conatibus, non tantum christianam Religionem, sacras æque ac profanas scientias, artes liberales, sed ipsam quoque terræ fertilitatem debemus, ut adeo ipso opere comprobaverint quod Apostolus inquit: pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est et futuræ (1 Tim. IV). *Est ergo pessima eorum illatio, qui dum unum alterumve monachum degenerem vident, totum mox collegium, vel omnino universum regularium statum contemnendum ducunt* [1].

Probrosum sane, ut catholici nonnulli a protestante Leibnitio veritatem ediscant; ait enim: *fateor mihi semper religiosos Ordines qui in sola catholica Ecclesia reperiuntur, mire probatos fuisse.* Hinc nil mirum, si contra nefanda pseudo-philosophorum et politicorum improperia, quibus in religiosos debaccati sunt, innumeri apologiam invincibiliter texerint ac plurimi faciant *lectissimas illas* (ut eos vocat Pius Papa IX Encyclica 17 junii 1847) *auxiliares Christi militum turmas, quæ maximo tum christianæ, tum civili reipublicæ usui, ornamento atque præsidio semper fuerunt.* Vide item ejusdem Encyclica 8 dec. 1864; et Bulla Pii VI *Auctorem fidei*, propositionibus 81, 82, 83, 84 [2].

476. Q. 4. *Quid de eo, qui alium abstrahit a Statu religioso?*

R. Distinctione opus est: vel quis alium a Statu religioso abstrahit vi, fraude et dolo; vel dumtaxat precibus ac consiliis.

Si 1, peccat graviter contra justitiam: *a)* in seductum, quia illum injuste privat magno bono; ideo sub gravi tenebitur et ex justitia vim, fraudem et dolum tollere, et in pristinam libertatem illum reponere (qui si postea renuat, ipsi imputandum); *b)* in Religionem, et quidem non solum si sermo sit de professo (cum tunc jus jam aquisiisset Religio), sed probabilius etiamsi agatur de simplici novitio. Nam quisque jus habet, ne vi aut dolo impediatur a consecutione boni; ideoque impediens etiam Religioni damnum resarcire debet juxta æstimationem commodi, quod inde Religio percepisset, v. g. quia ille religiosus plura acquisiisset monasterio ob suam peritiam, vel ob bona quæ erat allaturus, deductis tamen expensis et aliis deducendis [3].

Si 2, qui id facit absque causa, quamvis non sit obstrictus onere restitutionis, quia tunc alter volens Religioni renuntiat; attamen peccat mortaliter, cum charitas id prohibeat. Imo Tridentinum eos excommunicationi subjicit, *qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquomodo sine justa causa impedierint* [4] (censura non est reservata). Qui vero id agit cum causa nedum peccat, imo rem laudabilem facit.

[1] Summus Pontifex singulis Ordinibus Cardinalem protectorem assignat, ut iis videlicet præsidio sit: videnda constitutio *Christi fidelium* Innocentii XII, 7 febr. 1694. Et Paulus IV Const. *Ex clementi*, julii 1555, concessit Fratribus minoribus facultatem eligendi syndacos seu œconomos qui bona ipsis data colligerent; *et nomine romanæ Ecclesiæ (ad quam verum omnium mobilium et immobilium quibus fratres uti possunt, jus, proprietas et dominium spectat) reciperent, per eosdem in fratrum ipsorum utilitates convertenda.* — *V.* Carrière, *De Justitia et Jure*, p. 1, § 2. — Ferraris; V. *Syndacus, Conservatores.*

[2] V. *Lettres de Scheffmacher Docteur Allemand à un gentilhomme et à un magistrat protestant, augmentées de plus savantes dissertations sur toutes les utiles controverses* par A.-B. Caillan chanoine du Mans et de Caors. — *V.* etiam *Annali religiosi di Roma*, t. XV, fasc. 44; — *Memorie di Religione*. Modena, vol. I, III, V, XI, ecc.

[3] Non tamen ad damnum compensandum tenetur se vel alium adducere ad Religionem; hac enim in re est attendenda ratio vocationis, non compensationis. Adde id non haberi uti medium ordinatum ad restitutionem. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 335 et 662.

[4] Sess. XXV, c. 18 *de Regular.* — Quoad eos qui impediunt viros, vide Bulla Julii II *Inter ceteros*, 1512; Leonis X *Etsi*, 1513; et Clementis VII *Exponi nobis*, 1524; itemque *Religionis zelus.*

Erit justa causa; 1) si illius parentes graviter indigeant: ipsa enim natura impellit ad eis subveniendum; 2) si matrimonii promissione obligetur et defloratio contigerit: tunc ipsa persona remanet obstricta; 3) si Religio ad quam aspirat, parum sit Romanæ Sedi addicta, ejus mandata, monita ac sensus non curans aut enervans; si in ea disciplina recta non vigeat, in qua foveantur amor sæculi, externorum appetitus, vel mundanæ gloriæ cupiditas, provocationis ac invidiarum scaturigo; 4) si optimum sit institutum, sed non habeat aptas vires ad illud aspirans; 5) si tales habeat vitæ mores, ut Religioni detrimento potius, quam utilitati futurus esse rationabiliter prævideatur. Item dicatur, si adductus credebatur aptus, sed talis non sit; nam præsumptio cedit veritati: unde in hoc casu retrahens licet peccaverit ex malo affectu; non tamen teneretur ad restitutionem.

177. Q. 5. *Quid de iis, qui alios ad Religionem inducunt?*

R. Cum Angelico Doctore: *Inducentes alios ad Religionem non solum non peccant, sed magnum præmium merentur...; Danielis* XXII *dicitur, quod* qui ad justitiam erudiunt plurimos, erunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Posset tamen contingere circa hujusmodi inductionem triplex inordinatio. — Primo quidem, si violenter aliquis alium ad Religionem cogeret: quod prohibetur in* Decret. XX, *q.* 5 *(cap.* Præsens). *— Secundo, si aliquis simoniace alium ad Religionem trahat, muneribus datis, ut prohibetur in* Decr. *ibidem, q.* 2 *(cap.* Quam pios). *Nec tamen ad hoc pertinet, si aliquis alicui pauperi necessaria subministret in sæculo nutriens eum ad Religionem; vel si sine pacto aliqua munuscula tribuat ad familiaritatem captandam. — Tertio, si mendaciis eum alliciat; imminet enim sic inducto periculum, ne cum se deceptum invenerit, retrocedat; et sic fiant* novissima illius hominis pejora prioribus, *ut dicitur Lucæ,* XI, 26 [1].

ART. II. — *De vocatione et novitiatu.*

178. Q. 1. *An detur ad Statum religiosum specialis vocatio?*

R. *Per vocationem intelligo affectum illum et quendam veluti impulsum internum, quo quis sentit se invitari ad Religionem, vel ad aliquem alium Statum* [2]. Certum est hanc specialem vocationem, seu internum impulsum dari quoad Statum religiosum. Sane constat omnia in ordine naturali a Deo gubernari modo singulis entibus proprio; ergo a fortiori in ordine supernaturali. Imo Sancti censent, vocationem istam ordinarie esse a Deo: *Religionis propositum* (ait Seraphicus) *nec carne nec sanguine suggeritur, sed ab illo inspiratur, de quo dicit Joannes: non potest homo accipere quidpiam, nisi datum fuerit ei de Cœlo.*

Quia tamen hæc specialis inclinatio seu impulsus constans et rectus potest aliquando perturbari a dæmone, vel naturæ repugnantia, aliisque similibus; ideo nonnulla indicantur signa ordinaria ad illam dignoscendam. *Primum* consistit in fine: *primum signum* (ait s. Bernardinus Senensis) *est voluntas bona* [3]. *Secundum* in aptitudine seu idonei-

[1] 1, 2, q. 189, a. 2. — Liguori, *Opus. Mor.*, l. III, n. 662.

[2] Lessius, *De Statu vitæ rel.*, n. 56. — *V.* Bouix, Suarez, etc.

[3] Finis hujusmodi duplex: unus generalis, qui est fuga a mundi illecebris, desiderium sanctitatis. Alter particularis, idest proportionatus religioso Ordini qui eligitur. Ordines videlicet distinguuntur in *activis, contemplativis* ac *mixtis:* in primis eminet charitas ac studium in proximos; in secundis amor solitudinis; in aliis complexus utriusque. In omnibus tamen semper est amor Dei.

Iniquum Tamburinistarum systema quoad instituta Religiosa fuit damnatum Bulla *Auctorem Fidei,* sub nn. 80 et seqq. — It. V. *Syllabus* Pii IX, prop. 52 et 53.

tate ad Statum religiosum in genere; et in particulari ad talem observantiam tali Ordine propriam: quæ aptitudo sita est in indole recta, in animo obedientiæ jugo submisso, in scientia relative sufficienti, et in carentia defectuum tum corporis, tum animi, qui instituto eligendo repugnent. Adde mentis jucunditatem ex consideratione Religionis, propositum cavendi a circumstantiis peccatorum, Sacramentorum frequentia, etc.; quæ sunt veluti præludia illius status.

Imo et occasio mala potest esse, aliquo sensu, vocationis inductivum ut dehonoratio, egestas quæsita, etc.; Deus enim scit ex malis bona facere. Ita plurium Sanctorum vocationem contigisse legimus: *Sæpe evenit*, ait Macarius [1], *ut Deus tribulationibus hominem exagitet, ita ut qui omnia sibi infeliciter procedere videt, ita secum ratiocinari incipiat: quandoquidem in mundo consequi non possum quæ volebam, ecce mundum relinquo et ad Deum accedo.*

Dices: *Consilia evangelica sunt ad omnes, omnes siquidem ad illa invitat Christus hisce verbis:* si vis perfectus esse, etc.; *ergo non est admittenda specialis vocatio ad Religionem quæ illis consiliis conflatur.*

R. Angelicus: *Consilia quantum de se est sunt omnibus expedientia: sed ex dispositione aliquorum contingit, quod alicui expedientia non sunt, quia eorum affectus ad hæc non inclinatur; et ideo Dominus Consilia evangelica proponens semper facit mentionem de idoneitate hominum ad observantiam consiliorum* [2]. Quod facit Dominus, facit etiam Apostolus, qui præmisso consilio virginitatis dicit: *porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam* [3]. Itaque religiosa vocatio non perficitur invitatione generali quæ ad omnes fit; sed requiritur gratia specialis, qua consilia intelligantur meliora sibi, et ut a se amplectenda amantur. Non enim omnes et singuli de facto ad Statum religiosum idonei sunt, vel quia non sentiunt veram et seriam voluntatem omnia relinquendi, ut soli Deo adhæreant; vel quia impediuntur aut obligatione contraria, sic filius ligatur egestate patris; aut impotentia phisica, ut ést defectus sanitatis, dotis, etc.; aut impotentia morali, quæ resultat ex indole, temperamento, etc.

479. *Quid* (quæres) *si vocatio dubia sit?*

R. Si dubium sit grave, est diutius examinandum, ferventius orandum, ac donec majus lumen effulgeat et prudens consilium accedat, expectandum; nemo enim ad statum superiorem temere ascendere debet. Diximus: *si dubium sit grave;* secus despiciendum est, ut docet Angelicus [4]. Ceterum caute agendum a directore, ne aliquem facile inducat ad Religionem, si gravia indicia non perspiciat; timendum enim est periculum inconstantiæ in eo qui attrahitur nonnisi vividis cohortationibus et blanditiis: hoc maxime evenire solet quoad puellas.

480. Q. 2. *Quid de ingressu in Religionem?*

R. Religionem ingredi alii prohibentur, alii tenentur. *Prohibentur* indigni, non vocati, qui non sunt sui juris, ut conjuges matrimonio consummato, servi domini, mancipia [5]. *Tenentur* vocati, secus frustra daretur vocatio; item qui Religionem voverunt, ut promissa impleant.

An (quæres) *peccet vocatus ad Religionem, si vocationem negligit?* Distinguo: vel iste persuasum habet fore ut si contemnat vocationem, de qua est moraliter certus, damnationem incurrat tam ob cognitam fragilitatem, quam ob carentiam mediorum peculiarium. Vel

[1] Hom. xxxii. — De vocatione dignoscenda plura ad *Append.* Lib. iv.
[2] 1, 2, q. 108, a. 4 ad 1. — Liguori, *Opuscoli relativi allo Stato religioso.*
[3] 1, Corinth. vii. [4] 2, 2, q. ult., a. 33.
[5] *V.* quoad Parochos et Episcopos, c. ii, a. 2. — Quod filios, *disp. seq.*, c. 2, §§ 1 et 2.

credit se æque ferme posse in sæculo salutem assequi. Si 1, non poterit a mortali excusari; cum scienter salutem suam in tantum periculum conjiciat et rebellem se faciat divini luminis. Si 2, dicimus eo in casu vocationem negligere non esse per se peccatum, cum consilia non obligent ad culpam; etsi ratione periculi æternæ salutis, cui ille se exponit negligendo divinum beneplacitum, videatur non posse excusari ab omni culpa. Quod autem ejus discrimini se committat, non videtur nobis dubitandum; quia in sæculo non habebit illa peculiaria auxilia, quæ in Religione præparaverat illi Deus. Verum non audemus absolutum proferre judicium quoad peccati gravitatem; nam consilia negligere, per se non est præceptum transgredi, ut illico id de culpa possit incusari [1].

481. Q. 3 *An debitis gravatus possit Religionem ingredi?*

R. Quoad praxim, ait Patuzzi, omnium fere religiosorum Ordinum lex est, ut nullus ad habitum recipiatur, qui sit obnoxius rationi reddendæ vel ære alieno obstrictus; idque merito ad evitanda plura incommoda. Excipiunt, cum Suarez, si debita sint incerta quoad personam, ita ut restitutio fieri debeat pauperibus; nam tunc ex domini voluntate præsumpta, res æquivalenter obtinet, si ea remittantur, ut quis possit Religionem ingredi, cum semper dentur ad pias causas: nihil sane adeo pium, quam se suaque omnia Deo perpetuo dicare [2]. Quod communiter adhuc concedunt, saltem pro foro interno, si debita sint ex contractu pure liberali; quia in hoc semper subintelligitur conditio; *nisi meliorem statum elegero.*

Si agatur de debitis ex contractu oneroso, et res resolvatur ex Theologorum principiis, utrum debitis gravatus possit Religionem ingredi, tres habemus sententias. *Prima* absolute negat cum Valentia, Alasia et aliis, debitorem Religionem ingredi posse: quia est contra naturale præceptum justitiæ lucrum spirituale quærere cum damno creditoris, ac consilium curare et sic præceptum negligere. *Secunda* absolute affirmat, licet solutio fuerit juramento promissa, uti ait s. Antoninus. Hanc ipse Angelicus docet, qui habet: *persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ; unde licite potest, exhibitis rebus suis, Religionem intrare: nec tenetur in sæculo remanere, ut procuret unde debitum reddat* [3]. *Tertia* sententia probabilior cum Patuzzi, Sanchez, Salmanticensibus, Navarro, Azorio, etc., affirmat posse debitorem ingredi, casu quo aliunde diu debeat in sæculo manere; nam tunc solutio haberetur moraliter impossibilis. Neque quis etiam in contractu oneroso censetur se cum onere tam exorbitanti velle obligare, ut debeat negligere statum suum; habentur enim circumstantiæ nimium immutatæ. Si vero possit brevi debita solvere, puta intra biennium vel triennium, tunc vel brevi illo temporis spatio nullum eidem imminet probabile periculum incidendi in peccata mortalia aut suam amittendi vocationem; vel imminet aliquod periculum. Si 1, debet per id tempus in sæculo manere et debitis satisfacere; cum in hoc casu solutio ipsi evadat facilis. Si 2, potest cito petere Religionem ad animæ detrimentum evitandam quod cuilibet rei semper est præferendum; neque tunc creditor potest esse rationabiliter invitus. Hæc quod Jus naturale.

Ceterum ad omnes abusus præcavendos, sciendum est, Sixtum V, Bulla *Cum de omnibus* 1587, declarasse ad Religionem non esse idoneos

1 *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIII, n. 26; — Bosco, *Valentini o la Vocazione impedita; episodio contemporaneo.* Torino, 1866.
2 *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIII, n. 27; — Carrière, *De Just. et Jure*, n. 1293.
3 2, 2, q. 189, a. 6. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 71.

debitores illos, qui bona sua dilapidaverint, vel qui deponere debeant rationes, antequam debita solverint aut rationes ipsas reddiderint. Clemens vero VIII, Const. *Suprema* 1600, sustulit quidem inhabilitatem illam, sed reliquit prohibitionem. Id tamen intelligendum:

1) De iis qui in sæculo manentes possunt creditoribus satisfacere: secus inutiliter morarentur; 2) de iis qui magnis debitis sunt gravati, ex propria culpa; quia Bulla loquitur *de ingenti ære gravatis, qui dilapidaverint bona sua;* 3) ad moniales non est Bulla extendenda, neque ad gravatos debitis incertis; siquidem in odiosis stricta interpretatio semper est adhibenda, ac testantur alio Decreto ita declarasse Sixtum V; 4) præceptum intelligendum est de reddendis rationibus valde litigiosis, intricatis, fraudulentis et causam litibus præstituris; nam de his tantum Pontifex loquitur.

182. Q. 4. *Ad quid tenetur qui Religionem vovit?*

R. Tripliciter potest quis Religionem vovere: vel in genere, id est aliquam Religionem; vel in specie, v. g. Religionem Prædicatorum; vel in individuo, v. g. tale Monasterium in particulari:

1. Qui vovit Religionem *in genere*, tenetur diligenter aliquam inquirere, in qua vigeat disciplina, ut *vota sua Domino reddat* [1]. Quod si inventa, ab ea rejiciatur, probabilius aliam inquirere debet mediocrem adhibendo diligentiam, si spem habeat quod recipiatur; quia votum est generale de aliqua Religione ex approbatis assumenda.

2. Qui vovit Religionem *in specie*, aliquam illius Ordinis tenetur ingredi: et ubi ab una repellatur, alias domus tentare debet, quandiu spes aliqua effulgeat, et agatur (uti communiter dicunt) de monasterio sito in propria natione vel provincia [2]; tunc enim non est exorbitans et extraordinarium illuc petere. Porro qui aliquid promisit, tenetur mediis ordinariis curare promissum.

3. Qui eam vovit *in individuo*, ita determinando locum, ut alium non intendat, si in domum præfixam non posset admitti, liber esset; quia sub hac tantum conditione se ligavit.

183. Q. 5. *An vovens Religionem peccet graviter, si ingressus dein egrediatur?*

R. Affirmative, si non habeat gravem causam (quod probabilius valet, licet animum profitendi non habuerit): nam votum Religionis non tam respicit ingressum, quam professionem; hæc enim est illius complementum. Si vero a Religione ejiciatur uti ineptus, v. g. ob inscitiam, infirmitatem, si adhibuerit sufficientem diligentiam, ut se redderet habilem, eum probabilius liberant ab omni obligatione (sed mediocrem diligentiam adhibere debet in alia Religione inquirenda); eo enim in casu fit votum impossibile.

184. Q. 6. *Quid de probatione ante professionem?*

R. Audiatur Tridentinum: *In quacumque Religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur; professio autem ante facta sit nulla, nullamque inducat obligationem* [3]. Hæc autem probatio *novitiatus* nomine appellatur, qui incipere solet ab eo puncto, quo quis in statu novitiorum admittitur ad probationem in aliquo conventu il-

1 Ps. CXV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 73.

2 Si agatur de fœmina sic vovente, docent ipsi esse extraordinarium, quod debeat quærere monasterium extra patriam longe a suis: ita Palaus, Salmanticenses, Garcias. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 72.

3 Sess. XXV, c. 15. — *V.* Liguori, *Op Mor.*, l. IV, n. 4; — Ferraris; V. *Annus probationis, Novitiatus, Novitius, Novitia, Restitutio in integrum, Regularis professio.*

lius Ordinis, in quo professio emittenda est; tunc enim celebratur quidem veluti contractus inter futurum religiosum et ipsam Religionem, per quem videlicet mutuo conveniunt de sumendo experimento de se invicem.

Hæc quoad viros: quoad mulieres vero ex declaratione S. C. statutum est, ut ipsum religiosum habitum non suscipiant ante annos duodecim. Insuper tenetur Episcopus vel per se vel per alium ex Tridentino et ante susceptionem habitus et ante professionem, virginis voluntatem diligenter examinare ad crates, an scilicet *coacta*, an *seducta* sit, an *sciat quid agat:* quod valet etiam quoad moniales exemptas. Et præstat, ut dictum examen fiat etiam de ingredientibus congregationes quæ simplicia vota tantum emittunt: quod tamen non præcipitur sub nullitate professionis; etsi sub gravi fieri debeat, attamen solummodo circa res supra præscriptas a Tridentino *(S)*.

Q. 7. *Qualis esse debet annus probationis?*

R. Uti certa tenenda est sententia, quæ requirit annum integrum ac continuum. Licet enim Tridentinum has particulas non posuerit in suo decreto, putandum est tamen fuisse locutum juxta jura antiqua; atqui jura antiqua loquuntur de anno integro atque continuo. Unde si horæ quadrans, v. g. deesset, professio esset nulla; nec demendus est dies a bixestili anno, quia ex jure tunc *biduum pro uno die habetur* [1].

Hic notamus duas propositiones a Pio IX damnatas in *Syllabo;* sub n. 52: *Gubernium potest suo jure immutare ætatem ab Ecclesia præscriptam pro religiosa tam mulierum, quam virorum professione omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.* — Sub n. 53: *Abrogandæ sunt leges quæ ad religiosarum familiarum statum tutandum earumque jura et officia pertinent, imo potest civile gubernium iis omnibus auxilium præstare qui a suscepto religiosæ vitæ instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et Beneficia simplicia etiam juris-patronatus penitus extinguere, illorumque dona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.*

Art. III. — *De professione religiosa et ejus effectibus.*

485. Q. 1. *Quid est professio religiosa?*

R. Novitiatum rite completum sequitur professio, quæ definiri potest: *promissio libere facta et legitime acceptata, qua quis in debita ætate constitutus, tempore probationis expleto, sese perpetuo adstringit certæ Religioni Ecclesia probatæ cum solemni votorum emissione.*

Conditiones præcipuæ ad valorem professionis ex Tridentino et Jure canonico sunt: 1) *aptitudo voventis;* nempe *ut* sit baptizatus: nam cum Religio sit Ecclesiæ pars, nemo ei potest incorporari, si non sit istius membrum; *ut* non sit alterius juris; *ut* compleverit annum 16, et per annum integrum cum habitu religioso in probatione fuerit; *ut* nullo impedimento ligetur, quod Ordini substantialiter opponatur; *ut* verum habeat profitendi animum; 2) *libertas;* nemo enim invitus perpetuis et gravibus obligationibus obstringendus; 3) *consensus;* id est acceptatio expressa vel tacita superioris Ordinis juxta statuta; ita enim habetur utrinque firmatus contractus.

1 L. *Cum bissextum* de verb. significat. — *V.* Bouix, *De Jure Regular.*, p. 4ª. Si nulla ab initio, non validatur per se tractu temporis, cum laboret vitio primitus.

Professus potest reclamare de nullitate suæ professionis, sed intra quinquennium: quo elapso, non auditur, nisi a Sede Apostolica restituatur *in integrum* [1]. Oportet autem ut reclamans intra claustra degat, et si habitum dimisit, illum reasumat [2].

186. Q. 2. *Quinam sunt religiosæ professionis effectus?*

R. Effectus hujusmodi plures sunt: alii *gratiosi*, alii *onerosi*. Inter gratiosos adnumeratur: 1) remissio peccatorum quoad pœnam, si professus sit in gratia; nam hic est actus se totum divinis obsequiis mancipandi, qui excedit omne genus satisfactionis [3]; 2) extinctio votorum ante emissorum, veluti per quandam commutationem in melius [4]. Imo, attenta Decretali Bonifacii VIII *Qui post votum*, qui vovit ingredi Religionem strictiorem et profitetur in laxiori, peccat; sed liber remanet ab illo voto. Privilegium illud competit etiam Congregationibus ubi non emittuntur vota solemnia, si verus sit Status religiosus; quod si congregatio Status religiosi essentiam non habeat, in ea profitens non solvitur, nisi a votis simplicibus, quæ sint incompossibilia cum novo statu; 3) cessatio irregularitatis ex defectu natalium; 4) solutio sponsalium, imo etiam matrimonii, sed rati tantummodo; 5) exemptionis privilegium [5].

Inter onerosos autem effectus præcipuus est obligatio tendendi ad perfectionem per media a Religione ipsa ordinata.

187. Q. 3. *An Officii recitandi obligatio in religiosis oriatur ex professione, quam emittunt?*

R. Nulla est obligatio vi professionis, sunt enim varii Ordines quarum professi ad Horas non tenentur; attamen communis sententia est (adeo ut temerarium sit aliter asserere) omnes religiosos professos choro addictos, quamvis nondum in Sacris, item moniales extra Galliam professas, teneri quotidie sub gravi, ad divinum Officium saltem private recitandum. Talis est consuetudo obligans sub gravi, quam quidem ipse Gregorius IX agnovit præcipiens monachis, ut etiam *itinerantes Horas dicant in via.*

Diximus: *religiosos professos choro addictos;* neque enim tenentur novitii, cum nondum regulam sint professi: neque conversi etsi professi, qui ordinati sunt ad corporales labores, non ad Officii recitationem. Tenentur autem religiosi professi, licet profugi sint; quia statum non amittunt: item licet suspensi vel excommunicati; cum sint in culpa et adhuc commode possint. Non tamen probabiliter tenentur qua religiosi, si per sententiam ejecti sint: quia tunc extincta habetur essentia Status religiosi. Ceterum hac de re plura sunt privilegia.

Diximus: *moniales extra Galliam;* moniales enim in Gallia (adde et in Belgio) cum hodie non habeantur uti moniales stricte tales, non obligantur ad divinum Officium recitandum sub gravi, nisi ex peculiaribus Ordinis constitutionibus ad id adhuc adstringantur (quod rarum est); idque etsi pertineant ad Ordinem olim etiam in Gallia approbatum, ut sunt Clarissæ. Et ita respondit S. Pœnitentiaria 26 nov. 1852. Verum in praxi consuetudo est, ut etiam dictæ moniales Officium quo-

[1] Processus autem fieri debet a Prælato locali simul et ab Ordinario Diœcesis cum assistentia defensoris professionis. Professus autem licet habeat in sui favorem primam sententiam, non ideo potest egredi; sed expectare debet appellationem faciendam a defensore; quod si jam fugam arripuerit, a judicio repellitur, donec resumat habitum. Ita Benedictus XIV, Bulla *Si datam hominibus.*

[2] Cap. *Si datum;* et Tridentinum, sess. XXV *de Regularibus.*

[3] S. Thomas, 2, 2, q. 189, a. 3. [4] *Decr.*, l. III, t. XXXIV, c. 4, etc.

[5] *V.* Pavone, *Spicilegio* ecc., nn. 162 et seqq.; — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 69 etc.; — Gury, *De Statibus partic.*, c. IV; — *Analecta Juris Pontificii*, an. 1855, pagg. 1371 et seqq.

tidie recitent; ideo præstat ut illarum superiores hac de re quæstionem non moveant, nisi Episcopus aliquid statuerit; tamen, data causa, poterunt facilius hanc recitationem relaxare, ut patet.

Diximus: *saltem private;* obligatio chori licet gravis pro communitate, levis habetur pro singulis, modo chorus non tollatur; pro quo sufficiunt quatuor expediti et validi ad illud sustinendum.

Nota: 1) in Ordinibus, in quibus recitatur tantum Officium B. Mariæ Virginis, hæc recitatio non obligat sub gravi, licet vota solemnia in illis emittantur, v. g. in Ordine monialium Visitationis, ut pluries decisum est ex Gury; 2) religiosæ conversæ et associatæ, loco divini Officii tenentur recitare quotidie certas preces (et dicitur *Officium laicarum);* quæ quidem non obligant sub gravi; sicuti nullimode obligant preces, quæ aliquando addi solent Officio divino ex devotione potius, quam ex præcepto. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. iv, n. 141; l. vi, n. 63; — De-Alexandris, *Confessarius monialium;* — Ferraris; V. *Moniales*, a. 6.

488. Q. 4. *Quid de privilegio exemptionis?*

R. Hoc privilegium in eo consistit, quod regulares a jurisdictione Episcoporum sint exempti et Sedi Apostolicæ immediate subjecti. Hoc merito factum esse nemo catholicus inficiari potest; nam habent quidem Episcopi completam in propria Diœcesi jurisdictionem, sed R. Pontifici subordinatam [1]. Ceterum animadvertere est quæ Tridentinum præscripsit, pro quibuscumque abusibus præcavendis; quos tamen Canonistæ nonnulli e schola Wanespeniana exagerant more suo:

1) Ut Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus monachos extra claustra visitet, corrigat si delinquerit, et ubi opus puniat; 2) ut Sacramentorum administrationem, curam animarum et alia id genus quæ regulares habent cum exteris, Episcopus dirigat; 3) ut neque in suis sine Episcopi benedictione petita, neque in aliis Ecclesiis, sine Episcopi licentia obtenta, ad populum prædicent; 4) ut non liceat in suis Ecclesiis admittere sacerdotes sæculares vel regulares extraneos ad celebrandum contra prohibitionem Episcopi; 5) ut in censuris evulgandis, servandis festis, et eorum ritibus custodiendis, ceterisque ad publicam divini cultus politiam spectantibus, Episcopo Diœcesano regulares omnes pareant [2].

489. Q. 5. *A quonam Episcopo licite ordinantur regulares?*

R. Regulares debent suscipere Ordines ab Episcopo, in cujus Diœcesi situm est Monasterium ubi commorantur: constat ex Bulla Benedicti XIII *In suprema*, ubi contrarii privilegii revocatio jam facta a Gregorio XV et a Clemente VIII confirmatur. Imo S. Congregatio de mandato Clementis VIII jussit, ut si Sedes episcopalis vacet vel Episcopus loci non habeat Ordinationem, superior possit dare literas dimissorias ad alium Episcopum; sed videat, ne ex industria ideo differat suorum Ordinationes. Propterea Benedictus XIV Constit. *Impositi nobis* 27 febr. 1747, duas addidit conditiones:

1) Ut in tali casu nequeat religiosus ab alio ordinari, nisi præseferat attestationem Vicarii generalis, vel Cancellarii, vel Secretarii ejusdem Episcopi de impedimento. Alias ordinans et ordinatus incurrunt pœnas in ordinantes sine dimissoriis [3]; 2) Ut talis regularis exa-

1 *V.* Thomassinus, *Eccl. Disc.*, l. iii, p. 1ª. — Ughellius, *Italia sacra*, t. iv. — Bouix. *De Regul.*, parte 5ª.

2 An Episcopus possit religiosos censurare vide infra n. 966. It. Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. ii, pag. 41, ubi plurimi enumerantur casus, quando exemptioni ab Episcopi jurisdictione fit locus vel non.

3 Sess. vi *de R.* — Ferraris; V. *Regularis.* — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. i, pag. 172; — Liguori, *Op. Mor.*, l. vi, n. 768; et l. iv, n. 56.

minari debeat ab Episcopo ordinante, si velit. Quod si Monasterium sit nullius Diœcesis, poterunt religiosi ordinari ab Episcopo viciniori. Si vero Episcopus recuset sine juxta causa ordinare, fiat recursus ad Romanam Sedem [1].

Quoad novitios autem regularium, Suarez tenet eos ordinandos esse ab Episcopo originis vel domicilii; cum nondum dici possint veri regulares et subditi, quippe qui adhuc possunt ad sæculum transire. Alii autem cum Fagnano putant eos posse utique ab ipso novitiatus Episcopo ordinari, et sic fert usus; cum novitii ibi degentes jam habeant animum perpetuo manendi. Utraque sententia est probabilis [1].

490. Q. 6. *An Abbates possint Ordines conferre?*

R. 1. Prælati inferiores seu Abbates in tres species communiter discriminantur, ut habet Benedictus XIV: *Prima est eorum qui certo præsunt generi personarum existentium intra septa alicujus Ecclesiæ vel Monasterii cum passiva exemptione a jurisdictione Episcopi. Ejusmodi sunt superiores regulares, qui una cum Ecclesia ejusque Ecclesiæ clericis et administris quibus præficiuntur, subsunt immediate R. Pontifici. Secunda species est Prælatorum habentium jurisdictionem activam in Clerum et populum certi loci, qui tamen locus est intra Episcopi Diœcesim, a qua undique circumscribitur, et hujusmodi Prælati improprie tantum, et lato quodam loquendi modo, dicuntur esse* nullius *Diœcesis. Tertia species est Prælatorum qui jurisdictionem activam habent in Clerum et populum alicujus loci aut oppidi, aut plurium locorum et oppidorum, quæ omnino avulsa et separata sunt a cujuslibet Episcopi Diœcesi. Quapropter dicuntur constituere quandam quasi Diœcesim, ubi Prælatus, iis exceptis quæ Ordinis episcopalis sunt, omnia exercet, quæ ceteroquin ad episcopalem jurisdictionem pertinerent. Hujus generis Prælati inter inferiores nobilissimi sunt ac dicuntur vere et proprie* nullius, *et veris adnumerantur Ordinariis locorum* [2].

R. 2. Tridentinum id annum Abbatibus permittit, ut conferant tonsuram et minores Ordines, suis tamen subditis [3]. Quod si in alienos subditos hanc facultatem exerceant, non solum illicite, sed etiam invalide agunt, ut definitum est a S. Concilii C., et nuper 8 apr. 1859; etsi accedat consensus Ordinarii cui ordinati sunt subditi. Sane Abbates facultatem non hauriunt ex Ordine ut Episcopi, sed ex privilegio Ecclesiæ; adeoque tantum possunt quantum concessum [4].

491. Cum hisce temporibus plurimum creverint Instituta cum votis simplicibus, non abs re erit declarationem S. Concilii Episc. et Regul. datam quoad Ordines, subjectionem debitam, etc., Episcopo Tarvisino, a quo quæsitum fuit:

1. An et quomodo Episcopus Tarvisinus admittere possit ad Ordinationem sodales Instituti Charitatis cum attestatione superioris domus declarantis eos domui eidem esse addictos; seu potius necessariæ sint dimissoriæ vel testimoniales ad normam Constitutionis Innocentii III *Speculatores?*

2. An et quomodo idem dicendum sit de sodalibus jam promotis ad tonsuram vel minores Ordines ab alio Episcopo?

[1] Secundæ sententiæ duas addimus conditiones: 1) ut novitius per notabile tempus jam manserit in novitiatu; 2) ut juramentum præstet se animum habere ibidem quantum in se est manendi perpetuo; tunc enim videtur verificari conditio domicilii.

[2] *De Syn.*, lib. II, c. 11. — Salzano, *Lezioni di diritto* ecc. — Et de ministro Ordinis.

[3] Sess. XXIII, c. 10. — *V.* Bouix, *De Episcopo*, p. V, c. 16; — Ferraris; V. *Abbas.*

[4] V. *Acta S. Sedis*, etc., vol. II, pag. 340; — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. I, pagg. 55 et seqq.

3. An et quomodo, non obstante promissione obedientiæ in actu ordinationis Episcopo Tarvisino facta, licitum sit superioribus Instituti transferre sodales in aliam provinciam sine dipendentia prælaudati Episcopi?

4. In casu egressionis ab Instituto ob dimissionem vel dispensationem, sodales iidem pertinent ad jurisdictionem Episcopi loci, ubi sita est domus cui adscripti sunt; an ad Episcopum cui subditi erant etiam ante adscriptionem Instituto?

S. C. Ep. et Reg. die 6 martii 1864 declaravit: Ad 1, *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.* Ad 2: *Affirmative in omnibus.* Ad 3: *Superiorem provincialem posse libere uti facultate transferendi alumnos provinciæ juxta Constitutiones a S. Sede approbatas.* Ad 4: *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.* — *V.* Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum.*

492. Q. 7. *Quid de facultate absolvendi quoad regulares* [1]*?*

R. Plura hac de re a canonico Jure, a Pontificum Constitutionibus ac consuetudine statuta sunt [2]. Præcipua notamus:

1. Regulares ad excipiendas Confessiones sæcularium indigent Episcopi loci approbatione; non vero ad excipiendas Confessiones suorum religiosorum vel sæcularium, qui sunt de familia in suis monasteriis et continui commensales: tunc sufficit probatio Prælati regularis.

2. Superiores regularium, vel ab ipsis deputati, possunt absolvere suos subditos professos et etiam novitios ab omnibus casibus papalibus publicis et occultis, etiam a casibus Bullæ *Cœnæ*. Exceptis schismate, hæresi cum relapsu, falsificatione Literarum Apostolicarum, et delatione rerum prohibitarum ad infideles. Possunt præterea dispensare in irregularitatibus subditorum, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, ex bigamia et mutilatione. Hac de re plura disputat et scite resolvit cl. Bertagna.

3. Prælati Religionum possunt sibi reservare casus, si cupiunt, sed uti decrevit Clemens VIII, 29 maji 1593, tantum undecim, et non ultra sine consensu Capituli generalis pro tota Religione, aut provincialis pro provincia. Casus determinati sunt: 1) apostasia; 2) egressio nocturna et furtiva a monasterio; 3) sortilegium; 4) peccatum mortale contra paupertatem; 5) furtum mortale de bonis monasterii; 6) peccatum carnalem opere consummatum; 7) perjurium in judicio; 8) cooperatio in abortum fœtus animati, etiam effectu non secuto; 9) occisio vel gravis percussio; 10) falsificatio manus vel sigilli officialium monasterii; 11) malitiosum impedimentum, retardatio aut aperitio literarum superiorum ad inferiores vel contra [3].

4. Olim mendicantes confessarii gaudebant privilegio absolvendi sæculares ab omnibus casibus et censuris reservatis tam a Pontifice quam ab Episcopis. Sed limitata fuit eorum potestas; et hodie statutum est, ne regulares valeant extra Romam et intra Italiam absolvere sæculares a Casibus Bullæ *Cœnæ* etiam occultis, nec a percussione clerici, nec a duello, nec a violatione immunitatis aut clausuræ monialium ad malum finem, nec a simonia realiter contracta, et confidentiali in Beneficio; nec a casibus quos specialiter sibi reservant Episcopi. Ita communiter ex Decreto Clementis VIII, 1602, con-

[1] De confessario monialium vide dicenda in tract. *de Pœnitentia*, lib. III.

[2] *V.* L. Ferraris; V. *Approbatio;* — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 575 et 599; et maxime l. I, tract. II; *Append.* II: *De privilegiis*, nn. 95 et seqq.; it. *Homo Apost.*, tract. XX, n, 95.

[3] Item declaravit, 7 julii 1617, Prælatos non posse infligere censuram super casu hic non contento, licet eum non reservent; quia esset Decretum Pontificium eludere.

firmato a Paulo V an. 1617 et Urbano VIII anno 1627; tum etiam Bulla Clementis XIII *Ad tollendum*, Gregorii XIV *Cum alias*, et propositionibus 4 et 12 ab Alexandro VIII damnatis. Nequeunt item regulares absolvere intra Urbem Romæ sæculares a casu publico violatæ clausuræ monialium ad inhonestum finem, nec a presbyteridicio publico, neque a casu publico violatæ immunitatis ecclesiasticæ ex Decreto Clementis XI anno 1711 et Bulla Gregorii XIV citata.

5. Regulares aliæque personæ exemptæ non incurrunt episcopalem reservationem propter ipsum Religionis privilegium. Ideo regularis qui ex superioris sui licentia, vel ex concessione juris, sua peccata confitetur sacerdoti sæculari diœcesano, poterit absolvi a reservatis Episcopo, etsi talis confessarius non sit approbatus pro reservatis.

6. Religiosi non possunt confiteri absque licentia expressa vel tacita Prælatorum aliis quam confessariis Ordinis ad hoc deputatis. Itinerantes vero si habeant socium sui Ordinis, de necessitate debent ipsi confiteri, si ille sit confessarius; si vero nec talem habeant socium, nec alium confessarium idoneum sui Ordinis, bene possunt confiteri etiam alteri sacerdoti idoneo, sive regulari, sive sæculari ex concessione Innocentii VIII [1]; et in hoc omnes conveniunt. Advertit tamen Busembaum cum Laymano et Rodriguez, quod hoc non procedit quoad peccata in Ordine illo reservata, a quibus taliter assumptus confessarius nequit absolvere.

Quæsitum fuit: « Si quidam regularis, utens facultate obtenta a Priore sui conventus, confitetur sacerdoti sæculari et quidem approbato; 1) an valide? 2) et quatenus affirmative, utrum Prior possit suis subditis hanc facultatem concedere necne? — S. C. Episc. et Regular. 3 junii 1864 respondit: *In Ordine eremitarum S. Augustini affirmative ad utrumque, dummodo sacerdos fuerit ex approbatis ab Ordinario loci. Pro aliis Ordinibus standum Constitutionibus et Statutis.* »

Iterum ab eadem Congregatione postulatum fuit: « 1) an religiosus non approbatus juxta leges proprii Ordinis a suo superiore vel ipso invito, cum sola facultate Ordinarii valide excipiat Confessiones sæcularium; 2) an superiores regulares jurisdictionem habentes possint suos subditos suspendere ab audiendis Confessionibus sæcularium etiam ex informata conscientia; 3) an valeat suspensio oretenus data et absque scripto enunciata; 4) an absolutio impertita ab eo, qui tali suspensione est innodatus sit valida; 5) an qui hujusmodi absolutionem attentat, irregularitatem incurrat? — S. C. 2 martii 1866 respondit: Ad 1: *affirmative;* ad 2: *affirmative, ita tamen ut religiosus suspensus illicite, non vero invalide Confessiones excipiat;* ad 3: *affirmative, cum feratur per modum præcepti particularis;* ad 4: *affirmative;* ad 5: *provisum in præcedentibus.* » Id est non incurrit; nam ex responsione ad tertium suspensio fertur per modum præcepti; ideo subditus inobediens erit, non violator censuræ, unde non fit irregularis.

1 Imo communissime dicunt ac verius cum Suarez, Sporer, Salmanticensibus, Roncalia, Mazzotta, Elbel ita interpretantibus concessiones Sixti IV et Innocentii VIII, quod (exceptis capucinis ex Brevi *Quod communi*, 30 martii 1742, Benedicti XIV) alii regulares tunc possunt confiteri sacerdoti etsi ad Confessiones non approbato, modo de Jure naturali idoneus sit ad tale ministerium. Giraldi vult recedendum a tali opinione ob declarationem S. C. C. 16 sept. 1769; verum id non satis constat; nam ea declaratio erat de casu quo facile inveniri poterat propriæ Religionis confessarius. Attamen excipiuntur capucini, qui eo in casu tenentur confiteri externo confessario approbato ex Bulla Benedicti XIV *Quod communi* 30 martii 1742: quod confirmavit Pius IX anno 1852 concedens ut tunc externo confessario confiteri valeant peccata sua etiam reservata. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 575; et *de Privilegiis*, l. XXI, *Homo Apost.* — Bertagna, *De Casuum reservatione*, pag. 71.

Ceterum iste religiosus non habet nisi facultates quas Episcopus ipsi delegat; ideo non posset valide uti facultatibus specialibus suo Ordini concessis; nam hisce facultatibus eatenus ipse pollet, quatenus a suo superiore illi communicantur; atqui in casu nostro superior potius renuit [1].

Aliæ decisiones: præstat sequentes referre declarationes cum cl. Vecchiotti, *Instit. can.*, l. II, c. 9, § 92.

a) S. Concilii Congregatio ad dubium: an regulares possint laicis ratione hospitii et similis habitantibus in eorum conventibus, si ibidem infirmentur, ministrare Eucharistiam pro Viatico, nec non Extremam-Unctionem, respondit anno 1649: *Non posse, sed tantum illis qui sunt continui commensales et de familia conventuum* (ex Tridentino, sess. XXV, c. XI *de Regul.*, et Constit. Gregorii XIII *Circumspecta*, 17 febr. 1649).

b) Ad dubium: an hebdomadarius, clericus, pistor, olitor et spenditrix habitantes in cortile monasterii..., habeant requisita Concilii in casu? respondit 21 jan. 1713: *negative.*

c) Propositis dubiis: 1) an famuli et famulæ monialium sæculares in iisdem mansionibus (sitis in atriis monasteriorum muro circumvallatis et quæ sunt contigua monasteriis, et habent portam quæ clauditur in casu) degentes, teneantur recipere Eucharistiam tempore paschali a Parochis, in quorum Parochiis monasterium et mansiones sitæ sunt in casu? 2) an ad dictos Parochos spectet Sacramenta dictis famulis et famulabus ministrare in ultima infirmitate in casu? Et S. C. Congregatio 17 sept. 1822 respondit: ad 1: *affirmative;* ad 2: *affirmative (V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LV, n. 7).

d) Quæritur: *An juvenes et convictores alumnos viventes pro studiis in regularium collegiis, et puellæ in exemptis monialium monasteriis educationis causa degentes, habendi sint veluti spectantes ad cœnobii et monasterii familiam adeo ut, irrequisito Parocho, Communionem paschalem, Viaticum et Extremam-Unctionem a superiori regulari recipere possint?*

R. Pro negativa sententia nonnulli adducunt decisionem S. C. Episcoporum die 21 julii 1848, qua statutum est, ut jura Parochi in casu mortis salva remaneant. Verum in casu agebatur de monasterio, ubi Parochus vi consuetudinis hoc jus exercebat. Eadem S. Congregatio die 8 junii 1860 dubium quoad hanc quæstionem sibi proposuit, sed rescripsit: *dilata et dividantur dubia;* et Summus Pontifex deinde, 3 sept. 1864, exemptionis indultum largitus est. — « Quæstio ita proposita difficilis est (concludit citatus Canonista), et eam nos aliis solvendam eo libentius relinquimus, quo certius nobis est, in praxi, ad omnem removendam difficultatem Episcopos ipsos regularibus facultatem concedere, certioratis ipsis Parochis, Pœnitentiam et Eucharistiam, adolescentibus et puellis internis et externis etiam administrandi.

193. Q. 8. *An Religionem ingressi induci debeant ut maneant?*

R. Id communiter faciendum est; unde juvandi auferendo obstacula quæ habent, dissipando errores, hortando ut malas inclinationes vincant, contemnant vanos timores ac pusillanimitatem superent, etc. Jam enim ingressi in ipsa admissione fuerunt idonei judicati; et ideo ut tales habendi, donec omnino constet contrarium: ut satis constaret si aliis malo exemplo essent, si quosdam præferant passiones indomitas aut malos habitus qui videantur incorrigibiles, etc. Ceterum sit difficilis admissio, et erit rara dimissio.

1 *V. Acta ex iis decerpta quæ apud S. Sedem geruntur,* vol. I, pag. 638.

494. Q. 9. *Quantanam est obligatio perfectionis in religioso?*

R. Etsi religiosus vi professionis non teneatur actu esse perfectus, tenetur tamen actu ad perfectionem tendere per media ipsi in sua Religione ordinarie exhibita, cum teneatur servare statum suum, qui status est tendentium ad perfectionem. Hinc graviter peccat qui de ea nullo modo curat; multo magis si suo exemplo alios religiosos inducat ad disciplinæ relaxationem. Quod si ita animo sit affectus, ut intendat quidem servare mandata sub gravi obligantia, sed non alia; licet communius ac probabilius eum a gravi excusent, si sola attendatur obligatio tendendi ad perfectionem (nam sic jam videtur satis tendere posse ad illam): difficulter tamen posset excusari ex alio capite, prout scite ait Sanchez, nempe ratione periculi labendi in gravia, ratione scandali, etc.

Quidquid sit, merito a gravi non excusant superiorem, qui negligit corrigere defectus leves in suis subditis, si complures sint et tales, qui disciplinam in communitate relaxare valeant pedetentim; licet enim quilibet religiosus non deficiat in gravi violando regulam levem, deficit utique superior, cum inde relaxetur disciplina. Quod etiam dicendum est de superioribus aliarum communitatum [1].

Perfectionis media præcipua sunt tria illa vota, quæ ipsius professionis naturam constituunt, nempe, *paupertatis*, *obedientiæ* et *castitatis*. Hæc congruentissime a Christo assignata sunt pro constituenda Status religiosi essentia; persona enim hominis tria principaliter habet, ad quæ omnia illius referruntur, animam, corpus et bona externa; et hæc tria perfecte consecrat per vota. — *V.* Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. II, pag. 247, ubi plura de tribus votis.

§ I. — *Votum paupertatis.*

495. Q. 1. *Quid de voto paupertatis?*

R. Religiosus ex voto solemni paupertatis ad hoc perpetuo obligatur, ut nihil habeat *proprii in particulari ad disponendum ex bonis temporalibus sive mobilibus sive immobilibus, nisi Sede Apostolica dispensante.* Ait enim Tridentinum [2]: *nemini regularium tam virorum quam mulierum liceat bona immobilia vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere.* Hinc religiosus est omnino inhabilis ad valide exercendum quemlibet proprietatis actum circa rem ullam monasterii vel parentum aut exterorum, accipiendo mutuum, donationem, etc. absque licentia.

Diximus: 1. Ex *voto solemni;* religiosus enim voto simplici paupertatis tantummodo ligatus, potest dominium directum bonorum habere, etsi ad licite disponendum requiratur licentia superioris. Si tamen absque licentia id agat, valide agit, quia est adhuc dominus: nulla enim pro votis simplicibus est lex inhabilitans.

2. *Proprii;* nam voto paupertatis non repugnat, quod religiosus possit Ordinis nomine ad superioris nutum bona administrare.

3. *In particulari;* nam ex Tridentino [3] Ordines possidere possunt

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 11; it. *La Monaca santa;* — Rodriguez, *Esercizio di cristiana perfezione.*

[2] Sess. XXV, c. 2 *de Regul.*

[3] Sess. XXV, c. 3 *de Regul.*

in communi, exceptis Franciscanis, Minoribus observantibus ac Capucinis, quos insuper contendunt neque earum rerum habere dominium, quæ usu consumuntur; sed illud esse penes Sedem Apostolicam, quatenus nempe illud Pontifex revocare valet pro nutu [1].

4. *Ad disponendum;* nam de essentia voti non est, ut dominium abjiciatur. Sic ex Bulla *Ascendente* religiosi Societatis Jesu, post emissa vota simplicia, vere sunt religiosi, et tamen retinent et acquirere possunt dominium radicale bonorum temporalium, quoadusque emittant vota solemnia ac publica. Tantum non habent jus actuale et expeditum de illis pro arbitrio disponendi et utendi: atque in hac abdicatione proprie sita est essentia paupertatis religiosæ [2].

5. *Ex bonis temporalibus;* quia bonorum spiritualium, v. g. famæ, honoris, religiosi dominium retinent. Idem dicunt de Reliquiis sacris; idem de manuscriptis, tum quia sunt partes ingenii licet alieni, ideo quid spirituale; tum quia pertinent ad scientiam, quam non respicit paupertas; tum quia ita fert consuetudo ubique recepta [3].

6. *Nisi Sede Apostolica dispensante;* et pluries dispensatum fuisse constat: sic S. Pœnitentiaria, ut unum exemplum proferamus, 28 novembris 1818, facultatem fecit monialibus Galliæ, *ut, non obstante solemni paupertatis voto, bona ac reditus quos hactenus acquisiere, retinere possint.* Neque id difficile est intellectu; ideo votum dominii incapacitatem inducit, quia solemne est; at hæc solemnitas non est nisi a Jure ecclesiastico; per quas ergo causas incapacitas nascitur, per easdem ea potest tolli. Neque ideo Status religiosus extinguitur; ipse enim non consistit in indivisibili; potest igitur diminui quoad unum votum, aliis remanentibus [4].

Nota. Votum paupertatis non idem est ac virtus paupertatis; voti enim objectum est religiosum bonis exterius expoliare; virtutis autem objectum est inordinatam cordis affectionem ad res terrenas auferre. Ideo potest violari virtus, quin tamen violetur votum; non auten viceversa. (Gury.)

S. Congregatio Episcoporum et Regularium mense junii 1863, ad quæsitum, an liceat Franciscanis uti in eorum itineribus viis ferreis, respondit: *affirmative ex rationabili causa de licentia superioris, prout in rhedarum usu, salvo quoad locum spiritu humilitatis.* — V. *Acta S. Sedis*, t. I; et *Analecta*, anno 1867, pag. 1014.

Q. 2. *An religiosus possit aliquid possidere de licentia superioris?*

R. Ad præscriptum Tridentini, non potest [5]. Sed contraria consuetudo ferme ubique viget; unde hodie probabilius existimamus rigorem Tridentini temperatum fuisse: atque ideo vi hujus consuetudinis, ubi adest, potest religiosus de superioris consensu peculium habere, ut sibi provideat ad usus necessarios vel honestos; sub conditione tamen, quod paratus sit bona hæc ad nutum superioris abdicare. Verum ex usu peculii non dissimulandum innumera mala monasteriis supervenire.

Hic etiam notandum, quod tale votum comitatur etiam assumptum ad Episcopatum, uti tenent communiter, adeo ut Episcopus regularis

[1] C. *Exiit qui sem.* II *de verb. sign.* — *V.* Continuator Tournely, Salmanticenses, etc.

[2] Aliter est, si res spectetur juxta Jus civile: vide ubi *De testatore*, lib. II.

[3] Id confirmari posse videtur ex Brevi Benedicti XIII *Postulat*, ubi de religiosis ad dignitatem promotis ait: *quod mobilia seu immobilia cujuscumque generis, quæ eos tempore suæ promotionis penes se vel alios habere contigerit, exceptis dumtaxat manuscriptis propriis, superiori locali resignare teneantur.*

[4] *V.* Carrière, *De Justitia et Jure*, n. 203; — De-Lugo, *De Justitia*, d. III; — Suarez, *De Religione*, t. III.

[5] Sess. XXV, c. 2 *de Reg.* — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIII, n. 7.

testari non possit; cum usum, non proprietatem bonorum habeat. Unde s. Thomas ait: *Religiosus, qui fit Episcopus sicut non absolvitur a voto continentiæ, ita nec a voto paupertatis, quia nihil debet habere tanquam proprium, sed sicut dispensator communium bonorum Ecclesiæ. Similiter etiam non absolvitur a voto obedientiæ; sed per accidens obedire non tenetur, si superiorem non habeat* [1]. Ratio est quia vota personalia comitantur personam; quare quæ talis acquirit, ea non sibi, sed suæ Ecclesiæ acquirit. — Si vero regularis sit Episcopus tantummodo *in partibus*, cum bona quæ acquirit non possint cum effectu applicari illi Ecclesiæ, cujus titulum habet, in pia opera sunt dispensanda; quæ dispensatio ipsi Episcopo est commissa, dependenter a R. Pontifice ex S. C. [2].

An (quæres) *aliquid religiosus possit accipere vel dare sub licentia præsumpta?* R. Affirmative, si licentia præsumi possit de præsenti, et causa sit; tunc religiosus virtualiter cum dependentia agit. Idem dicunt de licentia interpretativa, quæ etsi non ei sufficiat ad valide contrahendum; sufficit tamen ad hoc, ut proprie non agat suo nomine, ideoque ut non peccet contra paupertatis votum. Imo sine licentia, et etiam contra ipsam, potest accipere vel dare, si periculum non patiatur moram; *quia necessitas non subditur legi* [3].

496. Q. 3. *Lex civilis, pluribus in locis, in Gallia. Belgio, apud nos* [4] *non amplius agnoscit incapacitatem dominii in religiosis; quid ergo resolvendum?*

R. Hac de re casum ponit Gury: « Sophronius professionem in Gallia emissurus, dubitat: 1) utrum dispositio bonorum quam facturus est, antequam solemnia vota emittat, irrevocabiliter firmanda sit, quia testamentum, ab ipso condendum, ex natura sua atque a lege civili essentialiter revocabile est, cum ipse non cognoscatur coram lege gallica ut religiosus. Et emissa professione dubitat, an hæreditatem vel legatum sibi delatum acceptare queat, cum ex lege illa sit adhuc dominii capax? 2) nescit an actum publicum facere possit, juxta dispositionem aliquam ante votorum emissionem factam? 3) cum oblitus fuerit de re aliqua statuere ante professionem, postulat, an stante eadem lege, adhuc de illa re disponere valeat?

R. Ad 1: Dispositio legis civilis est quid omnino indifferens ad obligationes religiosas; parvi igitur refert si cognoscat statum religiosum vel non. Lex canonica obligat independenter a lege civili; etenim si hujus dispositionis legi obstent canonicæ, irritantur in foro conscientiæ. Proinde tum religiosus, tum communitas religiosa jura sua servant; ergo eædem urgent obligationes et eædem habentur facultates sub lege civili gallica, quæ de Jure communi vigent. Nihil est addendum, nihil detrahendum. Ergo religiosus in Gallia sicut alibi dispositionem irrevocabilem bonorum suorum facere debet. Nec obstat quod haberi possit coram lege civili veluti proprietarius, vel homo jure proprietatis gaudens. Hoc neque ei nocet nec favet; igitur ad actum proprietatis faciendum cogi nequit.

Ad 2: Facta professione, bene potest religiosus facere actus civiles externos, conformes dispositionibus statutis coram Deo in foro conscientiæ ante professionem, ut subscribere, actum privatum efficere, etc.;

[1] 2, 2, q. 88, a. 11. [2] V. *Acta S. Sedis* etc., vol. 1, pag. 449.
[3] S. Thomas, 1, 2, q. 96, a. 6.
[4] Lege 25 junii 1865: *Disposizioni transitorie per l'attuazione del Codice civile*, a. 22. Et *Regio Decreto per la soppressione degli Ordini e Corporazioni religiose*, art. 2; die 7 julii 1866.

tunc enim formam mere externam apponit; non vero denuo disponit, adeoque nullum proprietatis actum facit.

Ad 3: Nihil agendum, quia professus non amplius de bonis illis disponere potest. Obvenient igitur monasterio, si nihil aliud obstet; vel recurrendum ad dispensationem pontificiam, ut alia quælibet dispositio fiat. Solus enim Papa in effectibus voti solemnis dispensare potest [1].

§ II. — *Votum castitatis ac Clausura.*

497. Q. 1. *Quid de voto castitatis et de Clausura?*

R. Ad 1: Ex voto castitatis religiosus obligatur ad se abstinendum ab omni voluntaria delectatione venerea tam interna quam externa; quia vovens promittit simpliciter Deo se abstenturum ab omni delectatione: proinde si contra fecerit, duo peccata committit luxuriæ ac sacrilegii, etsi non sit in Sacris. Et probabilissime etiam peccat contra commune bonum, si periculum sit, ne ideo infametur Religio.

Ad 2: Lex clausuræ, quæ ad disciplinam tuendam inducta est, quæque tam viros quam mulieres (licet diversimode) respicit, duplex quasi est: una, quæ religiosorum egressum e claustris; altera, quæ extraneorum ingressum in claustra intuetur.

498. Q. 2. *An liceat religiosis e claustris egredi?*

R. Vel agitur de religiosis viris, vel de religiosis mulieribus:

1. Quoad viros habet Constitutione *Nullus*, 20 martii 1601, Clemens VIII: *Nemo religiosorum audeat egredi e conventu, nisi ex causa et cum socio et de licentia singulis vicibus impetrata a superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adjungat non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpius: licentiæ vero generales exeundi nulli concedantur:* quod confirmavit Urbanus VIII Constit. 21 sept. 1624 *Sacra Congregatio*, ubi Romano Pontifici reservat potestatem dandi religiosis facultatem commorandi extra claustra, puta causa studii; quæ olim facultas ex Tridentino dari poterat a superiori regulari. Suarez censet grave esse sine licentia in omni casu egredi, quia consuetudo est, ut talis egressus graviter puniatur. Sed communiter ac rationabiliter alii tenent id, si fiat semel aut iterum, secluso scandalo ac contemptu, nec fiat noctu, non esse nisi leve.

2. Quoad sanctimoniales arctissima est hæc lex, quam tulit Tridentinum: *Nemini sanctimonialium liceat post professionem exire e monasterio etiam per breve tempus quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo probanda, indultis quibuscumque et privilegiis non obstantibus* [2]. Imo neque id licet etiam causa translationis ad aliud monasterium ejusdem Ordinis, vel alterius strictioris observantiæ sine licentia Sedis Apostolicæ, uti declaravit S. C. Paulus vero V, Constitutione *Monialium*, ipso facto et reservatam excommunicationem inflixit in moniales clausuram violantes et in earum receptatores vel adjuvantes [6].

Statuit autem Pius V Const. *Decori*, Episcopos non habere facultatem licentiam impertiendi monialibus exeundi, *nisi ex causa magni incendii aut infirmitatis, lepræ aut epidemiæ a monasteriis exire; sed*

[1] *V.* Bouix, *De Regularibus*, t. I, parte 3ª, c. 5. — Carrière, *De Justitia*, n. 225; — *Acta S. Sedis* etc., t. I, pag. 222.

[2] Sess. XXV, c. 5 *de Regul.* — Ferraris; V. *Clausura, Conventus*, art. 8; *Moniales*, art. 3; *Fenestræ*, etc. — Suarez, *De oblig. et statu relig.*, l. I et VIII.

[3] Non datur parvitas materiæ, etsi egressus fiat uno passu tantum. Ita communiter docent, et merito Theologi. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 37; l. VII, n. 225.

neque in prædictis casibus extra illa nisi ad necessarium tempus stare licebit. Ad incendium communiter revocatur bellum imminens, inundatio fluminis, ruina ædificii. Item ex Benedicto XIV lepra est intelligenda illa quæ contagium infert, et quoad pestem tunc casus urget, cum in monasterium est jam ingressa, nec alio modo monialium saluti provideri potest. In aliis casibus, uti si aliqua monialis ob morbum, puta phtisis, insaniæ, scorbuti in ea conditione versetur, ut aerem mutare debeat, vel ad balnea proficisci, etc. petenda est licentia a S. C. Episcoporum et Regularium [1].

Suarez docet, posse monialibus professis clausuram pontificiam injungi, quamvis regula quam amplexatæ sunt, hanc obligationem non imponat; nam qui assumit aliquem statum, virtute se obligat ad ea quæ expediunt in tali statu: talis est pro monialibus clausura. Neque enim clausura pertinet ad essentiam status religiosi, cum etiam sine ipsa possint servari evangelica Consilia certa sub regula; ideo generatim loquendo imponere clausuram non est mutare essentiam status semel voluntarie sumpti, sed est præscribere tantum medium tutum ad jam assumpti status observantiam. Et hæc est romana praxis.

499. Q. 4. *An exteri claustra ingredi possint?*

R. Vel agitur de claustris religiosorum, vel monialium:

Si 1, generatim nunquam vetitum fuit admittere in claustra religiosorum viros etiam laicos. Verum etsi regula nihil injungat, munus erit superioribus, ut non omnes et ita frequenter laici admittantur; quia esse non potest sine quietis ac pacis turbatione. Diximus *viros;* mulieres enim ea ingredi (si excipiantur reginæ ac fundatrices) sub pœna excommunicationis ipso facto ac reservatæ prohibuit Pius V tum Constit. *Decet*, tum Const. *Regularium.* Ipsi vero religiosi, qui eas admittere præsumunt, ipso facto pœnam privationis officiorum, inhabilitatis et suspensionis a divinis incurrunt.

Si 2, Tridentinum monialium septa ingredi omnibus indiscriminatim prohibuit *sine Episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicatione ipso facto incurrenda* [2]. Quæ tunc erit reservata, si ingressus sit ad *finem malum* (id est libidinosum in sententia nostra), ex S. C. C. 1602, approbante Clemente VIII, si intra Italiam; vel sit sub prætextu facultatum, ex Gregorio XIII Constit. *Ubi gratiæ.* Hæc licentia tantum in vera necessitate est danda ex eodem Tridentino, et quidem in necessitate monasterii vel monialium: hinc non valet licentia data ad collocandam in monasterio aliquam fœminam, ne redeat ad vomitum; neque ad docendum monialibus artem, nisi quando in monasterio nulla adest perita; neque possunt uxores intrare causa adulterii vel dissentionis cum viris. Dicunt tamen Ordinarium posse permittere quod intret puella (de qua controvertitur), ut in monasterio ad tempus maneat, donec lis terminetur. Est autem hæc monasterii vel monialis necessitas late accipienda pro qualibet rationabili causa, ut docent Sanchez, Delbene, Barbosa et alii; in stricta enim necessitate, lex humana jam cessat per se. Barbosa censet minorem causam requiri pro ingressu fœminæ in monasterium monialium, quam viri, et pro ingressu diurno quam nocturno, et pro ingressu consanguineæ quam extraneæ, et pro ingressu in priora receptacula, quam in interiora. *V.* Schmalgrüber [3].

[1] *V.* Benedictus XIV, *De Synodo*, tract. XII, c. 12; — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. II, pag. 146; — Et Casus positos Lib. IV quoad tract. III.

[2] Sess. XXV, c. 5 *de Reg.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 221. — Bouix, parte 6ª: *De Regularibus.* — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. II, ubi de omnibus fuse.

[3] *V.* dicenda *de Censuris;* de excommunicatione in particulari.

500. Hic plura notanda quoad praxim cum communi Doctorum.

1. Licentia in scriptis non requiritur in casibus ordinariis et manifestis, v. g. in ingressu medici, confessarii, cœmentarii et similium operariorum, quorum repentina opera passim indicent moniales. Hæc tamen licentia requiritur, et specialis, nempe pro tali re præcise.

2. Si monasteria sint Episcopo subjecta, ipsi competit jus concedendi licentiam auctoritate ordinaria; et tunc satis probabiliter ex jure competit etiam suo Vicario generali. Si monasterium sit immediate Sedi Apostolicæ subjectum, Episcopo non competit nisi delegata auctoritas; atque ideo tunc non potest in hoc se ingerere Vicarius sine speciali Episcopi mandato. Quod potest Episcopus in hac re, potest etiam Vicarius capitularis. — Si monasterium subsit regularibus, licentia datur a Prælato regulari. Abbatissa autem nequit de jure ordinario hanc licentiam dare; at potest Episcopus delegare Abbatissam vel confessarium vel alium prudentem virum ad illam concedendam.

3. In necessitatibus, quæ moram non patiantur, non requiritur ulla licentia, nam lex humana est: esset in casu mortis, incendii, etc. Hinc quivis sacerdos in casu repentinæ mortis ingredi potest ad ministranda Sacramenta, si subito non adsit approbatus.

4. Medicus non potest ingredi nisi licentia renovata singulis trimestribus et sociari debet a duabus monialibus; non potest intrare initio quadragesimæ ad cognoscendum quæ monialis sit dispensanda: quia id potest præstare ad crates, nisi monialis decumbat in lecto. Medicus vero extraordinarius nequit ingredi ad libitum monialium, sed tantum in defectu ordinarii, vel quando cum ordinario habet consultationem. Chirurgus potest intrare ad secandam venam, et pharmacopola ad docendum (si opus sit) quomodo medicamen sit parandum. Factores, notarii, et similes pariter possunt, si necessitas urget, v. g.: ad judicandum de ruina imminente, ad inveniendam scripturam necessariam in archivio, ad faciendum puellæ testamentum [1]. Sicuti pariter ex licentia possunt fabri, hortulani, fabricatores, putearii, putatores, molitores et similes, qui artem suam extra commode non possunt exercere. Item bajuli ad ferenda quæ a monialibus non possunt: si autem licentia sit nominatim pro uno bajulo, iste deficiente, non potest alius substitui, nisi licentia esset indeterminata, v. g.: *ut bajulus ingredi possit.* Non possunt tamen admitti neque infantes neque amentes.

5. Confessarius potest ingredi ad Sacramenta infirmæ decumbenti ministranda, quoties ex præscripto regulæ dispensatur Communio; item quoties monialis illa communicare consuevit. Debet autem ingredi indutus superpelliceo et stola, nec potest se divertere ad aliam monasterii partem, neque ad visitandam aliam infirmam. Quanquam sentit De-Alexandris, quod confessarius postquam infirmæ Confessionem audierit, bene potest alium novum ædificium monasterii benedicere et etiam deferre cuidam aliæ infirmæ insignem Reliquiam: sic etiam potest (ait) ob causam immorari in monasterio brevi ad intuendas officinas et ad tractandum aliquod temporale negotium. Confessarius autem sæcularis debet intrare solus, regularis cum socio probatæ vitæ et maturæ ætatis: dum audiuntur Confessiones, debent assistere commatrices ad januam ita ut confessarium videant. Confessarius monialibus deputatus, non ideo potest dare benedictionem in articulo mortis, sine speciali delegatione. Item neque Parochus loci, si moniales sint exemptæ; tum enim non est proprie earum pastor [2].

1 Semper licentia obtenta, nisi res urgeat et longe sit qui eam valet concedere.
2 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 226; — Ferraris; V. *Monialis*, art. 4.

Quid de illo, qui licentia obtenta, ingreditur ob malum finem?

R. Bouix docet censuram incurrere; nam revera clausura abutitur ad finem malum. Alii negant apud Pellixarium; quia non violat clausuram, cum licentiam habeat; sed tantum licentia abutitur. Porro pœnæ non sunt extendendæ de casu ad casum.

§ III. — *Votum obedientiæ.*

501. Q. 1. *Quid de voto obedientiæ?*

R. Tali voto religiosus obligatur ad omnia, quæ præcipit superior secundum regulas ac constitutiones, sive præcipiat *directe* et *explicite*, ut sunt quæ expressa habentur in regula (silentium, abstinentia tali tempore); sive *indirecte* et *implicite*, quæ nempe in regulis satis continentur, ut pœna in transgressores ad earum observantiam legitime indicta, et quidquid pertinet ad officia communitatis rite obeunda. Ratio: religiosus se obligando ad constitutiones, se implicite obligavit ad ea omnia, quæ ad hunc finem conducunt. Ordinarie tamen peccata contra obedientiam non habentur uti mortalia, nisi agatur de re gravi, vel de gravi scandalo, vel nisi præcipiat superior *in virtute sanctæ obedientiæ, in nomine Domini*, etc.

Diximus: *secundum regulas ac constitutiones;* non enim obligatur in iis, quæ sunt vel contra regulam (nisi adsit legitima dispensatio); cum debeat esse rationabile illius obsequium. Vel supra regulam, uti essent magnæ macerationes; nam id non esset fragilitati humanæ satis attemperatum. Quod autem regulæ jubeant obedire in omnibus, id præcise non est de obligatione voti, sed de obedientiæ perfectione [1].

Quid (quæres) *si superior præcipiat assistentiam peste infectis?*

Tenentur religiosi obedire, si infecti sint ejusdem Ordinis: quia pertinet ad bonum commune, ut sibi invicem membra subveniant. Secus si agatur de aliis, qui non sint in necessitate (intellige, si constitutiones id non præcipiant); nam nulla ratio hujus tam gravis obligationis [2].

502. Q. 2. *An omnes religiosorum regulæ sint pure pœnales?*

R. Cum Suarez: Regula religiosa, collective sumpta, est quædam vivendi norma secundum perfectionem Evangelicam regens animos, et dirigens eorum actus ad illam acquirendam. Si in regula distincte exponatur, Religionis mentem esse velle *obligare vi præcepti*, qualis videtur esse regula S. Francisci, tunc obligat graviter vel leviter pro ratione materiæ ac verborum.

Si vero expresse ponatur in regula, eam *non obligare in conscientia* ad culpam, ut habet regula Fratrum prædicatorum, Societatis Jesu aliarumque nonnullarum communitatum, tunc de se ad nullam culpam obligabit; sed solum obligabit in conscientia ad pœnam sustinendam, seu ad parendum superiori pœnam imponenti pro transgressione [3].

Hæc per se; nam quoad praxim quamvis regula ad nullam culpam obligaret, vix tamen potest violari sine aliquo peccato levi ob defectum motivi et finis honesti. Sed fere semper adest culpa ratione negligentiæ, concupiscentiæ, scandali, etc. [4].

503. Q. 3. *Quotupliciter peccat qui votum obedientiæ violat?*

R. Peccat et contra præceptum naturale quod obedientiam legitimo

[1] Quoad obedientiam *cæcam*, ut vocant, vide Lib. IV, *Append.*

[2] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIII, nn. 18 et seqq.

[3] Hic non loquimur de substantialibus Status religiosi, quæ nulli dubium est semper et omnes religiosos obligare. — *V.* Bouix, *De Jure Regularium*, pars 6ª, c. 4.

[4] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 10; — It. *La vera Sposa di Gesù Cristo*, c. 4 et 7.

superiori præscribit, et contra votum quo novo vinculo se ad obediendum obstrinxit. Quod votum si solemne sit, ita subditi voluntatem obstringit, ut religiosus nullam amplius obligationem valide contrahere valeat sine permissione: hinc ne potest quidem promittere Missæ celebrationem ad intentionem alterius, nisi *conditionate*, si aliter superior non disponat. Hoc tamen non currit in iis quæ non subsunt voluntati superioris: hinc si religiosus promisit alicui secretum de aliquo, obligationem sane contraxit, nec quoad hoc illius superior auctoritatem habet.

Attamen votum simplex reddit quidem illicitam obligationem sine consensu superioris contractam, non tamen per se invalidam, licet superior vi potestatis in voluntatem subditi hujusmodi obligationem irritare valeat. *Guri.*

504. Q. 4. *Quisnam potest dispensare in regula?*

R. Prælati regulares non possunt dispensare in regula, nisi iis concedatur a privilegio vel a jure. *Ratione privilegii* (quod muneri Prælati adnectitur) possunt Prælati etiam inferiores dispensare in rebus quæ sub levi præcipiuntur, in rebus frequentibus, in statutis propriis illius conventus. *Ratione juris* non possunt dispensare in votis essentialibus; in aliis vero regulis bene ipsi poterunt pro casu particulari, nisi expresse id sit interdictum [1].

505. *An Episcopus regularis teneatur ad observantiam suæ regulæ?* S. Congregatio Episcoporum et Regularium, 6 maji 1864 respondit: « Affirmative ad præscriptum Constitutionis Benedicti XIII *Custodes*, nempe Episcopus regularis tenetur observare regulas suæ Religionis quæ materiam voti paupertatis determinant. Item tenetur alias regulas et observantias dignitati et officio episcopali non repugnantes eadem obligatione gravi vel levi observare, qua tenebatur antequam assequeretur dignitatem episcopalem; ita tamen ut in peculiaribus casibus prudenter judicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio episcopali illæ conveniant. » V. *Analecta Juris Pontificii*, anno 1864. Vide *Acta S. Sedis*, vol. I. Romæ, 1866.

Scholium. — *De religioso de una in aliam Religionem transeunte, sæcularizato, ejecto, apostata, fugitivo, disperso et reformato.*

506. Q. 1. *Quid de transitu ad aliam Religionem?*

R. De Jure communi a laxiore ad arctiorem Religionem transiri potest, petita etsi non obtenta immediati proprii Prælati licentia [2]; quanquam hodie solent recurrere ad Apostolicam Sedem. Transitus vero ad laxiorem prohibuit Tridentinum; at Benedictus XIV, Bulla *Pastor bonus*, eam concedit aliquando ob graves causas a majori Pœnitentiario probandas, modo et ibi vigeat regularis disciplina.

507. Q. 2. *Quid de sæcularizatione?*

R. Ex gravibus causis S. Sedes nonnullis religiosis solemniter professis non solum ad tempus, sed etiam perpetuo in sæculo degendi facultatem concedit, in habitu præsbyteri sæcularis, retento interius aliquo regularis habitus signo, ut sit illis memoriale perenne, eaque lege ut substantialia votorum suæ professionis cum novo statu compatibilia observent, et de congruo patrimonio provisi sub obedientia Ordinarii loci etiam in vim voti religiosi vivant: en sæcularizatio. Hujus-

1 Glossa in c. *Monach.*, XX. — Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 194.
2 C. XVIII *de Regul.* — Tridentinum, sess. XXV, c. 19 *de Regularibus.*

modi religiosi dominii incapacitate detinentur, ideoque nec hæreditates capere neque testari de suis rebus, neque Beneficium proprio nomine possidere, sed illum tantum nomine S. Sedis administrare possunt. Ceterum vide Indulta, quæ hac de re expediri solent a S. Congregatione Episcoporum et Regularium [1].

508. Q. 3. *Quid de ejectione, apostasia et fuga a Religione?*

R. *Ejectionis* nomine intelligitur: *perpetua separatio religiosi a suo Ordine facta auctoritate judicis* [2]. Ad hoc remedium veniendum est tantum in extremis, et servatis servandis juxta Canonum prescripta [3]. Causa esset: 1) si religiosus in gravi ac pernicioso crimine existens notorie incorrigibilis æstimetur etiam post longam saltem unius anni pœnitentiam in jejunio et carcere; 2) si diu tolerari non possit sine Ordinis infamia; 3) si in admissione impedimentum valde grave reticuerit, v. g. lepram. Sententia expulsionis est Episcopo significanda, cujus in Diœcesi expulsus sedem statuere debet; cum ei subdatur, qui tamen illum ordinare non potest.

Apostata a Religione est qui post emissam professionem deserit Ordinem, excusso jugo regularis disciplinæ. *Fugitivus* dicitur qui recedit a claustro vel timens sævitiam Prælati, vel sibi vivere volens.

Ejecti obligantur ad votum *castitatis;* quoad *paupertatem* ejus, quod acquirunt habent usum; quoad *obedientiam* ac ceteras regulas, liberi sunt: nam istæ non respiciunt, nisi regulariter viventes, a quorum porro consortio ipsi juridice avulsi sunt. — E contrario apostata ac fugitivus omnibus legibus obligantur; cum adhuc sint vel esse debeant de familia. Ita communiter; imo apostata suspenditur ab Ordinibus si quos susceperit post apostasiam, privatur omnibus sui Instituti privilegiis. ac ipso facto excommunicatur, si habitum Religionis dimittat [4].

509. Q. 4. *Quid de religiosorum dispersione?*

R. Si irruente politicarum perturbationum turbine, religiosi dispergantur, et collegialem vitam interrumpere cogantur, versari debent in sæculo memores propriæ vocationis, vota solemnia firmiter custodientes. Legitimis superioribus remanent subjecti; et solet etiam pro illo tempore assignari Episcopus loci. In habitu clericali (si impediantur in proprio) incedant, sub veste signum gerentes eorum professionis. Votum autem solemne paupertatis non impedit, ut valeant sibi res utiles et necessarias comparare, pecuniasque apud se habere, et contractus inire; præsumitur licentia. Quod tamen acquirunt religiosi dispersi, non sibi, sed Religioni acquirunt [5] *(T).*

510. Q. 5. *An qui professionem emisit in Religione, quæ a suo vigore remisit, possit cogi ad regulam primitivam?*

R. Cum Suarez: alii dicunt obligari posse aliquem ex vi voti, ut servet primitivam regulam, etsi propter relaxationem ab aliis non servetur, et nondum facta sit reformatio. Alii tenent ante reformationem non posse aliquem cogi ad servandam regulam quoad eam par-

[1] *V.* Frassinetti, *Compendio della Teologia*, nota 10; — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. II, pag. 20.

[2] Urbanus VIII declaravit neminem (excepto e Societate Jesu) posse expelli, nisi sit incorrigibilis; sed tantum posse puniri jejunio et carcere: quod semper observandum cum monialibus incorrigibilibus. Et S. C. Episc. 2 martii 1861, apud Lucidi, declaravit: *pro expulsione oportet ut revera concurrat incorregibilitas, et pro iis qui vota perpetua emiserint etiam confirmatio S. Congregationis.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 79.

[3] *V.* Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. XIII, c. 11; — Ferraris; V. *Ejicere, Ejecti.*

[4] Cap. ult. *periculosa* II *ne cler. vel mon.*, in 6; Cap. *Consultationis de apost. et reit. bapt.*, l. V, c. 9; Tridentinum, sess. XXV, c. 19. *de Reg.* — *V.* Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, t. II, pagg. 19 et seqq. — Ferraris; V. *Apostasia.* — Raynaudus, *De Apostasia a religiosis ordinibus.*

[5] *V.* Breve Pii VI ad Episcopum Brunensium, anno 1791, penes Bouix, ubi fuse.

tem, in qua illam relaxatam invenit: est commune; posse tamen ab ipsa Religione ad primam formam restitui, et tunc obligari quemlibet religiosum etsi antea professum. Alii absolute negant posse religiosum obligari ad acceptandam reformationem, si relaxatio legitime præscripta est; nam nemo obligandus ad observandum, quod ab initio legitime professus non est.

COROLLARIUM. — *De monialium Superiorissa et Visitatore, de educandis, de Congregationibus virorum et mulierum votis solemnibus carentium.*

511. *a)* Quoad Abbatissam plura notanda ex Tridentino, ex Ss. Congregationibus ac communi Doctorum [1].

1. In ejus electione quoad monasteria non exempta vel Sedi Apostolicæ reservata, præsidet Episcopus vel ejus delegatus vota excipiens. Quoad exempta, præsidet Prælatus regularis vota excipiens, sed cum Episcopi assistentia; et facta electio confirmanda est, secus nequit Abbatissam officium exercere; quæ insuper benedicenda est: quæ benedictio etiam simplici sacerdoti potest committi.

2. Debet eligi quæ minor non sit 40 annis, et quæ 8 annis post professionem laudabiliter vixerit; in defectu potest eligi monialis habens 30 annos ætatis et 5 professionis, vel ex alio monasterio sumenda. Electio esse potest ad triennium; quo expleto ex S. C. dispensatione ad alterum triennium eadem monialis valet eligi, at non amplius: imo post triennium omni prorsus auctoritate carere debet.

3. Non potest eligi infamis, vidua, cæca, surda, muta; ad ejus autem electionem sufficit major votorum pars. Concurrunt ad eligendum tantum choristæ professæ; et si quæ monialis est in lecto infirma, etiam ejus votum accipi debet. Si discordia est, non potest Prælatus dare suum suffragium, sed præfigat tempus ad novam electionem; quo elapso, ipse Abbatissam deputabit.

512. Abbatissa tenetur omni modo observantiam curare, et omnibus præsto esse; non potest autem auctoritativo modo dispensare quoad observantias Religionis, v. g. quoad jejunia frangenda, carnes edendas contra regulam; sed bene potest ex commissione Prælati, vel etiam declarare aliquando jejunium vel aliud præceptum non obligare. Circa vota autem monialium, cum mulier non sit capax jurisdictionis spiritualis, ideo Abbatissa non potest proprie dispensare in votis; hinc cum in quadam formula votorum diceretur: *ma solubili dalla superiora*, S. C. C. voluit, ut illud expungeretur; nam superiorissa non solvit vota dimissarum sororum, sed vota ipsa cessant ex prævia conditione, cum dimittitur e societate soror [2]. Sed ratione potestatis dominativæ ob votum obedientiæ (prout valent parentes in filios) potest Abbatissa irritare earum vota particularia, etsi cum ejus consensu emissa. Sed vota novitiarum potest tantum suspendere, si professioni officiant; nisi novitiæ illa emiserint, cum erant sub potestate parentum: tunc superiorissa cum succedat in eandem potestatem, potest illa vota irritare [3].

513. *b)* Episcopus singulis annis tenetur visitare monasteria monialium sibi subjecta per se, vel per vicarium cum suo speciali man-

1 Sess. XXV, cap. 7. *de Reg.*, — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 59; — Bouix, parte 3ª.
2 *V.* Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. II, pagg. 267, 277, etc., ubi etiam de Generalissa plura refert, seu *suprema antistita*.
3 *V.* Tamburini, *De Jure Abbatissarum;* — Ferraris; V. *Abbatissa, Monialis.*

dato. Monasteria autem Pontifici immediate subjecta etiam ab Episcopo sunt visitanda, sed Apostolica auctoritate. Exempta vero visitantur a prælato Ordinis; attamen quoad clausuram adhuc ab Episcopo debent visitari, uti ab Apostolica Sede delegato: hinc claustra intrat (cum ecclesiasticis tamen piis), januas, crates, rotulos, hortum, murorum septa, cellulas, lecta et alia ad clausuram spectantia perlustrans [1]. In visitatione tamen totali omnia perlustrat, et comprehendit quæ ad monasterii bonum sive spirituale sive temporale conducunt. Moniales tenentur visitatori interroganti veritatem aperire circa observantias regulæ, etsi transgressiones sint leves, quia ordinarie ab istis incipit tota relaxatio. Excusant a manifestatione, si crimen sit emendatum, vel omnino occultum, vel certo constet Prælatum nullum remedium habiturum; si manifestatio vergat in damnum proprium; vel crimen sit cognitum sub secreto naturali, nec sit causa communis damni.

514. *c)* Puellæ, educationis causa, admitti valent in monialium conventibus, sed loco separato et sub clausura, et habeatur licentia S. C. Episcoporum (nisi agatur de illis monasterii quæ ideo instituta sunt [2]). Item dummodo recipiantur de consensu superioris et monialium per secreta suffragia, et non sint supra numerum designatum, et 7 annum expleverint, et 25 non compleverint. Ex variis decretis hujusmodi puellæ quandiu in monasterio, non sunt subjectæ Parocho, nisi quoad matrimonium et sepulturam [3].

515. *d)* Quoad Congregationes virorum, quæ carent essentia Status religiosi ob deficientiam votorum solemnium, si hæ sint ab Episcopo tantum approbatæ, patet penes eundem remanere totam facultatem circa illas. Si vero habeant Pontificiam approbationem, tunc norma esse posset Constitutio Benedicti XIV, 21 jan. 1758, *Emanavit*, data pro Oratorianis; ubi decisum fuit quod talis Congregatio est Episcopo subjecta in modo, in forma; excepto ejus instituto; item non subduntur ei interiores œconomiæ, electiones, admissiones et expulsiones presbyterorum [4].

[1] Ex Clement. *Attendentes* de statu monach. — *V.* Gavantus, *Tractatus de Visitatione;* — Bouix. Pellizarius, De-Alexandris; Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 54 et 247.

[2] Bouix, pars 4ª, c. 6, addit: « Etiam in conventibus non exemptis et ubi moniales vota solemnia non habent nec Papali clausura subjacent, obtinet generaliter praxis ab Ordinariis firmata, ut Viaticum et Extrema-Unctio dictis puellis ministretur a capellano seu confessario conventus. Nec dubium id posse Episcopum; non secus ac in hospitalibus ipse constituere potest capellanum, qui sit quasi Parochus. » — V. *Analecta*, anno 1866: *Jurisdiction paroissiale sur les communautés des vœux simples;* — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, t. III, p. 339.

[3] Quoad moniales vide De-Alexandris, *Confessarius monialium;* — Pellizarius, *De Monialibus:* si tamen correctus juxta editionem Romanam, 1755: qui secus est in Indicem relatus Decreto 21 apr. 1693; — Liguori, *Praxis Conf.*, nn. 55, 121, 137 et seqq.; *Op. Mor.*, l. VI, nn. 576, 577 et 602; et *Opuscoli relativi alle Monache.* — *Istruzione pe' novelli Confessori*, Opera di un Missionario, pars 2ª; — *Istruzione per i Confessori delle Monache* in calce Synodi Balbis Bertone, Lib. IV in *Append.* a nobis relata; — Bambagari, *Esercizi spirituali per Monache;* Orvieto, 1856; — Fusignano, *Esercizi spirituali alle Monache;* — *Direttorio spirituale delle Religiose;* Torino, Marietti, 1844; — Lagnay, *Opere varie intorno alle Monache;* Paris; — P. Giovanni del Santissimo Sacramento, *Esercizi spirituali, avvento e quaresimale* ecc., *per Monache;* Firenze, 1856; — Rolla, *Quaresimale per le Monache;* — Montuori. *Opere predicabili*, t. I; Napoli, 1864. — Sed maxime: *Il novello Confessore delle Monache istruito nella pratica del suo ministero, e provveduto di scelte materie predicabili per le medesime;* del P. Bonaventura M. di Palermo; Terni, 1845: ubi plura pro praxi, in casibus difficillimis et extraordinariis legere est.

[4] *V.* Bouix, *De Regularibus*, p. 3ª; — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. II, pag. 228: *De institutis vota simplicia emittentibus*, ubi plura. — Suarez, *De Statu religioso*, l. I, c. 16.

DISPUTATIO SECUNDA

DE OBLIGATIONIBUS IN SOCIETATE CIVILI.

CAPUT PRIMUM

DE OBLIGATIONIBUS PUBLICIS.

ART. I. — *De obligationibus principum et subditorum.*

516. Q. *Quænam sunt principis obligationes ac subditorum?*
R. Ad 1: Obligationes principis præcipuas hi versus habent:

Felicem, tutam, moratam tibi perfice gentem,
Sponsæ adsis Christi, dignos arcesse ministros.

1. Publicæ felicitati prospiciat mediis justis et opportunis; ideo enim summa rerum potitur. Ex hoc capite graviter peccaret, si rei publicæ imperitos præficeret; si subditos plus æquo gravaret, etc.

2. Subditos ab hostibus et ab injustis vexatoribus tueatur; quia bonus princeps esse debet veluti pater vigilantissimus respectu totius populi sui; ideo enim constitutus est rex.

3. Bonum exemplum, quoad mores ac Religionem, subditis præbeat; experientia constat subditos ad imitandum regem in iis præsertim, quæ favent cupiditatibus, maxime ferri. Ex quo vulgare illud: *regis ad exemplum totus componitur orbis* [1].

4. Quod omnium caput est, Catholicæ Ecclesiæ auxilium potentis sui brachii præstet, et omnia tam spiritualia, quam temporalia ejus jura tueatur: *non enim sine causa* (princeps) *gladium portat; Dei enim minister est* [2]. Hinc Tridentinum: *sæculares principes Deus sanctæ fidei Ecclesiæque protectores esse voluit* [3]. Neque posthabita Religione prosperabitur regnum; historia nos docet, *ex depressa sæpius sacrorum Antistitum auctoritate* (ait Pius IX Encycl. *Nostis* 8 dec. 1849), *et ex crescente in dies multorum contumacia in divinis et ecclesiasticis præceptis impune violandis, factum fuisse, ut minueretur pariter populi obsequium erga civilem potestatem.* Sane: qui Deo malus est, cui bonus erit? Ipse Tullius ajebat: *omnia Religione moventur* [4].

[1] *V.* Il p. Ventura, *Il Potere politico cristiano*, disc. VI: *Esempi de'grandi;* — Torricelli, *Dissertazioni* ecc., vol. VIII, diss. 4ª. — Mendo, *Il Principe perfetto.* — Liguori, *Mezzi per indurre i sudditi ad essere obbedienti a Dio.*
[2] Rom. XIII; vide Sap. VI. [3] Sess. XXV, c. 20.
[4] *In Verrem.* Et Plato, *religio humanæ societatis fundamentum est et magistratus propugnaculum (De Republ.*, l. IV); et Aristoteles, *in omni republica primum est curatio rerum divinarum* (Lib. VII *Politicor.*, c. 8). — *V.* Balmes, *Il Protestantismo comparato al Cattolicismo*, c. LXVIII.

5. Tandem suos sibi ministros et consiliarios eligat, qui tum scientia, tum prudentia, tum pietate præstent: *Consilium impiorum longe sit* ab eo [1]: *quis enim*, ait d. Ambrosius, *in cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? Itaque ubi luxuria, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet?.... An eum idoneum putabo, qui mihi det consilium, quod non dedit sibi? et mihi eum vacare credam, qui sibi non vacat* [2]. Experientia teste, mala consilia et reges et regna pervertunt *(U)*.

517. R. Ad 2: Obligationes subditorum sunt præcipuæ:

1. Ut principibus eorumque repræsentantibus exhibeant tum honorem juxta illud: *Deum timete, regem onorate* [3]; tum obedientiam: nullum enim in principibus esse potest jus imperandi, quin etiam sit in subditis obligatio obediendi.

2. Ut fidelitatem servent; si principes tenentur subditos tueri, æquitas exigit, ut subditi fideles se eisdem exhibeant.

3. Ut justa tributa persolvant: quia hæc regibus necessaria sunt ut valeant magistratus instituere, milites alere, et alia præstare ad publicam utilitatem [4].

Hinc versus:

Regibus obsequere, esto fidelis, solve tributa.

Art. II. — *De personis ad Forum spectantibus.*

§ I. — *De Accusatore et Reo, Judice seu Prætore et Teste.*

518. Q. 1. *Quisnam accusare in judicio tenetur?*

R. Accusator dicitur qui crimen superiori uti judici defert, ut reus puniatur, cum obligatione probandi delictum. Accusatio differt tum a *denuntiatione juridica*, quæ est delatio, vel etiam verbalis tantum, facta superiori uti judici absque obligatione delictum probandi; quam a *delatione evangelica* sive paterna, quæ fit superiori uti patri, nempe ad rei emendationem simpliciter. E contrario, accusatio nonnisi in scriptis fieri potest et cum onere allegatum probandi, et eandem pœnam subeundi, ad quam damnatus fuisset accusatus, si forsan reus non esset inventus. Hoc tamen abiit in desuetudinem, unde hodie denuntiatio juridica et accusatio promiscue sumitur, ac definitur: *delatio criminis apud superiorem tanquam judicem*, quocumque tandem modo fiat.

1 Job. xxi. Et Prov. xi: *salus autem, ubi multa consilia.*
2 *De Officiis*, l. ii. 3 1, Petri, ii.
4 *V.* Liguori, Opuscul. *La fedeltà de' vassalli verso Dio li rende fedeli anche al loro Principe;* — Gualco, *L'Autorità sovrana;* — De Tributis erit *De restitutione*, lib. ii.

Tenentur autem accusare vel denuntiare delinquentem: 1) ex justitia fiscales, custodes agrorum et alii qui a Republica, vel a dominis ideo stipendium accipiunt; qui porro si negligant, tenetur compensare damna ex eorum negligentia Reipublicæ vel dominis obvenientia; 2) quilibet privatus ex charitate, quando agitur de communi et gravi damno vitando, et crimen potest dignosci; unusquisque enim uti pars communitatis tenetur ex charitate illius bonum pro viribus tueri, etiam cum suo damno.

Diximus: *quando agitur de communi et gravi damno*, ut est hæresis, conspiratio contra regni tranquillitatem, monetarum falsificatio, latrocinium per publicas vias, confessarii sollicitatio, etc. Imo obligatio per se urget, etiamsi agatur de avertendo damnum grave ab aliquo innocente juxta illud: *libera eum qui injuriam patitur, de manu superbi* [1]. In praxi tamen accusare raro tenemur, si res sit de damno privato; nam accusatio non ita leve incommodum affert, et alioquin tribunalia essent quotidie plena accusatoribus cum Reipublicæ perturbatione.

Diximus: quando *et crimen potest dignosci:* si vero certo non possit dignosci, tunc potest fieri denuntiatio, ut superior monitus invigilet; melius enim est impedire, ne damnum inferatur, quam jam lato providere, hodie maxime cum satis sit simpliciter denuntiare.

519. *An sit præmittenda fraterna monitio judiciali denuntiationi?*

R. Si delictum est publicum, quia de eo adest infamia vel notorietas, nulla præmittenda correctio; *quia tunc non est tantum adhibendum remedium ei qui peccavit; sed etiam aliis in quorum notitiam* (crimen) *devenit* [2]. Si crimen non est publicum, etsi paucis notum, correctio est ex charitate præmittenda, casu quo speretur fructus; tunc enim et famæ proximi et bono publico satis providetur. Advertunt tamen, quod si nihilominus quis illum accusat, poterit peccare contra charitatem, non vero contra justitiam, quia semper prodest ad commune bonum crimina puniri.

520. *An possit clericus accusare coram Judice laico malefactores?*

R. Cum Dei ministros non oporteat litigare, ideo generatim a Jure canonico sub gravi prohibentur clerici ac religiosi accusare [3]. Ex-

[1] Eccles. IV. — *V.* Ferraris; V. *Accusare, Accusator, Accusatus.* Ex *Jure romano* accusare prohibentur pupilli, impuberes, mulieres, magistratus, infames, proxime conjuncti, etc. *Jure canonico* clerici judicio sæculari præsertim in causa sanguinis; laici respectu ecclesiasticorum, nisi agatur de crimine immani; hæretici non tolerati et excommunicati respectu fidelium, etc.; ita generatim *(V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, nn. 238 et seqq.). Tamen *Jure civili* moderno non admittuntur tot exceptiones, et unaquæque regio suas hac de re leges habet. Vide *Codices processus* tum *civilis*, tum *pœnalis*, tum *criminalis.*

[2] D. Thomas, 2, 2, q. 33, a. 7. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 237, etc. De denuntiatione evangelica erit ubi *de correctione fraterna*, lib. II, tract. VIII.

[3] Can. *Sicut*, caussæ 2; q. 7. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 468.

cipiunt tamen si accusent reum ad hoc, ut proprium damnum præcaveant, vel ut sibi resarciatur; tunc potest clericus ac religiosus malefactorem accusare etiam coram judice laico. Hinc Bonifacius VIII: *Si Prælati, aut clerici propter metum hujusmodi (quia judex ad pœnam sanguinis posset procedere) de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, et ipsorum bona libere deprædandi.* Quod licet non solum in causa propria, sed etiam propriæ Ecclesiæ, vel eorum cognatorum ad quartum gradum, vel etiam domesticorum [1].

Debet tamen clericus et religiosus ad vitandum irregularitatis periculum præmittere coram judice protestationem, se id non agere ad vindictam, neque ad pœnam sanguinis; bene vero ad solum sui, vel suorum defensionem et justitiæ triumphum. Quæ protestatio si omittitur, etsi per oblivionem inculpabilem, adhuc irregularitas incurritur; quia oblivio excusat a culpa, non ab hac irregularitate, quæ inducta est lenitatis causa.

521. Q. 3. *An reus judici interroganti teneatur crimen confiteri?*

R. Reus in civilibus a re, quæ petitur; in criminalibus, qui crimen admisit, appellatur. Porro judici legitime et juridice interroganti tenetur sub mortali respondere veritatem candide aperiendo et etiam socios sui criminis revelando. Judex enim habet jus veritatem a reo petendi: ergo repugnat in reo jus eam negandi. Hinc Benedictus XIV, Constitutione *Paterna charitas* anno 1749, generatim docet negandam absolutionem reis renuentibus; cum pertineat ad commune bonum, ut rei dignoscantur ac puniantur: et maxime si pœna, quæ timetur, sit ecclesiastica; quia hæc est medicinalis.

Quid (quæres) *si reus ideo timeat magnam pœnam?*

R. D. Thomas, Sanchez, Sotus, Lessius et Salmanticenses docent adhuc obligationem gravem adesse, etsi reus fatendo veritatem periculum mortis incurrat; est enim de ordine publico ut veritas aperiatur superioribus, qui interrogant secundum ordinem juris (hoc autem censemus probabilius). Attamen alii, et quidem satis probabiliter negant cum Suarez, Filliucio, Elbel et Lugo, reum teneri crimen suum revelare casu quo damnandus foret ad mortem, ad triremes, ad carcerem perpetuum, ad amissionem omnium bonorum vel totius famæ et honoris. Ratio quia videtur non adesse hanc duram legem uti humano modo impossibilem, ut quis teneatur quasi ipsemet se condemnare ad gravissimam pœnam, crimen suum ultro confitendo. Nisi tamen commune damnum certo immineat ex reticentia

[1] C. *Prælatis in hom.*, in 6. — Non incurritur irregularitas, si protestatio fiat post accusationem, tamen ante sententiam; item valet si ficte sit posita; nam lex non respicit animum interius, sed factum externum. Ita Concina, Filliucius, Suarez.

confessionis delicti, v. g. hæresis, crimen læsæ majestatis; tunc reus tenetur se prodere, vel saltem socios, quantum satis est ad damnum illud avertendum, etsi ideo et ipse evadat in judicio convictus [1].

Diximus 1: *judici legitime et juridice interroganti;* secus, ex d. Thoma, *non tenetur ei accusatus respondere; sed potest vel appellatione, vel aliter licite subterfugere; mendacium tamen dicere non licet* [2]. Judex enim non habet auctoritatem, nisi quando et legitime et juridice interrogat. Sic non interrogaret *legitime*, si pro eo casu non sit a principe deputatus; non interrogaret *juridice*, si aliqua semiplena probatio non præcesserit, neque extet infamia, aut aliud manifestum criminis indicium quod loco sit accusationis virtualis. Imo si agatur de re gravi, et rationabiliter reus dubitet, an interrogetur legitime ac juridice, non tenetur respondere, ut absolute docent Layman, Lessius, Lugo, Navarrus, Salmanticenses, Sanchez aliique; quia ipse possidet vitam et famam suam: ac proinde jus habet utramque sibi conservandi, donec sibi constet de legitima interrogatione.

Diximus 2: *etiam revelando socios sui criminis*, nempe si bonum commune, quod præferendum est bono privato, id expostulet. Item est de bono gravi alicujus innocentis; quia in pari causa ejus conditio melior est. Si vero neque bonum commune, neque bonum grave innocentis id postulet, tunc si socii sunt omnino occulti, ita ut nullis nec indiciis nec testimoniis cognosci et convinci possint, reus non tenetur eos revelare; quia in hoc casu adhuc ipsi retinent jus ad propriam famam.

An (quæres) *reus, qui vere deliquit, possit a carcere fugere?*

R. Si carcer reo jam est per sententiam assignatus ad pœnam, nefas videtur fugam arripere, quia in executione sententiæ reus tenetur obedire, cum sit legitimum superioris præceptum. Quidam excipiunt, si in carcere privetur necessariis ad sustentationem; vel si carcer sit nimis durus, ut si damnatio sit ad triremes; vel si

[1] Quidquid sit omnes tamen conveniunt, uti par est, quod si reus sit in bona fide, et difficile inducatur ad crimen fatendum, confessarius eum relinquere debet in sua bona fide ad vitandum formale peccatum. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 274.

« Pel caso poi che il reo domandasse dal confessore, se può rimanersi sulla negativa (intellige tantum si agatur de vitanda gravissima pœna ob rationes secundæ sententiæ), io (ait Frassinetti in suo *Compendio*, nota 94), crederei che gli potrebbe rispondere: *Se siete ben pentito de' vostri peccati e risoluto di rimediare alle conseguenze dei medesimi, io vi do l'assoluzione; del resto farete ciò che crederete meglio.* Lascerei che al pubblico bene provveda l'amministrazione della giustizia con tutti i mezzi che essa ha. Nè penserei che fosse da scrupoleggiare sulla bugia, che direbbe il reo negando di aver commesso il delitto; imperocchè nè il giudice nè ciascun altro crede al reo per quanto accerti di essere innocente; or non è bugia il dire una falsità quando si sia certo che non è creduta. » Sit; attamen reus putat se mentiri si delictum negat; quid ergo ultimo respondendum, maxime si instet reus sciscitando a confessario, quid agere possit aut debeat?

[2] 2, 2, q. 69, a. 1. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 197; — Ferraris; *V. Reus.* Quomodo autem dirigendi carcere detenti et ad mortem damnati vide dicenda Lib. IV, *Append.*: ubi *de directione pœnitentium.*

carcer sit saluti corporis nimis noxius, aut animæ periculosus; quia tunc videtur supra vires aliquem obligari ad se minime liberandum, cum id possit sine vi.

Si vero reus in carcere tantum detineatur ad custodiam, ut pœnam suo tempore subeat, tunc poterit fugam arripere, modo id fiat sine corruptione ministrorum, ac sine mediis per se malis; eo enim in casu non facit contra judicis sententiam, ut communiter docent cum d. Thoma [1]. Etsi lex civilis etiam intentationem fugæ puniat, si violenter vel cum damno evenerit [2].

522. Q. 3. *Quid requiritur in judice, ut recte munere suo fungatur?*

R. Judex (nunc *prætor)* est persona publica legitima auctoritate constituta, ut secundum leges justitiam administret, et in delinquentes pœnas decernat. Sic dicitur vel quia jus dicit, vel quia partium jura disceptat juxta legum præscripta. In eo requiritur:

1. *Scientia sufficiens* earum rerum, quæ ad proprium officium pertinent, uti est notitia Juris communis et patrii, ac consuetudinum locorum: *erudimini*, inquit R. Psaltes [3], *qui judicatis terram.* Ignarus judex non potest absolvi, nisi illico discat vel officium paratus sit dimittere. Imo si magna imperitia, dolo aut negligentia in causa discutienda injustam tulit sententiam, tenetur de damnis, utpote reus violatæ justitiæ non tantum legalis, sed etiam commutativæ, ex quasi-contractu cum privatis tacite inito ratione officii.

2. *Animi fortitudo*, ita ut nec odio nec amori nec promissionibus nec precibus nec minis cedat, clamante Ecclesiastico: *noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua* [4]. Ad quod periculum avertendum omni jure prohibetur judex munera accipere [5]: sed excipiunt levia munuscula, maxime accedente consuetudine; cum enim ea ex sola urbanitate offerantur, quasi inurbane refutarentur. Attamen pro praxi semper consultius erit, ut judex nihil accipiat; tum quia partes non omnino sponte tribuunt; tum quia *dona excæcant oculos judicum; et qui odit munera vivet* [6].

3. *Prudentia sagax* in rebus difficillimis ac dubiis rite resolvendis, neque enim pro omnibus controversiis una regula sufficit: ita si omnibus perpensis, æqualis appareat probabilitas tam pro una, quam pro contraria parte, si causa est criminalis, debet semper judicare pro reo juxta regulam: *nemo præsumitur malus, nisi pro-*

[1] 2, 2, q. 69, a. 4. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 280.
[2] *Cod. pœn.* art. 284; — *C. A. pœn.*, § 330.
[3] Ps. II. [4] Eccl. VII.
[5] In *Sexto*, § *insuper*. — *Cod. pœn.*, art. 215, etc.; — *C. A. pœn.* § 88.
[6] Eccli. XX; Prov. XV.

betur; in dubio semper reo favendum est. Si vero causa est civilis, et una pars bona fide jam possideat rem controversam, huic favendum est, quia *in dubio melior est conditio possidentis;* si neutra pars rem possidet, res erit ex æquo probabilius dividenda, præcluso omni judicis arbitrio; quia ipse non est rerum dominus, sed solum distributor juxta partium jura, æqualia ex hypothesi.

4. *Vigilans sollicitudo* in causis expediendis: id et æquitati convenit et rigori [1]. Quare peccat mortaliter sententiam differendo sine justa causa ad longum tempus; et tenetur compensare damna inde obvenientia. Item si judex aliquid accipiat pro expedienda causa unius præ causa alterius, verius tenetur ad restitutionem, cum hoc non sit prætio æstimabile; etenim ex vi officii sui tenetur æqualiter causas expedire. Excipe extraordinarium laborem præstitum, ad quem ex munere suo non teneretur.

5. *Sententiæ prolatio*, et quidem juxta legis præscripta; judex enim non est dominus, sed executor legis, qui tenetur jus dicere ad normam ipsius juris. Quod omnia jura confirmant.

Omnes judicis obligationes sequens exhibet versus:

Jura sciens, fortis, prudens, vigil, efferat æquum.

523. *An* (quæres) *sententia judicis injusta obliget?*

R. Si injuste feratur per falsa allegata, sive ex judicis iniquitate, nullum habet robur in foro conscientiæ; manetque parti læsæ (tametsi non appellet) jus suum illæsum, licebitque, si absque scandalo possit, sibi compensare. Ratio quia sententia eatenus obligat in conscientia, quatenus habet rationem justi judicii. Diximus: *in foro conscientiæ;* quia in foro externo, ubi non tam veritas facti, quam probatio juridica spectatur, sententia prolata servanda est ad evitanda scandala et incommoda [2].

524. Q. 4. *An judex possit condemnare reum quem privata scientia scit talem revera esse, sed juridice probetur innocens?*

R. Non potest judex eum damnare, qui juridice probatur innocens, etsi privata scientia eum reum esse cognoverit; quia judex personam publicam agit, et ideo sequi debet scientiam publicam et procedere juxta publice allegata et probata, præsertim in favorabilibus. Ita s. Thomas cum communi Doctorum [3].

Quid (dices) *si judex privata scientia certo sciat, reum esse innocentem, qui tamen juridice probatur nocens?*

Agnoscunt omnes judicem debere omnem diligentiam et industriam adhibere ut liberet innocentem, v. g. actorem ab accusatione avertendo, testes accuratius investigando, ut de falso convincat Danielis exemplo, causam protraendo, accusato medium evadendi industrie suppeditando, vel ei, si polleat hac auctoritate, ignoscendo, vel remittendo causam ad superiorem innocentiam testificando, etc. Quid si hæc non prosint?

1 Cap. II *de sent. et re jud.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 210.
2 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 215; — Ferraris; V. *Judex, Judicium, Sententia.*
3 2, 2, q. 67, a. 2. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIII, nn. 67 et seqq.

Alii negant posse judicem sententiam proferre contra eum quem certo scit innocentem, cum hoc sit per se malum. Alii vero cum d. Thoma affirmant; nam judicii norma non pendet a privata judicis scientia; et tunc non est ipse judex qui damnat innocentem, sed illi qui asserunt eum esse reum.

Tandem alii et valde probabiliter cum d. Bonaventura, Lugo, Lessio distinguunt: si agatur de causis criminalibus, nempe de pœna vitæ aut mutilationis, negant posse judicem condemnare innocentem, cum hoc sit intrinsece malum; sicut esset cogere mulierem ad convivendum cum eo, quem privatim scit judex non esse suum maritum: unde tunc saltem est desistendum a judicio. In causis vero civilibus, vel ubi agitur de pœna pecuniaria aut exilii aut privationis officiorum, probabiliter concedunt licere. Ratio discriminis est, quod Respublica non habet dominium directum vitæ et corporis subditorum, ideoque non potest directe in hoc damnare innocentem: habet tamen supremum dominium bonorum, ideoque potest subditos suos iisdem privare, quando bonum publicum id requirat ad pacem et tranquillitatem regni, et ne forma publicorum judiciorum cum scandalo subvertatur [1] *(V).*

525. Q. 5. *Quid de testibus dicendum?*

R. Testes in genere sunt personæ idoneæ, quæ ad fidem alicujus rei adstruendam adhibentur: præcipui alii sunt *testamentarii* qui in testamento, alii *instrumentarii* qui in instrumento, alii *judiciales* qui in judicio adhibentur. Necessario juramentum prærequiritur in depositione testium, adeo ut in tertii præjudicium, nulla fides adhibeatur testi, qui non sit jurisjurandi religione coarctatus.

Testes dicuntur *contestes*, si concorditer deponant super eodem facto. Dicuntur *singulares*, si in testimonio non concordent.

526. Ad testandum neque omnes, neque in omnibus rebus, neque eodem semper numero assumuntur homines. *Non omnes:* sic excluduntur ex *Codice pœnali* infames; et qui in materia civili falsum jurejurando deposuerunt [2]. *Non in omnibus rebus:* sic in civili contractu non admittuntur testes circa conventionem de re excedente quingentas libellas, etsi agatur de deposito voluntario [3]. *Non eodem semper numero;* nam aliquando unus testis sufficit, uti si agatur de impediendo matrimonio illegitimo [4]; de levioribus infligendis pœnis, uti cum mulctatur fur sylvarum, vel de perito in sua arte: id enim expedit bono publico. Aliquando plures testes requiruntur, ut in testamentis. Verum ordinarie duo testes sufficiunt in omni causa; nam ex Angelico ad humanas actiones probandas sufficit certitudo moralis. Hinc illud: *duorum hominum testimonium verum est* [5].

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 208; — Lugo, *De Justitia*, d. 37; — Carrière, *De Justitia et Jure*, n. 750.
[2] Art. 25 et 378; — *C. A. pœn.*, p. 2ª, §§ 366 et seqq.
[3] *Cod. civ.* art. 1341; — *C. S.* 1295; — *C. G.* 1341.
[4] C. *Præterea* II *des spons.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 255, 265, 266.
[5] Joann. VIII. — Canonico jure (tit. XX, lib. II *Decret.*) plures excluduntur a testimonio ferendo, ut furiosi, impuberes, cæci, pecunia corrupti, infames, criminosi,

Tenetur autem quilibet testari: 1) ex *charitate*, cum id necessarium est ad avertendum grave proximi vel Reipublicæ damnum; 2) ex *præcepto*, cum judex legitime et juridice interrogat; præceptum enim justum obligat in conscientia. Porro judex censetur *legitime* interrogare, si de re interroget quæ esse possit materia ejus judicii: unde non teneris respondere, si te interroget de auditis in Confessione; aut si deberes testificari in tui vel tuorum damnum; nam præceptum humanum regulariter non obligat cum tanto incommodo. Censetur interrogare *juridice*, cum adest semiplena probatio, v. g. vel unus adest testis de visu aut de auditu proprio, vel adest notorietas aut infamia criminis aut manifestum indicium.

Quando tamen non adest saltem semiplena probatio aut evidens criminis indicium, si accusator unum testem tantum afferat, hic testis, qui delictum solum novit, probabilius non tenetur in conscientia illud revelare judici; hinc illud: *testis unus testis nullus.*

527. Q. 6. *An clericus possit citari ut testis coram judice laico?*

R. Habita licentia a proprio superiore (ut salventur, si qui vigent Canones [1]) utique clericus potest citari ut testis coram judice laico; ne scilicet in defectu pereat justitia: hinc testimonium ferre munus publicum habetur. Juramentum autem de veritate dicenda emittet ecclesiasticus non tactis Scripturis more laicorum, sed tacto sibi pectore more sacerdotali. Si tamen clericus citetur uti testis in causa criminali (ad vitandum irregularitatis periculum) præmittat protestationem præscriptam a Bonifacio VIII, se nempe id non agere ad vindictam nec ad pœnam sanguinis; sed vel ad defensionem sui aut suorum, vel tantummodo ad veritatis manifestationis ac justitiæ publicæ utilitatem [2].

528. Q. 7. *Quid si testis deficiat in officio suo?*

R. Si testis cum damno alterius falsum deposuit, ex ignorantia invincibili, vel ex inadvertentia, aut ex oblivione inculpabili, tenetur quod dixit retractare, ac damnum eo quo potest modo impedire, non vero illatum reparare, nec grave detrimentum subire ad tollendam causam inculpabiliter positam; cum nulla ratione peccaverit, neque aliquid sit consecutus. Si vero id fecit scienter, tribus personis fuit obnoxius, *Deo* cujus præsentiam contemnit, *judici* quem mentiendo fallit, *innocenti* quem falso testimonio lædit; est ergo et perjurus, et judiciorum ac justitiæ violator iniquus: et ideo non

perjuri, excommunicati, viles, parentes, conjuges ad invicem, famuli, fœmina, socius criminis, etc.; quæ tamen omnia habent suam exceptionem. Quoad jus Civile vide exclusiones in Codice proceduræ tum civilis, tum pœnalis, ubi etiam de *peritis* qui vocantur ad propriam sententiam aperiendam circa rem aliquam, de qua sint experti.

1 Ex cap. *Nullus* XXII, can. 22, q. 44. — *V.* Ferraris; V. *Testis, Juramentum*, art. 2, n. 44.

2 *V. De juramento*, de Virtute Religionis, Lib. II; et Lib. IV, *Append.: De juramento fidelitatis.*

satis est ipsum pœnitere, sed ex justitia tenetur sub gravi reparare omnia damna, quæ jam evenerunt: item damnosum testimonium ex justitia revocare cum pari suo damno; ergo etiam cum periculo vitæ, si accusatus vi testimonii falsi ad mortem fuerit condemnatus et adhuc ille liberari valeat; nam, in pari causa, semper melior est conditio innocentis [1].

Animadvertendum ex pluribus Synodis, uti ex Novariensi, esse reservatam *juratam falsi in judicio depositionem, aut veri reticentiam factam ab accusatore vel teste: item inductionem falsi testis jurati in judicium* (pag. 132). Etiam *Codex pœnalis* istos omnes graviter punit, art. 364 et sequentes.

529. Q. 8. *An teneatur ad restitutionem testis, qui judici legitime interroganti veritatem celavit dicens:* se nihil scire?

R. Affirmant Salmanticenses, Sanchez, Sotus aliique, teneri ad restituendum cui venit damnum, testem qui in judicio veritatem celavit; quia testis posito præcepto judicis tenetur ex justitia veritatem patefacere. Sed Lugo, Molina, Raynaudus cum aliis id negant, quod merito Lessius putat probabile; quia revera testis non tenetur veritatem deponere, nisi vel ex præcepto judicis vel vi præstiti juramenti. Tacendo itaque veritatem non peccavit contra commutativam justitiam [2]; sed tantummodo contra obedientiam, vel etiam contra religionem. Quod valere dicunt probabilius, etsi testis juraverit se dicturum veritatem; nam jurando non intendit se ligare, nisi religionis vinculo [3]. Imo hoc idem verius, ac communissime adhuc obtinere ajunt de eo qui sine causa se occultat ante citationem. Imo communius et probabilius etiam post citationem; nam *ante* sola charitas, *post* etiam obedientia, in neutro tamen casu obligat commutativa justitia. Attamen in foro externo qui hæc agit, tenetur de damnis et carcere punitur; cum ideo justitia legalis impediatur [4].

530. *Quid* (dices) *de illo, qui falsam scripturam, aut chirographum, supponit vel adulterat ad supplendos actus perditos, vel ad jus suum certum prosequendum?*

[1] Non semper tamen, finito judicio et causa, creditur testi se retractanti; ideo excutiendus casus, ne inutiliter cogatur ad revocationem testimonii; semper tamen de damnis tenetur. — *V.* Carrière, *De Justitia et Jure*, n. 1213 et n. 963.

[2] Sed peccaret contra legalem; quia quilibet civis utpote pars societatis tenetur quantum in se est publico bono prospicere: facit autem ad publicum bonum, ut impii puniantur. Imo vel contra ipsam commutativam justitiam peccaret, qui veritatem non deponeret, casu quo fuerit vocatus ad testificandum de contractu cujus fuit testis: tunc ipse assumendo testis officium, sese implicite obligavit ad testificandum, quando ipsius testificatione contrahentes indigerent.

[3] Dispar est conditio judicis a teste: judex enim ex quasi-contractu cum Republica debet, ratione officii sui et ex justitia, justam sententiam ferre, et ideo si negligat, tenetur ad restitutionem. Testis vero non ex justitia commutativa, sed tantum ex obedientia et Religione tenetur ad illud officium, vel ex justitia legali.

Neque suo mendacio aliquod positivum impedimentum posuit, sed simpliciter impedimentum non removit: unde damni non est positiva causa, sed negativa tantum.

[4] *Cod. pœnali*, art. 370. — *C. A. pœn.*, p. 2ª, a 279.

R. 1) Iste non peccat contra justitiam commutativam, proinde ad nullam restitutionem tenetur; cum ejus jus sit certum; — 2) peccat saltem venialiter in omni casu, ratione mendacii: quia utcumque res se habeat, chirographum quod exhibetur, diversum ab illo est, quod in judicio fidem facere debet; — 3) potest aliquando peccare graviter contra charitatem erga seipsum, se exponendo proximo periculo gravissimarum pœnarum, si falsitas detegatur, quod facile evenire potest. Et multo magis peccaret, si ad suum jus probandum falsos testes induceret, vel testes de visu cum sint tantum de auditu: esto quod non lædatur justitia stricte sumpta cum jus certum sit; læditur ordo judiciorum, læditur veritas ac religio, et cooperaret ad juratam aliorum falsam depositionem, ideo non tantum testes sic jurantes, sed ipse quoque incideret in reservationem, ut *inductor falsi testis jurati in judicium:* ita ex pluribus Synodis, signanter vero ex casu XI Synodi Novariensis.

Scholium. — *De juratis, de arbitris et apparitoribus.*

531. Q. 1. *Quid de juratis?*

R. Jurati sunt (vel esse debent) probi viri, qui ex quocumque cœtu assumuntur ad pronunciandum, num in tali opere, scripto, imagine, vel incisione aliquid contineatur contra mores, vel personas; juramentum emittunt de voto dando conscientiose.

An juratus (giudice del fatto) *dare possit votum contra accusatum, juridice quidem de crimine convinctum, sed cujus innocentiam privata scientia certo cognoscit?*

Negat Gury: quia hoc videtur contra mentem legis; jurati enim pronuntiare debent tantum circa factum atque juxta intimam convictionem, quam de ejus existentia habent: nec tenentur legalem reddere sententiæ rationem; ergo votum dare debent juxta quod in conscientia habent, non aliud inquirentes [1] *(X).*

532. Q. 2. *Quid de arbitris?*

R. *Arbitri* dicuntur qui dispares numero ad derimendam aliquam litem a litigantibus uti judices assumuntur. Pactum, quo facultas ipsis tribuitur litem componendi ac finiendi vocatur *compromissum,* quod confici potest scriptura tum privata tum publica, in quo tamen sub pœna nullitatis referenda sunt nomina ac cognomina partium et arbitrum, item determinanda est controversia ipsa. Arbitrum sententia, ut valorem obtineat, intra quinque dies ex lege civili deponenda est penes Cancellariam Præfecturæ mandamentalis ubi lata est. Quæ sententia inappellabilis est: 1) *quando gli arbitri siano stati autorizzati a pronunziare come amichevoli compositori;* 2) *quando i medesimi abbiano pronunziato come giudici d'appello;*

1 V. *Civ. Catt.*, ser. 1ª, vol. x: *Il Giury;* it. *Pubblicità della discussione;* ser. 7ª, t. 1: *Piccolo saggio di giustizia e di scienza liberalesca.*

3) *quando le parti abbiano rinunziato all'appello;* 4) *quando la causa sarebbe stata di competenza del conciliatore* [1]. Arbitri repellendi si ad rem judicandam sufficientem non habeant doctrinam. Item judicare debent juxta leges vigentes, nisi partes eis facultatem fecerint rem ex bono et æquo componendi. Cavere autem debent ab acceptatione personarum, sed juxta justitiæ regulas sententiam ferre; secus peccarent et tenerentur ad restitutionem.

Huc veniunt etiam *conciliatores* pro litium compositionem: de his ex *Cod. civ.* art. 9: *Se l'oggetto della conciliazione ecceda il valore di lire* 30 *o il valore sia indeterminato, l'atto di conciliazione ha soltanto la forza di scrittura privata riconosciuta in giudizio.*

533. Q. 3. *Quid de apparitoribus?*

R. *Apparitor* (vulgo *usciere)* dicitur qui ex officio mandata justitiæ defert et executiones a prætore decretas perficit. Cum apparitores sint ministri justitiæ, decet ut humaniter et religiose suo officio fungantur. Fidelitatem præstare debent in mandatis tribunalis exequendis, videndo ne formalitates necessarias in actis suis omittant; secus non justitiam legalem tantum, sed sæpe etiam commutativam læderent, quo in casu ad restitutionem tenerentur.

Qua de re maxime delinquunt si pretio aut favore se corrumpi sinant in alterius præjudicium; si diem falso notent; si in verbalibus falsum affirment; si lustrantes domos aspere agant, ut extorqueant munus; si excedant mandatum in bonis privatorum capiendis, etc. [2].

§ II. — *De advocatis, procuratoribus, referentibus, de scribis seu secretariis ac notariis.*

534. Q. 1. *Quænam sunt advocati obligationes?*

R. *Advocatus* vel *causidicus* ille est, qui suum litigantibus præbet auxilium consilio, voce aut scripto. Oportet ut:

Causidicus sapiens, justus, vigilans sit, honestus.

Id est in advocato ex justitia tum legali erga societatem, tum commutativa erga litigantes requiritur:

1. *Scientia sufficiens,* ne se periculo exponat graviter nocendi; ideo advocatus antequam patrocinium suscipiat, tenetur accurate perpendere *probabilitatem* causæ, ne temere clientem ignarum periculo litis amittendæ exponat; et teneretur ad restitutionem, si li-

[1] V. *Codice di procedura civile,* art. 8 et seqq., et art. 10: « Chiunque, cittadino o straniero, può essere nominato arbitro; non possono essere arbitri le donne, i minori, gli interdetti, e coloro che esclusi dall'officio di giurato per condanna penale, non furono riabilitati. » Quoad Jus canonicum *v.* Vecchiotti, *Instit. Can.*, l. IV, *De arbitris.*

[2] V. *Codice di procedura civile,* art. 41, 42; — *Codice di procedura penale,* art. 164, 165; — *Codice di commercio,* art. 259, 294.

tis amittendæ periculum ei non indicet, quo cognito, cliens non litigaret: deficeret enim in eo, ob quod stipendium accipit.

2. *Justitia causæ*, nam iniquum est injustitiam tueri; ideo statim ac advocatus cognoscit injustitiam suæ causæ, debet clientem admonere et eum deserere, ne illius injustitiæ cooperetur: quo in casu neque potest compositionem suadere; cum ea non habeat locum, nisi in re dubia [1]. At si nihilominus causam injustam egerit, tenetur compensare damna, quæ inde utrique parti obveniunt: *parti contrariæ* restituere tenetur ex peccato commissionis; quia illi fuit causa positiva damni: *suo clienti*, si erat in bona fide, ex peccato omissionis; quia ex officio eum monere tenebatur de causæ injustitia. Si tamen cliens sit in mala fide, tunc hic tenetur parti contrariæ primo loco restituere uti mandans, et si non restituat, tenebitur advocatus secundo loco, uti executor. Item debet veritatem in omnibus sequi; nam mendacium semper peccatum est. Quare peccat si producat scripturas falsas, vel testes corruptos; ceterum d. Thomas docet non peccare advocatum, si adversario in causa manifeste justa aliquid prudenter occultet; quia esset tantum sinere, ut ipse se decipiat [2].

Potest autem advocatus defendere *in civilibus* causas dubias, vel minus probabiles tum reorum tum actorum; quia spem habere potest, ut veritas elucescat. In causis vero criminalibus reus semper defendi potest, etsi constaret de ejus culpabilitate; nam sicut reus potest pœnam a se declinare tuta conscientia donec convincatur, ita advocato licet media quærere ne convincatur, sine mendacio tamen [3].

3. *Vigilantia* ac *diligentia;* ideo enim advocatus conducitur, ut strenue et utiliter negotium susceptum gerat illam adhibendo curam, quam in simili negotio adhiberent viri prudentes ejusdem conditionis absque ulla personarum distinctione. Hinc si differat causæ expeditionem cum clientis sui præjudicio, vel plures acceptet quam possit expedire, peccat et tenetur ad restitutionem.

4. *Honestas in pretio;* nam excessus in omni re malum est [4].

1 Posset tamen compositionem suadere adversario, si advocatus prævideat quod suus cliens ipsum erit vexaturus; esset enim ei suadere redemptionem ab injusta vexatione. Non tamen posset adversario injustitiam causæ sui clientis aperire, ut docent communiter cum Angelico (2, 2, q. 71, a. 2), nisi forte adversarius capite plectendus esset, et cliens contra ipsum injuste procederet, etiam admonitus.

2 2, 2, q. 71, a. 3. — Hic autem notandum, quod non ideo tenetur advocatus restituere, quia fraudulenter egit; potest enim nihilominus causa sua esse justa. Quo in casu peccaret quidem fraudulenter agendo, ac injuriam irrogaret reipublicæ pervertendo ordinem judicii, sed nihil deberet alteri parti, cum de facto pars contraria non fuisset injuste læsa. — *V.* Ferraris; V. *Advocatus.*

3 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 221.

4 *Cod.* art. 1458; — *C. A.* 879; — *C. S.* 1442; — *C. P.* 1403; — *C. G.* 1597; — *C. M.* 1483; — *C. T.* 716. Ex *Cod. pœn.* art. 309, sub pœna advocatis et procuratoribus prohibetur contractum inire cum clientibus quoad lites quas agunt.

Unde si a lege sit taxatum, illud tenendum: sin autem, prudentum judicio habita ratione negotii, peritiæ advocati, laboris ac receptæ consuetudinis determinandum, etc. Verum ex charitate advocatus aliquando tenetur gratis patrocinari, nempe in extrema cum gravi suo incommodo, in gravi vero necessitate proximi cum aliquali suo incommodo; hinc illud: *qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses* [1].

535. Q. 2. *Quænam sunt obligationes procuratorum?*

R. *Procurator* ille est, qui litigantis mandato et nomine causam in judicio prosequitur. In ipso (sicuti in advocatis) requiritur *scientia, justitia, fidelitas, diligentia* et *justum pretium*. Hinc peccare dicendus est procurator: 1) si litem suscipiat injustam; vel plures causas procuret quam possit opportune expedire; vel si plus mercedis accipiat; 2) si falsa proferat, aut reo suadeat, ut veritatem neget; 3) si tribunali vel foro sine legitimo impedimento non intersit, cum debet; vel litigantes inducat ad compositionem injustam, aut differat causam vel terminos petat superfluos; 4) si falsos testes adhibeat vel judicem pervertat, etc. In his enim omnibus deficit in officio proprio: hinc illud:

Injustus, mendax, deses, fraudator agendo.

536. Q. 3. *Quænam sunt obligationes referentium in judicio, secretariorum ac notarii?*

R. Ad 1: *Referentes* (vel *ponentes*) sunt, quibus litis examen committitur, ut illam judicibus referant definiendam. Debent autem primo recte scire quæ ad munus proprium pertinent; deinde necessariam adhibere diligentiam, ut iisdem faciant satis; alioquin ipsis imputabuntur obventura damna. Ponentes in his maxime deficiunt: 1) si ex ignorantia male referant, aut quidquam ad causæ substantiam in relatione prætermittant; 2) si nitantur magis unius, quam alterius partis rationes explicare; vel si sententiam alterutri manifestent, antequam legitime edita sit, et inde oriantur damna.

537. R. Ad 2: *Secretarius* dicitur qui legitima auctoritate est deputatus, ut scripto referat testimonia, judicum sententias et cetera quæ in tribunalibus peraguntur; unde patet quantæ prudentiæ sit munus: est enim secretarius quasi dextera judicis. Porro præter

[1] Prov. XXIV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 222. Civili decreto, 21 nov. 1866, art. 1, legitur: « Il patrocinio gratuito dei poveri è un officio onorifico ed obbligatorio della classe degli avvocati e dei procuratori. Presso ogni tribunale civile e correzionale ed ogni Corte d'Appello e di Cassazione è costituita una Commissione pel gratuito patrocinio. » Qui porro vult hoc beneficio gaudere, nempe patrocinium obtinere gratis, ab ipso recurrendum est *in carta libera* ut ajunt; si persona talis sit ut nequeat litis expenses facere (quod syndacis attestatione probandum), et ipsa lis probabilem felicis exitus rationem præferat, huic beneficio locus fit: ad quod quidem admittuntur etiam corpora moralia, quorum scopus est cura pauperum.

scientiam muneri necessariam, tenetur: 1) inviolatum, ut ipsum nomen indicat, secretum servare, qua de causa juramentum emittit; 2) testium depositiones et omnia in tribunali acta fideliter transcribere: et graviter peccaret et restituere teneretur, si quid augeret, distraheret vel immutaret in re gravi et damnosa [1].

538. R. Ad 3: *Notarius* dicitur qui legitime est institutus ad scribenda et notanda acta vel instrumenta, quæ sive in judicio, sive extra, fidem faciunt. Notarii munus gravissimum est; cum ei publica fides sit commissa: huc autem præcipuæ obligationes reducuntur:

Expertus, fidus, diligens notarius esto.

1) *Expertus:* unde peccat graviter contra justitiam, si ex officii sui ignorantia vel negligentia solemnitates necessarias omittat, ut esset idoneos testes non adhibere, subscriptiones non apponere; adeo ut actus nullus evadat; 2) *fidelis:* unde graviter item contra justitiam peccat, si juramentum violet vel secretum, si in depositione testium aliquid addat aut detrahat gravis momenti, vel ambigua verba adhibeat quæ litibus vel injustitiis locum præbeant; 3) *diligens:* unde graviter peccat, et de restitutione tenetur, si acta negligenter custodiat, vel differat absque justo impedimento causæ expeditionem, etc.

Hæc enim omnia, quæ ex publico et gravissimo officio suo cavere tenetur notarius, contingere non possunt sine gravi aliorum detrimento. Quare si culpabiliter in his deficiat, tenetur per se sub gravi ad restitutionem uti injustus damnificator aut cooperator.

539. Ex pluribus diœcesanis Synodis (uti ex Novariensi) id imponitur, *ut legata pia et alias pias dispositiones testatorum intra sex menses a notitia obitus Episcopo, vel Parocho ipsius defuncti, vel Rectori Ecclesiæ cui legata relicta sunt, vel legatorum piorum Promotori* (notarii) *manifestent. Si huic muneri culpabiliter non satisfecerint, incurrunt in casum reservatum* (pag. 327) [2].

Art. III. — *De medicis, chirurgis et pharmacopolis.*

540. Q. 1. *Quænam sunt medicorum obligationes?*

R. Grave, nobile ac delicatum munus medicis incumbit (quod pariter valet de chirurgis); cum ipsa hominum vita ejusque sospitas iis concredita sit. Quanta ergo scientia, honestate, probitate et charitate indigent, ut gravissimas sui officii partes rite impleant! Nempe sedulo medici curare debent:

1 *V.* Parisis, *Istruzioni per la gioventù impiegata nelle Segreterie;* Roma; — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 227; — Ferraris; V. *Secretarius.*

2 *Cod. pœnalis* graves decernit pœnas in publicos officiales, qui agunt fraudulenter: art. 207; it. 343 et seqq. — *C. A. pœn.*, p. 1ª, § 85. — *V.* Ferraris; V. *Notarius.*

1. Ut morborum naturam ac medicamentorum vim agnoscant; idest sufficienti scientia debent esse instructi; nec se jactare peritos, cum non sint.

2. Ut ægrotis studiosa cura præsto sint; et videant ne curationem protrahant lucri causa, aut pauperes negligant, vel ne alios medicos vocari prohibeant, aut convocans consulendi causa ad amicitiam potius quam ad peritiam attendant; item ne ad favendum pharmacopolis amicis, pharmaca superflua præscribant. Item tenentur sub gravi tempore pestis aliique morbi contagiosi ægrotos non deserere, nisi sint alii numero sufficientes qui opem præstent; nam medici ex officio ob bonum publicum societatis constituuntur; unde in communi periculo non sibi, sed societati consulere debent: imo si essent pretio conducti fugiendo peccarent etiam contra justitiam.

3. Ne Dei et Ecclesiæ præcepta parvi faciant, quoscumque dispensando sine necessitate: *medicus sit christianus*, en prima medicorum obligatio ex celebri physico Hoffmann.

4. Ne secretis suæ fidei concreditis abutantur, morbos pudendos pandendo sine causa, etc [1]. Ex quibus omnibus patet, quod medicus gravissime peccat:

Doctrina, curaque carens, pietate, revelans.

511. Q. 2. *An medicus debeat infirmum monere de Confessione?*

R. Si agatur de morbo mortali, medicus tenetur vel ipso Jure naturali infirmum monere de Confessione sacramentali peragenda; unusquisque enim tenetur, cum potest, saltem sine gravi suo detrimento, periculum æternæ damnationis a proximo suo removere. Imo etsi morbus hic et nunc non sit mortalis, attamen Lateranense IV sub Innocentio III, 1215, præcipit districte (ideo sub gravi) omnibus medicis, ne infirmos in curam recipiant, nisi prius confiteantur. S. Pius V, Constitutione *Supra gregem* 1566, confirmans tale præceptum insuper jussit, ut medici non antea infirmi curationem suscipiant, quam eum admonuerint de Confessione peragenda. Eis etiam prohibet, ne eum ultra tres dies invisant, nisi scripto confessarii resciant, eum esse confessum. Statuit etiam, ut medici antequam doctoratus gradum consequantur, jurent se tale præceptum observaturos.

Porro communior sententia, cui consentit Benedictus XIV [2], vult quod præfatum præceptum, etsi non obliget in quocumque morbo levi (quod esset ridiculum ex Suarez), neque tamen intelligendum est urgere dumtaxat in morbis actualiter periculosis; sed etiam in illis, qui judicantur posse in posterum periculosi fieri. Nam Innocentius, uti se exprimit, hoc dedit præceptum, ne infirmi si monerentur in morbo mortali facilius mortis periculum incurrerent: ergo supponit esse monendos antequam morbus mortalis evadat. Adde in morbo jam nunc mortaliter periculoso talis obligatio oritur ab ipso Jure naturæ. Uti-

[1] Ex *Codice pœnali* medici et chirurgi tenentur sub pœna intra horas 24 denuntiare quos curaverint vulneratos. Item graviter puniuntur, si cuipiam ut a publico liberetur officio, falsam fidem faciant (art. 208 et 358. — *C. A. pœn.*, p. II, §§ 3 et seqq.).

[2] *Notificatione* XXII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 46; l. IV, n. 291.

nam autem Constitutio hæc observaretur ab omnibus! quot infirmi, exclamat s. Alphonsus, damnationem vitarent, qui ob medicorum oscitantiam Confessionem procrastinando inconfessi, aut male confessi decedunt [1]! Verum ad hujus præcepti implementum sufficit:

1) Si medicus moneat infirmum per alios; jam enim totus finis obtinetur. Ita Mazzotta, Suarez, Vega, Viva, etc.; — 2) si habeat aliorum testimonium, qui sint fide digni, infirmum confessum esse. Ita Barbosa, Diana, Sanchez, etc.; — 3) si moraliter certus sit infirmum esse in bono statu. Ita Fagnanus, Sylvius, aliique cum s. Antonino; nam tunc cessat periculum male moriendi. Si tamen infirmus monitus de Confessione obstinate renuat, et esset in periculo, si a medico desereretur, adhuc potest cura eidem exhiberi. Ratio quia Pontificis decretum non adversatur charitati, quæ favet etiam obstinatis quoad potest: et hoc esse commune docet Benedictus XIV *(Y)*.

542. Q. 3. *An infirmus teneatur medicum vocare eique parere?*

R. Ad vitam, ejusque sospitatem tuendam ipsa natura nos impellit. Ubi ergo sanitas nostra turbatur, ordinarie loquendo, satis non est morbum patienter ferre; sed casu, quo per remedia simpliciora morbus non pellatur, tenemur medicum adhibere cum possumus, ejusque præscriptionibus obtempèrare, si extraordinariam molestiam non importent. Hinc Scriptura: *honora medicum propter necessitatem; etenim illum creavit Altissimus... Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa* [2]. Unde Augustinus ajebat: *ipse se interimit qui præcepta medici observare non vult* [3].

Diximus: 1. *Ordinarie loquendo*; non enim peccaret (ut dicunt Cajetanus, Navarrus, Sanchez et Viva) qui medicinam respueret, si id fecerit ad se mortificandum, neque adsit periculum mortis, neque ideo propria munia negligat.

2. *Casu quo per remedia simpliciora morbus non pellatur;* in pluribus enim natura ipsa per convenientem *diætam*, ut dicunt, vel per remedia vulgaria convalescit [4]. Neque nos delicatulos ac meticulosos esse decet; qui enim medice vivit, miserrime vivit.

3. *Si extraordinariam molestiam non importent;* nam nisi rationes speciales occurrant, tenemur tantum ad remedia quæ communes vires non superant; et aliquando usurpandum illud Gagliuffi:

Quis pulsat? medicus. *Quid vis?* tibi ferre salutem.
Cras, si me audieris convaluisse, redi.

543. Q. 4. *Quandonam pharmacopola peccet in officium suum?*

R. Pharmacopola, qui artem periculi plenam exercet, maxima

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 182; et l. VI, n. 664.
[2] Eccli. XXXVIII. — Est contra Anabaptistas, qui usum medicinæ a Deo reprobatum docent. *V.* A-Lapide in hunc locum. — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, nn. 30, 372; et Stapf.
[3] Tract. XXII *In Joann.*
[4] Cavendum ab illis pseudomedicis huc illuc cursitantibus, qui supertitiosa remedia vendunt, vel etiam multo pretio suppeditant, ac plebem insigniter decipiunt ejus crumenæ, integritati ac religioni insidiantes.

cautela opus habet ex vi officii sui. Hinc patet ipsum peccare: 1) si absque scientia et diligentia medicamenta conficiat; vel si unum medicamentum pro alio cum gravis damni periculo porrigat; 2) si medicamenta suppeditet ad procurandum abortum, aut vendat remedia inutilia, rancida; vel plus justo pro pharmacis exposcat [1].

Scholium. — *De obligationibus artificum et opificum, operum susceptorum ac vectorum.*

541. Q. 1. *Quid circa artifices et opifices notandum?*

R. Artifices et opifices sedulo a confessario examinandi sunt; plerumque enim tacent injustitias ac peccata suæ artis. Ac primo *in genere* injusti sunt opera sua non vendendo vel non locando justo pretio, occultos operum defectus graves non manifestando; negligentia culpabili tempus in domini damnum terendo, alios operarios a labore avertendo, opus male exequendo, etc. Secundo vero in particulari injusti sunt:

1. *Aurifabri* et *argentarii*, qui aurum et argentum adulterant, inter vacua plumbum infundunt, adamantes infra valorem ab ignorantibus emunt, aut compositos pro naturalibus vendunt.

2. *Pannifices* et *lanifices*, qui lanam minoris pretii bonæ immiscent, tantique divendunt quanti si tota materia foret ejusdem qualitatis; qui initium et finem voluminis panni ex lana multo meliori texunt; qui fucatis coloribus utuntur; qui decepti pannos emendo, alios pariter vendendo decipiunt.

3. *Molitores*, qui grana immutant, aut eis res extraneas nullius fere valoris immiscent, uti fabas, ad augendum pondus et massam; qui pro salario detinent aliquid de frumento vel farina ultra praxim admissam timoratorum.

4. *Pistores*, qui male coquunt; qui farinæ triticeæ aliam ex siligine, hordeo, fabis, etc., malitiose immiscent; qui pondus imminuunt vel augent fraudolenter. Laniones, qui corruptas carnes vendunt, aut minorem qualitatem pro meliori tradunt.

5. *Sartores* et *sutores*, qui panno aut corio corrupto vel adusto utuntur, qui partem panni sibi traditi retinent, fingendo se totum in opere conficiendo adhibuisse.

6. *Tipographi*, qui exemplaria excudunt in majori numero quam

[1] Gregorius XIII Const. *Officii nostri* omnem vetuit societatem pharmacopolas inter et medicos aut chirurgos Item vide *Cod. pœn.*, art. 406; — *C. A. pœn.*, p. II, § 100.

conventum est, et sibi ea retinent: qui adulterinas editiones contra jus privilegium habentis faciunt; qui emendatores habent imperitos: qui papyrum non adhibent ejusdem qualitatis ac in programmate promiserunt [1], etc.

545. Q. 2. *Quid de operum susceptoribus speciatim?*

R. Quod spectat ad illos, qui operas peragendas suscipiunt, v. g., murum, palatium, hæc speciatim veniunt observanda: — 1) si artifex una cum opera materiam suppeditet, opus ejus periculo stat antequam domino tradatur, modo iste non sit in mora illud accipiendi. Si vero artifex suam operam tantum impendat, et res pereat, non ei perit, nisi sit in culpa; at in hoc casu, si neque dominus sit in mora eam recipiendi, neque vitium materiæ fuerit causa ruinæ, artifici nullum est jus ad mercedem exposcendam; — 2) si agatur de opere quod pluribus constet partibus, aut ad mensuram conficiendum traditum sit, singulæ separatim partes jam confectæ approbari poterunt, ne amplius stent periculo artificis [2]: et sic præsumitur, si dominus mercedem pendet artifici pro rata operis confecti; — 3) artifex et architectus ad decem annos respondere debent de detrimentis, quæ ædificium vel aliud opus notabile ob vitium constructionis vel soli patiatur; — 4) neque artifici neque architecto, qui cum proprietario de æde construenda convenerint juxta delineatam idnographiam, jus est ad mercedis augmentum prætextu, quod creverit pretium constructionis aut materiarum: aut factæ fuerint innovationes, siquidem hæ debuerant scripto probari, ac determinari pretio. — 5) artifex debet respondere de operibus personarum quas ipse operi destinavit: hinc cœmentarii, fabri-lignarii, ferrarii ac ceteri, qui conducti fuerunt in conficiendo aliquo opere, nullam habent actionem contra dominum, nisi quoad summam quæ adhuc solvenda superest artifici, ut ex ea propriam mercedem accipiant; — 6) semper licet domino contractum solvere, modo artifici pendat, quidquid ei interest.

Hic contractus solvitur, ipso jure, artificis morte: sane personalis industria, cujus ratio censetur habita in hisce conventionibus, cum ipsa persona deficit: attamen hæredibus artificis, architecti aut susceptoris solvendum est a domino pretium partis operis jam perfecti, nec non materiarum quæ jam paratæ fuerunt, si tamen hæc omnia aliquam ipsi domino afferant utilitatem *(art.* 1631 et seqq.).

546. Q. 3. *Quid de vectoribus?*

R. *Vectores*, qui terrestri itinere aut navi vecturam faciunt, quoad custodiendas res ipsis commissas iisdem obligationibus tenentur quibus cauponæ quoad res apud se depositas a viatoribus: quare inter cetera tenentur etiam de furto aut damno, nisi probent vi majori aut casu id evenisse. Insuper debent: 1) respondere de rebus, quæ sibi commissæ fuerunt in ipso portu, aut in loco in quo res illæ colliguntur, ut inde in navim aut currum transferantur; 2) habere

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 292; — *Opera di un Missionario;* — Abreu, *Speculum Parochorum*, l. X; — Dens, Gury, etc. *De custodibus* autem erit *De restitutione*, n. 670, lib. II.

[2] « Per esempio: Se si trattasse di costruire un muro ad un determinato prezzo ogni trabucco, fattane una parte l'artefice, può pretendere che il proprietario la verifichi, acciocchè i trabucchi terminati non sieno più a suo rischio. »

tabellam, in qua describantur quæ transferenda accipiunt: quod quidem dicendum est etiam de directore publicarum vecturarum; 3) tandem servare omnia statuta specialia, quæ vel apud ipsos legis vim habent, vel constituunt cum iis quibuscum contrahunt [1].

547. Quæres: *an qui promisit seu locavit operam suam Titio pro itinere aliquo suscipiendo, possit mercedem integram accipere etiam a Sempronio, si etiam ab hoc secundo ad eundem locum mittatur?*

R. Non est difficultas, ait Concina, quoad *aurigas,* quod hi etiam a secundo integram mercedem accipere possint, ob receptam consuetudinem. De *nuntiis* vero, qui a duobus mittuntur, opinatur æquum esse, ut ipsi dimidiam tantum mercedem exigant a secundo mittente: quod videtur satis probabile. Ceterum adhuc satis probabile est (uti docet Lessius cum communi) ipsis quoque licere integram mercedem a duobus petere, cum se obligent ex justitia erga duos. Sicut ergo si deficerent, duobus obligarentur restituere; ita æquitas postulat, ut si non deficiant, etiam a duobus mercedem accipiant. Attamen ut patet, non possunt mercedem exigere et a mittente et ab eo ad quem mittuntur [2].

CAPUT SECUNDUM

DE OBLIGATIONIBUS PRIVATIS.

ART. I. — *De obligationibus in societate paterna.*

§ I. — *De obligationibus parentum et filiorum.*

548. Parentes debent filiis suis amorem et educationem: 1) *amorem*, ita ut eos ex corde diligant, et eorum bonum curent; 2) *educationem*, tum quoad corpus tum quoad animam. Quæ obligatio in ipsis naturæ visceribus fundatur.

549. Q. 1. *Quænam obligationes parentum ad filios quoad corpus?*

R. Parentes tria debent filiis suis quoad corpus, nempe:

1. *Providentiam vitæ.* Ex quo capite tenentur ab ipso conceptu sedulam prolis curam suscipere, illudque avertere, quod ejusdem vitæ obesse possit; ad hoc vel ipsa natura impellit; *nam filius*, ut ait Angelicus, *est aliquid patris* [3]. Hinc peccant mulieres uterum ge-

[1] Art. 1630; — *C. A.* 1110; — *C. G.* 1120; — *C. S.* 1074; — *C. P.* 1093; — *C. M.* 1158; — *C. T.* 872.
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l, III, n. 862; — Carrière, *De contractibus*, n. 804.
[3] 1, 2, q. 100, a. 5. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 338, etc.

rentes, si nimis gravia ferant pondera, vel immoderato labori vacent: si currant vel saltent ita ut se periculo abortus exponant; item mariti qui uxores percutiendo aliisque modis vexando abortus periculum inducunt. Peccant parentes, si non caveant, ne quid mali quomodolibet filiis eveniat per aquam, ignem, bestias, ferrea instrumenta, vel nimium ploratum, etc.

2. *Providentiam victus*, nempe omnia pertinentia ad cibum, vestitum, habitationem, medicinam, etc.; qui enim dederunt *esse*, illud pro posse conservare tenentur [1]. Nec refert, quod proles sit spuria; de jure naturæ est, ut pater alat filium quocumqne modo genitum [2].

3. *Providentiam status*, nempe filiis de futuro statu providere, ita ut honeste juxta conditionem suam aliquando vivere possint; *nec enim debent filii parentibus*, ait Apostolus, *thesaurizare, sed parentes filiis* [3]. Quare dicendi sunt peccare parentes: 1) qui sine gravissima causa prolem exponunt locis piis [4], cum sit contra pietatem; vel extra domum ejiciunt, cum non possint adhuc sibi providere; vel cogunt ad mendicandum, aut vilem artem exercendam ipsis haud convenientem; 2) qui non curant acquirere bona, quibus filii alantur; habeantque hæreditatem sibi convenientem; 3) qui recusant constituere patrimonium filiis, qui ad Ordines promoveri cupiunt; aut filiabus absque justa causa congruam dotem denegant, quia Religionem ingredi velint, vel quia ipsis invitis nupserint, etiam indignis, cum jam ætatem 25 annorum excesserint. Si autem ante illam ætatem nupserint, diversæ sunt opiniones: nobis probabilior videtur cum Sanchez et aliis patrem teneri saltem ministrare alimenta.

Plura hic notanda ex *civili Codice:* « Il matrimonio impone ad amendue i conjugi l'obbligazione di mantenere, educare ed istruire la prole. Questa obbligazione spetta al padre e alla madre in proporzione delle loro sostanze computati nel contributo della madre i frutti della dote. Quando essi non abbiano mezzi sufficienti, tale obbligazione spetterà agli ascendenti in ordine di prossimità *(art.* 138). — I figli non hanno azione verso il padre e la madre per obbligarli a far loro un assegnamento per causa di matrimonio o per qualunque altro titolo *(art.* 147).

» Il genitore è tenuto a mantenere, educare istruire ed avviare ad una professione o ad un'arte il figlio naturale riconosciuto ed a somministrargli anche successivamente gli alimenti in caso di bisogno, se il figlio non ha conjuge o discendenti in condizione di somministrar-

[1] Ex c. *de eo qui duxit* etc. — *V.* Ferraris; V. *Alimenta, Parentes.*

[2] In quo Jus civile a canonico correctum est c. *cum haberet;* ideo tenentur proli spuriæ curare alimenta, hoc est cibum, potum, vestitum et honestas artes juxta suum statum, nisi aliunde se alere posset et non indigeat; item dotem filiæ. Et clerici ex fructibus ecclesiasticis possunt hæc suis spuriis præstare, caute tamen ad scandala vitanda. Ita Filliucius, Layman, etc. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 336.

Quæ jura ex lege civili filii illegitimi, vide Lib. II, ubi *de testamentis.*

[3] II, Cor. XII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 336.

[4] Ex Layman et Salmanticensibus probabiliter est justa et gravis causa illegitimitas prolis. *De expositis* vide Lib. II *de Justitia et Jure;* n. 594.

glieli *(art.* 187). — Il padre e la madre adottivi hanno debito di continuare occorrendo l'educazione dell'adottato, e di fornirgli i sussidi e gli alimenti, di cui avesse bisogno *(art.* 211) [1]. »

550. Q. 2. *Quænam obligationes parentum ad filios quoad animam?*

R. Obligationes parentum ad filios quoad animam sunt:

1. Curare, ut filii vix nati lavacro regenerationis abluantur: hoc primum est spiritualium bonorum omnino necessarium, parvulorum etenim vita variis periculis obnoxia est. Plures Synodi Diœcesanæ prohibent Baptismum protrahere ultra triduum sine Episcopi licentia, comminata etiam excommunicatione, si ultra octiduum diferatur [2]. Item curare debent parentes, ut filios vix usu loquelæ præditos vel per se, vel per alios edoceant præcipua christianæ doctrinæ capita, Diœcesis Catechismum adhibendo, ut instructio securior et uniformior sit: *Parochi*, ait Benedictus XIV, *gravibus solidisque argumentis parentibus ostendant in manifesto perpetuæ damnationis periculo versari, si liberos suos Religionis elementis erudire negligant* [3]. Item ut a primis annis, a quibus ceteri pendent, non solum catecheses, sed etiam Sacramenta et alias functiones frequentent: *Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum* [4]; nam (pergrande consectarium!) *adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* [5]. Hinc Quintilianus peccata adolescentum merito vocat: *peccata prophetantia.*

2. Iisdem bono exemplo præesse: *Mementote* (en gravissima verba, quibus monet parentes d. Hieronymus), *mementote vos magis exemplo docere filios, quam voce* [6]. Plures Synodi (ut Novariensis) *reservant consensum dictis vel factis a parentibus libere præstitum, ut filia alteri copiam sui faciat, si hæc inde sequatur.*

3. Delinquentes corripere: nam *qui parcit virgæ, odit filium suum* [7]. Cavere tamen debent, ne in corrigendo modum excedant [8]; vel in blasphemias prorumpant, quod majoris esset nocumenti. Item illos a fallacibus mundi illecebris, pompis, atque voluptatibus avertere studeant, et præcipue a locis suspectis, a clandestinis conventiculis, a colloquiis periculosis, quæ maxime haberi solent cum personis diversi sexus. Unde parentes monet Apostolus: *educate illos* (filios) *in disciplina et correptione Domini* [9].

[1] *C. A.* 137; — *C. G.* 203; — *C, S.* 193; — *C. P.* 105; — *C. M.* 145; — *C. T.* 72.
[2] Uti Novariensis, p. 28. [3] *Notificatione* XIX.
[4] Eccli. VII. [5] Prov. XXII.
[6] Epist. *ad Lætam.* — *V.* Muzzarelli, *Delle Cause dei mali presenti*, p. 114.
[7] Prov. XIII. — *V.* Eccli. XXX. [8] Prohibetur ipso *Cod. pœn.* art. 514.
[9] Ephes. VI. — Contra tales parentes filiorum peremptores vult s. Alphonsus, ut confessarius sit *inflexibilis in eis deneganda absolutione;* vix enim dici potest quot inde mala! quibus si a principio non obstant, sero inutiliter medicinam parant. (Liguori, *Homo Apost.*, tract. ult., n. 3.) — Franco, *Delle veglie ed amoreggiamenti nelle campagne.*

4. Ipsis libertatem relinquere circa status electionem: *Non tenentur*, ait Angelicus, *nec servi dominis nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda* [1]. Homo enim non hominum, sed Dei voluntatem primo sequi debet, qui in omnium corda diversi status semina jecit: dein quod liberum linquitur a Deo, uti est consiliorum observatio, ab homine ligari non debet [2]. Hinc graviter peccant qui filios cogunt etiam indirecte ad statum perpetuum, vel ab eo injuste retrahunt, licet sine vi: peccant tum contra pietatem, cum ex officio teneantur illorum utilitati incumbere; tum contra charitatem, cum impediant alterius bonum.

Ubi insuper notandum, quod ex Tridentino excommunicantur ipso facto (sed absque reservatione), tum qui cogunt mulieres ingredi monasterium et profiteri, tum *qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquomodo sine justa causa impedierint* [3]. Attamen parentes complures e Religione filios suos avertentes a mortali excusantur, saltem ad breve tempus, ratione ignorantiæ vel inadvertentiæ, quæ facile in eis esse potest ob vehementem carnis affectionem.

Q. 3. *Quænam sunt obligationes filiorum erga parentes?*

R. Præcipuæ filiorum obligationes erga parentes sunt: *amor*, *reverentia* et *obedientia*. Quæ tria parentibus debentur, etsi sint sine merito ac virtute; nam ratio hujusce obligationis non est virtus, sed pietas: amor nempe debetur ratione causæ, reverentia ratione præeminentiæ, obedientia ratione regiminis.

1. *Amor:* filii nempe tenentur parentes amore prosequi tam *interno*, hoc est bene iis velle; quam *externo*, omne nempe malum et injuriam ab iis propulsando, benevolentiæ signa iisdem exhibendo, in necessitate tam spirituali quam corporali constitutis subveniendo: *Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris: memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, et retribue illis quomodo et illi tibi* [4]. Qui in his graviter deficit, graviter peccat: uti esset si parentibus ægrotantibus, indigentibus ac senio confectis opem non ferat: hos *non alere nefarium est* ex Tullio; si eos male et irreverenter habeat, quia v. g. hebetes, amentes, præ ætate delirantes, vel quia forsan ebrii sunt. Item si in mortis articulo constitutis, ut Sacramenta opportune recipiant, non curet; si jam defunctis exequias fieri juxta propriam conditionem haud curet, etc. Audiatur sacra Scriptura: *qui affligit patrem et fugat matrem, ignominiosus est et infelix; fili, suscipe senectam patris tui et non contri-*

1 2, 2, q. 104, a. 5.
2 *V.* Il *Cattolico*, Giornale religioso, t. xxv, p. 217, anno 1845. Lugano.
3 Sess. xxv, c. 18 *de R.* — *V.* Liguori, *Op. Mor*, l. III, n. 339; et l. VI, n. 850.
4 Eccli. VII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 333.

stes eum in vita illius: et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua; eleemosyna enim patris non erit in oblivione; nam pro peccato matris (si patienter sustineas) *restituetur tibi bonum* [1]. Sane: *da parentibus quidquid habes*, inquit Ambrosius, *nondum das quod debes, quia debes quod es* [2].

2. *Reverentia:* tam *interna* quam *externa*. Interna in eo consistit, ut filius parentes agnoscat tanquam superiores, et inde illos revereatur ex corde. Externa consistit in manifestatione interioris reverentiæ per verba, signa et facta, juxta illud: *in opere et sermone et omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo...; benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta; maledictus qui non honorat patrem suum et matrem suam* [3]. — Contra hanc obligationem graviter vel leviter pro ratione materiæ peccant filii: *a) verbo*, si asperis et inurbanis verbis, si contumeliis et maledictionibus parentes afficiant; *b) signo*, si iis illudant risu vel subsannatione, aut si torvis oculis eos aspiciant, ita ut videantur eos odio habere [4]; *c) facto*, si parentes deliberate verberent; peccatum autem grave censetur etsi percussio in se videatur levis, si tamen fiat malo animo, vel si attollantur contra ipsos manus minaces, aut in illos expuatur. Imo plures Synodi ut Novariensis reservant *injuriosam parentum percussionem, quæ ex odio aut ira procedit quamvis in se levis fortasse sit, æstimanda enim est gravis ob personæ qualitatem* [5].

3. *Obedientia:* filii nempe tenentur parentibus obedire in omnibus rebus honestis. Hinc Apostolus sic filios alloquitur: *filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino* [6]. Hinc graviter peccant, si in re gravi spectante ad mores, ad animæ salutem et domus gubernationem, parentes audire nolint, nisi inconsideratio vel ætatis defectus eos excusent. Item si operam dare nolint literis aut artibus statui suo congruentibus, sicque tempus absumant et expensas dilapident; si domum paternam sine causa contra prohibitionem deserant. Item si quæ ad bonum regimen pacemque familiæ multum spectant, exequi recusent; vel si omnia nutu proprio administrare velint, spreta parentum auctoritate, præsertim si arro-

[1] Prov. XIX; Eccl. III. [2] L. VIII *in Luc.* [3] Eccli. III; Deut. XXVII.

[4] Item si ad dignitatis locum evecti aut divites facti, parentes ex superbia vel despiciant, vel negligant, vel nosse recusent, vel erubescant, ut non raro evenit.

[5] Item graviter peccant, si parentes in judicio accusent de crimine licet vero; id enim refugit ipsa natura. Unde dicitur: *ne glorieris in contumelia patris tui* (Eccli. III). Excipitur casus perduellionis in Deum per hæresim, vel in Principem per conjurationem aut proditionem, si damnum nequeat aliter impediri: nam publicum bonum est privato anteponendum. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. VII, n. 1.

[6] Coloss. III. — V. *La maledizione*, Racconto storico. Modena, 1866.

ganter respondeant: *Non faciam, attende tibi; tædium et fastidium affers mihi*, etc.

Diximus: *in omnibus rebus honestis;* sicuti enim pater inhonesta vel a lege prohibita, v. g. furtum, præcipere non potest; ita nec filius patri talia præcipienti potest obtemperare. Quia scriptum est: *obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Iterum: *qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus* [1].

551. Q. 4. *An filii circa status electionem debeant sub peccato parentes suos consulere?*

R. Quæstio est potissimum de statibus, qui sunt perpetui, ac maxime de statu conjugali vel religioso eligendo.

1. Si agitur de *statu conjugali*, tres sunt sententiæ principales. *Prima* communior, docet filios teneri sub gravi consulere parentes et illorum consilium sequi; quia illi habent hac in re majorem experientiam. Huc facit illud: *judicium patris audite, filii* [2]: quare ipsos non consulere est contemnere in re gravi. — *Secunda* sententia tradit, teneri filios sub gravi consilium petere ex allata ratione, non tamen sequi: cum in hac electione filii sint sui juris. — *Tertia* tenet, quod filii, si contrahant, inconsultis vel invitis parentibus, peccant dumtaxat leviter; nam obsequium quod hac in re parentibus denegant, eos non audiendo, gravem culpam non importat; cum eorum consiliis non adstringantur.

2. Si agatur de eligendo *statu religioso*, quamvis filii regulariter debeant parentum consensum humiliter expostulare, benedictionem impetrare, imo usque ad pubertatem expectare, ipsis renuentibus; ordinarie tamen loquendo, certum videtur eos neque teneri neque expedire ut parentum suorum consilium interrogent; tum quia parentes plerumque hac in re nullam habent cognitionem et experientiam, tum quia parentes ob proprium commodum de facili mutantur in hostes [3]. Audiatur Angelicus [4]: « *Dicitur Proverbiorum* XXV: causam tuam tracta cum amico, et secretum extraneo non reveles; *propinqui autem carnis in hoc proposito amici non sunt, sed potius inimici secundum illud, quod habetur Michææ*, VII: inimici hominis domestici ejus. » Et d. Bernardus [5] ait: *Sæpe parentes ita se in hac re cæcos exhibere, ut malint filios suos cum seipsis perire, quam salvari procul a se. Oh durum patrem! oh sævam matrem!*

Quid (quæres) *si parentes sint in necessitate?* — Si parentum necessitas communis est et ordinaria, potest filius ingredi Religionem; quia non tenetur se privare gravi bono, ut tale afferat parentibus auxilium, sine quo grave non patiantur incommodum. Si est gravis, adhuc poterit filius eam ingredi casu, quo in sæculo manens tali necessitati subvenire non possit, nam frustra detineretur. At si potest eis subvenire, tunc audiatur d. Thomas: *Aut ipse qui habet propositum intrandi Reli-*

1 Act. v, et Matth. x.
2 Eccli. III. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 849; et *Homo Apost.*, tract. XVIII, n. 10.
3 Toletanum X et Tiburtinum. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 335; l. IV, n. 68.
4 Opusc. XVII, c 10. — Thesis Pseudosynodi Pistoriensis asserens *sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor æstus et accuratio major desideranda fuisset*, (sub. n. 8) *proscripta est uti* scandalosa, in sanctissimos Doctores injuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens; in Bulla *Auctorem fidei.*
5 Ep. III. — *V.* Hallier, *De sacris Ordinationibus*, ubi fusius in tomo I.

gionem, videt in sæculo non posse vivere sine peccato mortali; vel non de facili. Si timet sibi periculum peccati mortalis, cum magis teneatur saluti animæ suæ providere quam corporali necessitati parentum, non tenetur in sæculo remanere [1]: quod si hoc periculum non timeat, tenetur manere *(Z)*.

552. Q. 5. *Quidnam sibi invicem debent consanguinei collaterales, atque affines?*

R. Consanguinei collaterales et affines sibi mutuo debent amorem, honorem et in necessitate subsidium; idque lege non tantum charitatis sed etiam pietatis, cum inter se speciali nexu aut carnis aut affinitatis cohæreant; etsi tamen unio ac dependentia inter illos non sit tanta, prout est inter parentes et liberos. Hinc colligit Henno prædictæ cognationis circumstantiam, ut quæ speciem mutat, aperiendam esse in Confessione, quoties agitur de gravi injuria, detractione, contumelia, odio, percussione et similibus.

Hoc tamen restringit ad primum et secundum gradum, extra quos putat circumstantiam cognationis inducere peccatum solum veniale. Sicut si injuria fiat concivibus nostris, censent communiter talem circumstantiam non addere novam malitiam mortalem. Quod etiam extendunt ad patrinos; nam hodie vix ac ne vix quidem hæc circumstantia particularis attenditur. Non tamen ad tutorem et minorem, cum adhuc in viridi sit mutua tutoris ac minoris obligatio erga se invicem [2].

553. Q. 6. *Quid lex civilis quoad obligationes filiorum erga parentes et aliorum propinquorum ad invicem?*

R. Hasce obligationes urget passim etiam civilis lex; en præcipua: « Il figlio, qualunque sia la sua età, deve onorare e rispettare i genitori; egli è soggetto alla podestà dei genitori sino all'età maggiore, o alla emancipazione *(art.* 220). — I figli sono tenuti a somministrare gli alimenti ai loro genitori ed agli ascendenti che ne abbiano bisogno *(art.* 139). — La reciproca obbligazione degli alimenti ha luogo tra suocero, suocera, genero e nuora. Questa obbligazione cessa: 1° quando la suocera o nuora sia passata ad altre nozze; 2° quando il conjuge da cui deriva l'affinità ed i figli nati dalla sua unione coll'altro conjuge ed i loro discendenti sieno morti *(art.* 140). — Alla somministrazione degli alimenti strettamente necessari hanno diritto anche i fratelli e le sorelle, quando per un difetto di corpo o di mente, o per qualsiasi altra causa non imputabile a colpa, non se li possono procacciare *(art.* 141).

» L'obbligo degli alimenti cade in primo luogo sopra il conjuge, in secondo luogo sopra i discendenti, in terzo luogo sopra gli ascendenti, in quarto luogo sopra il genero e la suocera, in ultimo sopra i fratelli e le sorelle. Per i discendenti la prelazione è regolata dall'ordine con cui essi sarebbero chiamati alla successione legittima della persona, che ha diritto agli alimenti *(art.* 142). » Si exurgat contestatio vel alia difficultas, res a judice definienda est [3].

Monet autem pro praxi Gury, non ita facile suadendum filiis ætate minoribus aut non emancipatis, ut statum religiosum amplectantur, parentibus invitis, in Gallia et apud nos [4], aliisque locis, ubi viget ci-

[1] Quod. l. 10, a. 9. — *V.* Liguori, *Opuscoli relativi allo Stato religioso;* — Lessius, *De Statu vitæ eligendo;* — Pinamonti, *La Vocazione vittoriosa;* — Rosignoli, *La saggia Elezione;* — P. Natale, *Il Paradiso in terra* ecc.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 340 et 947. — Stapf, *Th. Mor.*, § 493.

[3] *Cod. civ.* Art. 220. — *C. A.* 144; — *C. S.* 287; — *C. P.* 82; — *C. G.* 371; — *C. M.* 118; — *C. T.* 74.

[4] Art. 220, 221. — Concord. *C. A.* 145; — *C. S.* 290; — *C. G.* 374.

vilis lex, quæ tribuit parentibus, ut eos auxilio brachii sæcularis a quocumque loco reclamare possint, nisi agatur de casu quo militiæ nationali nomen dederint [1].

§ II. — *De obligationibus tutorum et minorum, magistrorum et discipulorum.*

554. Qui minores sunt septennio dicuntur *infantes*, quasi *fandi impotentes;* a septennio ad annos 14 completos si masculi, ad 12 si fœminæ dicuntur *impuberes*. Olim impuberes cum desinebant esse sub potestate patris, appellabantur *pupilli;* facti puberes in Jure romano *minores* dicebantur usque ad annum 25 si filii, ad 21 si filiæ; quo completo *majores* evadebant. Qui patris loco deputabatur ad tuendam pupilli personam et bona, dicebatur *tutor; curator*, cui cura committebatur bonorum et personæ minoris.

Hodie tamen Jure civili communi, omni alia distinctione sublata, qui nondum complevit 21 annum, dicitur *minor;* tali ætate completa, *major* [2] (attamen rex ex Statuto nostro fundamentali art. 11 completis annis 18 est major). Porro cui cura minoris committitur, *tutor* appellatur. Curator autem non deputatur, nisi quibusdam in casibus, v. g. absenti [3]; minori emancipato aut ad hæreditatem vocato [4]; item hæreditati jacenti [5]; item filio mox nascituro [6].

555. Q. 1. *Quid de tutela dicendum occurrit?*

R. Cum minorum tutela sit officium publicum ad publicum bonum conducens, sed pluribus gravissimis curis refertum, ex civili lege neque omnes eam respuere, neque omnes eam sumere possunt vel tenentur. Alii enim sunt *inhabiles* omnino, uti mulieres, exceptis ascendentibus minoris ac sororibus germanis innuptis; qui suorum bonorum libera administratione carent; qui litem habent vel habere possunt cum minore. Alii *removentur*, si tutelam jam susceperint; si vel crimine, vel furto, vel falso aut reatu contra bonos mores sint condemnati; si non fideles, si incapaces; decocti, qui nondum sint in pristinum restituti. Alii *dispensantur ipso jure*, ut principes familiæ regis, nisi agatur de tutela principum ejusdem familiæ; præsidentes Parlamenti, ministri Status, directores generales administrationis regni, præsidentes consilii Status, computorum, etc. Alii *jus habent ut dispensentur*, prout sunt mulieres illæ, quibus tutela permittitur; qui annum 65 compleverint; jugiter ac

1 *V.* Legge 20 marzo 1854 e Regolamento 31 marzo 1855.
2 Art. 240, 323; — *C. A.* 21; — *C. S.* 311; — *C. P.* 156; — *C. G.* 388; — *C. R.* 5; — *C. M.* 192; — *C. H.*, art. 3 *Della tutela;* — *C. T.* 109.
3 Art. 46; — *C. A.* 276; — *C. S.* 119; — *C. P.* 192; — *C. G.* 112; — *C. M.* 1016.
4 Art. 314, 247; — *C. G.* 480; — V. *Il giovine fuori di minorità.* Roma, 1845.
5 Art. 980; — *C. S* 731; — *C. P.* 935; — *C. G.* 812.
6 Art. 236; — *C. A.* 21; — *C. S.* 315; — *C. P.* 169; — *C. G.* 393.

graviter infirmi; pater quinque filiorum, viventium tamen, sed in eo numero computantur qui mortui sunt in actuali militiæ exercitio; qui jam tutoris officium sustinent; milites in actuali servitio; qui missionem gubernii habent vel extra regnum vel extra territorium tribunalis ubi tutela constituta est. Item non potest ad illum obligari qui non est neque affinis neque consanguineus minoris; si tamen consanguineus vel affinis minoris in districtu ubi illius bona sunt posita, capax tutelæ suscipiendæ inveniatur, etc. Ceteri renuere non possunt absque probata causa.

556. In qualibet tutela protutor est etiam eligendus, cujus est vices tutoris supplere. Quod dictum est de tutore, id valet etiam de protutore; sed electio tutoris præcedere debet, qui tamen non potest officium suum exercere nisi facta etiam protutoris electione [1].

557. Q. 2. *Quid de electione tutoris et protutoris?*

R. Hac de re habet *Codex civilis:* « Se ambidue i genitori sono morti, dichiarati assenti, o sono incorsi, per effetto di condanna penale, nella perdita della patria podestà, si apre la tutela *(art.* 241). — Il diritto di nominare un tutore parente, od anche estraneo, spetta a quello dei genitori che rimane superstite. La nomina dev'essere fatta per atto notarile o per testamento *(art.* 242). — Se non v'è tutore nominato dal genitore, la tutela spetta di diritto all'avo paterno, ed in mancanza di questo all'avo materno *(art.* 244). — Quando un figlio minore resta senza padre e madre, senza tutore da essi nominato, senz'avo paterno e materno, come pure quando il tutore avente alcuna delle qualità sopra espresse fosse escluso o legittimamente scusato, si procederà dal consiglio di famiglia alla nomina di un tutore *(art.* 245). — Qualunque sia il numero dei figli, non può essere loro nominato che un solo tutore *(art.* 246).

» Chi ha diritto di nominare il tutore può nella medesima forma nominare il protutore; in mancanza la nomina sarà fatta dal consiglio di famiglia *(art.* 264). — Il protutore agisce pel minore e lo rappresenta nei casi in cui l'interesse di questo sia in opposizione con quello del tutore. È pur tenuto di promuovere la nomina di un nuovo tutore in caso di tutela vacante od abbandonata, e frattanto egli rappresenta il minore, e può fare tutti gli atti conservativi, e anche gli amministrativi che non ammettono dilazione *(art.* 266). — Il protutore cessa con la nomina di un nuovo tutore; il consiglio di famiglia lo può rieleggere *(art* 267) [2]. »

558. Q. 3. *Quænam sunt obligationes tutorum et minorum?*

R. Ad 1: Tutores imprimis tenentur in conscientia, et vi quasi contractus, curam gerere minoris; ejus personam tueri, imbuere bonis moribus, corrigere, christiane educare et omnem impendere operam, ut artem sibi convenientem ipse ediscat [3]. Item tenentur bona ejusdem temporalia curare, uti boni patresfamilias, cujus vi-

[1] Art. 246, 268 et seqq. — *C. A.* 200; — *C. S.* 249; — *C. T.* 110.
[2] De consilio familiæ vide etiam *Codice di proced. civile,* art. 812 et seqq.
[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.,* l. III, nn. 341 et 917.

ces gerunt: qua in re se adamussim conformare debent dispositionibus legum civilium, scientes quod finita tutela, omnium actorum rationem reddere adstringuntur; ac de mala, et minus solerti administratione respondere, nisi eos liberat præscriptio, quæ in decennio locum habet.

En præcipua ex *Civili Codice:* — 1. Tutor intra decem dies a notitia suæ electionis providere debet, ut sigilla si quæ hæreditati apposita, rumpantur, et curare ut inventarium (a quo dispensari nequit, cum ex jure *fundamentum et caput sit reddendarum rationum)* intra mensem absolvat, nisi tempus a prætore prorogetur. Illud autem confici debet cum interventu protutoris et duorum testium de parentela vel amica consuetudine familiæ, adhibito etiam notario a genitore vel consiliofamilias designato; potest tamen permitti, ut fiat sine opera notarii, si bona non superent valorem tria millia libellarum. Semel vero confectum deponi debet apud Præfecturam, et deponendo tutor et protutor tenentur jurare illud accurate exaratum.

2. Nondum confecto inventario, tutor potest ea tantum quæ sunt simplicis administrationis nec dilationem admittunt. Item si tutor creditor sit erga minorem, antequam incipiatur inventarium, rogatus a notario id declarare tenetur; secus excidit jure suo. Si vero debitor sit, et omittit declarationem, poterit a tutela removeri. Tenetur autem, nisi tutor sit avus aut nisi a consiliofamilias dispensetur (tribunali approbante), cautionem dare vel pecuniam deponendo vel bona sua hypotheca legali subjicendo.

3. Si tutor avus non sit, consiliumfamilias potest deliberare circa educationem minoris, minore etiam audito si annum 16 compleverit; spectat ad consiliumfamilias etiam expensas necessarias determinare pro educatione, instructione minoris, et illius bonorum administratione; item ad illud referendæ sunt querelæ si quæ enascantur, tutoris contra minorem vel viceversa ut malo occurratur.

4. Tutor nequit valide, sine auctorizatione consiliifamilias, exigere minoris credita, mutuare, alienare, acquirere, locare ultra novennium (imo neque minori tempore si suo nomine bona minoris velit locare), hæreditates adire, vel repudiare, acceptare donationes aut legata sub conditione onerosa, vel adjutores in administratione vocare (pro quibus in omni casu ipse respondere debet), et alia hujusmodi. Hujus autem consilii deliberationes generatim sunt homologandæ, id est a tribunali approbandæ *(AA)*.

R. Ad 2: Cum tutores vices agant parentum respectu minorum, satis est si dicamus, minores erga tutores (vel ipso Jure civili) ligari ipsis obligationibus (non ita tamen strictis) *amoris*, *reverentiæ* et *obedientiæ*, quibus filii ligantur erga parentes [1].

559. Q. 4. *Quænam sunt magistrorum obligationes?*

R. Qui nobile alios edocendi munus suscipiunt, tenentur gravi tum officii tum stipendii ratione:

1 Art. 277 et seqq.; — *C. A.* 205; — *C. S.* 373; — *C. P.* 272; — *C. G.* 430; — *C. M.* 305; — *C. T.* 118.

1. Idoneam ad tantum munus scientiam callére, ne errare contingat cum gravi discipulorum damno: *discas quod possis docere, ne sis miles priusquam tyro, et prius magister sis quam discipulus* [1].

2. Recta edocere, idest quæ catholicæ fidei consentanea sunt. Novas methodos sequi poterunt magistri; sed in iis, quæ ad Religionem et mores pertinent, debent ab omni novitate se prorsus abstinere. Unde Petrus Blessensis: *Non de corde tuo vaticinari præsumas; sed juxta sacri eloquii doctrinam universa discas, et doceas orans cum Propheta:* juxta eloquium tuum, Domine, da mihi intellectum; ergo *non supra, non extra, non contra* [2].

3. Doctrinam tradere discipulorum intelligentiæ accommodatam, et methodo convenienti exponere, ita ut eorum animi non obruantur, nec fastidio afficiantur: secus ut quid verba faciunt?

4. Semina virtutum teneris eorundem animis pedetentim inserere [3], et circa ipsorum mores attente invigilare: hæc est summa omnium rerum. Cum autem præcipua persuadendi via sit exemplum, necesse ideo est ut magistri in primis sint a vitiis alieni, et in virtutibus emineant: *magister totus vocalis prodeat, gressus et motus, vocalia sint universa*, ait s. Hieronymus.

Magistri obligationes paucis excipe:

Doctus, recte, apte doceat, bona semina mittat [4].

560. Q. 5. *Quænam sunt obligationes discipulorum?*

R. Discipuli obligantur tum sibi, tum præceptoribus, tum Deo. Tria nempe discipuli debent:

1. *Sibi* studium et laborem assiduum; scientiæ enim et artes non addiscuntur, nisi post longam studiorum assiduitatem, juxta illud: *gutta cavat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo.*

2. *Magistris* reverentiam, docilitatem ac gratitudinem. Hoc ipsis gentilibus erat officium ineluctabile: *discipulos id unum moneo*, ait

[1] D. Hieronymus, Ep. *ad Rusticum.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 361. — V. *Le dodici virtù di un buon Maestro*; Torino, Marietti; — *La Scuola di filosofia e di religione, e modo d'insegnarla.* Roma. — L'*Amico cattolico*, t. VII: *Sull'educazione.*

Aliquando, si non invigilent etiam coram lege civili tenentur præceptores de damnis quæ illorum alumnis tulerunt. *Cod civ.* art. 1153; — *C. A.* 1304; — *C. G.* 1384; — *C. S.* 1338; — *C. M.* 1395.

[2] Epist. CXI. — Hinc omnes doctores atque magistri publici cujuscumque disciplinæ, ex mente Tridentini (sess. XXV, c. 2 *de R.*), et ex Constitutione *Sacrosancta* Pii IV, tenentur, antequam commissum sibi docendi munus aggrediantur, fidei professionem emittere juxta formulam ab ipso Pio præscriptam. Quæ quidem professio quantum ætate nostra adhuc sit necessaria, nemo est qui non videat. Non tamen ubique est in usu. — *V.* Ferraris, etc. V. *Magister.*

[3] Ex Constitutione Benedicti XIV *Etsi minime.* — Imo cogendi, ut declaravit S. C. C. 17 julii 1668. — V. *Analecta Juris Pontif.*, anno 1864. Audiatur Tarino: « La gioventù ha il gran difetto di essere poco riflessiva, perchè non ancora educata alla scuola dell'esperienza, e non peranco provata dai disinganni del mondo. Ma d'altro canto essa presenta il gran vantaggio di essere più docile e più suscettiva di essere formata come si vuole per mano di un esperto e buon educatore. »

[4] *V.* quæ docuimus supra n. 3.

Quintilianus, *ut præceptores suos non minus quam ipsa studia ament, et parentes non quidem corporum, sed mentium esse credant.*

3. *Deo* pietatem; scriptum est enim: *initium sapientiæ timor Domini* [1]; nulla sane vera scientia sine Deo, qui *scientiarum Dominus est* [2]. Id nunquam satis juvenibus prædicabitur: nam tota moralis hominum existentia in hac vita, et salus æterna in altera generatim pendet a primis annis, juxta illud: *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* [3] *(BB).*

ART. II. — *De obligationibus in societate conjugali et herili.*

561. Q. 1. *Quænam sunt mariti et uxoris obligationes mutuæ?*

R. Conjuges sibi mutuo debent societatem, amorem ac fidem: hæc natura conjugii, ratio Sacramenti et lex civilis imperant [4].

1. *Societatem;* unde tenentur simul habitare, juxta illud: *dimittet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* [5]: electio vero domicilii pertinet ad maritum, cum familiæ caput sit [6]. Hoc etiam civili lege sancitum est [7].

2. *Amorem;* dicit enim Apostolus: *viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea* [8]. Et etiam mulieres hortatur, ut *viros suos ament* [9]. Hinc peccant si rixas, jurgia et odia in se invicem excitent, aut foveant; vel si conviciis atque maledictionibus se invicem afficiant.

3. *Fidem;* nempe conjugalem juxta illud: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier... Nolite fraudari invicem* [10].

562. Q. 2. *Quænam sunt speciales obligationes mariti et uxoris?*

R. Ad 1: Maritus tanquam caput tria uxoris suæ curare debet:

1. *Animam:* adeo ut peccet graviter si uxori permittat, ut legem Dei et Ecclesiæ transgrediatur; tanto magis si impediat ab illius observantia. Non enim esset ipsam diligere uti se ipsum.

2. *Corpus:* nempe tenetur uxorem secum retinere, et alere secundum statum suum et conditionem, tum ex debito amoris conjuga-

1 Ps. CX. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 361.
2 I, Reg. II. — *V.* Giraud, *La Scienza degli atei.* Parigi, 1865.
3 Hier. *Thr.* III; et Prov. XXII.
4 Art. 130; — *C. A.* 90; — *C. S.* 194; — *C. P.* 50; — *C. G.* 212.
5 Matth. XIX. 6 V. *De matrimonio*, ubi *De effectibus.*, Libro IV, n. 884.
7 Art. 131; — *C. A.* 91; — *C. S.* 201; — *C. P.* 51; — *C. G.* 214; — *C. M.* 98; — *C. T.* 64.
8 Eph. V. 9 Ad Tit. 10 I, Cor. VII.

lis, tum ex officio capitis familiæ, tum ex justitia ratione dotis, tum ex civili ipsa lege [1]; quare mulier nobilis ac dives non posset cogi ad officia famulæ, ut esset verrere domum, coquere cibos.

3. *Mores:* debet vir uxori invigilare, benigne compati, amicis suasionibus, non rigidis verbis imperare. Et si quando fortiter agendum, habeatur ratio illius Marci Aurelii: *uxor monenda sæpe, reprehedenda raro, violentis manibus tractanda nunquam.* Uno verbo vir tenetur uxorem habere uti sociam, non uti ancillam; Deus enim dedit illam non in vile mancipium, sed *in adjutorium simile sibi.* Ad rem Angelicus: *Conveniens fuit mulierem formari de costa viri, ad significandum, quod inter virum et mulierem debet esse socialis conjunctio. Neque enim mulier debet dominari in virum, et ideo non est formata de capite; neque despici debet a viro tanquam serviliter subjecta, et ideo non est formata de pedibus* [2].

R. Ad 2: Uxor specialiter tenetur erga maritum suum:

1. Ei ex corde obedire in iis, quæ ad familiæ administrationem pertinent. Unde Apostolus: *mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus est Ecclesiæ* [3]. Non licet itaque mulieri agere expensas contra mariti voluntatem, quæ communem fœminarum sui status consuetudinem excedant, nisi eas agat ex paraphernalibus bonis.

2. Ei ex animo placere: sit mansueta, lenis, patiens; omnem garrulitatem, procacitatem et suspicionem circa fidem sedulo avertat. Ex his enim sensim sine sensu evenire solent mutuæ aversiones, sine fine altercationes, fractio fidei, scandala, demum divortia [4].

3. Ei indigenti de suo providere; hoc enim ad debitum conjugalis amoris pertinet. Quod etiam civili lege præcipitur [5] *(CC).*

563. Q. 3. *Ad quid tenentur domini erga famulos suos?*

R. Hæc præcipue servare tenentur domini circa famulos suos:

1. Illos *instruere;* inquit enim Apostolus: *si quis autem suorum,*

[1] Art. 130; — *C. A.* 90; — *C. S.* 193; — *C. P.* 50; — *C. G.* 212; — *C. M.* 100; — *C. T.* 63. Quod si ipsa a marito discesserit sponte sua et sine causa, cessabit in marito hoc onus. Item si in adulterium lapsa sit, et aliunde habeat ut vivat.

[2] 1, q. 98, a. 29. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 351.

[3] Ephes. v. — *V.* Mellini, *La Donna forte;* Modena; — *Le tribolazioni delle maritate.* Monza, 1858. — Carron, *Vies des Justes dans état du mariage.* Lyon. 1825. — Chassay, *Le difficoltà della Vita di famiglia;* it. *I doveri delle donne nella famiglia.* Et s. Chrysostomus, Homil. XXVI *in* I *ad Cor.*, ecc., ecc.

[4] Confessarius non statim credat conjugi contra conjugem conquerenti, præsertim si uxor in maritum invehat, quia mulieres ordinarie sunt procaces: melius est, re dissimulata, ipsi commendare orationem, patientiam, mansuetudinem et majorem sollicitudinem pro viro: sicque pluribus medetur malis. Taceat uxor, dum maritus est iratus vel ebrius: si monitio profutura videatur, id agat, dum maritus est bene affectus. Leniter autem agat semper: quod si non juvat et agatur de re gravi, curet, ut per Parochum vel alium virum prudentem maritus admoneatur. (Gury.) — *V.* s. Augustinus, *Confess.*, l. IX, c. 9.

[5] Art. 132; — *C. A.* 91; — *C. S.* 202; — *C. G.* 213; — *C. P.* 50; — *C. M.* 98; — *C. T.* 64.

et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior [1]. Qui ergo dominus sollicitus non est, ut famuli rudimentis fidei imbuantur, nec tempus ad hoc conveniens concedit; qui eos ad catecheses et conciones sacras opportuno loco et tempore non mittit, iste profecto suorum domesticorum curam non habet. Gravius autem peccat, si absque juxta causa famulos impediat diebus festis a Missa audienda; si opera servilia iisdem imponat; si jubeat quæ sine gravi peccato præstare non possunt.

2. Illos *corripere*, si opus sit; sunt enim caput totius familiæ, quam debent recte dirigere. Unde peccant gravissime domini, qui non monent, vel incorrigibiles non dimittunt famulos irreligiosos, impios, blasphemos, turpia loquentes et perversitatis præbentes exempla (maxime filiis ac filiabus, quorum ætati tanta reverentia debetur). Sed iis quidquid lubet, indulgent, modo labores rite præstent; imo perversis principiis eos imbuunt, imo ipsorum religiositati irrident, imo eos seducunt, vere animarum interfectores.

3. Illos *amare* amore interno et externo: ideoque eos benigne alloqui, convenienter alere, plus æquo non gravare laboribus, scientes eos confratres suos esse, unum omnium Dominum, spem et metam; *ex eisdem seminibus ortos, eodem frui cœlo, æque spirare, æque vivere atque mori* [2]. Unde Scriptura: *si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta; noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos et opprimens subjectos tibi* [3].

4. Illos *justo pretio nunquam fraudare;* legitur enim: *dignus est operarius mercede sua. Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt* [4]. Pretium justum censetur quod communiter in illis locis dari solet, vel quod uno recusante, statim ab alio admittitur; hoc tamen habet latitudinem.

Hinc versus:

Instrue, corripe, ama, mercedem pandito servis.

564. *Quid si famulus ad annum conductus per mensem ægrotet; vel sine causa ante annum discedat?*

R. 1: In primo caso ex justitia ei integrum non debetur salarium, uti docent verius et communius; cum non præstiterit servitium integrum: excipe, nisi aliter se habeat consuetudo. Imo dominus ne tenetur quidem ad expensas infirmitatis, ut probabiliter contra alios docet Lugo, modo famulus non sit in necessitate, nec aliter ferat

[1] 1 Tim. v. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 342 et seqq.
[2] Ita Seneca (Epist. XLVII), qui laudat amicum Lucilium, quod cum servis familiariter agat vivatque. Et invehit in consuetudinem multorum dominorum, qui servos suos superbissime et crudelissime tractant.
[3] Eccli. IV et XXXIII. [4] 1, Tim. V; Eccli. XXXIV.

usus [1]. Non tamen tenetur servus operas suas supplere; quia tota promissio tempori determinato affixa est.

R. 2: In alio casu, licet servus non recte agat, per se tamen aliquid ei debetur, ut communius dicunt; cum servitus exhibita mereatur utique mercedem suam. Excipe iterum, nisi ideo domino damnum obvenerit, vel aliter se habeat mutua conventio.

565. Q. 4. *Quænam sunt obligationes famulorum erga dominos?*

R. Famuli tenentur dominis ea generatim præstare, quæ filii parentibus, amorem nempe, reverentiam, obedientiam et fidelitatem.

1. *Amorem;* dominorum enim bonis fruuntur, et sub eorum custodia vivunt: quo quidem sincero amore etiam dominorum filios prosequi tenentur. Hic delinquunt illæ ancillæ, quæ, vix ab oculis parentum subductæ, filios adhuc tenellos despiciunt, vexant et uti extraneos habent.

2. *Reverentiam;* clamat enim Apostolus: *servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur* [2]. Hinc peccant mortaliter si occultos et graves dominorum defectus manifestent, si gravibus injuriis eos afficiant, v. g. diabolos, canes, etc. appellando (nisi ex subita ac indeliberata ira hæc proferantur, quia tunc non reputantur graves); vel si eos graviter irrideant, aut sinant ut in propria præsentia illorum honori graviter detrahatur.

3. *Obedientiam;* prima lex famuli voluntas domini. Sic eos alloquitur Petrus: *subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis* [3]. Hinc plus minusve pro materiæ qualitate peccant famuli, qui cum aliquid non gratum præcipitur, obmurmurant, insolenter respondent vel simulant se jam illud fecisse.

4. *Fidelitatem* in servitio; ideo enim stipendio conducti sunt, ut fideliter serviant, strenue laborent, res domini curent, ac nihil surripiant. Unde Apostolus vult *servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes* [4].

Hinc versus:

Dilige, et obsequium, famulatum redde, fidemque.

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 342 et 864. Hic juverit proferre illud Plinii juvenis (Ep. XIX, al 114): ægrotanti famulo *tanto major humanitas exhibenda est, quanto nunc illa magis eget.* — *V.* Zacchia, *De salario seu operarii mercede.*

[2] I, Tim. V. — *V.* Ferraris; V. *Famuli, Famulæ.*

[3] Epist. I, c. 2. — V. Carrière, *De Contractibus,* n. 804.

[4] I, Tim. II. — Quoad furta famulorum, vide *de Restit.*, c. ult. Ex *Cod. civ.* art. 1228: « nessuno può obbligare la propria opera all'altrui servizio che a tempo, o per una determinata impresa. » Quoad salarii præscriptionem vide *De præscriptione.*

« La legge *di pubblica sicurezza* (art. 48) stabilisce che le Autorità di pubblica sicurezza a richiesta degli operai e domestici, o loro padroni e capi, dovranno rilasciare ai medesimi un *Libretto*, su cui saranno inscritti, dal giorno nel quale sarà rilasciato, i servigi resi, gli obblighi contratti e la condotta. » Carabelli, *La pratica del Codice civile.*

Sciant domini eo magis famulos fore in re domestica diligentes, quo magis erunt in Religione fideles qui Deo nequam est, cui bonus erit? Qui vero Deum diligit, ejus leges curat, quæ debitam subjectionem erga majores tuentur.

566. *Quid* (quæres) *si famuli inculpabiliter damnum afferant domino in exequendis muniis sibi commissis; vel in transferendis huc illucque mobilibus et supellectilibus domus?*

R. Cum res pereat domino, et dominus censeatur agere per famulum, et revera agat, ipsi stant incommoda et damna, quæ inculpabiliter famulus affert rei domesticæ, nisi alia sit conventio.

Q. 5. *An famuli possint recipere salarium a domino debitis gravato?*

R. Affirmative, si bona fide famulatum præstiterint; an vero teneantur descedere, si ex tali famulatu advertant dominum reddi impotentem, alii negant non improbabiliter cum Molina, quia dominus dat rem suam, et servus mercede dignus est; sed alii cum Navarro affirmant, quia efficaciter influit in damnum creditorum accipiendo rem a debitore impotente [1].

Q. 6. *An possint absolvi famulæ cum heris peccantes, si jam aliis vicibus cum eis peccaverint?*

R. Si bis vel semel tantum peccaverint, et post admonitionem confessarii occasionem tollere curaverint, absolvi possunt: secus si occasionem removere neglexerint. Quare nunquam eas absolverem, si peccatum fuerit frequens, nisi exhibeant extraordinaria dispositionis signa, et sint in gravi necessitate, si nempe sine gravi incommodo nequeant proprio statui aliter providere: quanquam et in hoc casu experimentum quærerem [2] *(DD).*

Corollarium. — *De obligationibus superiorum et inferiorum generatim erga se invicem.*

567. *Quænam sunt speciales inferiorum, atque superiorum obligationes ad invicem?*

R. In humana societate (præter quos numeravimus) sunt qui aliis præstant vel dignitatis, vel propinquitatis, vel potestatis, vel peculiaris alicujus officii, vel solius ætatis nomine. His respective debetur *honor* ratione sublimitatis, *pietas* ratione propinquitatis, *observantia* ratione potestatis, *obedientia* ratione officii, *tributa* ratione stipendii, *reverentia* ratione ætatis. Hinc generatim dicitur in Scripturis: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit...; reddite ergo omnibus debita.... cui timorem timorem, cui honorem honorem* [3].

Vicissim superiores sive ecclesiastici sive sæculares tenentur inferiorum bonum curare; cum potestas sit in subditorum utilitatem ipsis a Deo tributa. Hinc Scriptura: *rectorem te posuerunt? noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis; curam illorum habe* [4].

Hic tamen non est omittenda specialis illa obligatio, quæ omnes laicos premit erga Clerum ac maxime Parochos suos, a quibus habent quidquid habent de bonis animæ. Debent: — 1) illos ex corde amare; sunt enim spirituales ipsorum patres: *per hos Christum induimus, et cum filio Dei sepelimur*, ad rem ait Chrysostomus [5], *et membra beati illius capitis efficimur;* — 2) illis fideliter obedire juxta illud: *obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi*

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 694.
2 *V.* Liguori, *Op. Mor*, l. III, n. 439; et Tract. seq. ubi *De concubinatu.*
3 Rom. XIII. 4 Eccli. XXXII.
5 L. III *De sacerd.*

rationem pro animabus vestris reddituri [1]; — 3) maxime revereri, cum sit maxima Pastorum dignitas: at quo major dignitas, eo major debet esse veneratio; — 4) illis præsto esse et subvenire; nam *Dominus ordinavit iis, qui Evangelio annuntiant, de Evangelio vivere* [2].

Scholium. — *Præcipua, quæ Synodus Novariensis præscribit quoad diversorum obligationes.*

568. *a)* Quoad Canonicos: hac præcipua statuit:

1. Ut singulis hebdomadis Comitia habeantur, absentes sine legitima causa privatione distributionum mulctando. Eo tempore canonici chori insignibus ne sese exuant, et quique suo loco sedeat: quod si de re agendum sit ad quempiam ex canonicis spectante, is prius recedat. Quod in Capitulo peragitur, nulli, nisi Episcopo, pandatur. Si crebrius sit convocandum Capitulum, singuli canonici admoneantur; et si de re gravi agatur, prius causa ipsis significetur, ne imparati veniant.

2. Ad fovendam pietatem unoquoque saltem mense spiritualia Comitia summe conferunt; in his quippe agitur de chori disciplina, et abusus notantur.

3. Electiones Officialium secreto scrutinio jure fiant in loco Capituli; administratores bonorum ne confirmentur post biennium, nisi reddita ratione. Nemini liceat officia recusare, nisi a Capitulo probata causa; secus ad Episcopum recurrendum.

4. Cæremoniarum magistri ab Episcopo approbationem debent obtinere; item sine Episcopi licentia nec musici, nec alii inservientes alienæ Diœcesis assumuntur.

5. Ubi primum decessit canonicus, duo canonici ideo electi, ædem canonicalem defuncti visitent cum peritis, ut videant, si aliquod sit reficiendum. Hæ autem ædes ne laicis locentur, sine Episcopi facultate; et inter locatores præferatur canonicus vel presbyter, idque sub pœna privationis vocis activæ et passivæ.

6. Aliquando plures Missæ uno die sunt celebrandæ; sed ex Novariensis Diœcesis consuetudine integrum esto secundam tertiamque Missam pro quo maluerit applicare, modo in commemoratione pro defunctis Ecclesiæ benefactorum in genere non obliviscatur.

7. A Præfecto chori sic vacationes sunt distribuendæ, ut tertia tantum, vel ad summum (ex peculiaribus circumstantiis) dimidia canonicorum pars, autumnalibus licet feriis adventantibus, a divinis officiis abesse possit (pagg. 173 et 416).

Ultimo notat Indultum Gregorii XIII (20 oct. 1579), ad d. Caroli preces concessum, quo canonicis et dignitatibus Metropolitanæ et Cathedralium Ecclesiarum Mediolanensis provinciæ a choro absentibus

[1] Hebr. XIII. « La réputation d'un prêtre, d'un supérieur ecclésiastique est bien délicate : il est facile de la flétrir. Combien sont coupables ceux qui, par des railleries, des médisances, et quelquefois même par des calomnies, dénigrent un Pasteur et le rendent incapable de faire le bien qu'il pourrait faire! » *Examen raisonné.*

« *Nostro Signore*, ait Gousset, *comanda di obbedire anche ai preti che non hanno lo spirito del loro stato, quando non comandino nulla che sia contrario al Vangelo e all'insegnamento della Chiesa: ecco quello ch'Egli dice parlando degli Scribi e Farisei:* Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim et non faciunt. » (Matth. XXIII.)

[2] 1, Cor. IX.

causa ministrandi Episcopo pontificalia in civitate exercenti; item iis aliisque canonicis Ecclesiarum collegiatarum ejusdem provinciæ a choro pariter absentibus, ut Episcopi concessione in sua quique Ecclesia quæ sit parochialis, Sacramenta Eucharistiæ et Pœnitentiæ administrent; item illi canonico qui Sacrum facit, distributiones ceu præsentibus conceduntur. Quod indultum a Leone XII, 19 maji 1827, extensum fuit ad Diœcesim Novariensem, etsi hæc hodie non amplius sit suffraganea Archiepiscopalis sedis Mediolanensis.

b) Parochiæ vacatio: si Parœciæ vacatio contingat ob Parochi obitum, Vicarius parochialis ex Synodo Novariensi: 1) indicere debet preces fundendas ab universo populo, ut Deus beatam requiem defuncto elargiatur, et alium fidelem pastorem mittat; 2) die quo pro novo Parocho eligendo habebitur concursus, tenetur exponere Ss. Sacramentum, et populum hortari ad preces coram eodem Sanctissimo fundendas (pag. 194).

c) Quoad Coadjutores titulares: hæc statuit Synodus Novariensis (pag. 360): 1) quod pertinet ad animarum curam, obligantur in solidum una cum Parocho, a cujus nutu omnino pendent. Eadem residentiæ lege tenentur, neque possunt vel una die abesse, quin moneant principalem; 2) in absentia Parochi, absque alio mandato, jure proprio omnia parochialia munia valide et licite exercere possunt et debent; semper tamen una excepta Matrimonii celebratione et Missæ applicatione pro populo. Poterit tamen Parochus alium vocare sacerdotem; sed absque læsione dictorum jurium Coadjutoris. Etiam Parocho æquiparantur in Congregationibus, excepto insigni diverso; 3) coadjutores concurrere debent in tertiam partem impensarum visitationis episcopalis; sed gaudent tertia parte emolumentorum a Baptismis funeribus, officiis aliorumque e stola provenientium. Si tamen plures sint coadjutores titulares dimidium erit Parochi, dimidium vero inter ipsos titulares dividendum. Hic quoque excipiuntur quæ titulo Matrimonii proveniunt vel attestationum vel aliarum functionum, quæ uni Parocho cedunt, cum obligatione tamen Libros parochiales procurandi. Ceterum compartibus liberum est quoad hæc emolumenta et onera temporalia secum una convenire [1].

d) Quoad Clericos inferiores: Synodus his omnibus sua munia aperit, atque urget: districte præcipit, ut omnes Sacramenta frequentent; — Mentali orationi incumbant; — Studiis vacent; — Ecclesiæ cui addicti, sedulo inserviant, maxime vero in doctrina fidei pueris tradenda; — Ne publicam concionem habeant sine Episcopi licentia, si nondum sint diaconi. — Ne in vili occupatione versentur; sed ab omnibus caveant, quæ eorum statum dedecent (pagg. 42, 62, 161 et seqq.).

e) Quoad Regulares: hæc statuit Synodus Novariensis (pagg. 198 et seqq.) quædam specialia quoad moniales ac religiosos viros: 1) ut qui de licentia septa monasterii ingrediuntur, opere absoluto, statim exeant non vagando, sed recto pergant tramite, duabus ex senioribus monialibus comitantibus, ceterisque campanulæ sono secedere jussis. Medici seclusa necessitate, et ceteri operarii ante solis ortum vel post occasum ne ingrediantur, vel ibi cibum sumant; 2) puellæ in monasterio educationis causa degentes, clausuræ tenentur lege. Quandiu in ipso degunt, ne ineant sponsalia, sed quum primum de iis agitur, dimittantur. Quod si aliqua velit institutum ca-

[1] Si Parochus moritur, non ideo coadjutor in ipsam ordinariam Parochi jurisdictionem succedit, ut marte proprio possit Matrimoniis valide benedicere; neque enim per alterius mortem natura ejus Beneficii mutatur; sed Episcopi delegatione opus habet.

pessere religiosum, non antea Episcopi permissu præeunte, monastico donetur habitu, quam sex menses in monasterio commorata fuerit; 3) ordinarii confessarii et extraordinarii officio suo functi, monasteria non adeant, neque cum monialibus per literas agant; 4) religiosi sine Episcopi consensu nequeunt supplicationes agere extra claustra ultra limites antiqua consuetudine definitos; quoad functiones vero in propriis Ecclesiis videant, ne parochiales functiones turbent vel impediant, ab his avocantes fideles. Mendicare vetantur nisi per sui Ordinis religiosos, qui insuper videant ne rerum sarcinas transferant in festo. Si in Diœcesi sedem non habeant, ne eleemosynas quæritent sine Episcopi licentia; ceterum in hac re servetur jugiter legitima consuetudo.

f) Ludus quoad Ecclesiasticos: in Synodo Novariensi postrema, præter taxam libellarum 15 monetæ novæ Pedemontanæ Parochiali Ecclesiæ applicandam, indicitur etiam pœna suspensionis ipso facto incurrendæ et reservatæ iis omnibus ecclesiasticis, qui sive in cauponis quibuslibet, sive in liquorum seu potationum officinis (vulgo *caffè, bottiglierie)*, ad easque pertinentibus diversoriis, tam in urbe quam extra tabulis lusoriis (vulgo *carte, tarocchi)*, vel taxillis ludentes (vulgo *ai dadi)*, vel digitis micantes (vulgo *alla mora)*, commorari ausi fuerint (pag. 168).

Neque refert, si forsan clericus pro alio ludat qui casu hic et nunc sit impeditus; semper enim verificatur quod ludit. Item dicunt, si ludat in cubiculo ubi ipse moratur, si in tota ea domo parentes cauponam agant, et simul cum illis vitam vivat in una familia; ut declaravit card. episcopus Morozzo, qui ultimam Novariensem Synodum anno 1826 dictavit.

g) Negotiatio quoad Ecclesiasticos: Synodus habet ad rem: *Caveant ecclesiastici, ne ullum mercaturæ aut negotiationis genus, sive per se, sive per interpositas personas, exerceant. Unde nec laicorum prædia reditusve lucri causa, conducant aut societatem cum conductoribus ineant, nec aliena negotia procuratoris, institorisve officio agant, aut per nundinas vel mercatus discurrant, non sine gravi decoris sui detrimento. Hæc omnia sacerdotibus singulis districte vetamus, nisi forte in gratiam propinquæ alicujus personæ ob evidentem ejus indigentiam, vel aliam rationabilem causam fiant, cujus recognitionem semper exigemus Nobisque reservamus* (pag. 170).

h) Officia sæcularia quoad Ecclesiasticos: hac de re Synodus Novariensis habet (pag. 170): *Ecclesiasticorum nemini fas sit in occupatione vili, aut in curanda re familiari, aut domus gubernatione famulari, vel in aliqua arte sæculari, præsertim inhonesta, aut sordida versari; vel forensi causarum, litiumve patrocinio se dedere. Quoties vero honestum aliquod officium in laicorum domo suscipere voluerint, licentiam ab Episcopo obtineant.* (Quæ porro omnia libere Episcopum constituere posse, etiam sub pœna, constat maxime ex Tridentino; hoc enim necessarium est ad clericorum vitam rite continendam. Sess. xxii, c. 1 *de R)*.

i) Spectacula publica: hac de re habet Synodus: *Ne ea spectare audeant aut in ecclesiasticis ædibus fieri permittant, quamvis propinquorum laicorum nomine agerentur, sub pœna suspensionis.... Absit etiam ut in plateis morentur mimos mimasque eorumque lascivos cantus audiendi, aut indecoros gestus spectandi causa aut noctu fidibus canendo canentesve comitando vagentur* (pag. 168).

j) Quoad Ecclesiæ cultum: hæc Synodus statuit.

1. Ut novæ imagines in Ecclesia etiam regularium publicæ vene-

rationi non proponantur sine Episcopi licentia, et nisi præmissa consueta benedictione. Item ne, inconsulto Episcopo, templa aut altaria erecta quis audeat diruere, aut alium in locum transferre. Item nec quidam novi operis vel ædificationis sine ea licentia in sacris ædibus fiat. Quæ item permissio requiritur, si quæ proveniant Ecclesiæ bona, ut de illis utiliter disponatur.

2. Ne in templum segetes, ligna, aut res aliæ sacris usibus non addictæ inferantur. Ne ibidem, aut in atrio vel portico ulli fiant profani cœtus: neque res venales exponantur, licet illæ nomine Ecclesiæ vendantur.

3. Ut viri seorsim a mulieribus, quantum fieri potest, ex antiqua consuetudine in templo consistant. Et scamna seu subsellia in Ecclesiis non collocentur, non obtenta facultate ab Episcopo.

4. Ut excepta nocte Nativitatis ac Commemorationis omnium Defunctorum, conventus nocturni in Ecclesia penitus interdicantur. Sed fores (ex S. C. Congregatione) claudantur desinente die, nec mane aperiantur nisi lucescente ipsa aurora.

5. Ut identidem Parochi sermonem habeant fidelibus de cultu locis sacris exhibendo, minas in profanatores alte memorantes. Item ne novæ supplicationes sine licentia Episcopi agantur, nec noctu, nec longiores sine causa, nec extra Parœciam.

6. Ne quis eremitarum habitum induere permittatur sine episcopali licentia quotannis; nec quæstoris eleemosynarum exercere munus, maxime si id fiat musicis concentibus (pagg. 61, 192, 210 et seqq.).

k) Quoad Confraternitates: hac in re hæc specialius habet Synodus: 1) Ne in sodalium numerum referantur fidei rudimentorum nescii, neque notorie criminosi aut infames; item neque qui est de aliena Parœcia sine venia Episcopi; item neque adolescentes nondum decennes. Ante 16 autem annum nemini sit jus ferendi suffragia in Comitiis. Habitum de ritu benedictum, præsente Parocho vel alio sacerdote ab illo deputato, accipiat candidatus solitis precibus; 2) sine Episcopi facultate nullus sacerdos capellani munus assumat apud quamcumque Confraternitatem. Semel autem ac legitime electus, ne benedictiones aliasque functiones parochiales exerceat sine Parochi licentia; item funus ne comitetur licet confratrum ad sepulcrum cum stola; 3) piæ exercitationes in propriis Oratoriis ne habeantur tempore quo functiones parochiales habentur. Quod si in parochiali Ecclesia convenire soleant confratres, sine cantu Officium persolvant, si ideo perturbentur Confessiones excipientes aut Sacrum agentes: et hac de re contumax 15 libellas monetæ novæ Pedemontanæ parochiali Ecclesiæ solvere compellatur. Sacras functiones rite peragant, ac processionibus sexdecim saltem confratres cum habitu intersint, non computatis qui sexdecim annis minores sunt; 4) in electione Officialium, Priorum et Administratorum ut assistat Parochus, ab Episcopo jam delegatus est, si alteri expresse hoc munus non sit commissum. Item in Diœcesi proprius Parochus est specialiter deputatus, ut administratorum bonorum rationes accipiat ac cognoscat (pagg. 204, 371, 375, 383).

l) Quoad Festa: a Synodo hæc præcipue Parochis injunguntur: 1) ut si festum in hebdomada contingat, illud antea annuntient, observantiam urgentes; 2) ut solemnitatibus occurrentibus triduo tantum ante campanæ pulsentur, neque protrahatur sonus ultra primam noctis horam; 3) ut Titularium solemnia proprio celebrentur die, nec quidquam indecorum permittatur (pagg. 65 et 100).

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM TERTIUM.

(A) Pag. 310.

569. « Kant, gran corifeo de' panteisti moderni..., vedendo che la sua ragione teoretica non serviva a verun uso nella sua vita positiva, ricorse alla ragione pratica per trovarvi un *imperativo regolatore* delle azioni e del libero arbitrio, conformemente alle idee di dovere e di diritto. La quale ragione pratica la pose su certe cognizioni pratiche a *priori*, che determinano per noi non *quel che è*, *ma quello che deve essere*, e formano la *legge morale* (l'obbligazione); la cui forza è autonoma, e non piega il soggetto alla obbedienza col pensiero di un essere e di una autorità e forza superiore, non col timore del male, o colla speranza della felicità; ma *col puro rispetto a quella legge*, sicchè in definitiva quella legge non è che una astrazione, una vana tendenza al sommo bene che non sa additare nè dove sia, nè quale sia, nè per quali passi vi si giunga, e diviene poi un empirismo nella parte, in cui si tolgono per regola della vita reale, positiva, esterna quei precetti di ragione pratica che si formulano nella così detta *ragione giuridica*, cioè nelle leggi positive, religiose o sociali.

» Così dichiarata da Kant la ragione autonoma, cioè *legislatrice a sè medesima, dipendente dalle sole sue proprie leggi*, le scuole tedesche entrarono in questa rotaja, e quindi Fichte non considera il dovere (l'obbligazione) se non come *una legge che l'Io impone a sè stesso, e questa legge consiste in rispettare il diritto altrui.* Per Hegel la moralità *è un'armonia dell'uomo colla natura, e la volontà è il morale fine a sè stessa o legge di moralità.* Quanto a Scheiling, egli dice: *che se Dio esiste, esiste subito per conseguenza un mondo morale*, ma soggiunge che *la virtù è uno stato, nel quale l'anima si conforma non alla legge posta fuori di lei, ma bensì come ad una necessità interna della natura sua.* » *(Saggio intorno al Socialismo*, vol. II.)

Contra omnes nobis videtur jampridem exclamasse Sanctus noster: « La legge naturale non nasce dalle nature stesse degli enti ragionevoli, come suppongono certi autori; ma nasce dalla legge eterna. La ragione divina è quella che crea l'ordine naturale di tutte le cose, e la divina volontà è quella, che conserva quest'ordine. Non è la natura che forma la legge e la misura dell'onestà; ma è quella legge che Iddio ha dato ai subbjetti di ogni natura. » (Liguori, *Apolog. e Confut.*, vol. I.)

(B) Pag. 316.

570. Servitium Ecclesiæ: Seminarii alumni pro locorum opportunitate Cathedrali et aliis loci Ecclesiis inserviant, ut sacro ministerio assuescant (Tridentinum, sess. XXIII, c. 18 *de R.)*. At ratio habenda est studiorum et disciplinæ, ne exinde detrimentum patiatur. Benedictus XIII Const. *In supremo*, ubi agit de restauranda disciplina ecclesiastica in regnis Hispaniarum, decernit, quod Seminariorum alumni diebus tantum festis (et pro festis in Ecclesia habentur etiam festa suppressa) Cathedrali aliæve loci Ecclesiæ inserviant et publicis

processionibus interveniant, sublata quacumque majoris servitii consuetudine etiam immemorabili. Et Constit. *Creditæ nobis* ad omnes directa, habet: *Omnibus Episcopis ne de cetero pro se vel suis vicariis aut familiaribus quibuscumque sub quovis colore et prætextu, habitatione, coquina, famulis, ministris aut officialibus seminarii, vel lectoribus, magistris, sacerdotibus et clericis quomodo inservientibus eidem seminario et alumnis, vel a seminario salariatis et quomodocumque retentis uti audeant districte sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ vetamus ac inhibemus. Non tamen per hoc prohibere intendimus Episcopo pontificalia exercenti, ne cæremoniarum magistro vel sacerdotibus a seminario retentis uti possit.* — *V.* Giraldi, *Expositio Juris pontificii*, p. 2ª, sect. 108; — *Prælectiones Juris canonici in Seminario S. Sulpitii*, tit. *Seminariorum institutio;* — Lucidi, *De Visitatione Sacrorum Liminum*, vol. II, pag. 373.

571. Cantus sacer: omnes clerici in cantu sacro instructi sint oportet, in *Gregoriano* vel *Ambrosiano*, juxta proprium Ecclesiæ ritum. Ille sic appellatur a Gregorio M. quia antiquum in Ecclesia Romana existentem reformavit; hic a d. Ambrosio, qui ipsum ex variis jam existentibus pro sua confecit Mediolanensi Ecclesia. (vide Richard e Giraud, *Dizionario* ecc. V. *Canto.)* Qui cantus, maxime Gregorianus, ob ejus gravitatem valde confert ecclesiasticis functionibus: cum autem sit et gravis et unius soni, ideo et *planus*, seu *simplex canendi modus* appellari consuevit (vulgo *canto-fermo).* Sicque discriminatur ab illo, qui varius est atque multisonus, et dicitur *harmonicus* seu *musicus* (vulgo *canto-figurato).* Hunc etiam profanum appellant. — *V.* Bergier, *Dizionario* ecc. V. *Canto ecclesiastico;* — *Dizionario delle origini* ecc. V. *Canto;* — Il *Cattolico* di Lugano, vol. XVI; — *La scuola del canto Gregoriano;* Novara; — Thomassinus, *Vetus et Nova Ecclesiæ disciplina*, lib. 2º, c. 71; — La *Civiltà Cattolica*, serie 3ª, vol. V: *Musica religiosa;* — *Annali Religiosi;* Roma, vol. XVI et seqq. — D'Avino, *Enciclopedia dell' Ecclesiast.* V. *Canto.*

Huc faciunt pro nonnullis illa d. Bernardi: *Cantant, ut placeant populo, magis quam Deo: si sic cantas, ut ab aliis laudem quæras, vocem tuam vendis et facis eam non tuam, sed suam. Habes in potestate vocem tuam, habeto et animum; frangis vocem, frange et voluntatem.... cave ne sicut delecteris altitudine vocis, delecteris elatione mentis.* (De interiori domo, cap. LI.) Et in libro: *La Devozione riconciliata collo spirito*, di M. Lefranc, legitur (vol. II, c. 3): « S. Gregorio non amando lasciar perire l'opera compita con tanta fatica, fondò molte scuole di canto pei chierici sino ai diaconi esclusivamente; vi presiedeva spesso egli medesimo, e il diacono Giovanni ci assicura che a' suoi tempi vedevasi ancora la sede dalla quale insegnava agli allievi, e la sferza con cui minacciava la svogliatezza e la negligenza dei giovani. Voleva che i cantori si applicassero a modulare piacevolmente la loro voce e a cantar con chiarezza: ciò che non può ottenersi, dice s. Isidoro di Siviglia, se non col fare astinenza; essendochè, aggiung'egli, gli antichi digiunavano nella vigilia del dì, in cui dovevano cantare. Eglino usavano, nel loro tenore di vita comune, soltanto dei legumi, onde conservarsi la voce chiara e sonora; da ciò provenne che i gentili chiamavano i cristiani: *mangiatori di fave.* Io non so, osserva il p. Naimbourg, se i nostri cantori d'oggidì vorrebbero adattarsi a questo metodo, cui non sono molto avvezzi. »

572. En nonnullæ Decisiones S. Congregationis hac de re:

a) An capellani de massa debeant possidere cantum-firmum, ita ut eligi non debeant, neque possint imperiti hujusmodi cantus? — *Af-*

firmative, et in posterum examinentur a deputandis per Ordinarium. An sit facienda reformatio capellanorum nunc existentium, qui carent peritia cantus-firmi? — R. *Lectum: S. R. C.* 13 dec. 1660 in Januen.

b) An conveniat inter Missarum solemnia canere Laudes idiomate sermone compositas. — *S. R. C.* respondit: *non convenire, imo omnino prohiberi mandavit;* 21 martii 1639; et si quis abusus eliminandus, ut declaravit 22 martii 1862.

c) An conveniat cantare aliquas cantiones vulgari sermone, non tamen profanas, festivitate Ss. Sacramenti? — *S. R. C.* respondit: *non convenire;* 21 martii anno 1609.

An in benedictione populo impertienda cum Augustissimo Sacramento permitti possit cantus alicujus versiculi, vernacula lingua concepti, ante vel post benedictionem? — *S. R. C.* respondit: *permitti posse post benedictionem;* 3 augusti anno 1839. Talis revera est ferme ubique usus, ut nempe post benedictionem, nondum reposito Sacramento, canatur: *Vi adoro* ecc. Romæ et alibi recitantur laudes, *Dio sia benedetto* ecc. Pro hisce autem laudibus a Pio Papa IX conceditur indulgentia unius anni pro qualibet vice, et indulgentia plenaria una vice in mense.

d) An ad verba Invitatorii *Venite adoremus et procidamus ante Deum*, ad verba Symboli *Et incarnatus est*, et alia similia genuflexionem requirentia, sit genuflectendum etiam a cantoribus ad ambonem aut chorum legentibus dum ea proferuntur actualiter, et alii genuflectunt; vel post finitum versum qui ab his cantatur, et aliorum tunc non canentium levationem? — *Serventur Rubricæ Missalis, Breviarii et Cæremonialis Episcoporum, sic tamen, ut quando mora genuflexionis est brevis, hæc fiat dum verba quæ cantantur genuflexionem exquirunt. Quando autem mora est longa, ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, genuflexio peragatur sub finem verborum.* Ita *S. R. C.* 8 martii 1738.

e) Cantores non possunt in choro incipere Introitum Missæ, priusquam sacerdos celebraturus ad altare pervenerit. *S. R. C.* 14 apr. 1753.

573. Cantus harmonicus: ipse harmonicus in Ecclesia cantus (ubi non sit more theatrali exercitus et modo fiat moderate) permitti potest; non tamen illum ecclesiasticis facile commendari posse existimamus, ut nempe ipsi per se ex professo incumbant; cum ideo de facili propria munia negligant; et maxime quia occasionem inde soleant, ut plurimum, arripere et profanos musicales conventus frequentandi, et festis diebus potissimum solemnioribus, huc illucque quasi mimi cursitandi: quo fit, ut proprio decori et characteris gravitati, non sine maximo fidelium scandalo, deficiant. Pius Pp. IX, Lit. Apost. *Cum Romani* 1853 pro Seminario Pio statuit: *cantus Gregorianus, omni alio rejecto, tradetur.* De cantu, motetis, organo et musicis instrumentis vide Benedictus XIV, Encyclica *Annus* 1749; et dicenda *Append.* de cæremoniis, Lib. IV.

574. Studii necessitas: hic venit valde increpanda eorum agendi ratio, qui studiis vacant in clericatu; sed vix ad Sacerdotium evecti illis valedicunt, atque obiter munus suum obeuntes reliquum tempus inutilibus terunt nugis: quos si urgeas ut studio vacent, tempus non habent; si urgeas ne futilia sectentur, nesciunt quo modo tempus impendant. Sic otio torpescunt, quod est malorum fons. Sic et illa pauca amittunt, quæ didicerunt clerici; nam non scimus nisi quod recordamur; nec recordamur nisi quod sæpe repetimus. Sic perpetuo ignorant plurima, quæ continuo occurrunt addiscenda in salebroso ministerio; et hoc quidem non sine maxima animarum perni-

cie. Sic tandem et se ipsos et proprium munus penes sæculares contemptibile reddunt. Mirandum sane est, imo lugendum maxime, si legis doctores atque custodes scientiarum studia negligant *hac ætate, qua non solum laicos homines se ignorantia incusari puderet, sed et debilis sexus hanc eandem notam male audiret in se jactam; inque nulla alia re tantum insudare videntur sæculi homines politiores, quam vel ab ipsis vulgi personis inscitiæ caliginem depellere et ubique scientiæ radios diffundere.* Ita Aquensis Episcopus Epist. Kalendario anno 1847 præfixa. — *V.* Frassinetti, *Riflessioni agli Ecclesiastici.* — Marchetti, *Il Sacerdozio cristiano;* — Riccardi, *Pratica de' buoni studi*, c. 1 et 2; et maxime *Dei doveri e dello spirito degli Ecclesiastici*, c. 4; — Audisio, *Introduzione agli Studi ecclesiastici;* — Salzano, *Lezioni di Diritto* ecc., parte 2ª, lez VIII: *Studi.* — Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIX, ossia l'Ecclesiastico considerato nelle sue relazioni morali e sociali;* opera tradotta ed arricchita di copiose note ed appendici dall'arcip. Miotti; Milano; Pogliani, 1867 (Opus omnibus ecclesiasticis hodie maxime perutile); vide tom. I: *Studio e scienza* ecc. *Utilità delle scienze umane*, ecc.

Indefessi studii necessitas hodie maxime urget nos, tum ut valeamus occurrere tot malis, quæ ob scientiæ abusum ubique exundant; tum ut ignorantiæ notam, qua nos insectantur, a nobis avertamus. tum ut merito usurpare possimus illud d. Hieronymi *(De scriptoribus Eccl.* in prol.): *Discant Celsus, Porphyrius, Julianus, rabidi adversus Christum canes; discant eorum sectatores, qui putant Ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores, quanti et quales viri Eam fondaverint, extruxerint et adornaverint. Et desinant fidem nostram rusticæ tantum simplicitatis arguere, suamque potius imperitiam agnoscant.* Et Rohrbacher in sua *Historia*, lib. XCI, de nostro ætate: « Se si fossero insieme raccolti i linguisti di tutte le accademie dell'Europa, non avrebbero saputo tutti insieme parlar tante lingue quante ne parlava il solo cardinale Mezzofanti. Medesimamente se si raccogliesse tutto ciò che tutti insieme i dotti eruditi dell'Europa hanno pubblicato di utile e di nuovo da poi il 1825, non potrebbero sostenere il paragone col solo cardinale Mai. » — *V.* Crisafalli, *I Papi ed i Sacerdoti cattolici in ogni tempo maestri delle vere scienze, difensori della vera libertà, procuratori del vero progresso dei popoli.* Palermo, 1863. — Card. Mai, *I meriti di Pio VII e del Clero verso la letteratura.* — Fabriani, *Dei vantaggi apportati dagli Ecclesiastici alle scienze, lettere ed arti (Memorie di Religione;* Modena, vol. I, II, IX). — Châteaubriand, *Genio del Cristianesimo*, l. VI. — Frayssinous, *Difesa del Cristianesimo;* Conf.: *Uomini illustri del Cristianesimo.*

575. Sit tamen modus in scientia tum sacra, tum profana:

a) In *profana:* ad rem Tarino quoad illos tamen, qui ratione loci et officii cum cultis et eruditis versari debent; non autem quoad omnes, maxime montanos Parochos: « Sarebbe una vergogna ed una sconvenienza che mentre i laici coltivano ogni genere di sapere, e non avvi ben presto persona di qualche considerazione, che non abbia un'infarinatura di tutte le scienze, tu solo ti rimanessi straniero al progresso intellettuale dei tempi e ti limitassi al solo sapere teologico. Questo sarebbe come rendere infruttuoso il tuo ministero per una gran parte di persone, le quali non intendendosi della scienza da te coltivata, e non conoscendo la fratellanza che essa ha con tutte le altre, nè sapendola apprezzare degnamente, non sarebbero gran fatto disposte ad aggiustar fede alle parole d'un sacerdote che hanno in conto d'ignorante, perchè non possiede le cognizioni ch'essi sti-

mano necessarie per essere all'altezza de' tempi. Però se importa assai che tu abbia una tintura di tutte le scienze per meglio riuscire nella tua e rendere più utile il tuò ministero, rifletti bene come queste cognizioni Iddio le comprenda tutte sotto il nome generale di *sapienza:* questo vuol dire che tu devi trasformar la scienza in sapienza, l'istruzione in educazione. La coltura di queste scienze ha da essere per te soltanto una cosa secondaria, indirizzata cioè allo studio delle scienze sacre che formano lo scopo precipuo delle tue fatiche; il criterio per giudicare delle scienze profane, il filo conduttore che ti diriga nell'acquisto delle medesime. » *(Il libro del buon Pastore*, n. 5.) Male sane pronuntiandum de illis qui toti sunt in studiis profanis, et quæ sua sunt floccifaciunt; quibus aptari potest illud Tulii: *etiamsi longa homini vita suppeteret, tempus parce dispensandum esset, ut sufficeret necessariis; nunc autem quæ dementia est supervacanea discere in tanta egestate temporis?*

b) In *scientia etiam sacra;* sunt enim qui ita propriis studiis vacant, ut ceteras suas obligationes negligant, nec populorum salutem curent. Nos ex illis esse haud possumus qui scire volunt, ut sciant ipsi; sed ex illis qui scire volunt, ut alios ædificent et salvent. « Abituato nel seminario (ita sibi quidam sacerdos contigisse narrat, cum fuerat electus Parochus), e poscia nella carriera dell'insegnamento a conversare perpetuamente co' libri, ebbi a smarrire, quando il volere del mio Vescovo m'addossò questa croce, e lo smarrirne appunto fu quello che mi fece accorto del pericolo; chè più di una volta il mio Direttore di spirito in seminario, vedendomi così appassionato pei libri, *guarda*, mi dicea, *bada bene! i grandi ingegni, gli spasimati pei libri, se diventano Parrochi, corrono il grave rischio di trascurarne i doveri; e buon per noi, che nei seminari non tutti sono aquile. Altrimenti chi si troverebbe che volesse andare a seppellire il suo ingegno nell'ombra di un campanile? Ed applicando a questo il detto di s. Paolo:* non multi sapientes, *soggiungeva*, non multi sapientes. » *Civiltà Cattolica*, ser. 2ª, t. I, pag. 509. « È stupenda sentenza d'un bravo contadino d'Avranches, il quale presentatosi più volte al suo Vescovo, che era il celebre erudito Pietro-Daniele Hüet, per avere udienza, ed essendo sempre stato respinto con dirgli che Monsignore studiava; da ultimo impazientito rispose al segretario: *veramente il Papa poteva averci mandato un Vescovo che avesse già terminato i suoi studi.* » Blanchard, *Scuola de'costumi.* — *V.* Dubois, *Pratica dello zelo ecclesiastico*, c. IX.

(C) Pag. 320.

576. Habitus ecclesiasticus : quamvis catholica Ecclesia semper sollicita fuerit circa habitus clericalis modestiam, tamen usque ad sæculum VI (serius juxta alios) nulla videtur fuisse specialis distinctio quoad vestes inter laicos et clericos extra functiones. Sed dicto sæculo illa distinctio cœpit; quia tunc togam Romanorum quæ vestis communis erat usque ad talos extensa clerici retinuerunt gravitatis causa (illam postea nigri coloris præscriptam); laicis autem brevioris habitus formam a barbaris illatam adoptantibus. Postea idipsum a tercentis et amplius Conciliis constitutum est. Audiant hæc clerici vestium laicalium amatores: *nullus clericus vestimenta vel calceamenta sæcularia induere præsumat* (Concilium Agathense): *laicorum habitum non portent clerici* (Elyberitanum): *nemo clericorum indumenta laicalia induat* (Mediolanense). Porro Tridentinum Episcoporum

quidem judicio reliquit definire formam habitus ecclesiastici, sed addita clausula, ut *clericorum ordini et dignitati congruat.* At Sixtus V Const. *Sacrosanctum*, et Benedictus XIII Const. *Catholicæ Ecclesiæ* quoad usum vestis talaris in sacrarum functionum exercitio omne Episcopis arbitrium sustulerunt, ideoque nemo amplius eam mutare potest præter Pontificem.

Verus ecclesiasticus suum habitum amat, ut miles sua insignia. Quod si inter hæreticos ille non ita curari potest, exceptio est, necessitas est, cui nemo cordatus invidere debet. Quantum enim habitus faciat ad mores, res ipsa loquitur; est enim nobis juge incitamentum ad animum ecclesiastica virtute imbuendum. Unde sicuti qui mollibus vestiuntur molliter vivunt, ita qui vestiuntur sanctis vestibus, sancte vivunt. Sane qui sunt clerici proprium habitum erubescentes? scrutare illos: sunt vanitosi, superbi, procaces, disciplinæ impatientes, qui erubescunt proprium statum, illumque velare student, ut libere commisceri possint sæcularibus et omnibus profanis lusibus indulgere. Ideo s. Bernardus, *Apol. ad Guill.*, c. IX: *mollia indumenta animi mollitiem indicant.* — V. Bergier, *Dizionario* ecc. V. *Abito.* — *Notificatio* LXXI Benedicti XIV; — Thomassinus, *Vetus et nova Eccl. discipl.*, l. II; — Ferraris; V. *Tonsura, Habitus, Birretum, Coma fictitia, Pileolus*, etc. — Raynaudus, *Tract. de pileo;* — Macri, *Lexicon;* V. *Camelauci.*

Sed (dices) *hæc levioris sunt momenti; quia ex vulgari adagio: habitus non facit monachum.*

Respondet Tridentinum: *etsi habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant.* Jam vero: vel dicendum est Tridentinum, quod universam exhibebat Ecclesiam, de rebus egisse levioris momenti; vel leges ad clericorum habitum pertinentes gravis esse ponderis. Rationem innuit laudatum Concilium: nempe clerici tenentur ita se exterius exhibere, ut intrinsecam animi pietatem et cordis compositionem ostendant, sicque spiritualiter fideles ædificent. Atqui id per ipsum etiam clericalem habitum obtinetur; nam ex Scriptura: *amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis annuntiant de illo* (Eccl. XIX).

577. Quæ omnia urget conventus ab Episcopis provinciæ Vercellensis habitus 1849. Hanc ipsam veritatem sic philosophice explicat s. Bernardus: *Ex cordis thesauro sine dubio procedit quidquid foris apparet vitiorum: vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, et exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est: mollia indumenta animi mollitiem indicant: non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.* (Apologia ad Guill. Ab., c. IX.) Et d. Ambrosius noluit in Clerum suum recipere juvenem, eo quod gestus ejus non esset decorus; noluit alterum jam clericum sibi præire, quia erat insolentis incessus: nec fefellit eum sententia: nam alter arianæ hæresi nomen dedit; alter pecuniæ studio se clericum esse negavit. (Lib. *De Officiis*, l. I, c. 18.)

Iterum d. Bernardus: *Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus aut exiguus... muliebria potius noscuntur insignia, quæ utique curiosius et sumptuosius illæ sibi præparare consueverunt, cogitantes nimirum quæ sunt mundi, quomodo placeant viris. Verum tu, sacerdos Dei Altissimi, cui ex his placere gestis, mundo an Deo? si mundo, cur sacerdos? Si Deo, cur talis populus, talis et sacerdos? Nam si placere vis mundo, quid tibi prodest Sacerdotium?* (De vit. et mor. Episc.). — Clericos istos ne quo nomine appellare debeam scio; *clericos?* qui imperium auspiciumque Canonum ab-

nuerunt, Sacramenti religionem ruperunt? *ministros Christi?* qui a Christi ministerio defecerunt? *hostes?* corpora et ora amicorum agnosco; facta, dicta, consilia, animos hostium video.

578. Coma adscititia: cum coma adscititia (vulgo *parrucca*), certum est non posse sacerdotes Missam celebrare sine dispensatione Romani Pontificis. Cum enim Urbanus VIII, testante Benedicto XIV, præceperit, *ut nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumque contraria consuetudine*, quæsitum est a S. C. Congregatione, utrum *pileoli* nomine comprehendatur etiam coma supposititia, etsi decens ac modesta? Responsum fuit: *utique comprehendi.* In hujus decreti sequelam Innocentius XII per Apostolicos Nuntios jussit Episcopos admoneri, ne quenquam permitterent sine Apostolicæ Sedis privilegio Missam, cum tali coma, peragere. — Extra Sacrificium autem, et quoad ceteros etiam clericos plerisque Episcopis *coma* hæc semper visa est valde indecora, ita ut propriis in Synodis (ut in Novariensi, pag. 166) illam graviter Clero suo universo ipsi prohibuerint. *Sane quid indecorum magis ac vanitosum*, ait Benedictus XIV, *quam ut extraneam comam capiti superinducant, qui sacræ militiæ nonnisi per comæ propriæ abscissionem adscribuntur? (De Syn.*, l. XI, c. 9; et *Notificat.* XXV, n. 14.)

Ad modestiam capillorum hortatur d. Paulus (I, Corinth. XI): *vir si comam nutriat, ignominia est illi.* Sunt qui irrident hanc prohibitionem, sicut et ceteras, quæ prima fronte videntur esse parvi momenti. Hi tamen novi sunt; qui enim experientia magistri, hoc summopere laudant; nam a minimis incipiunt qui in maxima proruunt.

579. *Quid de pileolo vulgo* calotta?

R. Communiter docent grave esse celebrare cum capillitio ficto, sine permissione Sedis Apostolicæ; sed utrum sit etiam mortale celebrare cum pileolo vulgo *calotta*, alii affirmant cum Armilla, quia gravem irreverentiam includit; alii negant cum Ledesma, quia non pareret tantam admirationem. Sed alii tenent probabiliter cum Quarti, Layman. Sylvio, Croix, etc., id esse graviter illicitum, si fiat per totam Missam; at grave non esse, imo posse sine peccato et sine dispensatione celebrare cum pileolo *(calotta)*, excepto Canone, et præcluso scandalo, uti si fiat in loco privato, vel si causa ita celebrandi adstantibus sit manifesta, puta ob senectutem sacerdotis vel loci frigus, adeo ut non aliter fieri possit sine gravi incommodo. Imo S. R. C. 23 maji 1846 usus pileoli non tam in Missa quam in aliis functionibus ecclesiasticis, nisi sit specialiter indultus, prohibitus est. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 397. — Bovicelli, *Storia delle parrucche*, ubi etiam *de almutia.*

Verum aput Sinas licitum est celebrare totam Missam operto capite, quia ibi signum reverentiæ est caput non discooperire; attamen ad omnem scrupulum amovendum Pii V licentia accessit. *V.* Tamburini, *De Sacrificio Missæ.*

580. Quæres: *quæ tonsuræ forma?*

R. Tonsuræ ex Concilio provinciali Mediolanensi V pro singulis gradibus ista describitur forma. Pro *minoristis* in orbem ducta circa periferiam pateat uncis duabus. Pro *subdiaconis* duabus cum dimidia. Pro *Diaconis* tribus. Pro *sacerdotibus* quatuor unciis (uncia tamen illa minor est hac nostra). « La rasura *(ait s. Alphonsus)* in mezzo alla testa, chiamata *chierica*, nei sacerdoti sia grande a guisa d'un'ostia grande; ne' diaconi sia più piccola; e proporzionatamente ne' chierici inferiori, ma non minore d'un'ostia piccola. E raccomandiamo a tutti, specialmente ai sacerdoti, che la facciano rinnovare almeno ogni quindici giorni. » (Tannoja, *Vita di s. Alfonso*, l. III, c. 22.)

Nota. Quæ de tonsura et habitu disseruimus, non respiciunt ecclesiasticos quarundam regionum ubi catholici cum hæreticis qui forsan numero prævalent, permixti sunt, ut evenit in Anglia, in pluribus Helvetiæ locis et in Germania, quandiu prudentia suggesserit ac superiores permiserint. Attamen etiam illorum locorum ecclesiastici decenti habitu nigri coloris tenentur semper incedere, memores quod *habitus sunt judices et custodes dignitatis*, prout ait Tertullianus in libro *De pallio*.

(D) Pag. 321.

581. Habitatio clerici cum mulieribus.

a) Pœna: quoad cohabitationem cum mulieribus, Tridentinum statuit eos omnes clericos qui a superioribus moniti, concubinas aut alias mulieres de quibus suspicio haberi possit, in domo vel extra detinent aut cum illis habent consuetudinem, priventur tertia parte fructuum beneficii aut officii. Si in eodem delicto cum eadem vel alia perseverent, licet secundo moniti, suspendantur ab ipsa beneficiorum administratione. Si moniti adhuc pergant inemendati, debent privari beneficiis, et inhabiles declarandi ad alia possidendi, donec manifeste emendentur. Tandem statuit ut qui iterum ad vomitum redit, gladio excommunicationis plectatur; *nec quævis appellatio aut exemptio prædictam executionem impediat aut suspendat... Clerici vero beneficia ecclesiastica aut pensiones non habentes, juxta delicti et contumaciæ perseverantiam et qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab Ordine et inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis juxta sacros Canones puniantur*. Tridentinum, sess. xxv, c. 14 *de R.*

b) **Præcepti gravitas:** si Chrysostomus timebat Sacerdotium quia illius frequens ministerium est circa mulieres; si Nazianzenus octuagenarius domum mutavit, quia prospiciebat in domum mulieris; si Augustinus ne sororem quidem secum habitare permiserat, quia fœmina soror, fœminas non sorores vocat. Et s. Philippus Nerius adeo amabilis, et s. Franciscus Salesius adeo suavis, et s. Alphonsus adeo benignus, tamen hic perrigidi sunt nullam admittentes excusationem; quid erit de illo qui in hoc lubrico fidenter jocatur, *qui fortasse* (prout scribit Benedictus XIV, *Notif.* LXXXII) *per hyemem longissimum noctis spatium non precibus aut libris impendit, sed cum ipsa famula prope ignem vanis colloquiis insumit?* Per gloriam ergo Dei, æternamque eorum salutem cunctos adjuramus ecclesiasticos, ut Conciliorum statutis, Patrum monitis, ac Episcoporum ordinationibus scrupulose obtemperantes, mulieres maxime juniores, apud se ne facile detineant, eas non visitent, cum eis familiariter non loquantur, multo minus eas amplectantur aut in cubiculum suum introducant. Heu quot inde prodiere mala! quot ipsi Religioni opprobria!

Mentior (ajebat s. Cyprianus) *si non videmus exinde* (mulierum occasione) *interitus plurimorum: quanti et quales Episcopi et clerici simul et laici post Confessionum victoriarumque calcata certamina, post magnalia et signa vel mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cum volunt navi fragili navigare! Quantos leones domuit una muliebris infirmitas dilicata, quæ cum sit vilis et misera, de magnis efficit prædam!... sed hæc est semper incredulitas humanæ duritiæ, ut non solum audiendo, sed etiam videndo non credat alios interiisse, nisi et se ipsam viderit interire. (V.* Baronius, *Hist. ad annum* 253, n. 43: *Lapsus clericorum).*

c) **Objectiones:** plura opponit qui gravia hæc monita parvipendit: Dices, *fœmina illa est vetula ac deformis.* Sed time, cupidini siquidem nulla deformitas; *diabolus pingens*, ait Cyprianus, *speciosum efficit quidquid horridum fuerit: ac omnia pulcra videntur amori;* caveas ergo, ne te illi familiarem quoquomodo exhibeas, vel per jocum etiam ei manum contingas, etc.

Dices: *mihi est consanguinitate conjuncta.* Sed adhuc time: *diabolus enim*, ait s. Philippus Nerius, *optimus logicus abstrahit a propinquitate, fœminam solam relinquens.*

Dices: *sancta est.* Sed iterum time; nam mulieres *quo sanctiores, eo magis alliciunt*, ait divus Augustinus; *et sub prætextu blandi sermonis immiscet se viscus impiissimæ libidinis:* unde de facili spiritualis dilectio in carnalem convertitur.

Dices: *vilis est.* Sed time: *ancillas tibi scias esse in insidiis, quia quanto vilior eorum conditio, tanto facilior est ruina*, ut ait d. Hieronymus ad Nepotianum: *periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis.*

Dices: *illa mea instructione indiget.* Time, ne dum eructas verba, mortem bibas: si instructionem quærit, adeat nutricem (iterum Hieronymus), adeat magistram, vel piam quampiam mulierem; tu ad instruendum Ecclesiam habes.

Dices: *ægroto, et illius cura egeo.* Time, multum time, ne faciat consuetudo et licentia quod non facit voluptas; morbus carnis igniculos non extinxit: *scio*, iterum Hieronymus, *quosdam convaluisse corpore, et animo ægrotare cœpisse;* sæpe enim quos non potuit superare voluptas, superavit assiduitas. — *V.* Liguori, *Selva* ecc., parte 2ª, istruz. III; — Mocchetti, *Esami pratici per gli Ecclesiastici;* — Dubois, *Il santo Prete; Pratica dello zelo eccl.; Il Seminarista;* — Ferraris; V. *Luxuria, Clericus*, art. 4; — Frassinetti, *Manuale pratico del Parroco novello*, nn. 801 et seqq.; item ejusdem Opus, *Compendio della Teologia morale*, Append.*: Brevi parole ai sacerdoti fratelli.*

d) **Monita specialia:** præstat, ut ecclesiasticus singulis annis famulæ salarium usque ad assem persolvat, ne ipsa in superbiam efferatur, aut ne (mortuo clerico) ab hæredibus, ut evenit nonnunquam, mercede sua injuste fraudetur. (V. *Metodo per la direzione delle anime*, p. 290. Milano, 1846.) Ad rem item Synodus Novariensis, p. 167: *Sacerdotes et clerici nostri districte vetantur fœminas per vias deducere, aut quod indignius esset, porrecto brachio incedentes regere, aut sese comites illis et asseclas in deambulationibus et itineribus adjungere, nisi vere rationabilis hujus comitatus ratio aliquando appareret*, etc.

Et Provinciale Viennense an. 1850 sapienter præscribit cuique ecclesiastico: *A frequentiori consortio mulierum etiam earum quæ pietatis et modestiæ laude non immerito potiuntur, penitus abstineat. Ancillæ quibus ad res domesticas procurandas indiget, maturioris sint ætatis, integerrimæ famæ, castæ, sobriæ, subditæ ut qui ex adverso est, revereatur nihil habens dicere malum. Ut sumptuosius vestiantur vel choreas frequentent, non toleret. Quidquid familiarius commercium redolet, id longe absit. Ancillam commensalem non habeat, neque cum ea deambulet vel aliorum domus adeat, aut eodem vehiculo, nisi forsan publico, vehatur. Ut rebus quæ ad eam non pertinent, se immisceat vel dominatricis partes sibi arroget, minime patiatur. Actum est de auctoritate Parochi, quem sui e mulieris imperiosa voluntate pendere autumant. Neque fœminis consanguineis aliquid indulgendum quod domum sacerdotalem dedeceat, aut negotiorum ecclesiasticorum ordinem perturbet.* — *V.* Scheider, *Manuale Sacerdotum*, tit.: *Ordo vitæ sacerdotalis.* — Et Lib. IV, Append. I: *Monita ad Clerum.*

(E) Pag. 327.

582. Spectacula: quædam sunt publica spectacula, quæ ita clericos dedecere non videntur, ut cursus equorum, ferarum septa, gesticulatorum prestigia, extraordinarii conventus musici, etc. Hæc res tota est dijudicanda ex motivo determinante, ex usu regionis, ex loco, periculo, scandalo, ex frequentia ac qualitate personæ et similibus. Item si proprii officii ratio aliter non expostulat, congruentius est, ut ecclesiasticus, quoad potest, ab omnibus sæcularibus conventibus abstineat, ne illud sibi contingat: *quoties inter homines fui, minor homo redii.* (Kempis, l. I, c. 2.)

Quoad sæcularia *convivia*, scribit Hieronymus ad Nepotianum: *nunquam petentes, raro accipiamus rogati: facile contemnitur clericus qui sæpe vocatus ad prandium, non recusat.* — *V.* Conc. Agathense, in can. XIX, dist. 34; et Conc. Laodicenum, can. XXXV, can. *Non licet* XLII, dist. 44.

583. Ludus: dedecet ut ecclesiastici pila publice ludant, veste exuti, sæculari libertate procaces, bibentes, perstrepentes, etc. Nostrum levamen modum, locum et tempus habere debet; atque ita semper ut neminem offendat. Audiendus Frassinetti: « È un fatto che gli ecclesiastici, i quali, anche per semplice divertimento, sono frequenti al giuoco si vedono mancanti dello spirito proprio del loro stato, negligenti nei doveri del ministero, poco edificanti ed anche positivamente scandalosi, se permettono a tale passione di impossessarsi del loro cuore. Per lo che il confessore vorrà essere severissimo cogli ecclesiastici, su questo punto, persuadendosi che l'indulgenza sarebbe pregiudizievolissima al loro spirito, e per indiretto al popolo cristiano. Nè in questo punto si attenda all'esempio che possa dare qua e colà qualche ecclesiastico riguardevole per dottrina ed autorità... Quando un ecclesiastico prende il nome di giuocatore, la sua fama è ruinata per sempre. » *Compendio* ecc., nota 174.

584. Venatio: quod omnis venatio sit prohibita est antiquo juri conformior, cum in eo nulla habeatur distinctio; et Tridentinum (sess. XXIV, c. 12 *de R.*) absolute loquitur hac de re: *ab illicitisque venationibus et aucupiis abstineant.* Hinc Benedictus XIV (*De Syn.* l. XI, c. 20) ait quod non posset nimiæ severitatis Episcopus incusari qui in sua Synodo, omnem venationem clericis suis prohiberet.

Juverit hic referre S. C. Concilii responsum. Archiep. Cusentinus prohibuit clericis cujusdem suæ Vicariæ omnem venationem sub pœna suspensionis ipso facto. Reclamantibus nonnullis et facto recursu ad S. C. *an et quomodo edictum sustineatur in casu*, S. C. C. 16 dec. 1854 respondit: *affirmative et ad mentem.* Mens est ut scribatur Archiepiscopo pro moderatione pœnæ, vel in spiritualibus exercitiis vel in pœna pecuniaria locis piis applicanda, et in casu recidivæ etiam in censura ferendæ, sed non latæ. *Analecta* etc., 1866.

585. Negotiatio: S. Concilii Congregatio, referente Fagnano, in l. III *Decretal. de cler. vel mon.* c. *Multa*, declaravit (c. I, nn. 26 etc.):

a) Licere clericis agros beneficiorum, et patrimoniorum suorum colere absque reatu illicitæ negotiationis.

Posse pro ejusdem culturæ usu boves et alia animalia necessaria coemere illorumque fœtus justo pretio atque honesta ratione vendere.

Posse pro sua et familiæ sustentatione eos, qui in propriis terris habent quercus et castaneas, sues emere, eosque alere et vendere; dum-

modo tamen in emendis, alendis, distrahendis suibus nihil sordidum, aut indecens ordini clericali exerceant.

Licere clerico arborum in propriis bonis existentium folia alicui laico concedere eo pacto, ut lucrum quod ex bombycibus proveniet, inter utrumque dividatur. Ac pariter eidem licere earundem arborum foliis utendo per se ipsum absque officii sui detrimento, ac pro sua et familiæ sustentatione, arti sericæ operam dare; dummodo tamen in artificio hujusmodi personas non suspectas adhibeat, et quoad hoc Episcopi licentiam, quæ gratis detur, obtineat.

Clericos pauperes ob suam suorumque necessitatem posse terras ecclesiasticorum conducere absque reatu illicitæ negotiationis; bona vero laicorum non posse, nisi ex mera præcisa necessitate.

Posse retinere et locare boves, oves et alia animalia, quæ habent ex successione vel decimis, necnon fructus illorum vendere.

b) An clericis liceat absque negotiationis clericis interdictæ nota, oves, boves aliaque hujusmodi animalia emere, eaque locationis aut societatis titulo conductori aut socio tradere, ac lucrum inde percipere? — S. C. C. 7 oct. 1662 censuit *non licere.*

c) Superiores quorumcumque Ordinum, Congregationum, Collegiorum ac domorum regularium utriusque sexus, et quorumvis piorum locorum nec non religiosis et ecclesiasticis quibuscumque, S. C. C. 1707 decrevit non posse sive religionis ac loci pii nomine, sive particulariter per se vel per alios exercere in suis conventibus seu domibus aut alibi venalem artem aromatariam præterquam pro suis, nec ullo modo sæcularibus aut aliis ecclesiasticis pharmaca aut alia cujusvis generis medicamenta vendere, etiam prætextu amicitiæ et familiaritatis, exceptis theriaca, hyacinto et aliis vulgo nuncupatis *chimiche*, sub pœnis suspensionis ipso facto a divinis et privationis officiorum vocisque activæ et passivæ, etc.

d) Moderator cujusdam Diarii religiosi a S. Pœnitentiaria postulat, utrum tuta conscientia suum Diarium dare possit sacerdotibus ea conditione, ut celebrent numerum Missarum respondentem pretio quod ab aliis pro Diario solvitur? S. Pœnitentiaria, præfato dubio mature perpenso, respondit: *affirmative, dummodo Missæ celebrentur:* 6 oct. 1862.

Postulatum: 1) sacerdos sub prætextu libros religiosos divulgandi potestne tuta conscientia hos emere et postea vendere pretio currenti apud bibliopolas, ita ut 20, 30 vel 40 pro centum lucretur? 2) potestne Missarum stipendia accipere pro venditis libris, et ementi offerre gratuito libros lucro percepto proportionatos? 3) idem sacerdos potestne vendere prædictos libros aliis sacerdotibus stipendio Missarum carentibus, cum obligatione Missas pretio horum librorum respondenti celebrandi, ita ut ipse lucrum 30, 40 vel 50 per centum obtineat? — S. Pœnitentiaria, præfatis dubiis mature perpensis, rescribit: *quodlibet negotiationis vel mercaturæ genus relative ad Missas celebrandas sacerdotibus prohiberi Jure canonico et speciatim Constitutione Benedicti XIV* Apostolicæ servitutis. *Quod si prædicto sacerdoti dubium quodpiam remaneat, illud S. Pœnitentiariæ exponat:* 19 nov. 1863.

586. Quæstio: *an clericis interdictum sit pecuniam sive gubernio sive societatibus jam constitutis tradere, ut receptis actionibus vel obligationibus quæ in commercio versantur, fixum aliquod lucrum, aut etiam indeterminatum et incertum et anceps pro vario commercii exitu, emolumentum reperiant?*

R. Cum cl. Vecchiotti: « Illud unum est in quo Doctores plane consentiunt, pecuniam gubernio dari posse, ut acceptis actionibus lucrum reportent. Attamen in eo dissentiunt, quod alii in societatibus omnibus

privatis sive industrialibus sive commercialibus sive operariis id prohibitum, alii e contrario permissum esse contendunt. Illi affirmant agi de vera et proprie dicta negotiatione per interpositam personam peracta, quandoquidem clerici, acceptis actionibus socii fiunt, et indirecte cum aliis negotium exercere videntur; et in hujus sententiæ confirmationem adducunt decisionem S. C. Episcoporum 30 jan. 1846, ubi dicitur non licere clericis in Sacris, vel Beneficia ecclesiastica retinentibus, actiones cujusdam societatis vulgo *banca o società d'accomandita* acquirere (vide *Analecta Juris Pont.*, martii 1857, liv. LX et LXVIII). Adducitur insuper responsum S. Officii 1 apr. 1857 ad dubium: « utrum sit licitum ecclesiasticis personis titulos super vias » ferreas emere, lucrumque ex ipsis proveniens accipere? » Quod fuit: *Sanctissimus concedit facultates Episcopis communicandos per S. C. Ep. permittendi ecclesiasticis ut accipiant actiones* delle strade-ferrate *de propria pecunia tantum.* » Alii e contrario auctores asserunt clericos non secus ac laicos actiones societatum et obligationes quascumque emere licite posse, easque eodem jure vendere et permutare, cum sibi opportunum duxerint, quin nullum commercium reapse peragant, nec agere intendant. Auctor *Prælect. Canonic.* S. Sulpitii (t. II, p. 2ª, a. 2, n. 355) hanc sequitur sententiam; sed addit limitationem: *Si vero hoc in eum finem emant, ut revendant majori pretio, ut fit in commercio chirographorum et in negotiatione censuum, transgrediuntur leges canonicas, id enim in communi æstimatione reputatur commercium.*

« In hoc sententiarum conflictu mens mihi erat Apostolicæ Sedi, juxta consilium Clementis XIII *Cum primum*, quæstionem decernendam proponere, ut quid de hac re sentiendum sit, idoneo responso nobis innotesceret. Verum quum id ab aliis jam peractum sit, expecteturque responsum, ex quo agendi regula desumatur (præsertim quod citatum S. Officii responsum quæstionem juris saltem directe et generatim quoad omnes *actiones* et *obligationes*, ut ajunt, non attingit), pro nostro instituto duo hic tantum operæ pretium esse duximus satius animadvertere:

» 1. Animadverto decisionem S. C. Episc. alio spectare; nam in ea non agitur de societate jam constituta, sed de societate vulgo *d'accomandita* constituenda. Fundator namque ad fiduciam et nomen sibi conciliandum valde cupiebat, ut ecclesiastici viri inter socios ejusdem cooptarentur, unde eos adurgebat ut actiones sibi compararent. Quo quidem facto, nemo est qui non videat, ecclesiasticos viros, si ipsius expostulationibus fecissent satis, in ipsam societatis constitutionem directe concurrisse ejusdemque socios evasisse. Verum aliter res se habet ubi de societate jam constituta sermo est, quæ vim omnem ac robur aliunde auserit, ejusque existentia ab actionum venditione non amplius dependet. Adsunt administri, gerentes ac rectores qui de re sociali solliciti sunt. Clerici actiones seu obligationes non acquirunt per modum apothecæ, ut carius inde revendant, sed ut fructum aliquem ex pecunia reportent, ideoque nil peragunt, quod attenta ipsa actus natura reique substantia per se inhonestum aut characteri ecclesiastico indignum ac inconveniens dignoscatur.

» 2. Animadverto, clericos hac agendi ratione non turpi cupiditate et avaritiæ studio adductos ad lucrum captandum primario animum intendere, et societati proprio aut mentito alieno nomine se immiscere; sed provido consilio, de honestæ ac commodæ sustentationis medio sibi procurando unice ductos ac impulsos inter tot ac tanta quæ hisce præsertim temporibus prostant media, aliquod sive fixum sive variabile emolumentum reportandi, absque ulla rerum gestione, illud bona

fide eligere, quod in actionibus vel obligationibus sibi comparandis consistit. Accedit quod hoc medium, si mores hominum expendantur, qui ex universo eorum vitæ tenore se produnt, nullam veræ mercaturæ speciem præseferre videtur, nec animum a servitio Ecclesiæ et animarum cura ullo modo amovet, aut frequentem applicationem ac contentionem exposcit. » *(Inst. Can.*, l. II, § 136.) Item dicunt plures de titulis acquisitis super fodinas, officinas lanarias, chartarias, sericas, etc.

587. Officia sæcularia: quoad officia sæcularia quæ a clericis suscipiuntur, notamus: « Il venerando Bascapè non poteva capire che alcuno (ecclesiastico) si acconciasse a servire in casa di secolari, ancorchè grandi, e nemmeno ad insegnare ai fanciulli, ovvero ad accompagnarli; il che essi troppo di voglia s'inducevano a fare con isperanza, oltre allo sparagno del vivere, di poter ancora col loro favore conseguire, quando che sia, e Ordini e Benefizi. Ma egli dopo d'aver indarno tentato che a Roma non si passassero tali licenze, chiuse poi loro quasi affatto la porta, avendo questi per inabili, come quelli che, in altro occupati, giammai non arrivano ad apprendere nè sufficiente dottrina, nè disciplina ecclesiastica; ma piuttosto costumi secolari, e darsi alla gola e giuochi e licenziosamente vivere. » Chiesa, *Vita del venerabile Bascapè, vescovo di Novara*, t. II, c. 3.

Quoadusque non deponatur ministerii publici sæcularis quod quis suscepit ante clericatum, administratio, idoneum fidejussionem de suis gestis præbendo, irregularis est (c. unico *de obl. ad ration).* At si clericus suscipiat administrationem post Ordinationem, etsi peccet, non tamen incurrit irregularitatem; cum hæc non inveniatur expressa in jure. Incurrit tamen suspensionem ab officio, sed nonnisi ferendæ sententiæ ex c. *sed nec* VI *ne cler. vel mon.:* a quo adhuc ex eodem textu excusat ignorantia crassa. (*V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 838.) Hodie tamen *minoris tutela* generatim suscipitur ab ecclesiasticis sine ullo discrimine; item passim et *executoris testamentarii officium*, etsi rationes reddendæ sint.

588. Q. *An aliquando bonum sit, ut ecclesiastici aliquod sæculare munus et publicum officium suscipiant?*

R. Etsi præstet, ut ecclesiastici generatim valedicant omnibus negotiis sæcularibus, id tamen per se non impedit, ut, justa interveniente causa, etiam aliquod publicum munus ac politicum officium aliquando obire possint. Hinc Tridentinum (sess. XXIII, c. 1 *de R.)*, dum vult residere Prælatos, excipit inter cetera, *nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus et Reipublicæ officium.* Sane ex historia plane constat, rem civilem sæpius prudentia ecclesiasticorum, qui erant a publicis consiliis, stetisse. Adde id non parum conferre ad Religionis tutelam, cum videlicet et consilio et voto injusta decernentibus efficaciter obstare valeant: melius autem profecto est prohibere ab initio, ne iniquæ condantur leges, quam jam conditis mederi. « La buona politica (ait Veuillot), è necessariamente ortodossa come la morale: ed ecco il perchè (come diceva l'eloquente e pio Valdegamas, memore di tanti grandi ecclesiastici che segnatamente nel suo nobil paese furono grandi statisti), i Teologi, i solitari versati nella coscienza delle leggi di Dio, sono i migliori consiglieri, e spesso anche i migliori ministri che possono scegliere i Principi. Da una parte conoscono il cuore umano pel lungo studio fatto del proprio al lume limpido e inesorabile della legge di Dio; dall'altra, pesando le umane cose sulla bilancia del Santuario, rispettano il diritto, e non biasciano sul dovere. La loro mente, stornata dalle ambizioni volgari, vola alle cose grandi, mentre la coscienza gli obbliga a star saldi colla giustizia. » — *V.* Ul-

timo *Discorso* di Talleyrand all'Accademia delle scienze morali e politiche, in cui è dimostrata a meraviglia la superiorità dei Teologi nella diplomazia e nella politica. — Peraldi, *Del civile Principato della Chiesa Romana*, p. 3ª, c. 72: *L'aperta inabilità dei preti a reggere lo Stato è una assurdità.* — Margotti, *Le vittorie della Chiesa nel I° decennio del Pontificato di Pio IX.* — *Civiltà Cattolica*, serie 4ª, vol. IV: *La secolarizzazione del Governo pontificio.* — De-Ségur, *Il Papa: Questioni odierne.* 1860. — *L'Apologista;* Torino, 1864: *Abilità d'ecclesiastici in politica.*

589. Verum pro praxi, quia id non de facili evenire potest sine proprii officii vel ministerii læsione, ne clerici publicum ac civile munus sumant proprio marte, sed audiant provinciæ Vercellensis Episcopos, qui Lit. 18 nov. 1849: « *Monendum Clerum censuerunt, non posse quemquam absque Episcopi venia civilia officia acceptare: quam veniam Ordinarii lubenter indulgebunt, ubi peculiaria rerum adjuncta suadeant. Notissima sane sunt Apostoli verba:* nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus (II, Tim. II). *Concinunt sacri Canones quos inter* cap. III, dist. 88: Episcopus aut presbyter aut diaconus nequaquam sæculares curas assumat. *Hanc veniam pariter impetrabunt qui ad præceptoris ac magistri munus assumuntur.* » Sane superioris esse debet videre an clerico nocumenti esse possit munus quod exorbitat ab ejus vocatione; neque enim facile judex in causa propria.

(F) Pag. 330.

590. Ecclesia catholica sub primatu Romanæ Sedis distribuitur in Diœceses, ad quarum regimen ponuntur Episcopi. Hic autem nomine *Episcoporum* etiam Patriarchæ, Primates, Metropolitæ et Archiepiscopi veniunt; differunt enim quantum ad jurisdictionis gradum, non autem quantum ad eminentiam sacerdotii.

Sacrosancta Synodus declarat Episcopos qui in locum Apostolorum successerunt ad hierarchicum Ordinem præcipue pertinere et positos, sicut ait Apostolus, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei. Ita Tridentinum, sess. XXII, c. 4. Attamen *dogma catholicum est* (ait Pius VI penes Bouix, *de Episcopo*, p. 1ª), *Apostolos, tametsi extraordinaria præditos potestate quæ data personis cum ipsis personis interiit, fuisse Petro subjectos, quem solum Apostolis præesse Christus jussit, et subesse plenitudini potestatis R. Pontificis (quæ veluti ordinaria in Petro, ita in ejus successoribus ordinaria est) omnes Episcopos, qui extraordinaria potestate Apostolorum destituuntur.* — *V.* Bolgeni, *L'Episcopato*, p. 2ª. — Ferraris; V. *Apostolus, Episcopus, Episcopatus;* it. Suarez, Zaccharia.

A quonam autem jurisdictionem Episcopi recipiant, alii dicunt recipere immediate a Christo, quia ab ipso est dignitas et officium episcopale immediate institutum: ita Vasquez. Alii cum Thoma (2, 2, 2, 39, a. 3), dicunt recipere immediate a Pontifice; et sic definitum videtur a Gregorio (c. *Decr.* caus. 2, 9, 6, c. 11). Ceterum hæc quæstio (quæ in Tridentino Concilio fuit proposita, nec tamen discussa), est potius de nomine; nam ex una parte certum est quod Episcopi, licet immediate recipiant hanc potestatem a Christo, semper tamen suscipiunt cum subordinatione ad Papam; et ex alia licet Episcopi illam recipiant a Pontifice, possunt tamen leges ferre sine ejus licentia, modo non opponantur illius legibus, vel specialiter non sit de re Pontifici reservata. Hinc ad rem Benedictus XIV *(De Syn.*, l. VII, c. 8):

Episcoporum jurisdictio sive sit immediate a Christo sive a Summo Pontifice, ita semper huic subest, ut consentientibus omnibus catholicis, ejus auctoritate et imperio limitare atque ex legitima causa possit auferri; vel etiam sine Episcoporum culpa, sed ad publicum Ecclesiæ bonum, ut factum legimus a Pio VIII quoad Galliæ Episcopatus. — *V.* Bouix, *De Episcopo;* — Pallavicini, *Storia del Conc. Trid.*, l. XVIII, c. XIV et XV; — Devoti, *Instit. Canonicæ Prolegom.*, c. III, § 20; — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 104; — Salzano, *Lezioni di Diritto pubblico* ecc., vol. II; — Muzzarelli, *Buon uso della logica in materia di Religione*, Opusc. XXI, etc.

Item certum est Episcopos, semel præpositos regimini Ecclesiæ, non esse meros vicarios Papæ, nuda tantum commissione; sed veros esse Pastores jure ordinario pollentes. Id firmatur ex Lit. Apostolicis *Universalis Ecclesiæ*, 1850, quibus Pius IX episcopalem hierarchiam in Anglia restituit; ait enim: *Temporum ac rerum adjuncta effecisse sentiebamus, ut necesse non sit diutius Angliæ catholicæ a Vicariis Apostolicis gubernari, imo vero talem rerum conversionem esse factam, ut Ordinarii regiminis episcopalis formam efflagitaret.* — *V.* Bouix, *De Episcopo;* et *Prælectiones Juris can. S. Sulpitii;* ubi plura de Episcopatus natura, ordine, jurisdictione, prærogativa, etc.

591. Electi ad Sedem episcopalem ex Jure communi neque licite, neque valide possunt in earum administrationem quovis modo sese ingerere ante obtentas et ostensas confirmationis Literas. Hinc Pio VII postquam cardinalis Maury, relicta Diœcesi Montis-Falisci, sese titulo Vicarii capitularis ingessisset in administrationem et directionem diœcesis Parisiensis ad quam nominatus fuerat a gubernio Episcopus, Literis 18 dec. 1810, nullam esse declaravit talem administrationem nulloque titulo suffultam utpote contra Ecclesiæ leges et vigentem disciplinam. Sane ex Concilio Lugdunense II, c. *Avaritiæ*, ex Clementis XI Constit. *In supremo*, etc., certum est nominatum ad Sedem episcopalem non posse neque titulo Vicarii capitularis (nisi jam ante nominationem electus fuerit Vicarius capitularis) ullo prætextu se ingerere in gubernationem illius Sedis, absque prævio R. Pontificis consensu. Qui porro se ingerit, omni titulo caret.

Diximus: *nisi jam ante nominationem fuerit electus Vicarius capitularis;* si hoc enim contingeret, ille utique posset administrare; nam tunc pergeret in officio jam semel rite adepto, administrando nempe non uti nominatus Episcopus, sed uti legitimus Vicarius jam pridem constitutus. Quo sensu respondit Gregorius XVI ad D. Blancart de Bailleul vicarium capitularem Diœcesis Versallienis anno 1832, ut refert Bouvier, *De Ordine*, c. 7, 5, 2. — *V.* D'Astros, *Du pouvoir prétendu des sujets nommés aux Evêchés;* — *L'Ami de la Religion*, t. II, pag. 227; — Muzzarelli, *Dell' amministrazione capitolare dei soggetti nominati a Vescovi;* — Pacca, *Memorie storiche* ecc., c. VII; — Item: *Narrazione intorno alla Diocesi Fiorentina dalla morte di mons. arciv. Martini* (1809) *fino alla venuta di mons. arciv. Morali* (1815). Firenze, Manuelli, 1859. — Bouix, *De Episcopo*, par. II, c. 4, ubi plura.

592. Q. 1. *An liceat Episcopatum appetere?*

R. Apostolus habet: *siquis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* (Tim. III): ubi animadvertere est, Apostolum non jam docere bonum esse hoc desiderium; sed opus quod desideratur, bonum esse in se. Et Angelicus in hæc verba ita scribit: *Si aliquis appetat Episcopatum ratione bonorum temporalium, erit illicitum; si ob celsitudinem gradus, erit præsumptuosum. Sed appetere proximis prodesse, est laudabile secundum se. Verum quia prout est episcopalis actus, habet jam*

gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur, quod aliquis præesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente (2, 2, q. 185). Id ipsum docet Benedictus XIV Bulla *Inclitum*, 12 apr. 1753. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 804; — *Analecta Juris pontif.*, 1865: *De la vocation à l'Épiscopat*, etc. — Barbosa, *De officio et potestate Episcopi*; ubi plura.

593. Q. 2. *Quid de visitatione* Liminum Apostolorum?

R. Sixtus V Constitutione *Romanus Pontifex* omnibus præcipit Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, ut antequam consecrentur, pallium assequantur, de una in aliam Ecclesiam transferantur, licet Cardinales, singuli jurent se statis temporibus Limina Ss. Apostolorum personaliter visitaturos; et si impediti fuerint, hoc se impleturos esse per aliquem de sui Capituli gremio, vel per alium ecclesiastica dignitate aut Beneficio præditum, qui interim faciet fructus suos. Et Benedictus XIV Const. *Quod sancta* 1740 id extendit quoque ad Abbates cum jurisdictione quasi episcopali et territorio separato.

Quod pluribus commendatur; decet sane quod omnes orbis Episcopi Romam veniant, *tum* ut cineres Ss. Apostolorum venerentur; *tum* ut omnium actorum rationem reddant; *tum* ut R. Pontifici submissionem profiteantur; *tum* ut Principem Sedem dignoscant, catholicæ unitatis centrum, Episcopatus apicem, unde ipse Episcopatus ac tota ejusdem nominis auctoritas emersit, ab eaque Sede opem præsidiumque implorent. Habita tamen fuit ratio distantiæ: sic *Itali* singulo triennio; *Galli* singulo quadriennio; *Asiæ* vero et *Hibernix* Episcopi, satis est, ut Limina visitent singulo decennio; etc. Item hodie petita licentia passim conceditur, ut Episcopi justo quolibet impedimento detenti, Limina visitent per procuratorem, etiam per sacerdotem Romæ degentem; qui tamen de rebus Ecclesiæ et Diœcesis sit probe instructus.

V. Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. 6; et l. II, c. 7; — Ferraris; V. *Limina Apostolorum;* — Bouix, *De Episcopo*, pars 5ª, c. 3; et p. 4ª, c. 1; ubi docet ad Limina visitanda non teneri ex præcepto neque Episcopos coadjutores, neque Episcopos qui habitualem dumtaxat retinent cathedralitatem, seu Episcopos *in partibus* (infidelium), qui vocantur etiam *titulares* vel *anulares;* ex S. C. C. et Clementis VIII auctoritate. — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum, seu Instructio S. C. Concilii jussu Benedicti XIII super modo conficiendi relationes de statu Ecclesiarum exposita et illustrata*, vol. III; Romæ, typis Propag. 1866: Opus absolutissimum, quod omnes fere quæstiones canonicas pertractat, novissimis adductis S. Sedis decisionibus.

594. Q. 3. *Quid de Episcopis qui hodie senatores a gubernio creantur, vel renuntiantur membra congressus instructionis publicæ; possuntne ideo abesse a suis Ecclesiis sine licentia Papæ?*

R. Ad solutionem hujus quæstionis sufficit attendere ad textus tum Tridentini tum Urbani VIII; loquuntur enim de munere seu officio publico Episcopatibus adjuncto, quo in casu eos abesse permittunt absque Pontificis venia. Hoc autem non verificatur in munere senatoris seu membri congressus quale hodie in Gallia Episcopis confertur. Munus enim senatoris quo exornantur Cardinales, non eorum Diœcesibus adnectitur, sed dignitati Cardinalitiæ; Episcopi vero qui congressus instructionis publicæ membra sunt, id non debent privilegio Ecclesiarum quibus præsunt, sed nominationi imperatoris personas ipsorum eligentis; idem est quando eligantur deputati in guberniis repræsentativis ut vocant. Debent ergo prædicti Præsules, si præter absentiam trium mensium quam in adimplendis his functionibus sumere possunt, insuper aliam absentiam facere velint, a R. Pontifice licentiam

postulare et obtinere. Ita Henry, *De residentia Beneficiatorum;* Lovanii, 1863. — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. I, pag. 120, idem suggerit ut tutius consilium.

595. Q. 4. *Quomodo se gerere debet Episcopus cum suo clerico, qui declaret se ad aliquod religiosum Institutum vocari?*

R. Certum est, Episcopum non posse regulariter loquendo impedire suum clericum a Religione approbata ingredienda, et etiam contradicente Episcopo, clericum religiosum fieri posse: quod intelligitur non tantum de Religione vitæ contemplativæ, sed etiam activæ. Hoc jure definitum est, nempe cap. *Duæ sunt leges*, caus. 19, quæst. 2. Et fuse probatur a Benedicto XIV Bulla *Ex quo*, 14 jan. 1747. *Sane obligatio voti perpetui præfertur omni aliæ obligationi*, ut ait Angelicus (2, 2, q. 189). Attamen si clericus habeat curam animarum, antequam regimen Ecclesiæ dimittat, debet Episcopo consilium suum ejusque capiendi rationes, quantum natura fert, aperire: in quo non tam officio et honestati, quam naturalis legis præcepto satisfaciet; ideo etiam ut Ordinarius provideat Parœciam de idoneo Vicario qui tempore ejus novitiatus Parochiam administret. Quoad alios vero clericos et beneficiatos pertinet, etsi ipsi quoque ex officio et honestate teneantur Episcopum certiorare, non peccant tamen si id omittant ob metum reverentialem, ne forte ab ejus desiderii implemento revocentur. Insuper statuit laudatus Pontifex, Beneficium illius qui Religionem est ingressus, non vacare nisi post professionem; et interim beneficiatum fructus illius lucrari, ac si legitimo impedimento detineretur (non vero distributiones, si Beneficium sit chorale). Quin imo siquis forte Religionem ingressurus Beneficium dimitteret, vel etiam si tempore novitiatus ejus dimissionem expleret, nihilominus omnia in suspenso remanere deberent; neque posset Episcopus ad Beneficii sic dimissi collationem devenire, nisi post factam a dimittente solemnem professionem. Sententia autem communiter recepta docet, vota simplicia quæ emittuntur in Societate Jesu post biennium novitiatus, non inducere per se beneficiorum vacationem; quia tamen ex Statutis ejusdem societatis antequam ista vota emittantur, ecclesiastica Beneficia sunt dimittenda, ideo si neutiquam propter professionem, at propter renuntiationem vacare intelliguntur. — *V.* Rigantius, *Comment. in regulas Cancellariæ;* Regula XLVI. — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 74; l. VI, n. 828; — Bouix, *De Jure Regularium;* — Anacletus Reinfestuel, *De renuntiatione Beneficiorum.*

Addit card. Gousset *(Theol. Mor.*, n. 538): « Quanto si è detto, non si applica che ai chierici, i quali vogliono entrare in Ordine religioso. Ciononostante, attesochè è importantissimo il sostenere e alimentare le congregazioni secolari debitamente approvate, i cui soggetti sono ordinati alle Missioni straniere o alla direzione de' Seminari o alla educazione della gioventù, un Vescovo si esporrebbe al pericolo di contrariare i disegni della divina Provvidenza, mettendo impedimenti alla vocazione d'un prete che desiderasse di entrare in una di queste congregazioni, se questo prete fosse d'altra parte giudicato degno e capace. L'Episcopato è mallevadore di tutto ciò che interessa alla Chiesa. » Qui autem in religiosis familiis quæ non habent, nisi vota simplicia, professionem emittunt, Beneficia non amittunt; si tamen Beneficia residentiam exigant, potest Ordinarius taliter professos adigere ad resignandum, eis tempus constituendo: quo elapso, possunt aliis illa Beneficia conferri. Ita S. C. C. 23 nov. 1833.

596. Opponunt 1: *Sacerdos in sua ordinatione promittit obedientiam Episcopo, ideoque debet ejus mandatis obtemperare quando illum prohibet a sua Diœcesi discedere, imo ab Ecclesia cui fuerat addictus.*

R. Benedictus XIV citata Bulla: *Agnoscimus presbyterum hujusmodi promissionis vigore ea lege inter alias adstrictum teneri, ut a servitio Ecclesiæ cui addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Episcopi;* sed subintelligendum est, ut addit ex Concilio Toletano IV in jure citato, *nisi ad propositum melioris vitæ transire voluerit.* — V. *Analecta*, an. 1866; — Bouix, *De Episcopo* etc.

597. Opponunt 2: *Si omnes se clauserint, quis sæculares lucrifaciet?* Respondet ad rem hic d. Hieronymus ad Vigilantium: *Rara est hæc virtus, nec a pluribus appetitur.* Adde: Episcopus ex Benedicto XIV potest revocare suum clericum a Religione etiam post professionem, si inde grave detrimentum obveniat Ecclesiæ cui erat addictus. Hinc supra diximus *regulariter loquendo;* duo enim casus excipiuntur:

1. Si Ecclesia grave detrimentum patiatur, potest Episcopus revocare a Religione ecclesiasticum, uti ait laudatus Benedictus XIV confirmans quod jam statuit Innocentius IV cap. *Licet.* Si gravis necessitas temporalis parentum est motivum differendi, et etiam omittendi ingressum in Religionem; an non etiam gravis Diœcesis necessitas spiritualis? Si autem tunc Episcopus valet revocare a Religione clericum, sequi videtur quod possit etiam impedire ne illam ingrediatur, seu ne Ecclesiam suam deserat. Profecto ecclesiasticus qui serio affirmat se pro sua fragilitate in discrimen salutis venire remanendo in sæculo, invitus non est detinendus. At si id affirmare nequeat, sed solum agatur de desiderio religiosæ vitæ, poterit Episcopus illum prohibere, ne locum suum deserat, relicta semper facultate recurrendi ad Summum Pontificem per Congregationem Episcoporum et Regularium, si sè injuste gravatum sentiat clericus impeditus.

2. Si clericus sub conditione inserviendi suæ Diœcesi fuerit educatus; nam si Religionem ingredi est de consilio, pacta servare est de justitia. Quæ promissio aliquando juramento firmatur, ut in Seminario Piano (ex Apost. Lit. *Cum* 1853 Pii IX); et solus legitimus apostolatus Missionum exterarum, donec ad illas incumbit ecclesiasticus, ab hoc vinculo eum absolvere potest. Quod juramentum emittitur etiam jam a duobus sæculis ab alumnis Collegii de Propaganda fide; imo nulla est professio, si illam emittant sine expressa Papæ licentia (ex Alexandro VII Brevi *Cum circa).* An autem hoc ipsum sit extendendum ad clericos qui in Seminariis educantur ex piis largitionibus ad hunc finem institutis (vulgo *piazze),* affirmant plures; tacito enim contractu ligati censentur ad inserviendum illi Diœcesi, cujus sumptibus educantur; pro bono enim uniuscujusque Diœcesis illi loci gratuiti fundati sunt. Hac de causa d. Carolus in regulis Seminarii ita præscripserat: *Si quis decursu temporis de statu mutando consilium caperet, etiamsi de Religione ingredienda ageretur, de eo Archiepiscopum vel rectorem certiorem faciat; peccaret enim si in Seminario hoc animo viveret, in alium finem consumens, quod ad operarios solum pro hujus Ecclesiæ auxilio sustinendos est constitutum* (parte III, c. 1). Sunt tamen qui censent non ita certum esse quod clericis gratuito educatis, sæcluso pacto, sit interdictus Religionis aditus; quia (ut dicunt) fundatores illarum piarum largitionum unice intendunt subvenire Ecclesiæ in genere, et hoc obtinetur etiam per Clerum regularem. — V. *Prælect. Juris can. S. Sulpitii,* t. II; — Bouix, *De Jure Regularium.*

598. Hierarchia Catholica: diversis constat gradibus, cujus Caput est Romæ Episcopus, Christi Domini Vicarius, Principis Apostolorum successor, summus universalis Ecclesiæ Pontifex, Patriarcha occidentis, Italiæ Primas, Archiepiscopus et Metropolita Provinciæ Romanæ, ac temporalis Dominii S. Romanæ Ecclesiæ rex et dominus.

a) Cardinales: R. Pontificis collaterales et coadjutores : sunt numero 70, sic statuente Sixto V, exemplo septuaginta seniorum quos secum assumpserat Moyses ad populi regimen. Sex sunt in ordine Episcoporum, quinquaginta in ordine Presbyterorum, et quatuordecim in ordine Diaconorum.

b) Patriarchæ: duodecim numerantur. Quinque *ritus orientalis*, Antiochen. Melchitarum; Antiochen. Maronitarum; Antiochen. Syriorum; Babilon. Caldæorum; Ciliciæ Armenorum. Septem *ritus occidentalis*, nempe Constantinopolitan.; Alexandrin.; Antiochen.; Hyerosolimitani; Venetiarum; Indiarum Occidentalium; Lisbon. — Constantinopolitana Armenorum provincia, extincto primatiali et archiepiscopali titulo, patriarchatui Ciliciæ adjuncta fuit, 1867 quarto idus julii.

c) Archiepiscopi; per totum orbem sunt *residentiales* 154; et Archiepiscopi *in partibus* sunt numero 30. Pius IX ad gradum Metropolitanæ elevavit sedes duodecim; et erexit quatuor Archiepiscopatus.

d) Episcopi; qui sunt numero 692 *residentiales;* et numero 196 *in partibus.* Pius IX Episcopatus erexit nonaginta sex. Per totum ergo orbem Prælatos, in ordine episcopali, numerabimus 1084; attamen quia singulis annis 124 circiter supremum diem explent, supersunt 960 qui actu ecclesiasticam hierarchiam conflant. — Addendi sunt *Vicariatus apostolici;* sunt numero 101. *Delegationes*, quinque; *Præfecturæ* apostolicæ, 21. Tandem *Abatiæ et Præfecturæ nullius*, sunt numero 14. Pius Pp. IX creavit Vicariatus decem, unam Delegationem et Præfecturas apostolicas sex. (V. *Annuario pontificio*, Roma.)

e) Denique ceteri *sacerdotes* omnes per totum orbem dispersi.

(G) Pag. 332.

599. Vicarius generalis Episcopi: s. Carolus statuit Vicarium generalem Episcopi ex aliena Diœcesi esse assumendum; quod etiam Benedictus XIII in Synodo Romana constituit. Verum ex hodierna praxi originarius potius assumi solet in Vicarium, utpote de moribus Diœcesis magis instructus; quamvis mens S. Congregationis Concilii ea jugiter sit, ut extraneus eligatur, ac nonnisi cum causa ab hac lege dispensat, si qui placet illam interrogare: hinc Episcopo Catanaconsi *(di Catanzaro)*, respondit: *S. C. annuit arbitrio Episcopi pro facultate eligendi idoneum sacerdotem ad officium Vicarii generalis, licet sit ejusdem Diœcesis, præviso tamen ut a partium studio, præsertim dum agitur de negotiis ad patriam suam spectantibus, omnino abstineat.* V. *Analecta Juris pont.*, an. 1866: *Traité du Vicaire général.*

a) In Vicario generali Episcopi requiritur ætas 25 annorum inchoatorum; at nullibi cautum est, ut talis Vicarius debeat esse *doctor* de absoluta necessitate (et tanto minus quod sit in civili Jure laurea donatus). Monacelli testatur esse de stylo S. C. Episcoporum mandandi Episcopo, ut habeat Vicarium doctorem. Ferraris dicit quod S. C. C. concedit etiam posse Episcopum tenere Vicarium non doctorem, si idoneum, præsertim dum ipse Episcopus jurista residet. Devoti, Salzano aliique admittunt etiam non doctorem; si aliunde de viri peritia manifesto constet. — *V.* Berardi, *Comment. in Jus. Can. de Vicariis Episcoporum.* — Sed tota quæstio de Vicariis generalibus fuse pertractant *Analecta Juris pontificii*, anno 1858.

Vicarius generalis Episcopi, si deliquerit tanquam persona privata, potest de ejus delicto cognoscere Episcopus eumque punire, non secus ac alios subditos delinquentes; male enim agens tanquam priva-

tus, non dicitur gerere vices Episcopi. Ideo Vicarius et ipse incidere potest in casus reservatos a suo Episcopo; attamen poterit absolvi ab eo, cui Vicarius hanc potestatem subdelegaverit, si ipse pro dictis casibus facultatem habeat. Si vero Vicarius deliquerit circa jurisdictionem seu officium Vicarii, puniendus est ab Archiepiscopo; quia Episcopus non potest esse judex in causa sui Vicarii, qua talis est; cum sit unum et idem tribunal. — *V.* Laurenius, *De Episcoporum Vicariis*, etc., q. 130 et 300.

Vicarii generalis habitus est subtana cum mantello et bireto; et si sit Protonotarius, ei licet uti subtana cum cauda et mantelletto. In choro et in habitu vicariali præcedit omnibus canonicis non paratis, excepto hebdomadario: *S. C. R.* 27 febr. 1847. Nulla gaudet præeminentia si assistat sine habitu vicariali, v. g. si sit canonicus et habitum canonicalem gerat, idque non obstante contraria consuetudine. Vicarius generalis qui sit etiam canonicus, si velit uti Vicarius interesse Divinis, potest et præcedit; sed distributiones amittit. Quod si assistat ut canonicus, sedeat in suo stallo canonicali: *S. R. C.* apud Gardellini. — *V.* Bouix, *De Capitulis*, pag. 524.

Provicarius: *de substituto Vicarii generalis* Episcopi, qui vocatur *Vices-gerens Provicarius*, nil dicendum; si enim sit verus substitutus et non merus delegatus, idem tribunal habet cum Vicario generali, ac proinde cum Episcopo: consequenter ab eo non datur neque ad Vicarium generalem neque ad Episcopum appellatio. — *V.* Bouix, *Tractatus de judiciis*, tom. I, p. 2ª. — Laurenius, *De Vicariis Episcoporum*, c. I, q. 3. — Ferraris; V. *Vicarius capitularis generalis.*

c) In *Thesauro Resolutionum* S. C. C. tom. XXVIII ad annum 1764, 14 jan. in *Urbaniensi* legitur: « Quod Vicarius generalis Episcopi nequeat simul esse Parochus; præsertim si Parochia extra civitatem sit, Canonistæ non contemnendi affirmant (Barbosa, *In summ. coll. decis. verb.* Vicarius, n. 3). Id pluries decrevit S. Episcoporum Congregatio *in resolutionibus* quas refert Nicol. *in verb.* Vicarius, n. 37. Idipsum statuit Sacra hæc Congregatio in *Nullius* 12 maji 1629. » Requiritur autem Pontificia dispensatio, ut possit religiosus assumi in Vicarium generalem Episcopi. — *V.* Bouix, *De Episcopo*, In procœmio; it. *De Judiciis*, t. I, ubi de Vicario generali.

600. Vicarius Capitularis: Vicarius generalis Capitularis constitui potest non tantum Sede episcopali vacante, sed etiam Sede impedita, cum nempe Episcopus a paganis, schismaticis vel etiam hæreticis captus est (c. III *si Episcop. inv.);* nisi Episcopus adhuc possit per literas Diœcesim regere, vel reliquerit Vicarium generalem qui interim agat. Ceterum in omni casu Sedes Apostolica certioranda, ut quidquid expedire visum fuerit, constituat. Hinc cum Capitulum Coloniense, Archiepiscopo violenter expulso, Vicarium capitularem deputasset, hæc agendi ratio haud probata fuit a Gregorio XVI, qui id unum concessit, ut taliter deputatus uti Vicarius generalis fungeretur et uti subdelegatus Archiepiscopi impediti facultatibus ad quinquennium uteretur. *V.* Phillips, Aichner, etc.

a) In Vicario generali Capitulari requiritur item ætas 25 annorum inchoatorum; talis enim (ex cap. *Cum in cunctis, de elect.*, in 6), requiritur in iis, quibus cura animarum imponitur; porro Vicarii capitularis officio animarum cura inhæret, cum penes illum resideat ordinaria et generalis jurisdictio; attamen ex declaratione S. R. C. 12 nov. 1831 non tenetur applicare Missam pro populo diœcesano, sicut tenetur Episcopus. — Insuper ex Tridentino requiritur, *ut saltem in Jure canonico sit doctor vel licentiatus, vel alias quantum fieri poterit*

idoneus. Vicarius capitularis non potest ipse alium substituere et eligere cum ordinaria jurisdictione, ex S. C. C.: *non potest in locum sui quempiam substituere, nisi in tribus casibus, idest infirmitatis, ad modicum tempus et in delegatis* (alium videlicet delegando in casu particulari ac transeunte). Ita Barbosa, *Collectanea decretor. in Trident.*, sess. XXIV *de R.*, c. 16, n. 20. Quoad emolumenta vero Vicarii capitularis plura apud Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, t. I, pag. 234.

b) Matriti Nuntius petit a S. C. C.: *Electio Vicarii capitularis est ne intrinsece nulla, si non sit doctor, aut licentiatus in Jure canonico, posito quod in Capitulo unus saltem sit qui sit graduatus? et quid si Vicarius capitularis mereatur destitui, etsi nullus reclamet?*

S. C. respondit 25 jan. 1862: *providebitur in casibus particularibus et ad mentem.* « En effet, comme tout dépend des circonstances particulières, il n'y a pas lieu de prescrire de règles générales; toutes choses égales, il faut évidemment donner la préférence aux gradués. Mais, s'ils n'offrent pas toutes le qualités qu'il faut pour gouverner un Diocèse, le bien de l'Église exige que le chanoines aient la liberté d'élire quelqu'un autre, même hors du chapitre. Tout va bien si personne ne réclame: en cas de recours, le Vicaire capitulaire qui a été nommé, continue l'exercice de ses functions; et la Saint-Siége, admettant le recours *in devolutivo*, examine si véritablement le chapitre aurait pu nommer quelque docteur ou licencié qui aurait eu toutes les qualités qu'il faut pour un Vicaire capitulaire. » *Analecta*, an. 1863, pag. 2254. — *V.* Vecchiotti, *Institutiones canonicæ*, l. II, § 81.

c) In causa Panormitana S. C. C. 21 apr. 1592 censuit ex decreto Tridentini (c. 16, sess. XXIV) a Capitulo, Sede vacante, unum tantum Vicarium esse eligendum; ceterum non esse sublatam consuetudinem duos aut plures eligendi, præsertim immemorabilem. Iterum respondit anno 1863 in Cadurcensi *(Chaors)*, id posse tollerari, attenta consuetudine. *V.* Bouix, *De Capitulis; — Armonia*, 13 marzo 1863.

d) Capitulum non potest in deputatione Vicarii Capitularis dare jurisdictionem limitatam, neque attenta consuetudine. Ita S. C. Episcoporum 1 dec. 1736; et Vicarius electus, cum aliquibus conditionibus, potest nihilominus uti sua jurisdictione absque illarum respectu; ita 16 julii 1618. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn.* l. XI, c. 8.

e) Etsi olim Vicarius capitularis posset a Capitulo ad certum tempus constitui et ad libitum amoveri, ut legitur t. VII *Thesauri resolutionum S. C.*, et habetur etiam in Concilio provinciali Mediolanensi VI; hodie tamen certum est, Vicarium esse eligendum pro toto tempore Sedis vacantis, nec posse a Capitulo revocari aut mutari. In hoc omnes decisiones tum Romanæ Rotæ, tum Congregationum et Episcoporum et Concilii uniformes sunt; et ita declaravit Pius VII, Brevi ad Vicarium capitularem Parisiensem anno 1814: *Vicarium capitularem rite constitutum ab officio dimoveri non posse, nisi gravior et justa causa id deposcat per Apostolicam Sedem probandam.* — *V.* Ferraris; V. *Capitulum.* — It. Opusc. *Il Vicario capitolare ed il Capitolo ed il Clero di Milano;* Milano 1862; ubi etiam expenduntur remotionis causæ.

601. Vicarius Monialium: de Vicariis generalibus Monialium nulla quæstio; habentur uti simplices delegati ab homine: proinde inspiciendæ sunt demandatæ Literæ. — V. *Formularium* apud Salzano, *Lezioni di Diritto*, vol. IV, p. 133; et apud Monacelli.

602. Vicarii Apostolici, Præfecti, Commissarii: *Vicarii Apostolici*, prælati, charactere episcopali insigniti, sunt administratores Episcopi, quos constituit Pontifex pro regimine alicujus Diœcesis, sive cum metus est ne diutius Ecclesia pastore careat, sive cum dissidia

timentur in electione, sive cum Episcopus aliqua de causa recte munus suum non potest implere (Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. II, c. 10). Episcopus autem administrator dum cantat Missam et Vesperas in pontificalibus uti debet solo faldistorio; et nequit indulgentiam 40 dierum elargiri. Assistens Missæ solemni sedet in primo stallo chori, nec canonici tenentur ad circulos. Nequit celebrare anniversarium suæ consecrationis, neque ejus nomen memorari debet in Canone. Non ei competit septimum candelabrum in Missa pontificali: *S. R. C.* 22 aug. anno 1722.

Præfecti Apostolici iisdem fere juribus potiuntur ac Episcopis ad Ecclesiam particularem regendam, at non consecrantur in Episcopos.

Commissarii Apostolici negotium privatum a S. Sede suscipiunt; alii præponuntur informationibus servorum Dei, quorum postulatur beatificatio; alii delegantur ad judicandum de querelis inter regulares et sæculares vel inter Episcopos. Si delegatio fit a Summo Pontifice ex jure delegandus oportet, ut sit in dignitate constitutus, vel Vicarius Episcopi, vel ut Canonicatum obtineat in Cathedrali; singuli enim canonici cathedralis participant de dignitate proprii corporis, etsi per se non sint in dignitate constituti (c. *Statutum* II de rescript.; c. *Etsi principalis* II eod. tit., in 6).

693. Auditores: loquendo de *Auditoribus* in genere qui ex parte Vicarii generalis sustinent vicem, ii hoc nomine indicantur, quibus cura demandatur causam audiendi et examinandi (c. *super quæst.*, art., 27, § *intentionis de off. et potest. jud. deleg.*). At ordinarie nequeunt causam definire, nisi delegatam habeant facultatem (*Clement.* Auditor).

Plures autem Auditorum classes: est Auditor Nuntii, sed plerumque hic non est nisi Theologus a privatis consiliis, qui tamen solet etiam Secretarii munus apud illum exercere; quanquam alicubi, uti in Hispania, jurisdictione aliqua gaudeat: qua de re vide Concordata ac initæ Conventiones. Et Cardinales et Episcopi sibi assumere possunt Auditorem; sed non ad modum quo Vicarium generalem assumunt: hic enim est a jure, et ideo, semel electus, ordinariam habet jurisdictionem; Auditor vero non esset nisi a privata Episcopi vel Cardinalis voluntate, atque ad splendorem potius, ut ita dicam, assumptus, qui proinde nonnisi causas sibi specialiter a Prælato delegatas valet cognoscere. Sed hic maxime veniunt tum *Auditores Rotæ*, qui duodecim sunt, tum *Auditor Cameræ*, qui unus est: omnes veri judices, quibus principaliores et universaliores causæ competunt in Curia Romana. — V. Ferraris; V. *Auditor;* — Moreri, *Supplem. ad Dictionarium universale;* V. *Auditor;* — Schmalzgrüber, *In tit.* I, l. 2 *Decret.*, n. 15. — Bouix, *De Judiciis*, vol. I, parte 2ª; it. *De Curia Romana*, parte ultima.

694. Protonotarii Apostolici: collegium prælatorum in Romana Curia constituunt, quorum munus olim erat Martyrum gesta adnotare, nunc est studiose describere res fidei et disciplinæ ac cetera sacra notare. Si sint *de numero participantium*, seu stricte sumpti, non honorarii tantum (et septem sunt), plura habebant privilegia; sed Pius IX Constit. *Quamvis* 9 febr. 1855 ad sequentia reduxit: — 1) ad privilegium exemptionis ab Ordinariorum jurisdictione; — 2) ad privilegium altaris portatilis sub datis limitationibus; — 3) ad privilegium singulis annis doctoratum in Theologia, item in alterutro vel utroque jure, conferendi quatuor personis; at sub necessaria conditione, *primo*, quod talis gradus queat conferri tantum Romæ præsentibus; *secundo*, nisi transmissa ad Sanctissimum prævia de singulis candidatis relatione; *tertio*, fieri debet examen a quinque saltem protonotariis participantibus; et si necesse sit, numerus compleatur a professoribus

Romani Archigymnasii; *quarto*, circa examen serventur statuta Leonis XII Const. *Quod divina* 28 aug. 1824, quæ examinandi modum præscribit; *quinto*, quotannis est transmittenda ad S. Congregationem *super studiis* relatio de collatis gradibus, ac insuper in Romani Collegii archiviis deponenda est alia relatio promotorum nomina continens. — *V.* Bouix, *De Curia Romana*, p. 4ª.

(H) Pag. 335.

605. Capitulum Cathedrale: quod habet ut sit senatus Episcopi, quem proinde adjuvare tenetur quoad potest verbo et opere. Imo jure nonnulla sunt, ad quæ agenda de necessitate Episcopus Capituli modo consensum, modo consilium habere debet, ut licite et valide agat. Ex Tridentino ac Decretalibus necessarius censetur *consensus*, si, res Ecclesiæ immobilis aut mobilis pretiosa sit alienanda, in unione Ecclesiarum aut suppressione, in numero Canonicorum augendo aut minuendo, in novis dignitatibus inducendis, in novis tributis aut pensionibus Ecclesiis imponendis, si gravanda Ecclesia, et generatim quoties de Episcopatus aut Capituli juribus, obligationibus, detrimentis agitur. Capituli autem *consilium* sufficit, si Episcopus velit novas leges condere, excessus clericorum corrigere, religiosos conventus erigere, item in erectione et administratione Seminarii, in publicandis Indulgentiis, etc. Pro eligendo vero examinatores prosynodales requiritur *consensum;* at tantum *consilium* si sint eligendi judices prosynodales (Tridentinum, sess. XXIV, c. 18; sess. XXV, c. 6 *de R.;* et c. *de his quæ fiunt a Prælato* x, etc.). Verum de hisce rebus in pluribus a consuetudine derogatum est; quanquam si fiat recursus ad S. C. C. non rado controversias ipsa definit juxta veterem disciplinam, neque enim semper legitimam esse censet adductam consuetudinem. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. 1; — Andreucci, *De tuenda concordia inter Episcopum et Capitulum;* — Bouix, *De Capitulis*, etc.

606. Distributiones: distributiones quotidianæ sunt certi reditus qui dantur iis, qui choro intersunt; habentur uti præmia quæ singulis diebus et horis adscripta sunt, ut facilius et frequentius, hac illecebra ducti, ad chorum conveniant canonici. Quoad distributiones Tridentinum vult illas generatim accrescere interessentibus (sess. XXI, c. 3; et sess. XXIV, c. 12 *de R.).* Diximus *generatim*, nam si agatur de dignitatibus aliisque qui reditus habent separatos a massa communi vel de extraordinariis et impropriis reditibus, Tridentinum (sess. XXIII, c. 3) vult a negligentibus amissos fabricæ Ecclesiæ quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicandos esse, sæclusa contraria consuetudine. — V. *Acta... apud S. Sedem*, t. II, pag. 219; — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. I, pag. 263; — Bouix, *De Capitulis*, part. 1ª, sess. III, c. 2; — Barbosa, Scarfantonius, etc.

Tridentinum præcipit, ut absentes distributionibus careant, *quavis collusione aut remissione exclusa*, unde canonicus absens si eas accipiat, accipit invalide, ut declaravit Bonifacius VIII. Est porro *collusio* quando choro adscripti invicem conveniunt de non notandis absentiis; est *remissio* quando pars una sponte et sine ulla conventione jus suum ad lucrandas distributiones illius qui abfuit, illi remittit. Adhuc tamen licita est mera et liberalis donatio, quæ tunc fit cum canonicus distributiones jam perceptas et in sua manu, non interessentibns donat, nullo omnino pacto præcedente.

607. Q. *Quinam sunt casus, in quibus Canonici absentes a choro amittunt distributiones, non tamen præbendam?*

R. In hoc casu versantur Canonici examinatores, nisi alicubi aliud ferat consuetudo, vel statutum particulare, vel privilegium vi cujus neque distributiones amittantur; Canonici deputati ab Episcopo ad visitanda hospitalia et Ecclesias Diœcesis; Canonici, sed duo tantum, qui ab Episcopo assumuntur in suo et Diœcesis servitio, ut in visitatione; Canonicus qui officio Vicarii generalis fungitur apud Episcopum; qui inservit tribunali S. Officii; administri Cameræ Apostolicæ. Item canonici pro Seminario deputati, de quibus vide n. 658.

Item lucrantur præbendam (non tamen distributiones), qua ideo nequeunt expoliari licet absentes, cum absunt ut doceant Scripturam sacram et Theologiam in scholis publicis ex Tridentino (sess. III, c. 1 et c. *finali de magistris):* quod Concina cum Canonistis extendit etiam ad docentes Canonicam, Philosophiam, imo Grammaticam; quia hæc necessaria sunt præmittenda ad addiscendam Theologiam. Tandem lucrantur fructus præbendæ (non autem distributiones) et ideo a choro legitime absunt, canonici et præbendati (modo in probabiliori sententia non sint Parochi) studentes Theologiæ aut Juri canonico, aut Scripturæ sacræ in publica schola, si tamen studiis vacent per majorem anni partem et habeant ab Ordinario licentiam. Quæ licentia olim suffragabatur pro quinquennio studendo sacris Canonibus, per septennio studendo Theologiæ vel Scripturæ; at nunc Innocentius XII decrevit ne privilegium illud ultra triennium duraret, neque ut concedatur iis qui annum 25 jam attigerunt. — *V.* Pavone, *Spicilegio* ecc.; item indulta particularia ac probatæ consuetudines.

Canonici qui deportati sunt, vel alio confugerunt ne deportarentur, vel carcere indebite detinerentur aut vexarentur a gubernio persecutore, tanquam præsentes habentur, et lucrantur tum præbendam tum distributiones, tum emolumenta ex legatis, anniversariis et funeribus, etc.; si chori servitio incumbere consueverunt. Ita pluries S. C. C.; 17 sept. 1814; 17 dec. 1815; 8 julii 1865; etc. — V. *Analecta Juris pont.*, anno 1860, pag. 112. — Et Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. I, pag. 278.

608. Declarationes Ss. Congregat. quoad Canonicos.

a) Canonicus Episcopus. — Canonicus Episcopus titularis abstineat a celebratione Missarum et Vesperarum de turno et subroget alium. In solemnioribus festis vero de licentia Ordinarii celebrans uti debet faldistorio et indumentis pontificalibus. Est thurificandus post Canonicos throno assistentes; pacem recipit primus a ministro parato, qui illam choro distribuit. Præcedit omnes etiam in Canonicatu antiquiores et dignitates, idque ubique et in choro et extra. *S. R. C.* 10 apr. 1728; 10 febr. 1735; 1 dec. 1657.

Episcopus suffraganeus titularis et simul canonicus tenetur interesse choro in habitu episcopali, non vero canonicali, eodemque habitu ingreditur Capitulum. *S. R. C.* 24 nov. 1703.

b) Canonici Cathedralis. — Celebrante Canonico Cathedralis, Diaconus itidem Canonicus porrigendo cochlear, patenam, calicem tenentur osculari manum celebrantis; imo etsi ipse celebrans non sit Canonicus. *S. R. C.* 22 apr. 1690; 31 maji 1817.

S. R. C. 16 julii 1065 declaravit: *Teneri Canonicos et Choristas expectare Episcopum ad Ecclesiam accedere volentem, nec officia inchoare, nisi post ejus adventum, dummodo hora officii certe intimata sit, nec ultra signum datum pro inchoando officio Episcopus moretur et diutius chori ministros et Canonicos expectare faciat.* Et eadem S. C. R. 12 ju-

nii 1627 mandavit, *servari Decreta alias facta, nempe quod condicta hora cum Episcopo eique intimata, ut si velit possit accedere; et dato signo si Episcopus inchoatis Horis advenerit ad divina officia, non tenentur omnes Canonici illi obviam procedere, sed quatuor tantum aut quinque de Capitulo, ita ut major pars Capituli vel Canonicorum remaneat in choro ad Horas prosequendas.*

Canonicus Cathedralis concionaturus in actu recipiendi benedictionem ab Episcopo non tenetur genuflectere, sed tantum se profunde inclinare. *S. R. C.* 3 aug. 1737.

Dignitatibus et Canonicis Cathedralis Ecclesiæ convenit distinctio tum quoad qualitatem paramentorum, tum quoad locum se parandi pro Missis respectu sacerdotum inferioris ordinis. *S. R. C.* 20 martii 1706.

An Canonicis Ecclesiæ Cathedralis assistentibus Episcopo pontificalia exercenti vel in suo palatio vel in aliis Ecclesiis suæ Diœcesis, debeantur anniversariorum emolumenta, quæ ex voluntate fundatorum distribui consueverunt solum inter præsentes; et quatenus negative, an sit consulendum Sanctissimo pro concessione Indulti ex gratia in casu? R. 6 febr. 1734 *S. C. C.: ad utrumque negative.*

An præcedentia debeatur Capitulo Cathedralis assistenti Episcopo in aliqua Ecclesia collegiata suæ Diœcesis, quando Episcopus intervenit solemniter divinis; aut Capitulo et Clero ejusdem Ecclesiæ collegiatæ? *S. R. C.* 27 martii 1639 respondit: *præcedentiam deberi in casu proposito Capitulo Cathedralis supra Capitulum, Clerum et quoscumque alios sacerdotes Ecclesiarum inferiorum.*

Capitulum Cathedralis Regiensis supplicavit declarari ipsi soli competere in processionibus incedere cum vestibus sacris (planeta, pluviali, etc.), et non aliis Ecclesiarum Collegiatarum. *S. R. C.* 20 apr. 1641 respondit: *soli Capitulo Cathedralis licere incedere cum vestibus sacris.*

An liceat canonicis Collegiatæ, Parochis et presbyteris simplicibus incedere paratis in processionibus (præsertim in solemnitate Corporis Christi) cum pluvialibus et casulis, ut canonici Cathedralis? *S. R. C.* 4 martii 1686 respondit: *in concursu cum Cathedrali non licere.*

Canonici Cathedralis sunt membra, quæ simul cum Episcopo tanquam capite constituunt unum corpus (c. *Novit, de his quæ sunt a Præl.*, etc.); quemadmodum enim membra recipiunt influxum a capite, ita ipsa inserviunt in ejus functionibus. Et ideo etiam Canonici uti membra debent in propriis functionibus inservire Episcopo, qui non debet ab extraneis extra proprium corpus emendicare servitium; sed a propriis membris debet recipere gloriam et splendorem. Ita declaravit *S. R. C. in Calaguritana* 1 julii 1601; *in Bononiensi* 20 apr. 1602; *in Brundisina* 15 julii 1617; etc. — *V.* Pignatelli, *Consultationum Canonicarum*, t. v, consult. 83. — Ferraris; V. *Assistentia, Canonicatus*, art. 6.

Canonici Ecclesiæ Cathedralis præcedunt canonicos Collegiatæ, etiam intra eandem Collegiatam, non obstante consuetudine. *S. R. C.* 19 augusti, anno 1619.

Accedens (Episcopus) ad Ecclesias civitatis et suburbiorum in quibus aliæ sint dignitates et Canonici, curet, pro sua prudentia, ut omnes confusionis et perturbationum occasiones removeantur; et sciat dignitates et canonicos Ecclesiæ cathedralis debere præcedere dignitates et canonicos Ecclesiæ collegiatæ. *S. R. C. in Hispal.* 17 junii 1592.

Subrogatus Episcopus in locum proprii Ordinarii in ordine ad functiones episcopales, est ejusdem juris et conditionis cum ipso Diœcesano Episcopo; ideo a Canonicis cathedralis serviendus; cum enim delegatus repræsentet personam delegantis, et jus ipsius sustineat in ea functione, et alias sit æqualis dignitatis, debentur etiam eadem obsequia. *S. R. C. in Bracharensi* 20 febr. 1604 apud Pignatelli.

Licet Episcopo canonicos Cathedralis compellere, ut sibi inserviant quoties in Cathedrali, vel in civitate et suburbiis pontificale munus exercet; modo tamen si sit extra cathedralem Ecclesiam, hæc non fraudetur debito cultu et servitio. Accedens vero ad Ecclesias, in quibus aliæ sunt dignitates et Canonici, sciat Episcopus canonicos Cathedralis omnino præcedere canonicos et dignitates Collegiatæ. Ita *S. R. C.:* quod decretum confirmatum fuit a Clemente VIII, 13 junii 1592.

Et hoc procedit etiam quando Episcopus celebrat, aut Missæ aut Vesperis solemnibus quacumque ex causa interest in Ecclesiis exemptis *(ergo multo magis si in aliqua Congregatione, vel Confraternitate,* etc.), et Sedi Apostolicæ immediate subjectis, intra fines tamen suæ Diœcesis existentibus. *S. R. C. in Alexandrina S. Petri* 7 febr. 1604. — Item tenentur capitulariter assistere Episcopo Ordinationes peragenti solemniter in cantu inter divina officia. Si vero fiant privatim, tres tantum inserviant. *S. R. C.* 7 dec. 1658. — Item tenentur assistere Episcopo concionanti pontificaliter cum pluviali, mitra et baculo. *S. R. C.* 3 dec. 1701. Et renuentes quando tenentur, sunt plectendi aliis pœnis, ultra amissionem distributionum. *Gardellini,* n. 1447.

Non possunt canonici Cathedralis cogi ad assistendum Episcopo, si accesserit ad alias Ecclesias ad celebrandum private. Imo neque tenentur assistere Missam private celebranti in propria Cathedrali, nisi adsit consuetudo, quæ servanda est. *S. R. C.* 5 julii 1603; et 25 apr. 1608. Tunc autem dicitur ex eadem S. C. *privatim* Episcopum accedere ad Ecclesiam, cum sine cappa pontificali accedit; et sic assistit.

Quando Episcopus ad Cathedralem pontificaliter accedit, aspersorium a prima Capituli dignitate est porrigendum cum osculo aspersorii et manus. Sed si accedit ad aliam Ecclesiam, assistente cathedrali Capitulo, aspersorium est dandum a dignitate seu superiore illius Ecclesiæ. *S. R. C.* 23 martii 1592, confirmante Clemente VIII.

Canonici et assistentes Episcopo parati possunt procedere per Ecclesiam coopertis capitibus. *S. R. C.* 28 apr. 1708.

Canonici Cathedralis interessentes concionibus præsertim quadragesimæ, debent esse induti habitu canonicali, dum sedent in propriis stallis. *S. R. C.* 31 martii 1703.

An pileolo uti possint Canonici assistentes Episcopo in functionibus ecclesiasticis tam in altari, quam in cathedra episcopali? *Negative ad primam partem; affirmative quoad secundam, dummodo non ministrent.* *S. R. C.* 20 apr. 1822.

c) Chori servitium. — Canonici Collegiatæ, non obstante asserta consuetudine, tenentur genuflectere, ad differentiam Canonicorum Cathedralium, Altari et Episcopo sive pontificaliter sive cum cappa tantum aut mozzetta inducto. *S. R. C.* 23 sept. 1837.

1) An confabulantes in choro tempore divinorum officiorum amittant quotidianas distributiones? 2) an confabulationes istæ possint constitui a pluribus parvis collocutionibus? S. C. C. 27 martii 1847 respondit ad 1: *affirmative;* ad 2: *affirmative, si plures fiant in eadem hora.*

Capitulares omnes tenentur obedire cæremoniarum Magistro in iis quæ divinum cultum respiciunt; cum in sui muneris exercitio sit capitularium director, non famulus. *S. R. C.* 21 maji 1817.

An tolleranda sit consuetudo Canonicorum aliorumque in choro præsentium nunquam cooperiendi caput, dum divina officia peragunt? S. R. C. 16 apr. 1861 respondit: *affirmative ab iis qui sacris paramentis non sunt induti.*

Doctorali bireto, seu cum quatuor apicibus, uti nequit laureatus licet canonicus in ecclesiasticis functionibus; etsi utendo non amittat distribu-

tiones, quia biretum non est chorale indumentum. *S. R. C.* 7 dec. 1844.

An Canonicus assistens choro, sed non decantans canonicas preces, peccet mortaliter et teneatur restituere fructus omissioni respondentes? *Canonicum in causa juxta alia decreta obligationi non satisfacere*, respondit *S. R. C.* 22 maji 1841.

Canonici compellantur in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare. *Tridentinum*, sess. XXIV, c. 12 *de R.* « Sed adverti debent (ait Benedictus XIV, *Notific.* CVII quæ s. Carolus admonuit: *Matutinum in choro celebretur; at si tamen vehementia frigora sint, vel aliæ justæ causæ intercedant, de licentia Episcopi in sacristia, vel honesto alio loco ejus Ecclesiæ, dici potest.* Id probat etiam S. C. C. 18 nov. 1645.

Vi sui muneris tenentur Canonici psallere in choro, et omnibus horis etiam parvis interesse. Hinc S. C. C. anno 1660 in Novariensi, improbavit consuetudinem jamdiu receptam in Ecclesia cathedrali Novariensi, et per Legatum apostolicum canonizatam, juxta quam Canonici interessendo tantummodo Matutino, Laudibus, Missæ et Vesperis, lucrabantur omnes distributiones.

Aliud est psallere in choro, aliud canere alta voce; ad postremum sunt Canonici hortandi, non cogendi ab Episcopo; ad primum tenentur. *S. R. C.* 23 nov. 1602.

An ferendus sit usus in Archidiœcesi Senensi existens omittendi in choro partes tum divini Officii tum Missæ, quas organi sonus supplet? Respondit S. C. C. 22 julii 1848: *submissa voce dicenda quæ omittuntur ob sonitum organi; quando non pulsatur, integre esse cantanda.*

Canonicus, qui organa pulsat vel inter musicos concinens, tempore divini officii, amittit distributiones, si mercedem ab illo onere recipiat. *S. C. C.* 15 dec. 1659.

Valet statutum seu consuetudo, quod noviter receptus Canonicus aliquid solvat pro planetis et aliis supellectilibus sacris sacristiæ; sunt in cultus divini favorem. Item quod noviter provisus, antequam participet de massa communi, per aliquod temporis gratis inserviat Ecclesiæ. Ita Monacelli ex *S. C. C.* — Non autem tenet consuetudo, quod Canonici sive alii presbyteri de Ecclesia prandium habere debeant. *S. C. Episcoporum* 17 martii 1692. Esset contra Tridentinum, sess. XXIV, cap. 14; et contra Bullam *Durum nimis* s. Pii V.

Canonicis causa pestis absentibus debentur quotidianæ distributiones, si pestis grassetur eo in loco et illi Canonici soliti sint inservire. At quando dicatur pestis grassari (in dubio) judicio Episcopi relinquitur. *S. C. C.* 9 nov. 1630.

Absens a choro lucratur etiam distributiones, si *senio confectus (S. C. C.* penes Fagnanum); item si *cæcus (S. C. C.* 29 jan. 1661). Non vero si *surdus* (12 martii 1619); aut tantum cæcutiens qui valeat legere et soleat per vias solus ambulare.

Canonicus non potest abesse a choro causa organum pulsandi; secus amittit fructus et distributiones; et pœnis aliis cogendus est ad officium suum. *S. C. C.* penes *Analecta* anno 1866, pag. 1851.

Necessaria non est *licentia Episcopi*, ut trium mensium spatio a choro abesse possint Canonici, si in Diœcesi maneant: secus si extra Diœcesim. Sed Episcopus non debet licentiam absque causa negare. *S. C. C.* 9 maji 1626.

Ad constituendam absentiam trium mensium necesse non est, ut dies sint *continui*, sed sufficit ut sint *interpolati. S. C. C.* 19 maji 1573.

Tres menses vacationis permissi incidere non debent in Natale Domini, in Pascha, vel in similes magnas solemnitates earumque Octa-

vas, scilicet Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi; neque in Adventu aut Quadragesima. Neque ultra tertiam partem Capituli abesse possunt. *S. C. C.* 12 julii 1631.

Cum a Canonicis et presbyteris intonatur Antiphona, omnes detecto capite debent surgere præter Hebdomadarium paratum. *S. R. C.* 4 augusti 1663; et 10 sept. 1701.

Symbolum s. Athanasii laudabilius in choro recitatur stando. *S. R. C.* 23 dec. 1624. — De disciplina chori plura habet d. Carolus *in Conc. provincialibus* et *Synodus Fulginatentis* habita anno 1762.

d) Canonicorum Insignia. — Nequit Episcopus concedere signum particulare, insignia vel colorem Archidiacono, Capitulo, Canonicis, Clero vel Presbyteris; aut mutare a S. Sede concessum. *S. R. C.* 1 septembris 1612; 28 apr. 1731.

Decretum generale 31 maji 1817: *Dignitatibus et Canonicis etiamsi gaudeant indulto deferendi cappam et rocchetum tam in propria quam in alienis Ecclesiis; hujusmodi tamen aliorumque canonicalium insignium usum extra propriam Ecclesiam licitum esse dumtaxat, quando capitulariter incedunt, vel assistunt et peragunt sacras functiones; non autem si intersint ut singuli, nisi speciale privilegium nedum collegium comprehendat, verum etiam singulariter et distincte ad personas extendatur* (rocchetum est vestis episcopalis ex privilegio concessa inferioribus ecclesiasticis; non benedicitur, sicuti nec cappa; est vel a gallico *roquet*, vel a græca voce quæ vestiarium significat).

An teneantur Canonici cappam deponere tam intra quam extra propriam Ecclesiam, dum verbum Dei prædicant, vel dum officium sacerdotis assistentis in Missa novi celebrantis, aliasque quascumque functiones exercent? R. Negative *in propria Ecclesia, etiam in concionibus aliisque functionibus, excepta Sacramentorum administratione in qua utendum superpelliceo* (poterit tamen cotta seu superpelliceum superimponi roccheto ex S. C. 31 aug. 1867) *et stola.* Affirmative *extra propriam Ecclesiam.* Ita pluries *S. C. C.*, et 17 septembris 1822, confirmante Pio VII.

e) Jubilatio Canonicorum. — Jubilatus is est qui post laudabile servitium annorum 40 in choro, indultum obtinet quo ab ejus servitio eximitur, quin aliquid amittat, ducto exemplo vel a Lege mosaica quæ declarabat immunem ab omni opere Levitam post 25 annos ministerii; vel a Lege cæsarea, quæ militibus concedebat per diuturnum servitium, ut perpetuo otio fruerentur. Jubilatio Jure communi non decernitur, sed ex benignitate Ecclesiæ inducta fuit, et nunc generatim obtinet. Fit recursus ad Summum Pontificem, qui accedente voto et attestatione Capituli de laudabili servitio, illam concedit, modo chori servitium non patiatur detrimentum.

Quæritur: 1) An indulgenda sit jubilatio Canonicis et Beneficiatis qui spatio 40 annorum Ecclesiis inservierunt, licet dicto temporis spatio cum debitis licentiis et indulgentiis abfuerint ab Ecclesiis, vel ex causa infirmitatis vel ex causa studiorum, vel pro suæ Ecclesiæ servitio vel ratione munerum, pro quibus obtinuerunt indulta absendi pro diebus et horis, vel indulta simpliciter et absolute absendi ab Ecclesia, durante officio ipsis commisso? — 2) an indulgenda sit jubilatio illis qui inservierunt spatio annorum 40, sed partim in una Ecclesia, partim in alia, aut tanquam Canonici in ambabus, aut tanquam Beneficiati in una et Canonici in alia. Necnon: illis qui in una et eadem Ecclesia per totum tempus inservierunt, sed partim tanquam beneficiati, partim tanquam canonici, vel partim tanquam coadjutores et partim tanquam principales et titulares *(intellige de beneficiatis residentariis)*: —

3) an indulgenda sit jubilatio illis qui inservierunt spatio annorum 40, non obstante parvo numero aliorum, qui remanent addicti Ecclesiæ servitio; et quis sit parvus numerus inservientium in casu, et ad effectum de quo agitur? — 4) an, non obstante jubilationis indulto, jubilatus cogi possit ad inserviendum, si divinus cultus detrimentum patiatur? — 5) an, non obstante jubilationis indulto, jubilatus teneatur ad residendum, licet non teneatur ad interessendum?

S. C. C. 7 dec. 1718 respondit: ad 1m *affirmative quoad absentes causa infirmitatis cum debitis licentiis et indultis, vel pro Ecclesiæ servitio, vel cum indultis absendi pro diebus et horis. Negative autem quoad absentes ex causa studiorum et quoad habentes indulta absendi absolute, durante officio.* — Ad 2m *negative ad primam partem; affirmative ad secundam.* — Ad 3m *dabitur resolutio in casibus particularibus.* — Ad 4m *affirmative.* — Ad 5m *negative juxta Decreta.*

Q. 1) An debeatur jubilato portio emolumentorum provenientium ex anniversariis fixis? 2) an debeatur portio emolumentorum provenientium ex funeralibus, et anniversariis incertis et extraordinariis? 3) etiam in casu quo a testatore dispositum reperiatur nihil lucrari debere omnes qui non sunt præsentes? 4) an dictus Canonicus teneatur interesse capitulis et congregationibus, quæ habentur pro tractandis negotiis Ecclesiæ et Capituli? — *S. C. C.* 10 junii et 30 sept. 1684 respondit: ad 1m *affirmative;* ad 2m, 3m et 4m *negative.* (Notandum cum Scarfantonio: indultum jubilationis obtentum a Canonico coadjuto, non suffragatur coadjutori, cum iste alia ratione teneatur choro et aliis functionibus interesse. It. vide Benedictus XIV, *Notificatione* cvii, n. 64; et *De Syn. Diœc.*, l. viii; — Bouix, *De Capitulis;* — Ferraris; V. *Canonici, Anniversaria;* — *Analecta Juris pontificii*, anno 1857.)

S. C. C. in Novariensi 29 nov. 1681 et in Perusina 17 julii 1688 declaravit, Canonico jubilato deberi etiam quæ proveniunt ex emolumentis processionum et anniversariorum et aliorum, dummodo testatorum voluntas non obstet.

Post continuum et laudabile servitium annorum 40 in Ecclesia metropolitana Senensi Fabius Ballatus consuetum jubilationis indultum obtinuit, et jam septem anni elapsi sunt ex quo fruitur prædicto indulto; cumque idem modo obtinuerit dignitatem Decanatus in eadem Ecclesia, et supplicaverit huic Sacræ Congregationi pro continuatione prædicti indulti jubilationis, scriptum fuit Archiepiscopo pro informatione et voto. Archiepiscopus fuit in sensu quod erat annuendum petitis et eo fortius, quia Oratoris merita et præstitum antecedenter continuum et laudabile servitium plene suadent ipsum, quandiu poterit, non defuturum officio suo, in solemnioribus in quibus Decani præsentia maxime desideratur.

Super hoc articulo adest resolutio hujus S. C. 22 nov. 1691 *in Fulginat.: Joann. Bapt. De-Justis attento servitio 40 annorum et ultra uti canonicus et decanus Ecclesiæ cathedralis præstito, jubilationem obtinuit; nuper autem collato sibi a Sanctissimo Prioratu ejusdem Cathedralis, supplicat vel sibi novam jubilationem concedi, vel potius declarari eandem sibi prodesse jubilationem respectu Prioratus. Audita relatione Episcopi Fulginat. et attento quadragenario exercitio et ultra, laudabiliter et continuo præstito in eadem Cathedrali, censuit Oratorem nova jubilatione non indigere, sed jam obtentam sub die 18 dec. 1688 eidem suffragari, etiam respectu Prioratus, de quo fuit nuper provisus, in omnibus et per omnia servata forma ejusdem indulti.* Quam resolutionem laudat et sequitur modernus Scarfantonius in Animadversionibus ad Cecoperii, t. i, l. ii, tit. 6, n. 20.

His positis dignabuntur EE. VV. decernere: *an indultum jubilationis concessum Fabio Ballato olim canonico Ecclesiæ metropolitanæ Senensis eidem suffragetur post obtentam in eadem Ecclesia dignitatem Decanatus in casu* etc. — Respondit S. C. C. 16 martii 1726: *affirmative, dummodo in solemnioribus inserviat.* — *V.* Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, p. 3ª.

f) Theologus. — Canonicus theologus cogi potest ad legendum tempore Adventus et prout Episcopus judicaverit, exceptis tamen mensibus julii, augusti et septembris. *S. C. C.* 16 dec. 1645.

Concilium Romanum sub Benedicto XIII quadraginta saltem lectiones in anno haberi voluit. Synodus Novariensis (pag. 30) præcipit, ut in civitate quadraginta ad minus inter Cathedralem et S. Gaudentii Collegiatam dividuæ alternatim habeantur. *S. C. C.* 12 jan. 1692 et 15 julii 1645 vult, ut si in Theologalis fundatione designetur numerus, observetur; secus arbitrio Episcopi, juxta consuetudinem ipsius Ecclesiæ et aliarum Italiæ.

Cum Theologus non debeat concionari, sed more Doctoris docere, potest uti chartula. *S. C. C.* 26 junii 1847. Ejus tamen expositio claritate fulgeat; et historiam ipse exponendo, nunquam moralitatem omittat ex Concilio Romano sub Benedicto XIII.

Theologus non potest cogi ad ponendum substitutum, quando ex causis infirmitatis sanabilis impeditur per se ipsum legere. *S. C. C.* 3 febr. 1646. — *V.* Lucidi, *Visitatio Ss. Liminum*, t. III, pag. 224.

g) Pœnitentiarius. — Non potest cogi ab Episcopo ad interessendum in sua sede pro audiendis Confessionibus eo tempore quo non adsunt pœnitentes qui sua opera uti velint. *S. C. Episc.* 18 sept. 1637.

Pœnitentiarius regulariter non est admittendus in confessorem monialium; si tamen constet ipsum posse utrique muneri satisfacere, admitti potest. *S. C. C.* 11 sept. 1666.

Pœnitentiarius non potest cogi ad majorem residentiam quam alii Canonici, modo non absit eo tempore quo frequentes pœnitentes accedunt. Potest autem tempore chori manere in confessionali expectando pœnitentes, si pœnitentes tunc accedere soleant, eo animo ut se promptiorem efficiat. Idem est de Canonico, quam Episcopus ad supplendum Pœnitentiarium deputaret; sed in omni casu curandum ne chori servitium detrimentum patiatur. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 131; — Ferraris; V. *Canonicus*, a. 9; — Bouix, *De Capitulis* etc. (De concursu ad præbendam theologalem et pœnitentialem vide de Ordine, lib. III).

h) Coadjutor. — An distributiones debeantur Canonico coadjuto extra urbem commoranti, suo pariter coadjutore extra urbem infirmitatis causa degente? an lucra provenientia ex punctaturis et absentiis Canonicorum, quæ præsentibus accrescunt, debeantur Canonicis coadjutoribus sive potius coadjutis? *S. C. C.* 16 aug. 1730 respondit: ad 1^m *affirmative quatenus uterque habeat indultum abessendi?* ad 2^m *deberi Canonicis coadjutis.*

Coadjutor tenetur reficere coadjuto emolumenta provenientia ex anniversariis, processionibus et capitulis, quæ ob suam negligentiam omisit. *S. C. C.* 22 febr. 1862.

Coadjutoribus non conceditur indultum abessendi a choro causa studiorum. *S. C. C.* 28 martii 1733.

(I) Pag. 338.

Parœcia vi nominis græci idem est ac *partitio*, id est *partitio curæ:* inde Parochus dicitur cui cura illa committitur, vel Curatus.

609. Parochi vocatio: de Parochis sic Episcopos omnes alloquitur Pius IX Enciclica *Qui pluribus:* « Neque vero ignoratis majori diligentia Vobis in illorum præcipue mores et scientiam esse inquirendum, quibus animarum cura et regimen committitur, ut ipsi tanquam fideles multiformis gratiæ Dei dispensatores plebem sibi concreditam Sacramentorum administratione, divini Verbi prædicatione ac bonorum operum exemplo continenter pascere, juvare, eamque ad omnia Religions instituta ac documenta informare, atque ad salutis semitam perducere studeant. Intelligitis nimirum, Parochis officii sui ignaris vel negligentibus, continuo et populorum mores prolabi et christianam laxari disciplinam et Religionis cultum exsolvi atque convelli, ac vitia omnia et corruptelas in Ecclesiam facile invehi, etc. »

Ex quibus patet, tantum onus a nemine inconsiderate sumendum, quippe quod tot scateat obligationibus, totque consectariis: ne tauro se oneret qui non potest portare capellam; ne quis majora conetur, quæ patitur sua facultas. Etsi tamen Parochorum officium salebrosum sit; non ideo eos nimium terrere debet, qui recta intentione, qui sufficienter instructi necnon superiorum consilio aut consensu illud suscipiunt.

Putamus æque culpandam et illorum temeritatem, qui indebite, ac suis tantum viribus nixi, ad hoc munus se accingunt; et illorum nimiam timiditatem, qui satis apti prudentum judicio, pedem subducunt in tanta operariorum paucitate: hi animum addant; dabit enim vir tutem qui imposuit onus. Neque Christus illum deserere vult, qui ita propius ejus personam gerit, et diu noctuque insudat in dominico campo, tot adversa in Dei gloriam continuo sustinens. Ad ipsumque crebrius clamat: *Et nunc, Domine Deus, tu pastorem fecisti servum tuum; ego autem sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum; en servus tuus in medio est populi quem elegisti; dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum.* — *V.* Riccardi, *Dei doveri e dello spirito degli Ecclesiastici*, c. II: *Necessità di una vocazione speciale per entrare nel ministero pastorale;* — Segneri, *Il Parroco istruito*, c. IV; — Frassinetti, *Manuale pratico del Parroco novello*, n. 18; — Liguori, *Opus Mor.*, lib. VI, n. 804

Qui nimis audaces sine superioris venia hoc munus sucipere volunt, et si ad curam quam cupiunt non eliguntur, Episcopum de injustitia incusant, audiant Riccardi: « Un sacerdote di spirito e di vero merito non si crede mai degno della promozione, al punto di lamentarsi dell'esclusione; il superiore troppo sovente si trova esposto al risentimento del mondo per fare la volontà di Dio, che per vie nascoste lo conduce a secondare i suoi disegni. »

Secundi vero, qui nimis timidi, etiam superiore vocante recusant, quasi de eorum æterna salute actum sit, sciant ex omni regione esse Parochos vitæ sanctitate percelebres: Hollandia quatuor colit animarum curatores glorioso martyrio coronatos; Gallia habet *s. Ivonem* Carnotensem, et nuper pium sacerdotem *Viannay* parochum Ars (+ 1859); Finlandia *s. Valerium;* Venetiæ *b. Joannem Olini;* Neapolis

b. Grimualdum; Hetruria *b. Albertum;* Fossanum *b. Odinum;* Germania *Sarcandrum* in Moravia nuper beatorum corona a Pio IX donatum; Bergamum parochum *Barthol. Librinelli* (+ 1817); Brixia *Joannem-Baptistam Bossini* (vulgo il *Curatino),* cujus veneratio in dies augetur magis; et Novariensis Diœcesis humiles Dei servos *Giacobini* præpositum Varali (+ 1732); *Ponzone* archipresbyterum Aronæ (+ 1652); *Arista* parochum Castelletti ad Ticinum (+ 1691); *Manini* parochum Pesonii (+ 1653); *Migliacca* parochum Massiolæ (+ 1818). — *V.* Miotti, *Dei Parochi santi:* ubi quatuorcentum circiter enumerantur Parochi in sanctitatis odore defuncti, quorum quidem tercentum curam animarum actu gerebant, dum mortui sunt. — *Museo Novarese* formato da Lazzaro-Agostino Cotta d'Ameno, Milano 1701; quoad plures Parochos Novarienses.

610. Parochorum institutio: etsi nos magni habeamus Parochi dignitatem, absit tamen ut ejus institutionem dicamus de Jure divino, uti perperam demonstrare contendit inter alios Miotti in suo Opere, *Dei Parrochi santi;* id unum habet a Deo Parochus, Sacerdotium; sed hoc illi cum ceteris presbyteris est commune. Hinc in hierarchia Ecclesiæ catholicæ divina ordinatione instituta nulla fit Parochi mentio. *Tridentinum* (sess. XXIV, c. 13 *de R.): Mandat Sancta Synodus Episcopi pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque Parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent,* etc. Attamen in Gallia Parochi sunt amovibiles probante Gregorio XVI (vide *Analecta,* an. 1855).

Opinio de divina Parochorum origine a Gersone prius invecta jamdiu profligata est, cum nullum hujus rei vestigium neque in Scriptura neque in Traditione. Hinc s. Thomas (2, 2. q. 188, a. 4) ait: *Dicendum quod formam septuaginta duorum discipulorum non solum tenent presbyteri curati* (de quibus textum interpretantur adversarii), *sed quicumque alii minoris ordinis qui Episcopis in eorum officio subveniunt; non enim legitur quod septuaginta duobus discipulis Dominus aliquas determinatas Parochias assignaret, sed quod mittebat eos binos ante faciam suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus.* Quo posito patet Parochos esse institutionis ecclesiasticæ, atque ideo non constituere tertium Ordinem, nec habere in populos sibi commissos regiminis potestatem propriam, immediatam ac principalem, ita ut efficiantur in Parochiis suis Jure divino Christi Vicarii, ut Episcopi in Diœcesi, et Papa in tota Ecclesia, ut effutire non erubuit Jansenistarum fautor Travers; item Van-Espen, Tamburinus, Cajetanus De-Rottenstader, schismatica Synodus Ultrajectensis et Synodus Pistoriensis, etc.

Non inde tamen inferas (addam cum Vecchiotti), Parochos habendos esse, ut meros Episcoporum commissarios, ut contendit Nardi, in Opere alioquin eximio, *Dei Parochi;* nam jure ordinario suum exercent ministerium populumque sibi commissum proprio nomine regunt; adeoque Episcopo non licere Parochum rite institutum sine causis gravissimis in jure designatis a loco amovere; et S. Sedes semper ægre tulit quod alicubi Parochi sint amovibiles; idque nonnisi ad interim tolerat. — *V.* Mario-Lupi, *De Parochis ante annum millesimum;* — Bouix, *De Parocho,* p. ubi 1ª, fuse; — Devoti, *Instit. canonic.,* l. I, tit. 3; — Bolgeni, *Vera idea della S. Sede;* — La-Luzerne, *Des droits et des devoirs des Évêques,* etc.

611. Monita pro nupero Parocho: optime monet nuperum Parochum Stapf, § 73: *Præsertim ab initio muneris pastoralis in causis delicatioribus nullus nimium sibimet ipsi innitatur. Etiam præcla-*

rissima theoria, ubi per sufficientem experientiam nondum subacta et firmata fuit, nos sæpe vel inopes relinquit, vel subdolo quodam affectu inflecti solet. Item nuperus Parochus urbanitatis leges servet erga illos, qui in auctoritate sunt constituti, iis primum suam electionem significans, ac dein eos invisens. In sua prima concione amorem et reverentiam sibi conciliet maximam, atque usibus Parœciæ studeat ne quid insuetum a principio proponens animos avertat. Item maxima cautela opus habet in re sua familiari; cum enim in eum sint omnium oculi, rem suam domesticam ita instituat, ut nec tenacitatis nec prodigalitatis, vel incuriæ accusari queat; caveat, ne nimia sollicitudine erga suos prematur, adeo ut magis videatur temporalem nepotum, quam spiritualem populorum curam habere, mercatus indecore frequentando, et lucra diu noctuque honestis inhonestisque modis quæritando. Domesticis (præsertim si mulieres sint, quæ adeo sunt loquaces) ne fidat, nec cum illis familiariter utatur.

Item cavere debet Parochus ne se immisceat in privatorum familiarum negotiis, aut cummunitatis; cum hæc fieri non possint, quin a se multos avertat. Studeat tamen quoad potest, suorum componere lites atque dissidia, ut monet p. Segneri, *Il Parroco istruito*, c. x. Si vero suboriantur lites inter Parochos et Communitatem, vel Syndacum, curent Parochi rem pacifice ac privatim (non per literas) componere: quod si non valeant, Episcopum certiorem faciant, neque ultra progrediantur. Ita Synodus Novariensis, p. 411. (Ceterum quoad nuperum Parochum vide: 1) Soëtler, *Monita ad Parochos aliosque sacerdotes animarum curam habentes*, etc. Opus typis mandatum Novariæ 1825 ab em. episc. cardinali Morozzo, hortatu Leonis II qui illud in magno pretio habebat; — 2) Frassinetti, *Manuale del Parroco novello*, Novara 1864; ubi peritus Parochus facilem viam nuper electum Parochum docet, et vel in minimis eum manuducit; — 3) *Monita ad Clerum* in Appendice prima Lib. IV, ubi perplura ad rem nostram notamus.

Nota. Concilium provinciale Mediol. V præcipit, ut novus Parochus non clam, non nocturno tempore, et ex improviso suam Parœciam ingrediatur, sed publico et palam, ita ut die statuto fideles cum debito honore illum recipiant atque ad Ecclesiam deducant, ubi brevi sermone ipse omnes benigne alloquendo hortabitur quæ sui sunt muneris proponens, quid ab eis desiderandum exponens, præcipue spiritualia auxilia orationis, atque virtutum exempla, ut sibi præbeant, rogabit, etc.

612. Parochorum Congregationes: ad Statuta synodalia intimius cognoscenda et accuratius adimplenda, ad mutuam ecclesiasticorum concordiam fovendam, atque ad scientiam moralis Theologiæ addiscendam retinendamque, notum est plurimum conferre Congregationibus casuum conscientiæ interesse. Hoc vel ex eo solum quisque intelliget, quod tunc moralis Theologiæ scriptores volvendi sunt, pensitandi ac simul conferendi. Hinc *S. Concilii Congregatio censuit, Episcopum cogere posse ad iis interessendum Parochos tam sæculares, quam regulares* (3 sept. 1605); item *omnes sacerdotes sæculares confessarios, etiamsi sint Canonici* (15 martii 1602). Imo iterum interrogata (30 aug. 1732), an illis Congregationibus omnes ecclesiastici tenerentur assistere et quidem sub aliqua pœna pecuniaria, respondit: *affirmative, præterquam clericos non constitutos in Sacris, qui non sunt cogendi (Thesaurus Resolutionum Sacræ C. C.* in Larinens. 30 aug. 1737). Ipsi Episcopi cum Romam petunt vel mittunt invisenda Limina Ss. Apostolorum, etiam hujusce rei rationem reddere debent; in tertio enim relationis capite *(Instructio S. C. C. super modo conficiendi relationem* etc.,

ad calcem libri *De Synodo Diœces.* Benedicti XIV) sub num. 14 dicitur exponendum: *An habeantur conferentiæ Theologiæ moralis seu casuum conscientiæ, et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeantur?* — *V.* Benedictus XIII, *Notificationibus* XXXII, CI et CII; — *Concilium Romanum* sub Benedicto XIII; — *Acta Ecclesiæ Mediolanensis*, parte 4ª. — Ferraris; V. *Congregationes Cleri;* — Pavone, *Spicilegio* ecc. §§ 112 et 226; — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. I, pag. 480, ubi plura; et vol. III, pag. 297; — Dieulin, *Il buon Pastore*, t. I.

Hic præstat referre verba Pii Papæ IX: *Ne vero in sacerdotibus, qui doctrinæ et lectioni attendere debent, quique obstricti sunt officio docendi populum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem et ministrandi Sacramenta* (Concil. Trid., sess. XXIII, cap. 14 de Ref.), *sacrarum disciplinarum studium unquam extinguatur aut languescat industria, optatissimum Nobis est, ut a Vobis, uti fieri possit, in omnibus vestrarum Diœcesium regionibus instituantur, opportunis regulis, congressus de morum præsertim theologia ac de sacris ritibus, ad quos singuli potissimum presbyteri teneantur accedere, et* afferre scripto consignatam *propositæ a Vobis quæstionis explicationem, et aliquo temporis spatio a Vobis præfiniendo inter se disserere de morali Theologia, deque sacrorum rituum disciplina, postquam aliquis ex ipsis presbyteris sermonem de sacerdotalibus præcipue officiis habuerit.* (Encicl. ad omnes Austriæ Episcopos, 17 martii 1856.) — Hæ Congregationes rite habitæ sunt ecclesiasticæ disciplinæ vita et tutamen.

Quanam methodo casus resolvendi tradit Benedictus XIV, ut *media via inter rigorem et laxitatem* incedere curetur. *(De Syn.*, l. XII, c. 6.)

613. Normæ in re civili ac politica. Qua de re:

Q. 1. *An Parocho liceat in templum inducere vexilla profana, ibique celebrare solemnitates clamorosas ad solum finem celebrandi festa sæcularia atque in rebus pure politicis?*

R. S. Congregatio Episcoporum respondit *negative* (die 15 jan. anno 1848) ad Vicarium capitularem Januensem, eundemque admonuit, ut prudenter suis ecclesiasticis persuasum faceret: « quanto disconvenga alla santità del tempio di Dio il darvi luogo a feste clamorose pel solo oggetto di solennizzare avvenimenti nel reggimento politico, introducendovi ed apponendovi profane bandiere, dove fin qui non sono state allogate se non quelle conquistate a' nemici della Chiesa in segno di ringraziamento all'Altissimo. »

Q. 2. *An liceat homini sæculari funebres laudationes habere in ipsa Ecclesia?*

R. Maxime dedecet, ut secularis homo in Ecclesia laudationes funebres vel publicas conciones habeat; prædicatio enim quæ fit in domo dominica, sacra sit oportet, quæ ideo et personam sacram reposcit et peritiam in divina scientia supponit, et Ecclesiæ mandatum exigit. In Concilio provinciali III habet d. Carolus: *nullo modo concionandi potestatem faciat (Episcopus) permittetve ei qui diaconus non sit.* At poterit permitti, ut tentet laicus quod nullimode debet clericus? impossibile etiam est, ut ille servet modum, atque sanctitudinem curet quæ decet domum Dei. Pugnat sane, neque sine gravi scandalo ac sacrilegio esse potest, ut laicus ecclesiasticorum munia peragat, ut profanus personam sacram publice usurpet, et in Ecclesia ex suggestu prædicet quasi magister, quem Dominus fecit tantummodo auditorem atque factorem verbi. — *V.* Ferraris; V. *Laicus.*

Ne tamen hocce extendas ad pios illos viros atque mulieres, qui rudimenta fidei ex Parochi delegatione in Ecclesia juvenes docent; hæc

enim non est nisi privata instructio circa ea quæ omnibus adultis obvia sunt; neque proprie instructio, imo potius experimentum quo exercentur et exercitantur præcipue pueri puellæque ad res fidei ediscendas retinendasque; ideo opus laudabile, quod etiam Romani Pontifices indulgentiis cumularunt. — *V.* Ferraris; V. *Prædicator*, n. 17.

Q. 3. *Quomodo se gerere debet Parochus circa publicas preces ab auctoritate civili præscriptas* (v. g. Te-Deum, processiones solemnes *et similia) ob habitam a principe victoriam, vel aliam publicam popularis lætitiæ causam?*

R. Benedictus XIV Bulla *Quemadmodum* 1743, expresse prohibuit, ne iis per Parochum fiat locus sine Episcopi consensu, declarans nullius ponderis esse hac in re magistratuum civilium ordinationes; quia Deus *imperium principi commisit, Episcopis autem ea, quæ sunt Ecclesiæ concredidit.* Vide plura Lib. IV, *Append.*

Q. 4. *Quomodo se gerere debeant clerici in rebus publicis, quæ inconditos clamores et strepitum in populo excitant?*

R. Id 15 jan. 1848 declaravit S. Congregatio Episcoporum et Regularium sic inquiens: « Sebbene il Clero debba godere ed esultare per le istituzioni utili e savie, che si recano nell'amministrazione della cosa pubblica; tuttavia non conviene agli ecclesiastici il prendere parte nelle clamorose dimostrazioni popolari che ne conseguitano, e molto meno estendere queste fin dentro al Santuario destinato alla preghiera ed all'esercizio delle sacre funzioni. » Hac de re Episcopi Provinciæ Vercellensis Lit. 18 nov. 1849, monenda censuerunt:

« 1) Non licere Parochis quidpiam ad res ecclesiasticas non pertinens publice populo in Ecclesia denunciare absque Episcopi venia, exceptis casibus extraordinariis, in quibus ejusdem impetrandæ tempus non suppetat, quod prudenti Parochorum judicio tunc relinquitur; 2) nec posse illos ob causas mere civiles religiosa officia extraordinaria celebrare absque impetrata simili venia, nisi forte de solemnibus officiis agatur, quæ ob eandem causam jam fuerint in Ecclesia cathedrali celebrata; 3) nec posse indulgere, ut in Ecclesiis parochialibus aliisve in quibus Ss. Eucharistia asservatur, qualescumque civiles conventus congregentur sine prævia Ordinarii facultate. Sacri tamen Præsules congregati iisdem annuere permittunt ob gravem et urgentem causam, si agatur de aliis Ecclesiis et Oratoriis, dummodo cum primum licuerit totius rei certiorem Episcopum faciant. »

Hic habent omnes ecclesiastici quomodo sese gerere debeant: neque enim licet diverticula quærere, quando agitur de re ordinis publici; secus hierarchicus ordo, membrorum cum capite unio, debita superioribus obedientia disrumperentur, et risui ac contemptui doctrina sanctæ Ecclesiæ subjiceretur. In Opuscolo, *Monsignor vescovo Caccia ed una Commissione di sacerdoti milanesi*, Osservazioni del sac. Felice Vittadini professore di Dogmatica nel Seminario maggiore di Milano; Milano 1861, ad rem nostram legitur: « La pubblica preghiera è senza dubbio una parte del culto sacro. Ora a chi spetta di regolare il sacro culto, e tutto ciò che vi si riferisce? Alla Chiesa e solamente alla Chiesa, cioè a' superiori ecclesiastici... E a buon diritto il regolamento delle pubbliche funzioni, e in ispecie delle pubbliche preghiere fu riservato da G. C. alla sua Chiesa e da essa gelosamente custodito e rivendicato.

» Voi, sacerdoti cattolici della Commissione, non dovete ignorare qual nesso strettissimo abbia l'orazione colla dogmatica cattolica. Infatti l'orazione, quale fu sempre praticata nella Chiesa dai tempi apostolici fino a noi, è nella Chiesa un fatto vivo, parlante, costante, universale,

dal quale si desume con tutta certezza, p. e., quello che è necessario o utile all'eterna salute; quello che si può o si deve impetrare; da chi o a favore di chi si deve impetrare. Essa è un fatto che partendo dalla dogmatica cattolica ed avendo in essa il suo fondamento e la sua ragione, per ciò stesso lo attesta e lo afferma....

» Quello che vale della preghiera in sè stessa, vale pure dell'uso e sua applicazione ai casi concreti. E vogliam dire, che a quella Chiesa alla quale doveva essere riservata l'autorità di dettare le pubbliche preghiere, non doveva mancare quella di determinare le occasioni, nelle quali, e le cause per le quali si avesse a pregare pel popolo cristiano. Diremo meglio: questa era una conseguenza necessaria di quella; imperocchè la preghiera, santa in sè stessa, pur troppo può per qualche estrinseca circostanza essere inonesta, illecita, proibita. Ora ognun vede quale e quanta sarebbe la sconvenienza quando, per difetto di leggi direttive nella Chiesa, fosse anche solo possibile che in un Tempio cattolico s'innalzassero a Dio pubbliche preghiere odiose a Dio, e però condannate dalla Chiesa. Ond'è che queste leggi direttive, grazia alla sapiente sollecitudine della Chiesa, esistono.... Non si può dunque ammettere nei fedeli un diritto ed una libertà di pregare pubblicamente, o di celebrare pubbliche funzioni senza il consenso almeno presunto, e molto meno contro il consenso de' superiori ecclesiastici... Se prevalessero le dottrine contrarie, sarebbe in gran parte sconvolto quel mirabile organismo della Chiesa, che è un elemento della sua unità e stabilità; sarebbe tolta ogni dipendenza dall'autorità ecclesiastica in un punto, il quale, essendo sì strettamente collegato col dogma, a lungo andare tornerebbe a gran danno del dogma medesimo. »

« *Ma ogni atto religioso* (dicono) *è un atto libero e spontaneo, e in questo senso un atto di libertà religiosa.*

» R. Adagio: noi vi domandiamo, siete voi cattolici? se rispondete che sì, allora dovete ammettere, per logica necessità, che per ciò stesso siete legati da tutte le leggi dogmatiche, morali, ecclesiastiche che si professano e si osservano nella Chiesa cattolica. Così il Catechismo e la ragione; poichè l'essere cattolico ed essere nel medesimo tempo libero da queste leggi sarebbe la contraddizione e l'assurdo. Ma, se voi siete vincolati da tante leggi, come pretendete essere liberi, intendiamo *moralmente?*... Del resto manteniamo come liberi molti atti religiosi, cioè quelli di consiglio, o come dicono di *supererogazione.* Ma si noti che questi in tanto son liberi, in quanto non v'ha legge che li prescriva, la quale se vi fosse neppur essi sarebbero liberi moralmente: *ubi non est lex, nec prævaricatio.*

» *Ma la Chiesa* (aggiungono) *ricuserà di pregare, richiestane pe' suoi figli, quel Dio dal quale discende ogni dato ottimo e ogni dono perfetto?*

» R. Nol ricusa, quando si tratta d'impetrare da Dio dati ottimi e doni perfetti, oppure di rendere a Dio grazie per averli ottenuti. Ma e quando non si tratta *di dati ottimi* o *di doni perfetti,* dovrà essa la Chiesa pregare? La risposta non può esser dubbia. E si noti che la Chiesa sola è giudice di ciò che è, oppur non è *dato ottimo* e *dono perfetto.* »

Sed coronidis causa præstat, ut pertinaces audiant quid hac de re scribit vel ipse Van-Espen *(Jus ecclesiast.*, par. I, t. XVI: *De cura episcopali*, c. XII, n. 7), auctor haud suspectus: « Ad Episcopum spectat preces publicas et communes instituere, ipsique populo præscribere, modumque in illis servandum constituere; quum enim similes publicæ orationes populum præcipue concernant atque ad populi pietatem et devotionem excitandam instituantur, quis naturaliter earum director

esse potest, quam Episcopus cui totius populi curæ et directio in his quæ ad pietatem et religionem sunt, incumbunt? Unde cum magistratus et intendentes cujusdam urbis sua propria auctoritate ordinassent cantari solemniter *Te Deum laudamus*, ipsosque ecclesiasticos ad id coegissent, priusquam intervenisset decretum Episcopi diœcesani, facta insuper inhibitione recipiendi episcopale mandatum, si quod daretur; re delata per Episcopum ad Consilium Sanctius (tribunal laicum), per arrestum (decretum) Consilii (14 dec. 1618), cassata fuit dicti magistratus ordinatio, ipsique ecclesiastici exhonerati a mulcta per magistratum comminata cum inhibitione facta magistratui in posterum quidquam statuendi quod Ecclesiam concernit aut turbaret Episcopum in functionibus suæ curæ.

» Refertur in *Actis Cleri Gallicani* (t. I, tit. 2, c. 5, n. 6 et n. 7) arrestum ejus Consilii regis quo 28 nov. 1643 declaratum fuit: *Capitulum Burdigalense non debere recipere mandata pro publica gratiarum actione aliisque publicis precibus quas rex judicasset esse faciendas in Ecclesia ab alio quam Archiepiscopo ejusque Vicario generali in ejus absentia. Idem statuit Senatus Parisiensis die* 8 *jan.* 1647. »

611. Libri Parochorum: en præcipua: Liguori, *Opusc.: Avvertimenti ai Parrochi; Homo Apost. tract.* VII, nn. 14 et seqq., ubi fusius; — Segneri, *Il Parroco istruito;* — Dubois, *Pratica dello zelo eccles.* — Tarino, *Il libro del buon Pastore.* Biella, 1867. — *Spirito del Parroco d'Ars.* — Ferraris; V. *Parochia, Parochialis, Parochus, Parochianus.* — Abrate, *Lo spirito del Parroco esposto ad un giovane Sacerdote chiamato alla cura delle anime.* Roma. — *Metodo per la direzione delle anime.... e pel buon governo delle Parrocchie.* — Abreu, *Institutio Parochi seu speculum Parochorum.* — *Manuale ecclesiastico proposto al Clero di Novara da S. E. il card. Morozzo.* Novara, 1834. — *Specchio del Clero.* — *Regulæ pastoralis* s. Gregorii M. vere *magni* in omnibus, in pietate, in philosophia, in theologia, in Scripturæ intelligentia et animarum regimine: hic habes quomodo te ipsum dirigas, et alios fructuose moneas. — Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIX*, ossia *l'Ecclesiastico considerato nelle sue relazioni morali e sociali.* Milano, Pogliani, 1867.

Quæres: *an bonum sit, ut ecclesiastici ac præsertim Parochi aliquod catholicum diarium (vulgo* gazzetta) *perlegant?*

R. Valde præstat, ut ecclesiastici (præsertim Parochi) aliquam catholicam ephemeridem sibi procurent, tum ut sciant novas impiorum machinationes et se ac suos muniant, tum ut ad evulgandum sanam doctrinam cum ceteris concurrant. Audiatur episcopus Parisis, *Quesiti, di coscienza* ecc. « Ecco la prima, la sovrana potenza sociale, il giornalismo! per mezzo di lui si propagano le idee, queste generano l'opinione, l'opinione governa il mondo! Ora v'ha ancora chi dubiti del bisogno, che corre il giornalismo cattolico? Dunque il grande, il nobile privilegio della parola si lasci ai nostri nemici; abbia l'errore tutto da sè il campo della stampa periodica, e la Chiesa che, secondo la sentenza di Paolo, deve levare la sua voce *opportune, importune*, la Chiesa taccia o si riduca a parlare a que' pochissimi, che ancora si stringono intorno alle sue cattedre; ometta la Chiesa questo nobilissimo genere di predicazione, il giornalismo: ed abbandoni a sè stessi quei figliuoli traviati, cui potrebbe farsi per tale guisa sentire! Oh folle consiglio, per mia fè! »

« *Ma* (ci si dice) *i giornali cattolici peccano spesso, spesso la loro redazione è difettosa.*

» Sia pure: ma di grazia, lasciando a parte le facili scuse, che por-

gono le difficoltà della professione, le colpe, gli errori personali varranno forse a diminuire i vantaggi, a togliere la necessità del giornalismo? Dunque sarà ad incolparsi il santo ministero sacerdotale, perchè il sacerdote spesso nell'esercizio di lui pecca? Nè altri creda meno acconcio il paragone. Il giornalismo religioso agli occhi nostri è una specie di apostolato, un'opera indispensabile alla salute delle anime, e sebbene accada, che spesso chi vi mette mano, non levi sì alto le sue mire; il suo soggetto però, le sue opere lo dimostrano a chiare note. — Infatti il giornalismo cattolico ha per oggetto di combattere l'errore e difendere il vero, specialmente se vero divino. Quindi pare potersi volgere al giornalismo religioso quelle parole, che già dirigeva Iddio, avvegnachè in un ordine di cose più nobile e più vasto, ai suoi Profeti: *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes et ædifices et plantes* (Jer. I, 10). Smascherare l'ingiustizia, distruggere abusi, infrenare prepotenze, poi promuovere, accrescere, invigorire ogni guisa di religiose istituzioni coll'autorità d'una parola religiosa, pubblica, infaticabile, e, quel che più monta, verace, tutto ciò non è scopo di vero apostolato? » Huc spectat Encyclica Pii IX ad Galliæ episcopos, 21 martii 1853.

Vide *Lettera di M. vescovo di Saint-Claude ai signori Curati della sua Diocesi sul giornalismo religioso*, 18 marzo 1853; ubi ad rem: « Amiamo e vogliamo ciò che è necessario a tutti, la scienza ecclesiastica, che san Francesco di Sales non dubita di chiamare l'*ottavo Sacramento della Gerarchia ecclesiastica*. Succhiamo nei nostri Seminari i principii e gli elementi di questa preziosa scienza; la sviluppiamo poscia colla riflessione, coll'esperienza nell'esercizio delle nostre auguste funzioni lorchè ciascun giorno, e ciascun'ora, siamo in faccia dei bisogni, delle debolezze, delle miserie, dei dolori della povera umanità. Quindi la completiamo osservando il movimento delle idee del secolo, studiando le manovre dell'errore, raccogliendo i fatti che pongono in miglior luce la verità, la bellezza, la fecondità del Cattolicismo. Per questi motivi ci è necessario un giornale; altrimenti ignoreremo, con danno della nostra scienza e del nostro ministero, una folla di cose, che sapendole aumentano il nostro vigore per operare il bene. » — Ad rem etiam Perrone: *Cum ea vivamus ætate in qua ingens est collectionum periodicarum et ephemeridum usus, quæ spectari possunt uti publica scientiarum opinionumque vehicula, non sine detrimento ea penitus negligere Theologus poterit; earum enim ope cognoscet jugiter præsentem controversiarum statum, sicque facilius valebit de statione in stationem errorem dejicere, donec contritus ac dissipatus conticescat suique pudeat* (Prælectiones Theol. in Compendium redactæ; tract. *De locis theolog:* in fine). — V. *Civil. Catt.*, ser. 1ª, t. V: *Il giornalismo all'ingrosso e al minuto* t. VII: *Servilità ed audacia del giornalismo* ser. 3ª, t. II: *Calma negli affetti; possibilità della libera stampa;* ser. 3ª, t XII: *Gli indifferenti per la buona stampa;* ser. 4ª, t. I: *Della vita e della morte dei giornali.* — Riccardi, *Dei mezzi di promovere l'Educazione religiosa*, c. XXIII: *Dei giornali.*

615. Pœnæ in non residentes: non residentes Parochi amittunt ipso facto, et absque prævia judicis sententia, omnes fructus qui irregulari eorum absentiæ respondent. Hos porro fructus Tridentinum erogari jussit vel fabricæ Ecclesiæ propriæ, vel pauperibus loci; fructus enim Beneficiorum dantur vi pacti impliciti Parochos inter et Ecclesiam, atque sub tacita conditione residentiæ, qua non impleta, illi nequeunt ullo modo eos sibi vindicari (sess. XXIII, c. 1 *de R.*). Et S. C. Congregatio ait, quod hæc restitutio fieri debet *alia declaratione*

non secuta, ac quacumque *compositione remota*. Hic duo notanda sunt:

1. Est differentia inter restitutionem faciendam ob omissionem Horarum, et ob omissionem residentiæ; nam illa potest fieri quibuscumque pauperibus et in fabricam domus Beneficii, sive in emendis aut meliorandis agris beneficii ex Bulla Pii V. Ob omissionem autem residentiæ restitutio fieri debet in fabricam Ecclesiæ, vel in pauperes loci illius ex Tridentino.

2. Non satisfacit Pastor non residens applicando restitutionem in Missis vel aliis suffragiis pro animabus purgatorii illius loci, quia revera istæ animæ non amplius dici possunt stricte pauperes illius loci. Quod etiam valet de eo qui tenetur restituere ob omissionem Horarum; ideo non acquiescimus ei, quod ait Roncalia, nempe satisfacere restitutioni beneficiatum si applicet preces pro defunctis; nam Papa omnino imposuit restitutionem. Tantum admittendum videtur cum Concina posse beneficiatum fructus restituere, ut celebrentur Missæ vel alia suffragia applicentur pro defunctis. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 128; et l. III, nn. 667 et 672.

Crescente vero Parochi contumacia (Garcias vult ad sex menses), *liberum erit Ordinariis* (verba Tridentini) *per censuras ecclesiasticas et sequestrationem fructuum, etiam usque ad privationem compellere*. In sententia Garciæ potest Episcopus pro arbitrio procedere etiam posthabitis censuris ad sequestrationem et subtractionem fructuum, servato tamen ordine juris. Pœna autem privationis olim obtinebat ipso facto; sed post Tridentinum fieri debet per sententiam, ut delinquentis contumacia convincatur. Itaque contumax Parochus citandus est vel per edictum, ad januas parochialis Ecclesiæ adfixum; vel personaliter, arbitrio Episcopi: sufficit autem unum edictum, nec postea expectandum est per sex menses; sed sufficit expectare ut elabatur assignatus terminus, sicut quando citatio fit personaliter.

Quid (inquies) *si contumax ille Parochus sit simul Canonicus?*

R. Cum etiam contra Canonicos non residentes ita ex jure sit procedendum, ut citatio fiat personaliter, si locus domicilii non ignoretur, etsi penes Indos (modo facilis habere possit accessus): ac primo anno privandus medietate fructuum, secundo sequatur privatio alterius, nec ipsa tandem Canonicatus possessio tollatur, nisi tertio anno completo; nonne erit eadem indulgentia procedendum etiam contra Parochum contumacem, si iste sit simul Canonicus? Nobis videtur contra hunc procedendum esse perinde ac si esset simpliciter Parochus, nulla habita ratione Canonicatus adnexi, dummodo Canonicatus non distinguatur ab ipsa præbenda parochiali; sed sit unum et idem cum ea. Ratio potens est, quia Tridentinum non loquitur tantummodo de Parochis simpliciter, sed loquitur etiam de illis omnibus, *qui Beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent*. Est enim idem officium et eadem obligationis natura, sive Beneficium parochiale sit etiam canonicale, sive non; ergo sub eadem juris dispositione censeri debet: *nec Jus divinum et naturale* (ait cit. Garcias) *attendit subtilitates, sed effectum et substantiam.* — *V.* Garcias, *De Beneficiis*, p. 3ª, c. II, n, 164. — Fagnanus, In cap. *Ex tuæ* etc. n. 31. — Bouix, *De Parochis*, par. 5ª, c. II. — Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 126.

616. Decisiones de residentia:

a) Parochus tenetur residere in loco, ubi est Ecclesia et in domo parochiali: quæ si non adsit, ædificetur, et interim habitet in aliqua domo sita in Parochia, quæ, quoad fieri poterit, sit Ecclesiæ vicinior. *S. C. E.* die 11 martii 1579.

Parochus residere debet in loco, ubi sita est Ecclesia parochialis, licet ei datus sit coadjutor ratione infirmitatis. *S. C. E.* 15 aug. 1607.

b) Parochus, qui lumen oculorum amisit, tenetur nihilominus residere. Ita *S. R. C.* die 11 apr. 1620.

c) Qui plures habet substitutos in cura, non censetur liber ab onere residentiæ, et etiam administrandi per se Sacramenta. *S. C. E.* die 5 dec. 1614. Cuilibet Parocho præsertim seni permittendus est coadjutor, modo ipse quoque resideat. *S. C. E.* 31 martii 1604.

d) Parochus cogendus est habitare in domo Ecclesiæ: *S. R. C. in Fulginatensi*, 29 nov. 1718; et 13 jan 1720. Petente Præposito Pisciensi declarari, an possit compellere Parochos ad habitandum ædes conjunctas Ecclesiis parochialibus, S. Congregatio censuit posse compellere; si tamen aliquis casus occurrat, qui rationibus specialibus innitatur, rescribendum ad S. Congregationem Concilii. *Iterum interrogata respondit*, 6 apr. 1696: Parochum teneri habitare in ædibus parochialibus, non tamen amittere fructus, si non habitet, modo in Parochia resideat: quod si ab Episcopo fuerit jussus et non habitet in domo Ecclesiæ parochialis, poterit mulctari ab ipso Episcopo.

Parochus regularis tenetur habitare in domo parochiali, non vero in monasterio distanti a cura; cogique potest ab Episcopo, ut apud Ecclesiam parochialem resideat. *S. R. C.* 5 apr. 1621.

e) An Rectores Ecclesiarum parochialium a civitate distantium per duo, tria aut quatuor milliaria circiter possint sine expressa Episcopi licentia abesse a suis Ecclesiis, relicto ibidem substituto, et in civitate tam diurno quam nocturno tempore jugiter immorari, exceptis diebus festis, in quibus ad dictas Ecclesias se conferunt, revertentes illico ad civitatem? 2) an Parochi qui nocturno ceteroquin tempore resident apud suas Ecclesias possint, celebrato summo mane Missa in dictis Ecclesiis, se conferre ad civitatem et in ea diuturno tempore totius vel majoris partis anni commorari, licet apud dictas Ecclesias adsint eorum substituti? 3) an dicti Parochi qui ceteroquin resident apud suas Ecclesias possint nocturno tempore totius vel majoris partis anni, commorari in civitate, licet apud dictas Ecclesias adsint illorum substituti?

S. R. C. 1 maji 1687, (et 1850) respondit: ad 1, ad 2, ad 3: *negative.*

f) Ad quæsitum: *An Parochus villæ, in qua non est alius sacerdos, etiamsi nullus infirmetur, sine Episcopi licentia gratis ubique concedenda, abesse possit a Parochia per duos vel tres dies, nullo idoneo relicto vicario?* Negative: *S. R. C.* 8 februarii 1747.

Ad quæsitum: *An saltem abesse possit a mane usque ad vesperas, et quid si hoc semel in hebdomada evenerit? Responsum fuit:* affirmative, *dummodo non sit die festo, et nullus adsit infirmus, et raro id in anno contingat.* Ibidem.

Ad quæsitum: *An Parochi viciniores actu exercentes curam animarum possint invicem se substituere? Responsum fuit*: negative, *si id fiat sine licentia Ordinarii.* Ibidem, ut supra.

617. Ecclesiæ restauratio et reædificatio: hac de re Tridentinum (sess. XXI, *c.* 7 *de R.)* habet: *Parochiales Ecclesias, etiam si juris patronatus sint, collapsas refici et instaurari procurent (Episcopi) ex fructibus et proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus: qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos et alios qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt; aut in illorum defectum, parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione et contradictione remota.* Quod de parochiali Ecclesia decernitur, eodem ferme jure intelligitur de parochiali domo. — *V.* Ferraris; V. *Ecclesia*, a. 3, n. 71; — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, ubi plura t. I, tit. *De reparatione ædium sacrarum.*

In regno autem Pedemontano statuitur (R. Biglietto del 1732): « *Doversi per dette spese osservare la consuetudine legittimamente introdotta; in difetto d'una consuetudine, doversi provvedere alla riparazione coi redditi aventi questa destinazione; in mancanza di questi redditi speciali, l'obbligo relativo dover passare sui Parrochi, i quali godendo i proventi della Chiesa* (loquitur de instauranda Ecclesia parochiali; si ergo erit de Beneficio simplici, hoc onus erit beneficiati, paritate rationis), *devono impiegare ciò che eccede il necessario pei propri alimenti nel ristoro della stessa. Essere in sussidio soggetti a quest'obbligo anche i decimanti, a termini del Concilio Tridentino; dovere finalmente le spese medesime venir sopportate dai patroni; semprechè o il Parroco non abbia redditi di spettanza della Chiesa ed eccedenti il suo bisogno, o non sianvi decime, o non sieno questi redditi e queste decime sufficienti alla riparazione.* Ita etiam S. C. Concilii 16 jan. 1604. Qua quidem in re nihil innovatum fuit neque per Literas Patentes anni 1824, die 6 junii, art. 2. Et in art. 237: *Legge sull'amministrazione comunale e provinciale* 20 marti 1865 legitur: « Fino a che non sia approvata una legge che regoli le spese del culto, sono obbligatorie pei Comuni quelle per la conservazione degli edificii servienti al culto pubblico nel caso d'insufficienza di altri mezzi per provvedervi. » — V. *Giurisprudenza degli Stati Sardi*, vol. VIII. Torino, 1857, parte 1ª: *Spese di ristoro a Chiese parrocchiali e patronate.* — *Pratica legale*, p. 2ª, t. X, pag. 69. — *Rivista amministrativa del Regno;* anno 1853, pag. 527. — *Dizionario d'amministrazione;* V. *Chiese, Case parrocchiali.* — Canestri, *Giurisprudenza canonica e civile* ecc. — Lucidi, *De Visitatione* etc., t. III. — Vecchiotti, *Inst. Can.*, l. III, c. 5 *De Ecclesiis* etc.

618. Quæres: *an speciatim patronus teneatur de suo Ecclesiam sui patronatus instaurare, dotem augere, si necesse sit et alia hujusmodi?*

R. Per se loquendo non videtur ad id teneri; neque enim fundator qui liberalis esse voluit Ecclesiæ, præsumi potest ullam sibi suisque successoribus in patronatum obligationem imponere voluisse ad novam dotem constituendam vel augendam, vel alias expensas faciendas. Diximus: *per se loquendo;* nam teneretur primo, si aliquam fructus partem percipiat, pro rata; secundo si aliter Beneficium sustineri non possit, et ipse velit patronatum servare. Quæ exceptiones videntur conformes tum Tridentino (sess. XXI, cap. 7 *de Ref.*); tum Juri canonico (cap. XXIII *de jurepatr.*); tum Constitutioni Benedicti XIII *Pius et misericors*, pro Italia anno 1724. *Si Paræcia*, ait Ferraris, *est de jure patronatus tenetur patronus suis sumptibus Ecclesiam reparare: ita tamen ut si juxta præscriptum ab Episcopo tempus noluerit sumptus illos subministrare, amittat jus illud patronatus.* Item patronus qui suo renuntiat patronatui (potest autem, nam quilibet potest renuntiare juri suo), illico et immediate liberatur ab omnibus expensis, etsi istæ fieri debuissent ante renuntiationem; prout declaravit S. C. C. 15 febr. 1858.

Hoc autem etiam a civili jurisprudentia receptum est: « È giurisdizione nota e costante che la rinuncia al diritto di patronato libera il patrono rinunciante non solo da ogni onere di spese per l'avvenire, ma eziandio per il passato, e così dalle spese di riparazione che si resero necessarie nel tempo in cui egli esercitava e godeva ancora i suoi diritti di patronato, e per le quali già verteva lite, onde costringere il patrono al loro pagamento. Con ciò non resta violato alcun diritto che già siasi acquistato dalla Chiesa e dai parrocchiani verso il patrono; posciachè l'unica penale conseguenza a danno di quest'ultimo il quale, senza rinunciare, si rifiuta a provvedere alle riparazioni resesi neces-

sarie alla Chiesa, quella è della decadenza del diritto di patronato; ma giammai quella di essere tenuto a sottostare alle riparazioni stesse. » *Decisione* 8 luglio 1864 della Corte di Torino in Causa Morra e Comune di Govone.

619. Hic adnotentur Tridentini verba: *Cum illud valde curandum sit, ne ea quæ sacris ministeriis dicata sunt temporum injuria absolescant et ex hominum memoria excidant, Episcopi etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, transferre possint Beneficia simplicia etiam juris patronatus ex Ecclesiis, quæ vetustate vel alias collapsæ sint, et ob eorum inopiam nequeunt instaurari, vocatis iis quorum interest, in matrices aut alias Ecclesias locorum eorundem seu viciniorum arbitrio suo; atque in eisdem Ecclesiis erigant altaria vel capellas sub eisdem invocationibus vel in jam erecta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumentis et omnibus prioribus Ecclesiis impositis* (sess. XXI, c. 7 *de R.*). Et Ecclesiæ quæ restaurari nequeunt, vult ut in profanos usus non sordidos (erecta ibi cruce) convertantur. Hodie tamen crux non solet erigi. — *V.* mons. Ghilardi, *Sulle Chiese da conservarsi al culto.* Mondovì, 1868.

620. Ecclesiæ pollutio, execratio et **reconciliatio.**

a) Polluitur seu violatur Ecclesia (sicut et cœmeterium), quando in ea exercentur actiones quædam turpes vel loco sacro injuriosæ, sed nonnisi postquam res evulgata fuerit. Id evenit ex Jure canonico. — 1° Per homicidium voluntarium et injustum. — 2° Per effusionem sanguinis hominis ex percussione aut vulnere graviter injurioso. Sufficit autem, si vulnus grave fiat intra Ecclesiam, et sanguis fundatur extra, ut dicunt Lugo, Suarez, Sylvius aliique contra Dianam; nam Ecclesia polluitur non tantum per sanguinis effusionem, sed etiam per actionem graviter injuriosam, qua causatur effusio; et colligitur ex *C. Si Ecclesia de cons.* Item est si quis existens extra Ecclesiam sclopo alterum occidat in Ecclesia existentem. Secus autem dicendum, si vulnus infligatur extra et intra sanguis effundatur vel eveniat mors; quia tunc abest injuria in Ecclesiam. Nec sufficiunt parvulæ guttæ sanguinis, sed ex jure requiritur vera, ideo copiosa effusio: imo adhuc non polluitur, si ex percussione vel vulnere levi (v. g. si in rixa puerorum sanguinis copiosus effluat a naribus), quia in hoc non admittitur communiter peccatum mortale. Aliter tamen esset si talis effusio contingeret inter adultos, ut probabilius dicunt. — 3° Per voluntariam humani seminis effusionem sive in copula carnali sive non: etiam per actum conjugalem, nisi res excusetur a sacrilegio ratione necessitatis. — 4° Per sepulturam non baptizati seu infidelis; excipe, probabilius, sit catechumenus, quia non censetur infidelis. *Il maggior numero dei Canonisti,* sit Gousset. *vogliono che anche sia profanata pel seppellimento d'un bambino non battezzato, benchè i suoi genitori sien cristiani. Nullameno a noi sembra difficile di applicare le parole* infidelis, paganus, *di cui fa uso il legislatore, ad un bambino appena nato. D'altra parte, attesochè i genitori desiderano il Battesimo per questo bambino, non si può egli, fino a un certo segno, riguardarlo come catecumeno? Così Pichler, il cui sentimento adottiamo.* — 5° Per sepulturam baptizati nominatim excommunicati (non vero si sit quidem excommunicatus, sed non nominatim), vel hæretici declarati. Sed ut Ecclesia censeatur polluta, hæc crimina debent patrari in ipsa Ecclesia, non vero tantum in turri, tecto, in sacristia, aliisve cameris Ecclesiæ adhærentibus, neque in subterraneis, nisi ea sint singulariter benedicta, ut si adsit in iisdem sepultura seu locus pro sepeliendo destinatus, aut Oratorium.

« Subito che una Chiesa è stata *profanata*, si dee togliere il Santissimo; se però si trova nella Parrocchia, o nella città o in luogo poco distante, un'altra Chiesa dove si possa riporlo... Se la Chiesa viene ad essere profanata, mentre il prete è all'altare, deve ritirarsi, eccettochè non abbia incominciato il Canone.... Se però il fatto succedesse in domenica, o in dì festivo o di prima Comunione, e che il Parroco prevedesse gravi inconvenienti a non terminare la Messa, crediamo che potrebbe continuarla, ancorchè non avesse cominciato il Canone, se però nella Chiesa fosse ritornata la calma. » *Gousset.*

Necessitate urgente, ut si populus non habeat aliam Ecclesiam, ubi Missam audiat, remoto scandalo, potest celebrari, in Ecclesia violata. Non ideo autem censetur reconciliata, quia in ea Sacrificium celebratum fuit, uti communius et merito docent, et declaravit *S. R. C.;* nam aliud est in loco fieri Sacrum, aliud talem locum deputare ad Sacra facienda; et hoc secundum necessarium est ad reconciliationem, quod fit tantum per benedictionem. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, nn. 361, 380.

Oratoria in domo privata, etsi deputata ad cultum divinum, cum tamen benedicta non sint (nisi in ipsis stet altare) non sunt capacia violationum. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 362.

b) Ecclesia execratur, quum amittit suam consecrationem, ita ut de novo sit ab Episcopo consecranda. Tum autem amittit suam consecrationem et nequit amplius anniversarium Dedicationis celebrari (ex S. R. Congregatione 15 sept. 1815), si parietes secundum majorem partem destruantur, vel omnis eorum crusta, aut major saltem pars simul auferatur: secus si una pars minor post aliam, et hoc etiamsi per intervalla dierum tota demum Ecclesia nova fiat; quia quæcumque pars accedens manet consecrata, cum major pars trahat ad se minorem. Qua in re auctores non respiciunt ad nobiliorem partem quæ supersit, et quæ adhuc ad cultum inserviat; sed ad notabiliorem partem materialiter sumptam; consecratio enim parietibus potissimum inhæret; ideo tunc suspenditur festum Dedicationis. — Ceterum Ecclesia non execratur si totum reficiatur pavimentum, vel si tectum corruat; quia consecratio est in parietibus: neque per se execratur Ecclesia per exercitium hæreticum, spurcitias hominum vel animalium ibi stabulatorum, etc.; etsi deceat et praxis habeat, ut per Episcopum vel sacerdotem cum aliqua cæremonia tunc reconcilietur et abluatur. *Suarez*, *Cavalleri*, *Azorius*, *Diclich*, etc.

c) Ex dictis patet discrimen inter pollutionem Ecclesiæ et ejus execrationem: nempe violatio seu pollutio Ecclesiæ respicit Ecclesiam formalem; execratio Ecclesiam materialem. Ecclesia semel consecrata, si violetur, non potest denuo consecrari, sed tantum est reconcilianda; consecratio non amplius amittitur, quandiu res integra manet. Polluta Ecclesiæ parte, integra Ecclesia pollui censetur, etiam cum cœmeterio adjacente; e contra execrata Ecclesia, non ideo execratur cœmeterium: nec altaria adhuc integra consecrationem amittunt.

Quæres: *quomodo reconciliatur Ecclesia si polluta, et redditur idonea ad cultum si execrata?*

R. Si Ecclesia fuit execrata, denuo consecranda est; quod a solo Episcopo fieri potest solemni ritu cum unctione sacri Olei et Chrismatis. Et quandiu execrata nequit Ecclesia inservire sacris mysteriis, quia ædes profana effecta est; porro sub gravi prohibetur in loco profano sacra paragere, nisi tamen superior specialem facultatem ad tempus concesserit vel ipsa Ecclesia interim benedicatur. Si vero Ecclesia sit polluta, reconciliari debet ab Episcopo, si illa consecrata sit,

eo ritu qui describitur in Pontificali, vel a sacerdote Papæ privilegium habente, et aqua benedicta ab Episcopo. Si vero Ecclesia illa fuerit tantum benedicta, poterit reconciliari per simplicem sacerdotem aqua lustrali adhibita, more solito benedicta: quod licet de Jure communi fieri possit absque alia licentia, ut habet Benedictus XIV, *De Syn.* l. III, c. 15, solet tamen ex decentia, quando fieri possit, significari Episcopo, prout notat Lugo, *De Euchar.*, disp. XX, sect. 2ª, n. 61. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 363 et 368; — *Prælectiones Juris canonici habitæ* in *Seminario S. Sulpitii*, t. II.

Nota. Ad preces Caroli Bescapè a Clemente VIII, 19 sept. 1605, facta est facultas Novariensibus Episcopis simplicem sacerdotem delegandi ad reconciliationem Ecclesiæ vel cœmeterii, aqua prius ab Episcopo benedicta. Ita in *Synodo Episcopi Bertone*, pag. 283.

621. Ecclesia; Declarationes: Ecclesia consecrata, quæ militaribus stationibus et excubiis per biduum inservivit, an censenda profanata, et ideo reconcilianda? *Affirmative ad cautelam: S. R. C.* 27 febr. 1847.

Ecclesia reconciliata ab Episcopo non habente jurisdictionem, dicitur *bene reconciliata.* S. R. C. 19 aug. 1634.

Nequit dormitorium haberi super capellam, in qua Missa celebratur. *S. R. C.* 11 maji 1641.

In sacello de jure patronatus possunt apponi memoriæ virorum illustrium illius familiæ. *S. R. C.* 2 martii 1641.

Janua quæ mittit in Sacrarium laicis non permittitur, ne jure quidem longissimi temporis; cum in his præscriptionis locus non sit. *S. C. C.* 28 jan. et 23 febr. 1758. *V.* Ferraris; V. *Ecclesia*, art. 5.

Quoad fenestram in ipsis parietibus Ecclesiæ, ex qua prospici possit in Ecclesiam, indulgendum patrono; Parocho licet. *S. C. C. in Urbinat.* 10 martii anno 1663. Hac de re vide Pignatelli, *Consultationes canonicæ*, etc., t. IV.

Fenestra, aditus item subterraneus in pariete etiam divisorio Ecclesiæ vel Oratorii publici, non licet privatis laicis (utique principi, baroni aut domino oppidi) sine S. Sedis facultate; sufficit autem licentia Episcopi si in fundatione hoc sit cautum; qui curare debet ut istæ fenestræ muniantur ferrea crate stabili. *S. R. C.* 2 aug. 1698; *S. C. C.* 12 jan. 1760; *S. C. Episc.* 8 junii 1646.

Non est impediendum ædificium Ecclesiæ sufficienter dotatæ sine rationabili causa. *Rota* 18 febr. 1591. Parochus propter oblationes ad ipsum pertinentes novæ Ecclesiæ erectionem potest impugnare. C. *dilectus* II *de capellis monach.*

Monumenta in Ecclesia: « Non est ferenda (ait s. Carolus in *Conc. prov.* I) nostri temporis insolentia sepulcrorum, in quibus putrida cadavera tanquam sacrorum corporum reliquiæ excelso et ornato loco in Ecclesiis collocantur, circumque arma, vexilla, trophæa et alia victoriæ signa et monumenta suspenduntur, ut non jam ipsa divina Templa, sed castra bella videantur. Ambitiosam igitur hanc in mortuorum corporibus decorandis arrogantiam, detestantes et Ecclesiarum decori consulentes, ejusmodi sepulcra excelso loco posita et ea quæ parietibus inclusa vel adjuncta etiam, in una parietum parte, eminent (nisi marmorea aut ænea sint), sive illis corpora contegantur, sive inania et ibi tantum honoris causa sint constituta et eorum omnis generis ornatum et apparatum ad tres menses amoveri et tolli omnino jubemus etc. »

Nil autem prohibet ut monumentis publicis in Ecclesia erectis quædam facta insignia ac nobilia perpetuitate donentur. Item in Sacrariis

vel Ecclesiis licite collocantur, superiore permittente (ut Romæ et alibi est in usu) hominum benemeritorum effigies, modo fiat ad modum monumenti, non vero uti sacræ imagines cultui expositæ.

Ecclesiæ Consecratio seu Dedicatio: S. Rituum Congregationi proposita fuerunt sequentia dubia: 1) an jejunium in Pontificali Romano præscriptum iis, a quibus consecratur Ecclesia, sit ne strictæ obligationis, seu tantum de consilio? 2) an sit locale tantum, an personale; seu locale et personale simul? 3) an si Ecclesia consecretur die feriali, sit festum observandum in populo tali die cum obligatione in hujusmodi loco abstinendi ab operibus servilibus et audiendi Sacrum? 4) an in loco consecrandæ Ecclesiæ officium de communi Dedicationis Ecclesiæ sit celebrandum a primis Vesperis die præcedenti recitandis inclusive, seu potius dumtaxat inchoandus finita scilicet in Vesperis subsequentibus? 5) an eo casu de feria, vel de festo occurrente Vesperæ, Matutinum, ac aliæ Horæ præcedentes Consecrationem Ecclesiæ recitandæ sint? 6) si Officium a primis Vesperis die præcedente Consecrationem celebrandum sit de communi Dedicationis Ecclesiæ, quæritur: an Pastor, aut alius sacerdos ruri, deficientibus aliis Ecclesiæ, in ipsa Ecclesia consecranda summo mane celebrans pro populi commoditate die Consecrationis peragendæ Missam de Consecratione Ecclesiæ celebrare valeat et teneatur? 7) Si nec valeat nec teneatur, an Missam de festo alias occurrente, aut de dominica, et quo ritu celebrari debeat?

Et S. eadem Congregatio, audito prius voto unius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistri typis vulgato, ad relationem Em^mi et Rev^mi domini cardinalis Archinto Ponentis rescribendum censuit: Ad 1, *Jejunium in Pontificali Romano præscriptum esse strictæ obligationis pro Episcopo consecrante, et pro iis tantum, qui petunt sibi Ecclesiam consecrari; idemque jejunium indicendum esse die præcedente Consecrationi ad formam Rubricæ Pontificalis.* Ad 2, *negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam.* Ad 3, *negative.* Ad 4, *negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.* Ad 5, *Vesperas, Matutinum, Laudes, et Horas consecrationem præcedentes recitandas esse vel de feria, vel de Sancto, prout descriptum fuerit in Kalendario.* Ad 6, *negative juxta modum. Et modus est, ut ubi nulla alia sit Ecclesia, vel capella, Parochus aut sacerdos celebret post peractam Consecrationem; sin minus ea die se abstineat a Missæ celebratione, et populus audiat Sacrum ab Episcopo decantandum.* Ad 7, *Missam non esse celebrandam de Dedicatione Ecclesiæ, sed de feria vel de Sancto, prout descriptum fuerit in Kalendario.* Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 19 julii 1780. Gardellini, n. 1251.

Officium Dedicationis Ecclesiæ celebrandum est de Dedicatione sub ritu duplici primæ classis cum octava, sed a clero dumtaxat illi Ecclesiæ addicto, nisi sit Cathedralis aut extensionis indultum habeatur. Dies autem celebrationis est ille quo consecratio paracta fuit, nisi sit impeditus, vel Episcopus in actu Dedicationis alium assignaverit. *S. C. R.* 21 jan. 1679.

Pridie Dedicationis celebrandæ sunt vigiliæ per totam noctem ante Reliquias in altari consecrando includendas. Non potest autem consecrari Ecclesia, quin consecretur altare; et quidem altare majus si nondum consecratum, cum sit principale. Nequit autem Ecclesia consecrari, si jam omnia altaria sint consecrata; sed potest consecrari altare quin consecretur Ecclesia. *S. R. C.* 19 sept. 1665; 24 maji 1844; 12 aug. 1854; 22 maji 1848; 3 maji 1856.

Vigiliæ porro sunt faciendæ juxta Pontificale; idest celebrentur cum

Matutino, Laudibus, Hymnis, Canticis de communi, cum simili Oratione de communi sine nomine expresso; nam non sunt partes Officii. Officium Dedicationis Ecclesiæ, non altaris solum, inchoandum est, peracta consecratione, ab Hora minori Tertia. *S. R. C.* 7 dec. 1844; et 14 junii 1845.

Si Ecclesia ab extra undique circumiri nequeat, ob adnexas fabricas vel alia impedimenta, sufficit ut id fiat per illas partes in quibus patet aditus. *S. R. C.* 30 sept. 1596.

Cruces duodecim quæ in Dedicatione Ecclesiæ pinguntur in parietibus et ab Episcopo sacro Chrismate liniuntur, perpetuo remanere debent. *S. R. C.* 18 febr. 1696.

Ecclesiæ consecratio probatur ex signis quæ saltem extitisse deponunt testes de visu; item ex Officio Dedicationis nunquam omnino interruptum. *S. R. C.* 19 aug. 1634; 22 apr. 1780.

Aqua benedicta quæ superfuit in una consecratione, non potest adhiberi pro alia consecratione. *S. R. C.* 9 febr. 1867.

Oratoria privata non possunt consecrari; imo nec benedicuntur ritu in R. Rituali præscripto pro publicis Oratoriis; et ideo satis est si aqua benedicta aspergantur generali precum formula. *S. R. C.* 11 martii 1820.

A Decretis omnino prohibetur in Beatorum honorem Ecclesias, vel altaria dicare. *In Vercellensi S. R. C.* 11 apr. 1840.

V. Bellarminus, *De Ecclesia;* — Bona, *Rerum liturgicarum*, l. I, c. 24; — Catalani, *Pontif. Romanum comment;* — Giordani, *Intorno alle Chiese cristiane* e *segnatamente intorno alla loro Consacrazione.* Trento, 1867.

622. Cultus catholicus: catholici nonnulli, qui cultus præstantiam parum curant, ipsorum protestantium testimonia quæ liturgiam nostram commendant, audiant, et erubescant: — 1) Hænninghaus, *Résultat de mes excursions dans le champ de la littérature protestante*, etc., 1857, ubi adversariorum confessiones habentur; — 2) *Réflexions d'un Français professant la Religion chrétienne réformée;* Paris 1809: libellus ad imperatorem, ut protestantium cultum ad normam catholici reformaret; — 3) Müller, *Des Beaux-Arts et de la Langue des signes dans le culte des Églises chrétiennes réformées;* Paris 1841, ubi auctor protestans proprium cultum impetit ac nostrum attollit, laudans ritus, cæremonias, pompam, venerationem Reliquiarum, usum aquæ lustralis, imagines, processiones, vestes, adorationes, genuflexiones et cetera, quibus Ecclesia catholica utitur. Cujus quidem testimonia et aliorum plura refert eruditissimus liber cui titulus, *Considerazioni sul Protestantismo*, ossia *Discorsi pronunciati nella Cattedrale di Pinerolo* dal R. M. A. Charvaz, ora arcivescovo di Genova, *all' occasione del Ritorno alla cattolica fede di ventiquattro Valdesi* (cum pluribus notis et additamentis).

Inter ceteros audiendus Leibnitius *(System. Theol.)* ait: « Dal canto mio io non so persuadermi che Iddio, come parecchi nella superlativa loro semplicità si piacciono d'immaginare, abbia a schifo le dolci armonie, i canti sublimi, l'incenso e il lieto suono delle campane, e in generale tutto ciò che un pio desiderio di religiosa espansione seppe inventare a gloria di Dio. » — Et Menzel *(Geschicte der Deutschen):* « La Chiesa cattolica è in possesso di un culto sublime che s'impadronisce dell'anima, di un'estetica degna della divinità, nella quale si riflettono la vita, la civilizzazione, la prosperità di tutto un popolo. » — Et Fitz-William *(Lettres d'Atticus):* « Quando io penso alla Chiesa Romana, alle sue immense conquiste, agli splendori del maestoso suo culto; quando io contemplo gli edifizi magnifici ch'essa ha innalzati, e quella ammirabile disciplina, che si direbbe instituita da una sa-

pienza soprannaturale... allora io resto maravigliato altamente, mi smarrisco e mi confondo. » Hinc ajebat Fridericus rex: *I Luterani trattano il loro Dio come un eguale; i Riformati come un loro servitore; i Cattolici lo trattano come loro Dio.* — *V.* Feller, *Dizionario* ecc.; V. *Federico il Grande;* — Audisio, *Lezioni di eloquenza*, p. 1ª, lez. IX; — Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIX*, c. XLVIII: *Cerimonie religiose.*

Negligentem Parochum describit *Manuale Ecclesiastico*, pag. 199: « Entrate in una Cura, dove vi sia un uomo senza zelo a presiedere; un uomo che attenda a tutti i suoi comodi; un Parroco, a dire in breve, trascurato. Date un'occhiata alla Chiesa parrocchiale, e vedrete lo stato della Parrocchia: oh Dio! quanto è mantenuta cotal Chiesa per la di lui negligenza, che ben può ad una stalla paragonarsi! Le mura ricoperte di polvere; le tele di ragno pendono da tutte le parti; il pavimento è sordido e puzzolente; i confessionari meritano di essere sospesi; la custodia dell'Olio Santo indecente e non ben chiusa; l'altare del Santissimo con tovaglie sucide e lacere; gli ornamenti tutti male in ordine; la sacra Pisside colle Particole sacrosante dentro un tabernacolo polveroso, con un corporale annerito, con un conopeo che va in pezzi, le Particole stesse adorabili non rinnovate, se non che dopo lunghissimo tempo, fino al pericolo di corrompersi. Se entrate in sagrestia tutto è confusione e sordidezza... » *V.* Riccardi, *Dei doveri degli Ecclesiastici*, c. VI; — Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIX*, t. I, append. I del traduttore Miotti: *Della decenza nelle Chiese, del buon gusto nei loro abbellimenti, e della custodia delle pitture, sculture e de' monumenti antichi.*

623. Sanctorum Reliquiæ.

a) Q. *An liceat sacras Reliquias ac flores super altare collocare?* R. Affirmative: et propositio 32 Synodi Pystoriensis *vetans ne super altaria sacrarum Reliquiarum thecæ floresque apponantur*, damnata fuit a Pio VI ut *temeraria, pio et probato Ecclesiæ mori injuriosa.* Et vero quid magis consonum, quam ut juxta crucifixum membra dilaniata eorum resideant, qui e crucifixo virtutem patiendi hauserunt? adde eos intuendo et ipsi nos ad fortiter pugnandum accendimur. — Flores autem sunt lætitiæ signa, et bonis operibus significandis idonea juxta illud: *florete flores, quasi lilium...; date odorem et frondete in gratiam...; fulcite me floribus...; flores mei fructus honoris et honestatis* (Eccl. XXIV et XXXIX) — *V.* Perrone, *De Sacrificio;* et Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, n. 424.

Hæc omnia antiquitate commendantur. Quoad Sanctorum Reliquias testes sunt s. Gregorius Turonensis, Leo IV, etc.; quoad flores s. Augustinus, Venantius, Fortunatus aliique bene multi.

b) Plures declarationes quoad Reliquias. — Eliminandus est abusus superimponendi Sanctorum Reliquias piasque imagines tabernaculo, quo Augustissimum Sacramentum asservatur; neque ante ostiolum tabernaculi, etsi sit Reliquia s. Crucis. *S. R. C.* 31 martii 1821; 6 septembris 1645; 12 martii 1836.

S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, ad dubium an praxis separandi Reliquias sanctissimæ Crucis D. N. J. C. a Reliquiis Sanctorum sit accurata et sequenda? respondendum esse statuit: *affirmative.* Decretum 22 febr. 1847 (V. *Acta S. Sedis*, tom. II).

Reliquia modica donari potest. *S. R. C. in Asten.* 8 julii 1602, referente Sellio. At Reliquia insignis non potest alienari sino beneplacito Sedis Apostolicæ, quia etsi prætio non æquetur, est tamen supra omne prætium; et reputatur inter mobilia pretiosa; ut commune est cum Maranta. Gennensi, Lezana, Riccio, Engel et Barbosa, *Apostolicarum Decisiones;* V. *Reliquiæ;* et Ferraris; V. *Alienatio, Cultus Sanctorum.*

Insignes Reliquiæ sunt Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illa pars corporis in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata; *S. R. C.* 8 apr. 1628. Non essent ossa femoris, 11 junii 1822.

Spinæ de corona D. N. Jesu C. inter Reliquias insignes computantur, et speciali cultu dignæ sunt. *S. R. C.* 21 junii 1632.

Sanctorum Reliquiæ quando exponuntur, ultra lampadem, debent continuo super altare ardere duo saltem lumina (non tamen nocte); alias non exponantur. *S. R. C.* 22 jan. 1701.

Sacerdos in Missa privata, finita Missa, sacris indutus paramentis potest cineres distribuere, et Sanctorum reliquias deosculandas præbere, si mos est, expleta Missa. *S. R. C.* 16 martii 1833. Non potest tamen sibimet cineres imponere.

Una clavis reliquiarum Sanctorum Patronorum concedi potest magistratui sæculari ejusdem civitatis. *S. R. C.* 8 maji 1604.

Ad benedictionem cum Reliquia vel insigni Imagine alicujus Sancti estne tam a Clero etiam parato, quam a populo genuflectendum? *S. R. C.* respondit 16 apr. 1853: *consuetudinem servari posse.*

In omnibus Ecclesiis licitum est Reliquias exponere, modo recognitas ab Episcopo. *S. R. C.* 2 sept. 1690.

Reliquiæ insignes serventur non in monasteriis, sed in exteriori Ecclesia monialium. *S. R. C.* 17 apr. 1660.

Officium Sancti ratione Reliquiæ insignis est *duplex minus.* Si Reliquia non est insignis neque commemoratio fieri potest. Officium autem Sanctorum ratione corporis, vel Reliquiæ insignis, est tantum quoad Sanctos in Martyrologio, vel quorum officium est a S. Sede probatum. *S. R. C.* 11 aug. 1691, 12 martii 1618.

Sub reliquia alicujus Sancti exposita publicæ venerationi inter candelabra, non debet adhiberi Palla. *S. R. C.* die 7 apr. 1832.

In Benedictione cum reliquia s. Crucis non licet canere: *Benedicat vos, omnipotens Deus, Pater,* etc. *S. R. C.* 23 maji 1835.

Incensata Cruce a celebrante et facta eidem profunda reverentia, incensantur Reliquiæ, sed absque ulla inclinatione, ratione Crucis præsentiæ; item est, si incensanda sit aliqua Reliquia insignis in medio altaris posita. *Meratus, Gavantus.*

Reliquia sanctissimæ Crucis non est incensanda a celebrante genuflexo. *S. R. C.* 15 sept. anno 1736. Non est genuflectendum a Capitulo et Clero processionaliter transeuntibus ante altare, in quo recondita est reliquia s. Crucis. *S. R. C.* 15 sept. anno 1736. — Reliquiæ Ss. Sanguinis Domini N. J. C. convenit cultus qui convenit reliquiæ s. Crucis: 22 sept. 1827.

Post expositionem reliquiæ Ss. Crucis, vel post ejus delationem in processione, benedicendus est populus cum ipsa. — Si vero defertur reliquia Sanctorum, potest cum ea populus benedici; non tamen necessario debet. *S. R. C.* 24 junii 1863 et 15 sept. 1736 [1].

1 « Reliquie della Passione del N. S. G. C.: — 1) Il *legno della Croce;* la più gran porzione si trova nella Cattedrale di Parigi, e a Roma nella Chiesa di S. Croce di Gerusalemme; — 2) il *cartello della Croce ;* è nella chiesa di S. Anna a Gerusalemme; — 3) la *Corona di spine;* nella Cattedrale di Parigi, ma spoglia delle spine distribuite a varie Chiese; — 4) i *Chiodi;* il primo fu gettato nell'Adriatico da s. Elena per far cessare le tempeste continue di quel mare. Il secondo adorna la celebre Corona di ferro del re d'Italia. Il terzo nella Cattedrale di Parigi; il quarto nel Duomo di Milano; — 5) la *Spongia;* a Roma nella Basilica Lateranese; — 6) la *Lancia;* in Roma; — 7) *la Sindone;* a Torino; — 8) il *Sudario;* in Roma; — 9) la *Veste;* nella Chiesa d'Argentevil; — 10) la *Colonna della flagellazione;* in S. Prassede in Roma. V. *Apologista.* 1865, De benedictione cum Sanctorum Reliquiis *V.* Lib. IV, *Appen.*

Cum Rubrica Missalis præscribat, quod incensata Cruce, incensentur et Reliquiæ, seu imagines Sanctorum, quæritur an imagines Sanctorum, debeant habere inclusas Sanctorum reliquias? — Responsum fuit: *Non esse de necessitate insculptis Sanctorum imaginibus in altari dispositis sacras includere Reliquias ad hoc, ut incensata Cruce, valeant illæ a celebrante thurificari. S. R. C.* 11 martii 1744.

Beatorum Reliquiæ in processionibus non circumferantur. *S. R. C.* 27 sept. 1659. Tamen possunt in altari exponi.

Quæritur: 1) An phyalæ vitreæ aut figulinæ sanguine tinctæ, quæ ad loculos sepultorum in sacris cœmeteriis vel intus vel extra ipsos reperiuntur, censeri debeant Martyrii signum? 2) an ideo sit standum vel recedendum a decreto S. Congregationis Indulgentiarum et Reliquiarum 10 apr. 1668? — *S. R. C.* (confirmante Pio IX) respondit 10 dec. 1863: ad 1, *affirmative;* ad 2, *provisum in primo;* ideoque declaravit confirmandum Decretum anni 1668 hujusce tenoris: *Cum in S. Congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita de notis disceptaretur, ex quibus veræ ss. Martyrum Reliquiæ a falsis et dubiis dignosci possint, eadem S. Congregatio, re diligenter examinata, censuit, palmam et vas illorum sanguinem tinctum pro signis certissimis habenda esse; aliorum vero signorum examen in aliud tempus rejecit.* — *V.* Scognamiglio, *De phiala cruenta indicio facti pro Christi martyrii.* Parisiis, Lud. Vivès, 1867.

c) Quoad *Reliquias* habent *Annali Religiosi* (ser. 2ª, t. I): « Secondo le gazzette inglesi il principe Alberto ha comprato il *vestito di Nelson*, quello ch'ei indossava nella battaglia di Trafalgar, per 150 lire sterline, ossia 3800 franchi, e fa ora conservare questa reliquia nello Spedale degli invalidi della marina. Un esemplare del *Decamerone di Boccaccio*, stampato a Venezia nel 1571, andò in una vendita pubblica a 2260 lire sterline; ed un volume col nome *Shakspeare*, segnato di mano propria, venne a costare 120 sterline. La *sedia d'appoggio* d'avorio, che la città di Lubecca donò a re Gustavo Vasa, fu venduta nel 1832 per 58,000 fiorini; e l'*abito*, che Carlo XII portava nella battaglia di Pultava, nel 1825, costò 22,000 sterline, ossia 560,000 franchi. Nel 1816 un *dente* di Newton fu pagato 730 sterline. In occasione del trasporto degli avanzi mortali di Abelardo ed Eloisa, un Inglese offrì per un *dente* di quest'ultima 100,000 franchi. Per contrario, tutto intero il *teschio di Cartesio* a Stokolm costò solo 99 fr. A Parigi un *bastone di Voltaire* fu venduto 500 franchi. Una *veste di Rousseau* 959 franchi, e il suo orologio d'ottone 500. Una vecchia *parrucca di Kant* per 200 franchi; e una simile di *Lorenzo Sterne* salì a 200 ghinee. Fuvvi chi comprò le *due penne* con cui fu sottoscritto il celebre trattato d'Amiens per 12,756 franchi. Il *cappello di Napoleone I* ch'ei portava ad Eylau, fu venduto a 1920 franchi. Tutto questo ha da essere, ben s'intende, giusto e lodevole; ma se poi i cattolici hanno in onore le Reliquie dei Santi tosto si grida: *superstizione.* » *V.* Maringola, *Antiquitatum christ.*

Et Voltairii cor! *(ce fanfaron d'empiété*, ut eum vocabat vel ipse Rousseau); qui fuit pessimus frater, tristissimus filius, proditor amicus, Catholicismi acerrimus hostis, pestilentissimorum librorum scriptor assiduus, sine fide, sine lege, sine conscientia); attamen illius cor, plenum dolo et fallacia, quod tot congregavit iniquitates, quodque tot perversa locutum est, honoribus fuit nuperrime cumulatum! V. *Unità Cattolica*, anno 1864, nn. 106, 353.

Ceterum adversarii non tantum Reliquias, sed ipsorum altarium pluralitatem de medio tollere vellent, ut sic tandem ad nihil redigant

quæ sunt cultus. Cum autem ad antiquitatem appellant, contra antiquitatem aperte faciunt; quod enim fuerit antiquitus plurium altarium usus satis est commemorare sacella, quæ adhuc in catæcumbis romanis substistunt, in quibus duo, tria, novem etiam altaria in eodem cubiculo inveniuntur; ut omittam Ecclesiam S. Sepulcri a Constantino extructam, in qua tria altaria, Basilicam ostiensem, aliasque non paucas, in quibus plura recensebantur altaria. Hinc Bulla *Auctorem fidei*, propositio 31 Synodi Pistoriensis *enuntians conveniens esse pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare...* merito damnata fuit ut *temeraria, perantiquo, pio, multis ab hinc sæculis in Ecclesia præsertim Latina vigenti et probato mori injuriosa.* — V. *Annali religiosi*, vol. XVII, p. 335; — Muzzarelli, *Buon uso della Logica*, opusc. XXVII: *Sepolture nelle Chiese, Numero degli altari, Immagini sugli altari, Lumi, Processioni, Pellegrinaggi ai luoghi santi, Divisione nelle Chiese;* — Bona, *Rerum liturg.*, l. I, c. 14; — Gerdil, *In Bullam* Auctorem fidei *Commenta;* — P. Filippo Anfossi, *Difesa della Bolla* Auctorem fidei, *in cui si trattano le maggiori questioni che hanno agitato in questi tempi la Chiesa.* Roma, 1816.

624. Capellæ et Imagines: hic non abs re erit pro Parochis aliqua adnotare quoad sacras ædicolas. Capellæ et Imagines piæ populi devotionem maxime fovent. Unde ait s. Carolus in Concilio provinciali VI: *Oratoria ubi Missæ sacrificium non sit, extruantur non in campis, sed in via publica, ut iter facientes eorum locorum prospectu pie commoti paullulum precando consistant.* E d. Gregorius, Epist. XI: *Quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus; quia etiam in ipsa cernentes vident quod sequi debent; in ipsa legunt qui literas nesciunt.* Quanquam et literatos pictura movet: unde de quadam imagine Abrahæ sacrificium ad vivum referente ajebat Nissenus: *Vidi sæpe in scriptis imaginem et sine lacrymis transire non potui, cum tam efficaciter ob oculos ponat historiam.*

Plures quoad *Imagines* declarationes: *a)* Eccclesiarum fenestras non licet ornare imaginibus in vetro depictis virorum cum fama sanctitatis mortuorum, sed nunquam inter Beatos vel Sanctos a S. Sede adscriptorum. *S. R. C.* 24 martii 1860.

b) Imago B. M. V. in supplicationibus delata thurificanda est duplici tantum ductu. *S. R. C.* anno 1789.

Sacra imago seu statua B. M. V. non est deferenda sub baldachino. *S. R. C.* die 22 aug. 1744 et die 23 sept. 1820 *in una Novariensi.*

In multis altaribus Deo, Virgini aut alicui Sancto dicatis apponi solet stabiliter, vel occasione festorum imago alterius Sancti; quæritur: 1) an visitantes hujusmodi altare lucrari possint Indulgentias concessas visitantibus altaria postremi hujus Sancti; 2) an ratione harum imaginum, in eorum festis, possit dici *Credo* in Missa? 3) an in eorum festis celebrari queat Missa de his Sanctis, etsi in Kalendario diœcesano non sint descripti, sed considerentur ut simplices? Ad 1: *Si altaria sint consecrata, negative; secus affirmative, dummodo, fiat de licentia Ordinarii.* Ad 2 et 3: *negative. S. R. C.* 12 nov. 1831.

c) Sabbato Passionis a vesperis debent velari imagines et cruces, etiamsi occurrat festum Titularis vel Patroni Ecclesiæ. *S. R. C.* 16 nov. 1649 et 12 nov. 1831. Etiam imagines B. V. et Sanctorum; nec possunt discooperiri ratione spiritualium Exercitiorum. 7 sept. 1850.

d) Imagines Beatorum pingi ornarique possunt laureolis, radiis et splendoribus; non diademate juxta Decr. *S. R. C.* 19 febr. 1658 ab Alexandro VII confirmatum, a Benedicto XIV renovatum, 6 sept. 1744.

An permitti possit, ut ante imagines in medio altaris positæ apponantur lumina ex oleo quæ immineant mensæ et ardeant etiam tempore Missæ? — *S. R. C.* respondit: *negative in omnibus, nec lumina nisi cerea vel supra mensam altaris vel eidem quomodocumque imminentia adhibeantur;* 31 martii 1821; decretum confirmavit Pius VII 3 apr. 1821.

Nota. Juverit hic memorare breviter regulas canonicas de usu sacrarum imaginum, quas refert auctor *Prælectiones Juris can. habitæ in Semin. S. Sulpitii*, parte 3ª, a. 1:

« 1) Nemini licet in Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, *ullam insolitam imaginem ponere vel ponendam curare, nisi ab Episcopo approbata fuerit* (Trident., sess. xxv decret. *de invocat. et vener. Sanct.);* 2) Imagines quæ more consueto mysteria, historiasve Sanctorum exhibent, poni possint, quin fuerint prius approbatæ ab Episcopo; non autem inconsulto Parocho aliove loci titulari; 3) imagines servorum Dei qui cum sanctitatis seu martyrii fama decesserunt, non sunt apponendæ in Ecclesiis nec in Oratoriis publicis, antequam decretum de cultu ipsis exhibendo prodierit. Id saltem cavendum, si in quodam loco extra chorum apponantur, ne in tabula picta repræsententur cum radiis aliisque sanctitatis signis, nec eo modo qui cultum ipsis exhibitum significet. » — *V.* Liguori, *Opera dogmatica*, sez. xxv, § 4, pag. 35: *Le sacre immagini;* — Ferraris; V. *Capella, Imagines;* — *Analecta Juris pontificii*, an. 1857, ubi plura quoad modum eas pingendi; — Cittadella, *Istruzioni al pittor cristiano*. Ferrara, 1854. — *I fasti della Chiesa nelle vite dei Santi*, t. xii, prefazione; — *Defense des faits bibliques contra les erreurs de la peinture*. Paris, 1857.

Quoad eorum benedictionem plura apud s. Carolum in *Conciliis provincialibus;* apud Catalani, *Comment. in R. Pontificale*, et apud Quarti, *De Benedictionibus*. Quoad laureolas et radios, quibus ornantur imagines, vide *Dissertazione sull'età di s. Giuseppe*. Modena, 1865, pag. 5.

625. De Fabricensis: de ædituis (vulgo *Fabbricieri)* ad rem Frassinetti, *Manuale del Parroco novello*, n. 211: « Molti Parrochi sono in continue liti coi fabbricieri; liti dannosissime al bene spirituale delle popolazioni, per cose materialissime, nelle quali è vero che il Parroco avrebbe ingerenze e diritti; ma ingerenze e diritti che sono sempre da sacrificare al supremo bene del felice accordo fra lui, ed i più influenti tra' suoi parrocchiani.

» Mettiamo un caso: la fabbriceria vuol ordinare un concerto di grosse campane che costano le migliaja di lire; la Chiesa è povera ed abbisognerebbe di più necessari e meno costosi arredi. Non v'ha dubbio che il Parroco dovrà esporre ai fabbricieri l'incongruenza di quella spesa, esortarli a differirla, almeno a menomarla, ecc.; tuttavia se eglino, forse già intesi coi primari del luogo, si mostrassero ostinati a volervisi sobbarcare, sarà a dire che il Parroco condiscendendovi, per la conservazione della pace e buoni accordi coi fabbricieri, faccia cosa colpevole? Lo stesso direi se si trattasse di una musica, di una luminaria...

» Questo cedere ed acconciarsi è tratto di prudenza evangelica, mentre che accondiscendendo egli a lei nelle cose materiali, essa resta obbligata ad accondiscendere ai voleri di lui nelle spirituali: approvando egli le campane, la musica, ecc., quale piace alla fabbriceria, questa approverà il predicatore della Quaresima, dell'Avvento, degli Esercizi spirituali, ecc. »

Nulli autem dubium est bona ab ædituis Ecclesiæ administrata ex canonico Jure vere ecclesiastica esse; ideo de jure ordinario, ut liquet

etiam ex Tridentino (sess. XXIV, c. 3 *de R.)* solius Ecclesiæ esse illa moderari, expendere, etc. Omnia enim bona Ecclesiæ primitus cumulative administrabantur ab Ecclesiæ ministris; postea in quatuor partes divisa, una fuit Episcopis assignata, altera clericis, tertia Ecclesiis reparandis, dotandis; quarta pauperibus; at ex diverso distribuendi modo, bonorum natura non fuit immutata. — *V.* Parisis, *De la liberté de l'Église; — Armonia*, 1857, nn. 38 et seqq.

Diximus: *de jure ordinario;* unde sine læsione justitiæ Ecclesia spoliari non potest a civili potestate, si sit in possessione hujusce administrationis. Si sit *in possessione*, aliter res se haberet si legitima inducta consuetudine hoc jure non amplius gaudeat: hinc Rota 22 apr. 1678: *bona patrimonialia fabricæ Ecclesiarum parochialium, maxime stante consuetudine, possunt per communitatem seu laicos administrari* (quod supponit etiam Tridentinum, sess. XXII, c. 9 *de R.*). « Comunque però (addit Canestri, *Giurisprudenza canonica e civile* ecc., tit. VI, c. II) possa appartenere ai secolari l'amministrazione, e l'impiego del prodotto di questi beni, non può farsi senza l'assenso del Parroco (aut Episcopi) alcuna novità nell'interno della Chiesa, poichè la sola autorità spirituale è giudice competente di ciò che convenga al culto di Dio. Però essendosi fatto lecito i rettori del Ss. Sacramento di Saluzzo di far apporre due lustri nella Cattedrale senza partecipazione del Vescovo, il Senato, con lettera del 13 marzo 1752, mandò al prefetto della stessa città di portarsi dallo stesso Vescovo per sentire le sue determinazioni... Ma questo non potrebbe aver luogo intorno a riparazioni di fabbriche o beni rurali, nei quali l'autorità non è il giudice naturale (semper supponimus ex dictis contrariam consuetudinem). »

626. De Confraternitatibus: « In esse (ait Scotti) si rafforza quel vincolo di fraternità, che è tanto raccomandato ai cristiani. Si fanno le orazioni in comune, che hanno una maggiore efficacia a movere il cuor di Dio; e tutti unanimamente con una bocca lodano il Signore, il che riesce a sua maggior gloria, ed a nostra maggiore utilità. Si eccitano vicendevolmente i fedeli alla frequenza dei Sacramenti prescritta ordinariamente dalle regole. Si desta quella santa emulazione, che contribuisce a fomentar la pietà. Si danno e si ricevono continuamente esempi di probità, di modestia, di carità; ed è ben noto che coll'esempio si apprende la disciplina. » (*Teoremi di politica cristiana*, p. 4ª, c. 7.) Hinc nil mirum si Concilia eas ubique erigendas curaverint, si eas Summi Pontifices indulgentiis cumulaverint; imo si vel ipsa civilis auctoritas eas defendendas suscipiat. Eas igitur plurimi faciat Parochus, patienter sustinens quæ ipsi obveniunt incommoda; caveat ne facile eis obsistat, aut etiam irrideat.

« Siano pur difettose (ad rem habet d. Tarino) quanto vuoi le opere di pietà dei membri di tali Confraternite, siano pure storpiate le parole e le recite dei loro uffizi, materiale la loro fede, meccaniche le loro preghiere; ma sarà sempre meglio che essi nel giorno di festa attendano a queste opere di pietà, che passare il loro tempo nell'ozio od in altre cose peggiori. Eppoi tu sai benissimo che quello che vuol Dio nelle opere di pietà, si è principalmente il cuore e l'intenzione di bene; ora questo cuore e questa intenzione spesse volte si trovano quivi assai più di quello che sia nelle preghiere e negli uffizi di certi sacerdoti che intendono benissimo il senso delle parole che pronunciano. Epperciò invece di guardare ai difetti di queste opere di pietà, invece di declamare, motteggiare e ridere intorno al modo di recitar l'uffizio di questi confratelli, uffizio spesso assai più meritorio avanti

a Dio del tuo; invece di chiamare con nomi disonorevoli e sprezzanti tali Congregazioni, faresti meglio a raccomandarne la frequenza ed il rispetto, ed il modo di correggere i difetti senza distruggere il bene che si fa. » *Libro del buon Pastore*, n. 60.

Plures S. C. declarationes circa Confraternitates.

a) In erectione Confraternitatum vel novarum Ecclesiarum debet semper apponi clausula: *sine præjudicio jurium parochialium;* quia jura Parochi illæsa servanda sunt, et ideo non aliter, quam sub ista conditione societates hujusmodi, vel novæ Ecclesiæ erigendæ sunt. *S. C. Episcoporum, in Cajetana;* 12 dec. anno 1631.

Confraternitates in eorum Oratoriis possunt retinere sedem confessionalem, de licentia Episcopi. *In Papien. S. C. C.* 9 martii 1711.

b) Ordinarius seu Episcopus potest per se ipsum, vel per suum delegatum intervenire et assistere congregationibus Confraternitatum et electionibus officialium, modo non faciat novitates. *S. C. C. in Novariensi;* 16 apr. 1692.

c) 1) An liceat confratribus celebrare seu canere facere Missas in festivitatibus solemnioribus in eorum Ecclesia a rectore seu capellano Confraternitatis, privative ad Parochum et absque ulla ejus dependentia? 2) an ibidem possint exponi facere Venerabile in singulis quartis dominicis cujuslibet mensis et populo benedicere, absque licentia et dependentia dicti Parochi? — *S. R. C.* 9 martii 1711, respondit: ad 1: *affirmative;* ad 2: *licere de licentia Episcopi.*

Diversæ Confraternitates ex speciali S. Sedis facultate ab Episcopis cum brevi formula fuerunt erectæ; nomina confratrum et consororum in particularibus registris inscribuntur, sed ad directorem Arciconfraternitatis non mittuntur, nec administratores pro unaquaque fraternitate eliguntur. Hinc *quæritur:* 1) an aliqua determinata formula necessaria sit sub pœna nullitatis? 2) an necesse sit sub eadem pœna, ut administratores eligantur? 3) an Episcopus designare possit directorem uniuscujusque Confraternitatis sive jam existentis, sive ab ipso ex speciali Apostolica facultate erectæ? an director ab Episcopo sic designatus, eo ipso Rosaria cum applicatione Indulgentiarum, et Scapularia benedicere ac imponere possit?

S. R. C. respondendum esse duxit: ad 1: negative, *quia formula præscribitur tantum pro erectione soliditatum a regularibus peragenda.* Ad 2: negative, *quia administratorum electio erit tantum ad bonum sodalitatum regimen; minime vero ad validitatem erectionis necessaria.* Ad 3: affirmative. Ad 4: negative, *nisi in hujusmodi concessionibus facta sit mentio de facultate rectoribus pro tempore tradenda pro Rosariorum, coronarum seu scapularium benedictione.* Die 18 nov. 1842.

d) Q. An Confraternitates laicorum legitime erectæ in capellis, oratoriis, tam publicis quam privatis, adnexis parochialibus Ecclesiis et ab eis dependentibus, habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus? *Affirmative.*

An Confraternitates erectæ in Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cujus Parochiæ limites sitæ sunt Ecclesiæ? *Negative.*

An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per confratres statis horis recitari possint Horæ canonicæ cum cantu vel absque alia licentia Parochi? *Affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.*

An capellani confratrum possint populo denuntiare Festivitates et Vigilias occurrentes in hebdomada absque licentia Parochi? *Affirmative.*

An intra ambitum earundem Ecclesiarum fieri possint processiones

juxta cujusque Confraternitatis institutum absque interventu, vel licentia Parochi? *Affirmative.* Extra ambitum, *negative, nisi adesset licentia Episcopi.*

An in dictis processionibus capellani Confraternitatum possint deferre stolam? *Negative extra propriam Ecclesiam.*

An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum et eleemosynarum in dictis Ecclesiis collectarum? *Negative.*

An confratres possint propria bona administrare et de illis disponere absque ulla dependentia Parochi? *Affirmative.*

Si Parochus Congregationibus confratrum intersit de mandato Episcopi potest suffragium decisivum ferre? *Negative. Ita S. R. C. confirmante Pontifice* 12 jan. 1704, salvis tamen conventionibus et consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis. — V. *Acta apud S. Sedem*, t. I, pag. 591.

Quæres: *quid de Confraternitatum erectione et officio?*

R. Bulla *Quæcumque* Clementis VIII, 7 dec. 1604, præcipue statuitur, ut una tantum erigatur in uno loco Confraternitas ejusdem instituti, ut erectio fiat ab Ordinario cujus est constitutiones approbare, ut non sint in præjudicium jurium parochialium; tandem ut collectæ eleemosynæ in pios usus impendantur. At si acquirere velit, sistere in judicio, ac externa jura exercere, tunc in Regno Sabaudiæ requiritur etiam auctorisatio, ut ajunt, regis ex *Lege* 5 *maji* 1850; et aliis statutis anterioribus, ut videre est in Opere *Pratica legale*, t. x, p. 2ª. — Edictum *Regium* 24 dec. 1836. — Canestri, *Giurisprudenza*, ecc. cit., t. VII.

Novitiatus tempore, qui generatim durat ad annum, nisi speciales sint leges, non habetur jus ad suffragia; hoc enim est illorum qui jam probati sunt; non vero illorum, qui adhuc probantur. Confratres statis temporibus religiosa officia celebrare debent, et in processionibus ante regulares incedere, et iis deficientibus ante clerum. Episcopo autem competit Confraternitates laicorum visitare ubicumque sint erectæ, non tantum quoad cultum, sed etiam quoad administrationem bonorum ex Tridentino (sess. XXII, c. 8 *de R.)*; sæclusa legitima consuetudine vel privilegio. — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* cv. — Mateucci, *Officialis Curiæ eccles.* — De-Luca, *Miscellanea*, disc. 1. — Bouix, *De Episcopo*, p. 5ª. — Ferraris; V. *Confraternitas.* — Frassinetti, *Manuale pratico del Parroco novello*, n. 266. — Bassus, *Tract. De Sodalitiis.* — Bescapè, *Scritti: Regole dei confratelli.* — Concil. provinc. Mediolanense V. — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, ubi plura, tom. II et III.

627. De Processionibus: Processiones, quæ ex antiquissimo ss. Patrum instituto promanant, ut dicit Rituale Romanum, sunt actus publici cultus seu publicæ supplicationes Deo, factæ a clero et populo, velut agmine ducto, certo ordine incedente et de loco sacro ad alium sacrum procedente. Hisce devotio mire fovetur, ac catholica fides accenditur et roboratur, iisque nos Deum fatemur supremum dominum omnium rerum bonorumque largitorem. Eas indicere et moderari Ecclesiasticæ auctoritatis est, cujus est bonum spirituale promovere. V. *Resolutio Casuum pro Mediol. Diœcesi*, anno 1866, ubi plura et rite ad rem.

Crux cum imagine Crucifixi in processionibus ordinarie deferenda est inter duos acolythos cum candelabris et candelis accensis. Romano more Crucifixi imago terga vertit ad celebrantem, quasi Christus omnibus præire videatur; ritu vero ambrosiano Crucifixi imago respicit celebrantem; et ita etiam in utroque ritu defertur crux Archiepiscopi (ut sic omnium oculi in eo continuo figi possint), vel ubi adest crucis archiepiscopalis privilegium, ut in Diœcesi Novariensi ex concessione Leonis XII, anno 1823 Constit. *Ex Apostolicæ.*

De processionibus plurimæ declarationes.

a) Parochus sine licentia Episcopi prohibetur processiones extraordinarias agere, nec sufficit licentia Vicarii foranei. *S. C. E.* julii 1636. Item processiones duci nequeunt extra limites Paræciæ sine licentia alterius Parochi, nisi agatur de processione Ss. Sacramenti in festo et per octavam Corporis Christi. *S. R. C.* 1 dec. 1838.

b) An censeri debeant professores Seminarii unum et idem corpus efformare cum clericis Seminarii in publicis processionibus? *Negative, quia nullibi adest consuetudo. S. R. C.* die 17 julii 1830.

c) Genuflexio utroque genu est facienda ab omnibus transeuntibus ante Ss. Sacramentum, patenter expositum, etsi in pyxide. *S. C. R.* 7 maji 1746.

d) Presbyteri et clerici Cathedralis faciunt unum corpus cum Canonicis, et sub una cruce debent incedere. *S. R. C.* 28 et 29 martii 1851.

e) Quo loco procedere debeat concentus musicus (vulgo *la banda)*, dum sacris processionibus intervenit? *Assignetur locus ab Episcopo, verum ante utrumque Clerum* (sæcularem et regularem). *S. R. C.* 23 sept. 1837*in Brundusina.*

f) In processionibus, in quibus defertur Ss. Sacramentum, vel lignum sanctæ Crucis, tam ecclesiastici, quam sæculares, detecto capite, incedere debent: in aliis vero processionibus, in quibus deferuntur Reliquiæ vel statuæ Sanctorum, qui eas deferunt capite detecto, alii vero clerici possunt incedere tecto capite cum bireto. *S. R. C.* 1 dec. 1657 et 25 sept. 1688.

g) Presbyter deferens Reliquias incedit detecto capite; at Episcopus cum mitra. *S. R. C.* 22 jan. 1639.

h) In processionibus Candelarum, Palmarum et similibus, quæ fiunt per Ecclesiam sine Ss. Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem Hostiæ vel Calicis in Missa privata. Quod si pulsetur et advertatur elevatio, tunc genuflectendum est utroque genu a transeuntibus ante altare ubi Missa celebratur, et deposito Ss. Sacramento, progrediendum est. *S. R. C.* 1 martii 1681.

i) Ubi processio Ss. Sacramenti in ejus festo die vel per octavam ea, qua decet solemni pompa nequiverit haberi, designabit Episcopus pro sua prudentia unicuique Ecclesiæ aliquam ex sequentibus dominicis, in qua, celebrata Missa cum commemoratione Sacramenti juxta Rubricas, solemnis processio peragi possit. *S. R. C.* 8 maji 1749.

j) Non alba, sed tantum superpelliceum adhibendum in processionibus, quando induuntur planetæ, dalmaticæ et tunicellæ juxta Cæremoniale Episcoporum, lib. I, c. XV et XXXIII. *S. R. C. in Matheranensi* (et tunc amictus est vestiendus post superpelliceum, quia superpelliceum seu cotta tenet locum rocheti, quod induitur ante omnia).

k) In processionibus solemnibus Ss. Sacramenti thuriferarii cum thuribulis incedere debent facie, non dorso ad Sacramentum semiversa, in incessu. *S. R. C.* 15 sept. 1742. Campanæ pulsentur ubi transit solemniter Ss. Sacramentum. *S. R. C.* 10 martii 1787.

l) Assistentes Celebranti et clerici, qui processiones dirigunt, non deferant biretum. *S. R. C.* 23 sept. 1837.

m) Quum in multis Breviariis et Ritualibus in Litaniis Sanctorum desiderentur preces pro arcendo flagello terræmotus, peste, fame et bello, quæritur utrum recitari debeant, et quo loco apponendæ? R. *Affirmative, et ponendas esse post versum:* a fulgure et tempestate. *S. R. C.* 11 sept. 1847.

n) Processio in festo s. Marci et in feriis Rogationum quoties ex temporis inclementia fieri nequit extra, congruentius fit intra Ecclesiam, si hæc capax sit. *S. R. C.* 14 aug. 1858.

Rituale requirit ut in processionibus post clerum viri separatim a fœminis incedant; sed quoad locum et modum eundi nihil statuit. *S. R. C.* 31 maji 1642.

o) Episcopus in processione Corporis Christi, si intervenit cum cappa, candelam per ministrum defert; Canonici et ceteri deferre debent per se ipsos. *S. R. C.* 2 julii 1644.

p) In Majori Hebdomada prohibentur processiones lætitiæ, v. g. Patroni occurrentis, sicut et Missa solemnis. *S. R. C.* 4 aug. 1663.

Q. 1. *Quomodo agendæ sunt Processiones?*

R. Quoad *Processiones* retinenda quæ monent Concilia provincialia, Diœcesanæ Synodi, et res ipsa postulat:

1. Nonnulli designentur qui invigilent ab initio ad finem. Cum subsistitur, religiose et animo collecto omnes sese habeant et ad precationem intenti sint. Qui cruces ferunt, servent in omnibus decorem tanti vexilli. Et clerus omni reverentia religiosaque devotione ita procedat, ut exemplo suo populum excitet ad devotionem orationemque. A salutationibus, atque colloquiis inter se abstineat; oculorum vagationem vitet; gravi incessu progrediatur. Bini semper æque omnes procedant; inter se ac præcedentes spatium decem pedum circiter semper servare curent. Chirotecas ne induant; sed superpelliceo nitido et plane decenti utantur. Orationes præscriptas suo ordine omnes canant: et cum canere non licet, attenti sint, vel submissa voce preces recitent: singuli quantum fieri potest librum habeant ad canendum quæ præscripta sunt. Capite aperto sint dum in Ecclesia proceditur, et ad loca ubi in via speciatim oratur; et cum sacræ imagines occurrunt, caput aperiant et se inclinent. Omnia uno verbo, procedendo, consistendo, aut si quid aliud processio postulat agendo, rite et decore faciant ad præscriptum. Et dum officia in Ecclesia celebrantur, nullus e clero extra Ecclesiam maneat.

2. Synodus Belgica habet: *Ne ulli sæculares vel regulares ad supplicationes admittant parvulos religiosa aut alia indutis veste quam quotidiana sua communi aut ad summum ornata angelica, qui tamen ad vanitatem non debet esse compositus.* Synodus autem Novariensis graviter prohibet ne personati pueri puellæque admittantur occasione supplicationum quasi Angelos, Sanctos et sacros Ecclesiæ Prælatos referentes aut Redemptoris Nostri mysteria, vel quævis spectacula lubrico quodam modo exhibentes; non enim hæc ad pietatem conferunt. Ceterum quoad pueros et puellas simbola deferentes vel Sanctorum figuras habetur S. R. C. prohibitio in una Urbis 5 martii 1667, et in una Mediol. 5 nov. ejusdem anni.

3. Processiones a Parocho denuntientur præcedenti dominica, doceatque populum quo fine inductæ, et quo sensu peragendæ. Omnes autem accedant ad Ecclesiam, unde ducenda Processio est, non in via se illi adjungant.

4. Dedecet Processiones de superiori loco spectare; sed oporteret eas sequi; qui non possunt, in plano adesse et simul orare curent. Item præstat ut viæ quibus processio habenda est, purgentur, impedimenta amoveantur, officinæ claudantur, et omnia religiose fiant prout postulat tam pius ritus et salutaris. — *V.* Synodus Novariensis, *De supplicationibus*, pagg. 214 et 369. — Briganti, *Mali nella Chiesa, lor origine, effetti e rimedi*, p. 2ª. — Mennini, *Quadro storico-polemico delle osservanze e dei riti del Culto cattolico, proposto ai signori della comunione Anglicana;* Orvieto, 1845, t. II, *Delle processioni.*

Q. 2. *Quid de Processionibus tempore publici contagii vel epidemiæ?*

R. Generatim loquendo Processiones tempore pestis, ob periculum

contagii, quod in magno concursu merito timeri debet, non sunt indicendæ; attamen per se illicitæ non sunt, cum Rituale Romanum inter alias Processiones, illam etiam quæ habetur hoc tempore notet. Ideo in aliqua speciali circumstantia, debitis cautelis adhibitis, ab Episcopo poterunt permitti et præscribi; quod quidem utiliter factum videmus aliquando: sic Gregorius Magnus illas fecit Romæ anno 590 tempore pestilentiæ; s. Gregorius Turonensis item; Concilium Constantiense, a quo statuta fuit generalis processio, imaginem deferendo s. Rochi, et lues statim cessavit. Item s. Carolus anno 1570; Mutinenses anno 1630; et Bononienses 1631; peste enim sævissima grassante, fuit publica supplicatio indicta et circumlata per urbem Imago B. V. a s. Luca depicta, ac morbus cessavit. In hisce autem processionibus non deberent intervenire pueri ac mulieres, et viri bini procedere cum distantia ad invicem majori solita, ex præscripto s. Caroli.

628. Functiones nocturnæ: quoad *nocturnas functiones*, quæ in Ecclesia generatim fieri prohibentur, ex hodierno et communi usu id intelligitur si sacra protrahantur ad multam noctem. Nam hodie fere ubique ruriculæ in pagis, operarii in civitate ad exercitia spiritualia, ad novendialia, prædicationem, etc., in feriis nonnisi sub nocte convenire possunt; ideo tunc erit Episcopi ac Parochorum occurrere malis, si quæ forsan timeri valeant, quin illico interdicantur functiones quæ adeo pietatem fovent in christiano populo: « Il culto cattolico necessariamente richiede che le Chiese sieno accessibili ai fedeli pria del sorgere e dopo il tramonto del sole; e tanto vale l'ordinare che le sacre adunanze tengansi tra l'albeggiare e l'imbrunire, quanto il vietare a quattro quinti dei cattolici di poter partecipare al culto medesimo. » Ita Neapolitani Episcopi, Epistola responsoria 26 apr. 1864, ad ministrum regium, qui interdicere contendebat in Ecclesia quod in theatris et scholis ultro libenterque permittitur. — V. L'*Apologista*. Torino, 1864, pag. 355.

629. Ecclesiæ scamna: quoad hæc communiter docent:

a) Invito Episcopo laicus non potest aliquem locum seu jus sedenti in Ecclesia sibi vindicare, cum sit quædam species servitutis Ecclesiæ imposita; attamen ex benignitate Ecclesiæ et usu universali cum licentia Episcopi (vel saltem Ecclesiæ rectoris, si tali sit consuetudo) pluries declaravit S. Concilii C. quod fideles possunt illud jus acquirere. Hoc autem jus transit ad hæredes, et etiam publico istrumento licite venditur (sicut jus sepeliendi et retinendi arma et capellam ratione situs), cum non vendatur res Ecclesiæ, sed honor præcedentiæ ac sedis pretio utique æstimabilis, et nonnisi remote et ex parte ante adnexus Ecclesiæ.

b) Contra amoventes sedilia agi potest actione injuriarum, etiam si amovens esset administrator Ecclesiæ. Quod si antiqua forma Ecclesiæ immutatur, sedilia seu scamna laicorum in illa existentia reponi debent eodem ordine, quo reperiebantur ante mutationem fabricæ, vel in loco æquo digno. *Rota R. in Pampilonensi, dec. rec.* 358, p. 2ª. Sed semper ita collocari debent, ut non obstent sacris functionibus ac fidelium commoditati. — *V.* Canestri, *Giurisprudenza canonica e civile dei Parrochi del Piemonte; — Pratica legale secondo la ragion comune, gli usi del fôro* ecc. *di S. M. il re di Sardegna*, t. x; — Ferraris; V. *Ecclesia*, art. 5, nn. 7 et seqq.

c) « Il possesso antico di una cappella e di un banco in Chiesa non portano esenzione dalle tasse stabilite sul banco, se il titolo di fondazione non ne fa espressa riserva.

d) » Il possesso di un banco in Chiesa non è interrotto nè dal-

l'essersene servito il pubblico quando non se ne serviva il padrone, nè dall'essersi traslocato per disposizione generale di chi regge la Chiesa in date occasioni. »

e) « Un Consiglio comunale non può costringere gli aventi diritto a riformare un banco senza un giudizio dinanzi alla Corte d'appello (a cui spettano tali cause intorno ai banchi di Chiesa), salvo solo al Vescovo il diritto di provvedere quando impediscono le sacre funzioni. » Bettini, *Giurisprudenza degli Stati Sardi*, t. x, xi, xii.

(L) Pag. 347.

630. Facilius cognitionem ovium suarum Parochus consequetur, si quæ a Conciliis provincialibus et omnibus ferme Synodis diœcesanis præscripta sunt, diligenter impleverit. Nempe: 1) ut quotannis censum seu Statum, ut vocant, animarum per singulas familias accuratissime describat; 2) ut baptizatorum, confirmatorum, matrimonio junctorum ac mortuorum nomina in libris distinctis, de vice in vicem, absque mora, et nitide scribat iis verborum formulis, quæ præscriptæ sunt. S. Carolus vult, ut Parochi hosce libros omni studio conficiant, et eorum exemplaria singulis annis ad Curiam episcopalem transmittant. Hanc legem utpote Tridentino maxime conformem sæpius et etiam recentissime confirmavit Concilii Congregatio; ad quam adhuc tenerentur Parochi, etsi Status civilis non amplius uteretur eorum opera, cum id maxime sit institutum in bonum Ecclesiæ, nempe ad dignoscendas parentelas, gradus, statum, etc. — *V.* Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. i, pag. 370.

Optimum etiam erit, si Parochus librum conficiat, in quo ordine alphabetico scribat omnia cognomina, nomina et paternitatem, notando diem, mensem et annum, in quo unusquisque parochianus baptizatus, confirmatus, nuptus vel ordinatus et mortuus est. Labor pro una vice, sed plurimum inserviet, cum de aliquo quæritur. V. *Analecta Juris pontificii*, an. 1860: *Livre de l'état des âmes.*

631. Parochi item, vel vices eorum gerentes, sedulam curam impendere debent attestationes seu fides exarando, si quando de iis postulantur; nonnunquam enim nulliter fiunt ob scribentium oscitantiam, sed cum damno aliquando gravissimo oratorum, qui moram non patiuntur. Quæ fides extrahuntur de libris baptizatorum, matrimoniorum ac mortuorum, de verbo ad verbum essent transcribendæ cum propria subsignatione. Ceteræ diligenter conficiantur, nihilque de substantialibus omittendo in nomine, in re, in die, in anno, in subscriptione, etc.; atque opportuno et debito tempore citius mittantur, si quo mittendæ sunt. Præstat autem, ut unaquæque Parœcia proprium sigillum custodiret ad firmandas supradictas fides ad majorem authenticitatem.

(M) Pag. 350.

632. Quid in prædicatione inculcandum? hæc specialius ex s. Alphonso *(Homo Apost.* nn. 37 et seqq.), nempe quod ad emendationem non sufficit peccatum fugere, sed etiam oportet fugere occasionem. Adurgeat homines, ne tabernas adeant ob innumera peccata, quæ inde eveniunt. Sæpe declamet in vitium loquendi inhoneste in campis et in officinis: quot inde depravantur juvenes! Instet in eorum

enormitatem, qui peccata reticent in Confessione: hac de re expediens est, ut interdum vocet confessarios exteros propter animas verecundas. Insinuet necessitatem doloris et propositi pro Confessione. Hortetur, ut in iræ motu caveant a blasphemiis; sed bonis verbis assuescant. In horrorem ponat superstitiones. Inculcet, ut parentes sedulo in filios animadvertant, cum blasphemant, furantur, etc. Hortetur auditores persæpe, ut arceant tentationes nominibus Jesu et Mariæ; et si in mortale prolapsi, illico contritionem eliciant; potissimum insinuet, ut orationi assuescant. Hortetur populum ad visitandum Ss. Sacramentum ac Beatam Virginem; ad Congregationes frequentandas, etc. Tandem in fidelibus singulari studio foveat devotionem erga Virginem, ut Rosarium quotidie recitent, ut Novenas celebrent: *felix ille Parochus*, concludit, *qui suas oves ferventes tenet erga devotionem Ss. Mariæ!* « vivus religionis sensus, filialis timor Dei, sanctaque morum integritas eo magis viget quo major viget devotio erga B. Virginem, » addit Stapf, § 252, in contestationem provectiores Parochos testes provocans. Hinc laudanda devotio, quæ, labente sæculo XVIII, inducta mirum in modum crevit ubique propagata, Virginem specialius honorandi per mensem integrum.

De cultu Virginis: ad rem *Armonia* anno 1861, n. 257:

« Ben tristo era Maometto, pure nel Corano scrisse molti elogi alla Madre di Dio, e riconobbe la verità di tutto ciò che l'Evangelio ci racconta di Lei. Nel Capitolo LXVI intitolato: *La difesa*, in dodici versetti colla data di Medina, Maometto lasciò scritto: *Dio propone all'ammirazione dei credenti Maria che conservò la sua verginità; Gabriele le trasfuse il soffio divino: essa credette alla parola del Signore ed alle Scritture...* Quante bestemmie non disse Lutero? eppure quando se gli fece innanzi il nome di Maria, tremò, genuflesse, benedì questa gran Madre: *perciò solo*, scrisse, *che Maria è divenuta Madre di Dio, essa fu ricolma di doni così maravigliosi che oltrepassano ogni intelligenza. Ciò che ha formato la sua gloria e la sua felicità si è che una persona unica del genere umano superi tutte le altre, non abbia uguale, e le sia figlio Colui che già lo è del Padre celeste....* Fu pure ribaldo e scellerato Ecolampadio, ma nonostante, nel suo *Discorso sui Santi*, disse: *Io non vorrei che si diminuisse menomamente il culto di Maria; giammai, Dio me ne liberi! non s'intenderà da me ch'io senta poco affetto per Lei, io che ritengo come un segno di riprovazione il non prestarle quell'affetto che le è dovuto. E come potrei non amare Colei che Dio ha amata, che diè al mondo il Salvatore, quella che è venerata dagli Angeli e dagli Arcangeli, che è divenuta l'avvocata del genere umano, che è chiamata Regina delle misericordie? O clemenza divina! o bontà immensa di Dio, che ha dato una madre così Santa a suo figlio, e a noi una protettrice così potente in ogni cosa....* Chi più incredulo e razionalista di Fressler? eppure non dubitò di proclamarla a' suoi: *Noi dovremmo ristabilire le feste di Maria. Io non ho mai saputo comprendere, come i riformatori abbiano potuto misconoscere nella Santa Vergine l'ideale dell'amor celeste.* »

V. Charvaz, *Considerazioni sul protestantismo;* — Martinet, *Soluzione di grandi problemi;* — Nicolas, *La Vergine Maria*, t. II, par. 2ª; — Poiré, *La triple Couronne de la bienheureuse Vierge Mère de Dieu;* — D'Argentan, *Conférences théologiques et spirituelles sur les grandeurs du Marie*, — Haine, *De Hyperdulia ejusque fundamento.* Lovanii, 1864. — Mislei, *La Madre di Dio*, ecc.

Hic obiter nonnulla de B. Virginis cultu die sabbati, de quo ita perbelle Nicolas: « Fin dai tempi antichi il sabbato è come la *domenica*

di Maria, essendo a lei specialmente consecrato non solo da un Officio particolare; ma da una Messa chiamata *de Beata Maria V.;* ciò in tutti i riti del mondo cristiano. Quest'uso (dice Durando) prese la sua origine dal fatto, che in una chiesa di Costantinopoli v'era un' immagine della B. Vergine, davanti alla quale era sospeso un velo che la copriva interamente; ma questo velo, venuta la sera della sesta feria, il venerdì dopo i vesperi, si scostava dall'immagine senza che alcuno vi mettesse mano e per solo miracolo di Dio, come se fosse trasportato verso il cielo, affinchè l'immagine potesse essere perfettamente veduta dal popolo. E dopo celebrati i vesperi, il sabbato, il medesimo velo discendeva davanti l'immagine. *(Rationale divinorum Officiorum*, l. VI, c. 1, n. 31.)

» Ma questo miracolo svelava eziandio delle ragioni di consecrare il sabbato alla B. Vergine, e queste ragioni liturgiche che giustificano ed avvivano questa istituzione, sono diverse ed assai belle. La prima è che allorquando Nostro Signore è stato crocifisso e fu morto, e i suoi discepoli se ne fuggivano e disperavano della sua risurrezione, in quel *sabbato* che precedette questa, Maria solo sostenne tutta la fede nel suo divin Figliuolo.... Gloriosa memoria alla fede unica di Maria che rappresenta in questo momento tutta la Chiesa, e che tutta la Chiesa doveva giustamente festeggiare. A questa prima e principal ragione sono venute a congiungersi queste altre: *a)* che il sabbato è la porta d'entrata della domenica, e che Maria essendo per noi la porta che conduce al Regno de' cieli simboleggiato dalla domenica, il sabbato dovea essere a lei consecrato; *b)* che conveniva che la solennità della madre fosse la vigilia e come l'aurora di quella del figlio; *c)* che il giorno in cui Dio si è riposato da ogni opera doveva essere festeggiato come lo è stato da tutta l'antichità, e che non lo poteva esser meglio che colla festa di Colei, che è stata come il *repositorio* del Verbo, da cui fu fatta ogni cosa in mezzo a noi; *d)* finalmente il sabbato è così celebrato come simbolo profetico del sabbato della gran settimana, che comprende tutti i secoli e di cui la domenica sarà la beata eternità. » *La Vergine Maria vivente nella Chiesa, nuovi studi filosofici sul Cristianesimo*, p. 3ª, l. II, c. 3. — Pepe, *Sabbati dell' Imm. Concez. di Maria Santissima.* Napoli, 1858.

Et in Libro *Sul criterio dei dogmi e sul giansenismo*, par. 3ª, legitur: « Prescindendo dalla dichiarata guerra fatta a tal culto dai protestanti (cosa in che dee occuparsi la dogmatica apologetica), la dogmatica espositiva o dottrinale trova su questo campo, quasi direi, tre diversi partiti. Ci sono tali che onorano la Vergine, ma screditano certe pratiche di pietà anche espressamente canonizzate dalla Chiesa: ecco una divozione *Giansenistica.* Vi sono altri che non impugnano ciò che la Chiesa approva (e sono, io credo, di buona fede; ma troppo stitici e seccati nello spirito, col soverchio lambiccarlo in studi speculativi), l'unzione d'una pietà semplice ed affettuosa; sempre temono di uscire di qualche punto dalla misura ragionevole, e finiscon con ciò ad aver più vanto di critica che di pietà: ecco una divozione *Muratoriana* (Muratori, *Della divozione regolata).* Finalmente, in senso tutto opposto, vi sono altri che nell'abisso di maestà e di bontà, da cui si manifesta il Verbo fatto carne, trovano la ragione di ogni più smisurato privilegio per la sua divina Madre, e ne sono appassionati, ed han più che una ragione a compasso, un cuor tenero ed entusiasta: ecco una divozione *Liguoriana.* Tra questi tre partiti qual sia quello da preferirsi ognun lo vede. Anzi non in questo solo argomento, ma in tutto ciò che serve a caratterizzare la pietà e la mo-

rale d'una fisonomia prettamente cattolica, parmi che si possa dire e si dica universalmente: convien attenersi alla Teologia del Liguori: *Liguorizzare.* »

633. Quid in prædicatione cavendum: id præcipue:

1. A *vanitate;* qua de re d. Bernardus in Cant.: *Illius doctoris libenter audio vocem qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat.* Et Chrysostomus: *Concio complenda est sermone communi; omnibus necessaria dicenda sunt more omnium; naturalis lingua cara simplicibus, doctis dulcis, omnibus profutura.* Et Franciscus Xaverius *in Epist.:* « Ne in concionibus eruditionem ac memoriam ostentes, recitando magno numero testimoniis et auctoritatibus scriptorum veterum; pauca, sed electa et ad rem apta sufficiant. Magna pars ditionis insumatur in graphice dipingendo statum interiorem ac tumultum animarum peccantium, inquietas impiorum machinationes, etc. »

2. A *prolixitate;* ait enim Nazianzenus (Orat. XL): *Sermonis satietas non minus auribus inimica est quam immodicus cibus corpori.* « Domandando un giorno s. Vincenzo de Paoli ad un villano, se i Missionari che erano nel suo paese, facevano bene, ebbe in risposta: *Dicono delle cose grandi, ma sono troppo lunghi; noi persone di campagna siamo come tante botti; quando siamo pieni, tutto ciò che ci si versa di più, si perde e va a male:* ex tunc suos alumnos ad brevitatem sermonis Sanctus hortatus est. Et d. Thomas in Apostoli verba: *Perpaucis scripsi vobis*, ait: *sermones breves valde accepti sunt; quia si sunt boni, avidius audiuntur; si vero mali, parum gravant.* Id etiam habet s. Alphonsus ad suum Clerum in suis *Notificationibus.* Et Salesius: *È meglio che la predica sia breve; purchè duri mezz'ora, non può esser troppo breve. Credetemi, vi parlo per esperienza e lunga esperienza: quanto più direte, tanto meno rimarrà in mente; meno direte e più si approfitterà; a forza di sopraccaricare la memoria degli uditori, la si abbatte, come si spegne una lampada, quando le si infonde soverchio olio, e si annegano le piante irrigandole oltre il dovere. Quando un discorso è troppo lungo, il fine fa dimenticare la metà, e la metà il principio. Sono sopportabili i predicatori mediocri, purchè brevi; gli eccellenti pesano quando troppo diffusi.* » Regola per i predicatori.

3. Ab *animi abjectione* cavendum; sunt enim qui animo cadunt, si paucos habent auditores. « Rallegratevi molto (ait Salesius) quando, montando in pulpito, scorgete pochi uditori. È una sperienza di trent'anni che mi fa parlar così, ed ho ricavato più frutto dalle prediche fatte a poca gente, che da quelle ad una numerosissima udienza. Una domenica che faceva un cattivissimo tempo, non vi erano in Chiesa che sette persone, per la qual cosa tutti mi dissero che non occorreva predicare. Ed io risposi loro che un grand'uditorio non mi animava, nè mi disanimava lo scarso, e purchè ve ne fosse alcuno che ne rimanesse edificato, tanto bastava. » — *V.* Segneri ad calcem Operis, *Il Cristiano istruito: Rammemorazione del gravissimo debito che hanno i Parrochi di pescar le anime con la parola divina*, ubi concludit: *o predicare o dannarsi.*

4. Ab *intempestivo zelo;* curandum enim sive in concione sive in instructione, ne verbis incautis populus offendatur, vel ne aspere illico objurgetur ob aliquod inconveniens; zelus enim non esset secundum charitatem. Multo magis cavendum, ne quis redarguatur expresse: quod Lateranense V prohibet sub excommunicatione ipso facto et Papæ reservata. — *V.* Ferraris; V. *Prædicatio*, n. 100.

634. Quanta est catechismi necessitas?

R. Hoc munere Parochis omnibus nil sanctius, nil inviolabilius esse

potest: semel enim hoc despecto, nulli in Parœcia mores, nulla religio, nulla fides; cum sine tali instructione neque ipsa christiana vita institui possit. Illud *opus sanctissimum* appellat s. Pius V Constitutione *Ex debito ;* et Benedictus XIV, Const. *Etsi nemine*, vocat opus *maximi momenti, maxime necessarium,* requirens *omnem curam et diligentiam.* Tandem Pius Papa IX Encyclica *Nostis*, 8 dec. 1849, ut impiorum fraudes, quibus vel ipsam catholicam fidem funditus evertere conantur, in irritum cadant, hoc præcipue inter cetera commendat et præcipit, ut omnes ecclesiastici, præsertim qui sunt in cura animarum, *majori usque alacritate, prout temporum ratio postulat, in christianæ plebis instructionem incumbant.* Huic ergo assidue insistendum est, maxime quia fidei veritates et multæ et intellectu difficiles sunt, quæ nisi sæpissime inculcentur, repetantur, satis animo non imprimuntur. Quilibet ergo Parochus illud Pauli sibi aptare debet: *necessitas enim mihi incumbit; væ enim mihi est, si non evangelizavero* (I, Corinth. IX); et illud Psal. LXVIII: *clamare ne cesses ; quasi tuba exalta vocem tuam.*

Neque concio locum tenet instructionis catechisticæ; sunt enim diversa munera, ut dictum est. Adde concionem jam supponere fidelem primis fidei rudimentis informatum; cum hæc nonnisi leviter atque cursim in concione attingantur. Neque ab hoc gravissimo munere Parochus liberatur ob exiguum numerum audientium, qui plerumque ex Rectorum negligentia dimanat; etsi unus tantum ex suis audiat, Parochus imitetur Christum, qui pro una Samaritana sermonem habuit (Joann. IV). — Neque excusatur ideo, quia alii in civitate vel oppido religiosi supplent; nam et ipse tenetur qui est Pastor. — Neque valet proferri immemorabilis consuetudo contraria; quæ enim sunt de necessitate salutis, non præscribuntur; nec præscribitur in patre obligatio pascendi filios. Hinc Pontifices hanc non quidem consuetudinem, sed *corruptelam* et *abusum* dixerunt eliminandum omnino: iterum Benedictus XIV, *Notificatione* IX et X. (Synodus Novariensis prohibet accedere ad solemnitatem, si inde concio vel catechesis omittenda sit; hac de re nulla feria: pagg. 42 et 102. It. vide dicenda n. 901.)

Ex hisce omnibus patet, gravissime peccare Parochum, si notabiliter negligens in pueris catechizandis, in scholis visitandis, in rudibus instruendis: vel si munere catechizandi aut concionandi aliis justa de causa commisso, non vigilet, an omnia convenienti modo fiant. Imo catechizandi necessitas tanta est, ut si Parochus advertat parentes aut dominos non curare, ut filii aut famuli catechesibus intersint, teneatur cum Episcopo, ex ipso Tridentino, de opportuno remedio consilium capere (sess. XXIV, c. 4 *de R.).* Tanta est, ut non solum curatores animarum, sed ipsi clerici, ac simplices sacerdotes hac in re operam suam Parochis commodare teneantur: quod si neglexerint, puniendi. Imo tanta est, ut siqui parochiani ob longam loci distantiam ad Parochiam convenire nequeant in festis, ex Benedicto XIV Constit. *Etsi*, teneatur sacerdos in illorum Oratoriis celebraturus christianæ Doctrinæ summam illis tradere. Liguori, *Homo Apost.*, tr. VII, nn. 35, 55. — Hac de re vide Opus: *Istruzioni dogmatiche e morali da leggersi al popolo dall'altare ne' dì festivi* per ordine del cardinale Corsi arciv. di Pisa. Torino. Marietti, 1867.

Quæsitum fuit a S. Congregatione Concilii: 1) *an clericos tam minorum, quam majorum Ordinum ad officium ludimagistri exercendum a communitatibus conductos Episcopus cogere possit, ut pueros rudesque scholares Doctrinam christianam edoceant;* 2) *an ad idem cogere possit ludimagistros laicos itidem a communitatibus conductos ;* 3) *an ad idem cogere possit magistros, sive clericos, sive laicos a nemine conductos ;*

4) *qua pœna præfatos ludimagistros cogere possit?* Et 17 julii, 1688, respondit: *posse prius hortando, postea præcipiendo.* Eadem S. C. in *Hortana* 8 et 19 aug. 1744 respondit: *non esse servandam consuetudinem intermittendi doctrinam christianam mense octobris et decembris.* Porro Parochus præter consuetudinem causas allegabat aucupii, vindemmiarum, rusticationum et brevitatis dierum. — *V.* Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. I, pag. 412.

Boni Pastores adnotatos tenent pueros, ut sciant quis eorum desit instructioni. Item valde confert inducere congregationes puellarum hac de re a sexdecim annis et infra. Tales enim collectiones causant bonum summum; nam si puellæ quæ illis interveniunt, postea nubent, facilius docebunt filios, sicque integræ familiæ sanctificabuntur. Huc spectat Congregatio ita dicta *S. Dorotheæ*, quæ pluribus in locis non sine ingenti utilitate indicta est. — V. *Annali della pia opera di S. Dorotea per l'educazione cristiana delle giovinette del popolo.*

« Vive una certa classe di giovinetti, i quali a cagione del loro isolamento sembrano inaccessibili al Parroco: noi intendiamo parlare dei pastorelli. Consultate in proposito molte persone di esperienza e di sapere, abbiamo rilevato: 1) egli è certo che in queste riunioni di pastorelli si commettono molti e gravi peccati; bisogna dunque che costringiamo i loro genitori, anche colla minaccia di negar loro l'assoluzione, a invigilare con accuratezza maggiore, affinchè sieno preservati dal contagio del cattivo esempio; 2) visitandoli a brevi intervalli di tempo, parlando loro con dolcezza, potremmo, se altro bene non conseguissimo, infondere in essi un vivo orrore al furto, ai giuramenti, alle disonestà... » Ody, *Il Direttore dell'infanzia* ecc.

« Grande abuso, che gli uomini stieno oziando e ciarlando sul piazzale della Chiesa mentre si spiega il catechismo. Un Parroco non riuscendo a rimediarvi altrimenti, prese a far recitare al popolo raunato tre *Pater* ed *Ave* per quelli che stavano sul piazzale; e buona parte di costoro non volendo sentirsi dire dagli intervenuti, *abbiamo pregato per voi*, indi in poi si trovavano dei primi in Chiesa. » *Frassinetti.*

635. Advertentiæ quoad prædicationem:

1. Si Parochus transitorie infirmatur, excusari potest. Si vero infirmitas videatur perpetua, officio cedere, vel coadjutorem ab Episcopo petere debet. Habenda est ratio majoris vel minoris necessitatis juxta omnium vel quorundam ignorantiam, aut vitia. At ubi non reperiuntur qui in tali sint spirituali indigentia? — V. Ferraris; V. *Prædicator*, *Prædicare.*

2. Notat Gury, Parochum, quia pias lectiones habet, non obire munus suum; quia lectio non est prædicatio, nisi aliter facere non possit. Tunc vero identidem per alium debet populo sermones habere vel Episcopum de impedimento monere. — V. Bouvier, *De Ordine;* — Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIX.*

3. Notat Cæremoniale Episcoporum (l. I, c. 22), prædicatorem semper dicere debere *Salutationem angelicam* ab initio; non autem *Regina cœli*, etsi tempore paschali; et congruum est. Salutatio angelica quæ præparavit Incarnationem Verbi in utero Virginis, præparat auditores ad auditionem Verbi.

4. Quædam sunt publicationes a Parocho per se vel per alios necessario et sub gravi faciendæ, ut festa et jejunia, occurrentia, matrimonia celebranda, ne fideles obliviscantur suis obligationibus. Aliæ vero sunt quæ stricte prohibentur publicari in Ecclesia uti nova miracula, privatæ revelationes, vel res omnino sæculares sine Episcopi licentia, aut sæclusa legitima consuetudine, vel conventione.

5. Libri opportuniores et præcipui. Quoad Catechismum vide Augustinus, *De Catechizandis rudibus.* — Boudin, *L'obbligazione che hanno i Pastori d'anime d'insegnare, ed i popoli d' imparare la Dottrina di G. C.* — Cecca, *Le Veglie dei contadini cristiani.* — Gaume, *Catechismo di perseveranza.* — Martinet, *Filosofia del Catechismo.* — M. évêque Devie, *Divers essais pour enseigner les verités fondamentales de la Religion aux personnes qui ne peuvent pas apprendre la lettre du Cathechisme, et sortout quand'elles ne savent pas lire.* Lyon, 1843. — Riccardi, *Dei mezzi di promuovere l'Educazione religiosa*, cap. III: *Dell'importanza e insegnamento del Catechismo.* — Audisio, *Lezioni d'Eloquenza*, parte 2ª, l. VIII et seqq. — Liguori, *Institutio catechetica*, art. *Monitum ad Instructorem;* it. *Istruzioni ai Predicatori.*

Pro pueris informandis industrium modum edocet Careno, *Catechismo elementare dei fanciulli che si fa nella Quaresima.* Milano, 1842. — Couturier, *Catechismo dogmatico e morale*, vol. VI. — Abrate, *Spirito del Parroco*, vol. II. Roma. — Sed præ ceteris tum *Metodo per la direzione delle anime*, art. *Catechismo;* tum Marinoni, *Specchio del Clero*, art. *Della vigilanza del Parroco sopra le scuole e sopra i catechismi.* Ubi præclarissima hac de re. — *Prime nozioni della Religione* del p. Girard. — Pinaroli, *Alcuni saggi di un metodo pratico per ispiegare il Catechismo ai fanciulli del popolo ed agli idioti.* Como, 1855. — *Il Catechista istruito.* Roma, tip. Salviucci, 1835. Item vide *Append.* I ad Lib. IV, ver. *Catechisti.*

636. Prædicatio; declarationes:

a) Si Parochus est aptus ad declarandum Evangelium, compelli non potest ad aliud: et si universitas prætendit meliorem prædicatorem, debet illum eligere cum Ordinarii approbatione, ac expensas subministrare. *S. C. E. in Firmana*, 15 junii anno 1590

b) Non potest Parochus solitam eleemosynam prætendere neque titulo paupertatis, quando per se ipsum in sua Ecclesia, in qua prædicare solet, vellet conciones habere; quia proprium munus adimplet; nisi in casu, quo universitas vel nominator Parochum deputasset, aut sponte solvere vellet. *S. C. E.* 30 junii 1615.

c) In concione ante Ss. Sacramentum expositum concionator stet detecto capite, licet Sacramentum Ipsum sit velatum. *S. R. C.* 22 sept. 1837 *in Mutinen.*

d) Ob supremum Ordinem et dignitatem episcopalem non convenit, ut Episcopus concionaturus ab Ordinario etiam cardinali ante concionem benedictionem petat. *S. R. C.* 28 apr. 1607 *in Neapolitana.*

Prædicante Episcopo, omnes concionatores sileant. *S. C. C.* approbante Urbano VIII, 2 maji 1629. Id vero non est respectu Parochorum, qui eadem die in parochiali sua Ecclesia concionari possunt. *S. R. C.* 11 januarii 1631.

e) Ante concionem petenda benedictio a celebrante, etsi non Episcopo; si tamen adsit talis consuetudo: secus a solo Episcopo juxta formam. *S. R. C.* 10 sept. 1796.

Debet concionator prius salutare Canonicos Cathedralis in apparatu chorali (etiam præsente Episcopo ante omnes salutando); et postea sæcularem gubernatorem. *S. R. C.* 24 jan. 1693.

f) Quando in Missa solemni concionator, post Salutationem Angelicam, salutat ministros altaris seu facit reverentiam, non est incongruum, si ministri altaris et ipse celebrans correspondeant salutationi concionatoris discooperiendo caput. *S. R. C.* 20 jan. 1686.

g) Tolerari non debet consuetudo sive corruptela, occasione concionum sedere in gradibus altaris majoris terga vertendo Ss. Sacramento, sit vel non sit expositum. *S. R. C.* 20 sept. 1806.

Si communitas vel dominus loci temporalis nominat prædicatorem et solvit eleemosynam, consuetudo observanda est. *S. C. E.* 7 febr. 1615; *S. C. C.* 2 junii 1696. Sed approbatio ejus est Episcopo.

Si communitas consuevit eligere, et communitas solvere, talis consuetudo observanda est. *S. C. C.* 20 junii 1693.

Communitas dare debet prædicatoribus mercedem solitam. *S. C. C.* septembris 1620.

Nominatio prædicatoris quadragesimali facienda est tempore per Synodum præfixo, vel duobus mensibus ante quadragesimam. *S. C. C.* 1728. — *V.* Ferraris; V. *Prædicatio.* — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. I, pag. 208.

An Parochi, in quorum Ecclesiis, tempore Adventus et Quadragesimæ, habentur sacræ conciones per præcones ab Ordinario approbatos soluti sint obligatione in Missæ parochialis celebratione explicandi Evangelium? *S. C. C.* 29 martii 1817 respondit: *Dilata, et pro nunc servetur consuetudo cujuslibet Paræciæ.* — Sed cum Pisanus archiepiscopus posthæc exposuisset, se ut populo præsertim rudis ignorantiæ consuleret, Parochos ad familiares conciones inter Missarum solemnia omnibus diebus festis obligavisse, S. C., dubio iterum proposito, respondit 15 aug. ejusdem anni: *in casu de quo agitur, servandum esse decretum Archiepiscopi.*

637. De Surdo-mutis: « Sino dal secolo XVI un Benedettino spagnuolo, Pietro Ponce, del Monastero d'Ogna, istruiva i sordo-muti con un metodo pressochè simile a quello dell'abate l' Epée; un secolo dopo, l'ingegnoso gesuita Lana, ricordando i tentativi ed i felici successi del Benedettino spagnuolo, proponeva egli pure il metodo di un alfabeto pei muti. Si sa che s. Francesco di Sales trovato un fanciullo muto l' istruì pazientemente e con esito. Le due fanciulle che determinarono l'abate l' Epée a consacrarsi a tal magistero, da un altro ecclesiastico, il dottrinario p. Famin avean pur ottenuto, sebben senza metodo, qualche istruzione. A questi ecclesiastici così benemeriti unir si doveva il Sicard, ecc. » *(Memorie di relig., di lett.* Modena, t. II: *Notizia biografica dell'abate Sicard.)* Buffon, Bonald, Debreyne, Fabriani, Sicard aliique opinati sunt surdum et mutum a nativitate ex se, sine instructione, nullam ideam sibi efformare posse; sed quandam esse machinam semoventem, sine reflexione, sine discursu, ideoque quidquid ab ipso fit, fieri sine ulla idea boni vel mali moralis, et ideo sine vera deliberatione et imputabilitate; item Fabriani in Op. *Sul benefizio della cristiana Religione nella istruzione dei sordo-muti.* Verum hoc communiter non admittitur.

Ad rem *Civiltà Cattolica:* « Il sordo-muto, che non sia stolido o scimunito, che di tale non intendiamo parlare nè ora nè appresso, nasce dotato delle facoltà intellettuali, che son le medesime in tutti gli uomini, perchè egli nasce uomo siccome gli altri. Ora nell'uomo le operazioni appartengono essenzialmente al composto, nè possono compiersi senza il concorso d'ambedue le parti che lo costituiscono. Se dunque nel corpo del sordo-muto v'è solo il difetto di loquela e di udito, ne seguita che saranno nel sordo-muto impedite le facoltà di parlare e di ascoltare; ma da queste infuora niun'altra. Egli dunque, siccome ajutato dal ministero degli organi che ha sani, vede, gusta, palpa, sente, si muove; così avendo intelletto integro nè da essenziale impedimento dell'organismo corporeo disturbato nelle sue operazioni, egli intuisce, egli giudica, egli riflette, egli sillogizza, egli ricorda: in breve egli usa appieno della sua ragione. Forse essa comincerà ad operare più tardi che negli altri fanciulletti... La scintilla del lume divino, di cui essa

partecipò, rimane sola a tutto il lavorio di quelle cognizioni che debbono rischiarare l'intelletto: non per questo se ne rimane inerte; essa esce per tempo nei propri ideali concetti, cui s'avvezza a poco a poco a distinguere dalle sensibili apprensioni e intrecciar poscia colle medesime. Egli sente gli effetti delle passioni e degli atti della volontà: disgusto, collera, gioja, tristezza, desiderio, preghiera, consenso, rifiuto, risoluzione, aggradimento. Li sente in sè nelle passioni del suo corpo, li riconosce negli altri al viso, ai gesti, alle azioni. Dagli effetti senza saperlo sale alla causa, della quale si forma un concetto oscuro sì, ma proprio e vero... Ora se nell'intelletto umano vi è di fatto astrazione e ragionamento, vi saranno di necessaria conseguenza le idee più semplici e più universali del bene e del male; vi saranno oscure, confuse, indistinte, sfuggevoli, forse anco bene spesso erronee nelle loro applicazioni, ma non può negarsi che esse vi sieno, ecc., ecc. »

Hinc gravissima necessitas enascitur tum in parentibus tum in Parochis instruendi surdos-mutos in iis saltem quæ sunt necessitatè finis, ne illorum animæ detrimentum patiantur. — V. *Civiltà Catt.*, ser. 3ª, vol. IV e V: *De'sordo-muti quanto all'obbligo di educarli;* — Assarotti, *Sui sordo-muti, sulla loro istruzione e sul loro numero;* Genova, 1834; — Pendola, *Della educazione dei sordo-muti ;* Siena, 1855; — *Catechismo ad uso specialmente dei sordo-muti;* Modena, 1858; — *Opuscoli religiosi;* Modena, 1854, t. II: *Il sordo-muto in ordine ai Sacramenti.*

638. De sacris Missionibus: « Quando si vuol procurare immediatamente e con certezza la salute dei peccatori, il mezzo più efficace è una *Missione.* Io prego, supplico, scongiuro tutti i curatori di anime; li scongiuro colle mani giunte, in ginocchio, a piè di Gesù crocifisso, di spogliarsi di tutte le ingiuste prevenzioni a tale riguardo. Sentite: per dissipare le vostre illusioni, quando vi sarà una Missione in una vicina Parrocchia, fate che là vi sia accordato un confessionale. Non passeranno tre giorni che tutte le vostre prevenzioni saranno dissipate alla vista di tante anime in istato di sacrilegio, di tanti peccatori indurati che convertiti davvero proromperanno in singulti, di tanti vendicativi che abbracceranno i loro nemici, di tante restituzioni importantissime, ecc. Ma venuti i missionari, non imponete loro, non fatevi il loro direttore; piuttosto lasciatevi dirigere: non pretendete di voler essere dappertutto; siate piuttosto riservato, e ricordatevi che certi Nicodemi non vengono a ritrovar il missionario, se sono guardati; rispettate la loro debolezza, e saranno guadagnati.

» Una santa Missione è un dono eletto del cielo, rimedia e preserva, corregge ed illumina, istruisce e conferma, indirizza e santifica. Se insormontabili difficoltà vi si attraversano, ad un buono e zelante Parroco non mancheranno mezzi per procurare bellamente, quietamente una predicazione straordinaria in occasione di qualche festa, triduo o novena: *fides ex auditu.* E un Parroco, prima di rifiutare o non curare le Missioni, badi bene; in tempo di morte dee certo provare un gran rimorso al pensiero: *se fosse venuta la Missione, forse avrei tolto quello scandalo che ancora dura; forse avrei salvato quell'anima che si è perduta.* Molti resistono a' colpi isolati, ma sono vinti e prostrati ad uno scoppio di batteria. Scherzare predicatori e predicazioni si fa presto: ma al tribunale di Dio si formano altri giudizi, perchè là vi sono altre regole. Un'anima sola che si converta, non basterebbe per rispondere a tutte le buffonate, che si spacciano su questo punto, anche da certi preti? *Le Missioni,* dicea Buffon, *hanno guadagnato più uomini, che non ne abbiano soggiogato le armi.* » (Dubois, *Opere.*)

Hic ipse coadjutor totus sit. « Ma alcune volte sarà meglio che ei

si restringa al suo dovere, quando cioè, allargando il suo zelo, dovesse suscitar divisioni e alienarsi il proprio Parroco, il quale non la sentisse con lui. Pregando, pazientando, aspetti tempi migliori. »

Episcopi, ait Lateranense IV, *viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere et sermone, qui plebes.... verbo ædificent et exemplo.* Hinc factum est, ut in omnibus fere Diœcesibus electorum sacerdotum Congregationes erectæ habeantur, quorum quidem id muneris est Exercitia et Missiones agere. Hi diu noctuque insudant; sed quid in tanta populorum necessitate? Optimum ergo consilium, ut illis jungantur consortes et adjutores ceteri in Diœcesi sacerdotes: Apostolicum ministerium est, quo fides propagatur et sustinetur; quos ergo superior judicat idoneos, si charitas Dei urget illos, si zelus domus Dei illos comedit, non dubitandum, quin ejus desiderio sint responsuri, ac quidem non obiter, sed studio et oratione ad opus salutare se præparando. Præmium respondet labori: *qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates* (Dan. XII). — *V.* Riccardi, *Della Predicazione più efficace;* — Morozzo cardinale vescovo di Novara, *Lettera sulle Missioni*, 10 apr. 1835; — Liguori, *Istruzioni pelle Missioni.* — Segneri, *Il Parroco istruito*, c. XXVI; — Audisio, *Lezioni d'eloquenza*, p. 2ª, lez. XXV; — *Civ. Cattolica*, ser. 2ª, v. I: *Gli Esercizi spirituali e la civiltà moderna;* — Torricelli, *Dissertazioni*, vol. VIII et IX; — Schedoni, *Delle influenze morali*, t. II.

« *A che* (dicesi) *le sante Missioni, se le conversioni operate dalle Missioni, o in altre occasioni straordinarie, sono di sì corta durata?*

» R. Ciò è 1° perchè il medico che ha curato la malattia, più volte non può curare la convalescenza. Il penitente, abbandonato a sè medesimo o a chi non ne conosce appieno lo stato, non paventa quanto dovrebbe la sua infermità: si espone a cimenti sproporzionati alle sue forze, crede di aver fatto tutto coll'aver detestato il passato o al più allontanati quegli oggetti, il cui distacco era indispensabile per avere l'assoluzione. D'altra parte in poco di tempo la salutare impressione, che l'aveva mosso al pentimento, si dissipa e smarrisce; l'amor del bene e il sentimento del timor di Dio si trova fiacco a petto delle passioni che detestate, ma non spente, risorgono; al cui rigoglio inaspettato l'uomo o cede senza contrasto, o cade dell'animo, sia che s'immagini di non esser uscito dallo stato di peccato, perchè ancora ne prova le tentazioni, sia che lo spaventi il pensiero di una lotta, alla quale non era stato apparecchiato. Quanti dallo stato di coscienza lassa, dormigliosa e stupida passano agli scrupoli, alle desolazioni, all'idea straziante d'un abbandono di Dio!

» 2° Perchè molti confessori quanto sono solleciti dell'integrità ed efficacia della Confessione, quant'è a sanare la malizia del passato, altrettanto sono trascurati del premunire il penitente contro gli effetti delle passioni e dei mali abiti, che la Confessione non distrugge, d'inspirargli la diffidenza di sè medesimo, di persuaderlo che non ha fatto più che il primo passo della sua conversione, e, se non vuole tantosto ricader nella primiera schiavitù, deve stare preparato ad una dura battaglia: che se daddovero ama la sanità, di lunga e paziente cura abbisogna per togliere i principii della malattia; d'obbligarlo quindi ad uno che gli sia medico o scorta sollecita, ecc.

» 3° Perchè molti confessori si persuadono che in tali circostanze il missionario abbia tutto fatto, e non resti loro che di dar l'assoluzione; e quindi non si curano di assicurare la perseveranza nel bene.

« 4° Perchè i Pastori o non lavorano a sostenere i buoni inco-

minciamenti operati in tali circostanze, o si contentano di declamare contro il presto raffreddamento e contro i disordini risorgenti, anzichè instruire, esortare, incoraggire e spaventare, e, quel che importa assaissimo, procacciare frequente comodità di diligenti e zelanti confessori, e possibilmente quegli stessi che posero il principio della santa opera. » Ita *Specchio del Clero.*

639. Quæres: *Quid ut fructus Missionum duret?*

R. Si Parochus velit fructus Missionum durare, curet ut populus assidue oret, Sacramenta frequentet, occasiones fugiat, et gravibus verbis interdum ostendat, quam grande malum sit gratia abuti, promissis deficere, ad vomitum redire. Item faciat, ut quos tunc fideles didicerunt cantus, nunquam intermittant. *Piæ et sanctæ cantiones non modo hæreticas, sed et impudicas exterminant; fit enim, ut populus qui facile delectatione privari non potest, dum occupatur piis cantibus, contemnat et obliviscatur impios et vanos. Notat id accidisse in Indiis* p. Turcellimus in Vita s. Francisci Xaverii: *quippe*, inquit, *hic mos ita percrebuit, passim in scholis, in viis, in compitis, in tectis, in agris, in navibus pro ineptis et sordidis cantilenis, ut christianæ disciplinæ rudimenta jucundissime et audiantur et canantur.* Ita Beyerlik, *Magnum theatrum;* V. *Cantus.*

Omnes cantus religiosos omni studio curet Parochus jugiter fovere: « Questi cantici sono il contravveleno che bassi da opporre alle canzoni oscene; non si può dire il male che fanno queste canzoni: portano il veleno dell'impudicizia ne' cuori con tanto più d'efficacia, quanto è maggiore il solletico con cui si ascoltano; le grazie del canto lusingano l'orecchio; si ascoltano con piacere, si ritengono con facilità, e ripetonsi mille volte certe parole ed ariette, che non sono atte che a macchiare l'immaginazione e il cuore. Onde rimediare ad un male sì grave, contagioso, assuefate i giovani a cantare dei cantici religiosi: li impareranno cantandoli e sentendoli cantare, li gusteranno, li ripeteranno con piacere d'età in età; e queste ripetizioni, sostenute dalle grazie del canto, imprimeranno negli animi le verità della Religione (ne tamen ecclesiasticus doceat puellas privatim; sed publice et in Ecclesia; et melius per piam mulierem vel magistram). S. Girolamo in una lettera a Marcella le annunciava, come il canto delle Laudi e dei Salmi rendesse aggradevoli le campagne della Palestina: *Quocumque te verteris, arator stivam tenens* alleluja *decantat; sudans messor Psalmis se avocat, et curva attondens vites falce vinitor aliquod Davidicum canit: hæc sunt in hac provincia carmina; hæ, ut vulgo dicitur, amatoriæ cantiones.* » — V. *Metodo per la direzione delle anime.*

Nota: monita plurima ad prædicatores et missionarios vide Lib. IV, *Append.* I: *I predicatori.*

(N) Pag. 352.

640. Ad correptionem plurimum confert expectare tempus opportunum, modum congruum pro qualitate delinquentium adhibere, et auxilium efflagitare ex alto; item quousque solida spes adest, correctiones repetere juxta illud d. Chrysostomi: *dixisti semel, et non audivit? dic bis et ter et toties, donec persuaseris* (Hom. XXI *in Matth.).* Item sanctas Missiones vel aliquod extraordinarium Exercitium curare, saltem ad Sacramentorum frequentiam opportune importune instando oves inducere; Verbum enim Dei illuminat, Pœnitentia corrigit, Eu-

charistia autem in bono firmat. Verum si, omnibus pensatis, tum ex hominum indole, tum ex incolarum usu, tum ex exterorum frequentia aliisque adjunctis, pius Parochus in Domino cognoverit, haud posse vel ex repetita correptione sperare emendationem, potiusquam voce, corrigat suo exemplo suaque satis aperta displicentia, ne saltem a ceteris fidelibus ipse male audiat, cum videant scandalum perdurare et pastores nulla molestia, nulla sollicitudine vexari, sed quasi omnia prospere cedant, hilariter gaudere; vel quod pejus est cum perditis illis hominibus amice vivere, conversando, convivando, etc. Toto autem cœlo cavendum est, ne illorum curatorum et sacerdotum morem geramus, qui ne dum proximos corrigant voce ac moribus, ansam potius præbent ad malum propria munia pessumdantes, ecclesiastica præcepta mordentes, irreligiosa diaria quotidie et palam lectitantes, vino, jocis, venationibus indulgentes, in profanis, in temporalibus, in politicis rebus semper effusi. Lupi isti sunt non pastores, quibus terribile judicium in die iræ. — *V.* Tarino, *Libro del buon Pastore*, n. 75.

Item præstat, ut si Parochus videat correctione se nihil proficere, et malum sit grande, contumaces Episcopo indicet (ut etiam monet Synodus Novariensis, pag. 189); nihil enim intentatum relinqui debet, ad bonum animæ curandum. Neque valet dicere id fieri plerumque inutiliter, cum nequeat Episcopus malo occurrere: id nostrum non est tam facile judicare; plures etenim illi suppetunt corrigendi modi, et quod subito non potest, poterit agere tempore opportuno. Saltem in serviet Episcopo ad regimen Ecclesiæ suæ, et ipsi Parocho pro consilio ac securitate.

Quid (quæres) *si corrigendus sit ecclesiasticus?*

R. Correctionis obligatio, ad quam tenentur Parochi, extenditur maxime ad ecclesiasticos si quos habeat in Parœcia. Circa eorum mores videlicet tenetur attente invigilare, et si quem viderit non recte se gerere, eum cito corripere in spiritu primum lenitatis; quod si monitiones non prosint, ne communicet peccatis alienis, et graves Heli ærumnas incurrat, eundem Episcopo denuntiabit. Nemo enim ita in Ecclesia sancta Dei nocet, ut mali ecclesiastici, qui exemplo suo alios ad malum trahunt: *quidquid feceris*, ait d. Hieronymus ad Heliodorum ecclesiasticum, *id sibi omnes faciendum putant.* Quod si tanto malo radicitus occurrere velint Parochi, invigilent quammaxime in omnes, qui sunt in Parœcia, clericos: per gloriam Dei, ac suam populorumque salutem caveant, ne boni testimonii fidem pro Ordinibus faciant iis, quos nec graviter nec honeste vitam agere deprehendunt; eosque in antecessum moneant, ut videant quid agant, ne postea inaniter conquerantur rejecti. *Maximo, quo possumus, studio* (ad rem Benedictus XIV, *Notific.* LXXXII) *Vicarios foraneos et Parochos hortamur, ne testimonia ordinandis temere impertiant; ut Deum solum, non hominum gratiam, ac benevolentiam sibi ante oculos ponant, cum de virtute illorum testantur... Rei gravitas ac magnitudo, sacerdotis dignitas, qua ipsi præditi sunt, munus quo funguntur, et jusjurandum, quo fidem pollicitu sunt Episcopo ordinanti ac ceteris in ejus locum subrogandis, id postulare omnino videntur.*

Audiendum etiam gravissimum monitum s. Alphonsi, *Homo Ap.*, tr. VII, n. 33: *Debet Parochus apud Episcopum impedire, ne habitus clericalis conferatur adolescentulis aut pueris, qui suis moribus non sunt aliis exemplo; aut saltem indolem ecclesiasticam non præseferunt. Nam si ipsi tacent, et sinunt eos induere habitum clericalem, illi postea adolescerent in otio, et exui habitu erubescentes, per fas et nefas, quanquam vitiis onusti, niterentur ordinari, et Religioni magnæ essent per-*

niciei, cui in principio facile Parochus potuisset occurrere; post vero desperabitur remedium. Velle enim eos postmodum corrigere, esset lapidem verberare, in aqua scribere, aquam e cribro haurire, apud fimum aromata spargere, dormienti loqui, surdo canere, æthiopem lavare, flagellare mortuum. Si lupi sunt, mutabunt pilum, non mentem. *Quid miserius* (iterum s. Alphonsus), *esse potest, quam cernere clericos, qui vix bis aut ter in anno confessi sunt et communicaverunt, Parochi fides audacter præsentare qualibet hebdomada aut bis in mense fuisse confessos et communicatos! De hujusmodi Parochis dicendum est defecisse a fide: nam certe de omnibus flagitiis, quæ committunt isti sic sine Dei vocatione promoti, et de omnibus iis quorum ipsi aliis causa sunt, Parochus sibi Deum vindicem facit.*

Quare, ut securius in sacris Ordinationibus procedat Episcopus, monet Sanctus, ut præter attestationes Parochorum, alias habeat a pluribus personis; sed omni fide dignis.

Hic etiam monendi Parochi quoad proclamationes quæ pro Ordinibus fiunt, ut eas non agant perfunctorie; sed de gravitate rei semper fideles præmoneant, deque obligatione strictissima, qua quisque obstringitur, ut si quid grave sciat contra ordinandos, id in Domino manifestet. — V. Lib. III, *De Ordine*, de ordinandorum probitate.

641. Modi industrii correctionis: hac de re plura tradit Gregorius M., *De cura pastorali*. Industrios etiam modos insinuat Frassinetti (*Manuale pratico del Parroco novello*, nn. 98 et seqq.): Primus corrigendi modus est, ut reus directe commoneatur; porro si persona corrigenda sit spectabilis, caute ac delicate, quantum possibile est, id agendum, ut monitionem bono animo recipiat. Ante omnia Parochus patefaciat suam erga illum observantiam ob ejus animi dotes, ex quibus tantum animum sumit, quem aliunde non haberet. Quod si fidenter aliquid ei notat, hoc est in testimonium suæ erga illum existimationis; ad quod aliunde compulsus est non tantum ratione sui officii, quantum ex ardenti desiderio bonum ipsius procurandi magis ac magis. Indicet tandem culpam ac multa cum simplicitate, illam non exaggerando aut ad vivum pingendo; ne hoc videatur naturam induere exprobrationis; etenim amor proprius nimis fortis est ac delicatus, maxime in talibus, qui continuo nonnisi adulationibus inflantur.

At si prævideatur quod directus corrigendi modus magis offenderet corrigendum, tunc curandum ut correptio fiat per alios, v. g. uxorem, matrem, sororem, parentem, amicum, etc.: qui modus mitior est, cum ruborem non provocet. Attamen aliquis ægre ferre poterit maxime si agatur de pravis moribus, quod corrigatur a matre, a sorore, et multo magis ab uxore; ideo alius modus delicatior: *Questa è* (addit) *indirizzargli una lettera molto rispettosa scritta nei termini più concilianti e anche lusinghieri; in una lettera si può dir molto, e si possono anche sciogliere le difficoltà, che il corretto probabilmente objetterebbe...*

Qualora il Parroco giudicasse non essere prudente valersi di questi mezzi, gliene rimarebbe un altro in molti casi forte ed eloquente, specialmente per le persone ragguardevoli, la correzione negativa.... salutandolo con riserbo più serio e contegnoso, omettere di fargli qualche visita consueta, oppure, facendola, mostrare minore confidenza del solito. V. Lib. II, *De correctione fraterna.*

(O) Pag. 356.

642. Rationalis petitio Sacramentorum: tunc subditi Sacramenta rationabiliter petunt extra necessitatis casum vel præcepti: 1) si periculum aliquod prævideant; vel in tentatione versentur, et gratia Sacramenti opus habeant; 2) si festum notabile per susceptionem Pœnitentiæ et Eucharistiæ colere, Indulgentiam lucrari, aut devotionem statui suo congruentem, exercere velint. Merito etiam observat Gury, peccare graviter Pastores non tantum sine ratione ministerium suum denegantes; sed etiam qui se morosos ac difficile sæpe præbent, quia tali modo fideles a Sacramentis deterrentur, idemque est in praxi, ac si Sacramenta ipsis denegarent.

V. Careno, *Delle regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti, stese in esami pratici;* Esame XIX: *Della ss. Eucaristia*, sapienter scribit: « Per agevolare la frequenza dei Sacramenti voi, o Parrochi, coadjutori e anche semplici confessori, siate pronti al confessionale anche nei giorni feriali. Non vi fate pregare, non lasciate languire i penitenti al confessionale. Nelle feste poi, al primo farsi del giorno, state nel confessionale; se non vi sono penitenti, recitate il vostro Uffizio divino, e aspettateli. È troppo giusto e conveniente alla nostra carità e al nostro zelo, che noi aspettiamo i penitenti, anzi che i penitenti aspettino noi. Gesù Cristo aspettò la Samaritana al pozzo di Sicar *(Joann.* IV, 5). Quante persone vedendo il comodo di potersi confessare si determineranno ad accostarsi al Sacramento della Penitenza. Sacerdoti che non siete confessori, siate pronti da mezz'ora in mezz'ora a distribuire la santissima Comunione; e lasciate il Parroco ed i confessori nel confessionale, ecc. »

643. Præstat item (monet Concilium provinciale Colonien. 1860), ut etiam sabbato et pridie dierum festorum post meridiem seu sub vespero ad Confessiones se conferant confessarii; fideles enim cum promptos illos vident, ad confitendum alliciuntur. Ita ex Scheider, *Manuale Sacerdotum.*

« I Sacramenti (audiatur Gaume, *Catechismo* ecc.) non solo svelano l'uomo all'uomo; gli insegnano inoltre ciò ch'ei deve fare per sostenere la propria dignità in tutte le circostanze della sua vita: noi lo dimostreremo nella spiegazione di ciascun Sacramento. Anche di più: i Sacramenti non sono un insegnamento sterile; essi somministrano all'uomo le forze, l'attitudine necessaria per effettuare quanto gli insegnano; il fedele che ne profitta, è un eroe.

» Eroe nella gioventù. Ei trae al proprio carro le domate passioni: quelle passioni che trascinano gli eroi della terra, che li curvano colla fronte nella polvere davanti infami idoli. Alessandro, Cesare, Platone, se voi mi udiste, arrossireste anche dal fondo dei vostri sepolcri. In luogo vostro è più di uno tra noi, che legge qui la propria storia umiliante.

» Eroe nella virilità. Egli conosce assai bene la nobiltà e la vastità del proprio cuore; egli ha misurata la terra e l'ha trovata troppo angusta; ha veduto le ricchezze, gli onori, tutti gli idoli dall'uomo fatti, e ha detto: io sono più grande di tutto ciò; io sono nato per cose maggiori. E non si è veduto, discendendo a bassi intrighi, disputare i brani sanguinosi del manto dei re, nè rovesciare la società pacifica con ragionamenti e con iscritture; non si è udito, per giungere alla fortuna, mascherando l'egoismo sotto il pretesto del pubblico bene,

ripetere, a tutto ciò che è al disopra di lui, questa ignobile cantilena, riepilogo troppo fedele della storia politica dei nostri tempi: *togliti di costà, onde mi vi collochi io stesso.*

» Eroe nella vecchiaja. L'anima di lui si espande per intero alla vista dell'eternità. Ei vede con calma inalterabile appressarsi l'ultima sua ora: egli stesso conforta coloro che lo attorniano. Quest'eroe i secoli cristiani lo hanno veduto sotto tutti i costumi, in tutti i ranghi della società, ed oggidì noi lo troviamo anche talvolta nelle nostre città, più sovente nelle campagne, sotto la rozza sargia del villereccio. Ecco l'uomo ammaestrato, fortificato, nobilitato dai santi Sacramenti, nelle diverse circostanze della sua mortal vita.

» Che ne dite voi? una società composta di tali cittadini sarebb'ella per avventura inferiore alla nostra? Esaminate; la società ha ella molto guadagnato nella pace, nel disinteresse, nella morale, nella santità, nella buona fede, in una parola, da poi che i Sacramenti sono stati riguardati con disprezzo? Comprendete voi adesso che la Religione, la quale non sembra aver altro oggetto che la felicità della vita avvenire, è anche il mezzo migliore per farci felici fino dalla vita presente? Se voi lo comprendete, se voi siete, come lo asserite, gli amici della società, praticate dunque la Religione, frequentate i Sacramenti. » (Vide quoque *De Pœnitentia* dicenda quæst. ultima, *de* effectibus).

Dices: *si tot sunt Sacramentorum bona, cur hodie tantam Ecclesia luget desertorum multitudinem, qui longe vivunt ab eis?*

R. Martinet: « Præcipua mali causa certe collocanda est in pestilentissimo draconis janseniani flatu. Hujus enim inspector prævidens execrandis pseudo-reformatorum conviciis duplicari apud filios Ecclesiæ religionem Sacramentorum, artes mutavit, cœpitque reverentiam Sacramentis debitam eum in modum celebrare, qui omnes ab eorum susceptione removeret, veneratione in horrorem commutata. Quæ fraus ei bene cessit non solum apud sectatores Jansenii, famosos parcissimo Sacramentorum usu, sed etiam apud non paucos Theologos præteriti ævi, qui utut alieni a dogmatibus jansenianæ scholæ, nimiam hujus severitatem non satis caverunt in definiendis dispositionibus necessariis ad salutarem frequentationem Sacramentorum. Cui causæ omnibus obviæ, aliam subjicimus sitam in methodo docendi populum parum apta animis ad fidem et desiderium Sacramentalis gratiæ convertendis. Ad vincendam enim in peccatoribus alienationem a Sacramentis, parum est eis demonstrare obligationem divinitus impositam ea suscipiendi, nisi simul aversio curetur (animosa et, quantum fieri potest, splendida) expositione bonorum spiritualium et etiam temporalium, quæ ex debita Sacramentorum frequentatione diffluunt non modo in suscipientes, sed in familias, totamque societatem. Toti igitur esse debent *dispensatores mysteriorum Dei* in suadenda hac veritate: Sacramenta fuisse a Redemptore amantissimo instituta, non ad onus, sed ad levamen lætissimamque pacificationem animarum, etc.» *Institutiones Theologicæ*, vol. IV, l. II, a. 2. — Hic *integer legendus* (ut verbis utar Pii VI, qui librum commendat quammaxime), id est: *La lega della Teologia moderna colla Filosofia ai danni della Religione;* Novara, tip. Miglio; Opus p. Rochi Bonola Novariensis e S. J. an. 1789. *V.* Torricelli, *Dissertazioni*, vol. VIII.

644. De Hospitalibus: gravissimis de causis et quadam veluti necessitate inductum est, ut hospitalia a Parochorum jurisdictione eximerentur, et capellanus quoad infirmos ceterosque ipsis inservientes proprius veluti Parochus constitueretur tum quoad Sacramenta, tum

quoad funera; si enim adhuc jus permaneret Parochis, magna confusio esset, cùm infirmi sint diversarum Parœciarum. Excipe forte hospitale oppiduli, in quo facile posset Parochus, per se vel per vicarium, ægrotis præsto esse. — *V.* Bouix, *De Parocho*, Append. I; — De-Luca, *De Parochis*, Discursus XXIII; — Laurenius, *Forum beneficiale*, parte 1ª.

Ad rem autem quoad infirmorum curam, Balmes, *Il Protestantismo comparato al Cattolicismo*, cap. XXXIII: « Guai agli infelici, che non ricevono soccorso nelle miserie loro, che per mezzo della amministrazione civile senza intervento della cristiana! Nelle relazioni che si porgeranno al pubblico, la filantropia vanterà oltre misura le cure da essa prodigate all'infortunio; ma veramente non sarà stato così. L'amor dei nostri fratelli, se non è da principii religiosi, abbonda tanto di parole, quanto ha penuria di fatti. L'aspetto d'un povero, d'un infermo, d'un vecchio impotente, è cosa troppo ingrata, perchè possiamo lungamente tollerarla, se motivi superiori non ce la impongano. Non è quindi sperabile che le cure penose, umilianti, continue, delle quali è bisogno al soccorso di questi infelici, possano essere qual *si conviene*, eccitate da un vago sentimento d'umanità. No, dove manca la carità cristiana, può essere puntualità, esattezza; è quanto abbiam diritto di pretendere da gente pagata per servire, se l'amministrazione dello stabilimento è buona; ma sempre una cosa mancherà cui nulla supplisce, una cosa che non si paga, l'*amore*. Dunque si dirà: Voi non credete alla filantropia? No, perchè, come ha detto Châteaubriand, *la filantropia è la falsa moneta della carità.* » — V. *Memorie di Modena*, vol. XIV e XV: *Delle consolazioni e dei conforti che la Religione di G. Cristo arreca in tutte le necessità.* — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. II, pag. 536,

645. Missæ in Festis suppressis: Missæ sacrificium a Pastoribus applicari debere pro populo ipsorum curæ commisso, uti ex divino præcepto descendens, a Tridentino diserte exprimitur (sess. XXIII, c. 1 *de Ref.*) per hæc notabilia verba: *cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro iis Sacrificium offerre.* Circa hæc nulla unquam difficultas mota fuerat: dubium erat tantum, quoties ad id tenerentur Parochi: in quo olim non una erat sententia. Alii docebant ad hoc toties teneri Parochos, quoties celebrant; alii omnibus festis diebus; alii diebus singulis, si divites essent (*v.* A-Montazo, *De causis piis*, l. II, c. 4). Benedictus XIV, Bulla *Cum semper* 19 maji 1774, omne dubium sustulit decretorie declarando, illud divinum præceptum bene impleri applicando Sacrum omnibus, qui tunc erant festis diebus; idque observandum mandavit. (Vide Ferraris; V. *Missæ sacrificium*, art. 3.)

Hisce prænotatis:

1. Dicimus, quia populus in aliquo festo dispensatur ab audiendo, non ideo etiam dispensari Parochum a Sacro applicando: neque enim hæc duo sunt correlata, ut unum includatur in alio; et uno relaxato, et aliud per se dispensatum sit. Sane *præceptum applicandi* est a Deo, qui illud reliquit determinandum ab Ecclesia; cum porro Ecclesia per Benedictum XIV declaraverit satis illud impleri per applicationem quæ fit diebus festis (qui tunc erant de præcepto); ideo etiam nunc satis impletur per hujusmodi applicationem talibus diebus factam: non autem satis impleretur, si hodie nunc Parochorum applicatio se restringeret ad dies festos, qui nunc vigent. *Præceptum vero audiendi* est immediate ab Ecclesia, quæ illud protulit, ut melius diem festum fideles sanctificarent: cum vero alia media sint, quibus id possit a fidelibus

præstari, ideo illud præceptum temperavit, injungendo, uti apud nos, alia pietatis exercitia, jejunium scilicet tempore Adventus. Illud autem: *toties tenentur Parochi applicare, quoties tenetur populus audire*, regula erat merito inducta communi loquendi modo, quando illi dies sibi essent correspondentes: hodie vero cum amplius non sibi correspondeant, sed aliter statutum sit a legitima auctoritate, vulgaris illa regula non amplius locum habere potest. Ergo Parochus tenetur Sacrum pro populo applicare etiam illis festis quæ post Benedictum XIV suppressa fuerunt; nam hæc suppressio liberat tantum fideles ab audiendo. Ita pluries pro variis orbis partibus declaravit S. C. Congregatio, specialiter a Pontifice deputata, ut 28 martii 1801; 10 sept. 1818; 18 maji et 27 aug. 1824; 14 junii 1841.

2. Neque obstat, quod nonnulli Episcopi, quibus demandatum fuit Breve Pontificium pro festorum reductione, ut illud publicarent, ab applicatione illa deobligaverint Parochos; cum evidenter dicendi sint non bene explanasse mentem Pontificis, utpote qui de sola festorum observantia loqueretur, ac dispensaret fideles a Sacro audiendo, sed ne verbum quidem fecerat de applicatione Parochis injuncta: imo expresse decernit: *nihil quoad chorum esse innovandum relate ad functiones ecclesiasticas:* quæ verba hanc Parochorum obligationem includunt, ut ipsimet Pontifices declararunt per organum S. Congregationis Concilii. Hinc cum Episcopus Novariensis quæreret, an Parochi suæ Diœcesis ad hanc applicationem adhuc in festis suppressis tenerentur, humiliter exponebat ad R. Pontificem, *quod jamdudum in sua Diœcesi invaluit opinio eos, qui curam habent animarum, non teneri Missam pro populo applicare diebus festorum, quæ suppressa aut translata fuerunt vigore Indulti Apostolici Pii VI* 1786, *et Pii VII* 1814. *Eo magis prædicta opinio vim habuit, quod cardinalis Costa, archiep. Taurinensis, cui executio primæ reductionis commissa fuerat, aperte declaravit sub die* 21 *junii* 1786 *dictam obligationem in diebus festis suppressis in regno Pedemontano, non vigere;* S. Concilii C. de expresso Pontificis mandato declaravit 9 junii 1848, Parochos ad applicationem teneri.

Sed cum ex mente multorum hæc responsio non omnes difficultates auferre videretur pro Novariensi Diœcesi, ut ipsorum votis annueret Episcopus, novo ad R. Sedem recursu exposuit: « 1) quod non pauci ex suis Parochis tenues habent reditus; 2) quod Episcopus antecessor Vict. Philippus Melano, Edict. 21 dec. 1793 notificando reductionem festorum Apostolica auctoritate qua se præditum declarat, conceptis verbis ait, quod in festis, quibus populus dispensatur a Sacro audiendo, etiam Parochus remanet solutus ab eo applicando; 3) quod ab eo tempore, spatio annorum circiter quinquaginta, ea semper viguit in Parochis consuetudo, scilicet non applicandi, quin ullus reclamaverit Episcopus, vel dubium de obligatione in illis exurgeret; 4) quod in Novariensi Diœcesi nulla est obligatio audiendi Missam in festis suppressis; 5) quod die 9 nov. 1814, Sede episcopali vacante, Vicarius capitularis, publicans Breve Pii VII datum 9 nov. ejusdem anni, quo scilicet nonnulla festa reducta in pristinum vigorem restituebantur, expresse declarat in iis festis restitutis de novo exurgere obligationem Sacrum applicandi pro populo; ergo pro adhuc suppressis ea obligatio non est. » Quid ad hæc? En responsum, cujus autographum extat in Secreteria Episcopali datum 7 dec. 1848: *S. C. Em. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, vigore facultatum a Ss. Domino Nostro ipsi specialiter tributarum Episcopi oratoris precibus annuens facultatem Eidem impertita est, ut, firmo remanente Parochis onere applicandi Missas pro populo diebus festis reductis, ad quatuor tantum*

in singulos annos et pro iis Parochis dumtaxat, quos congruæ tenuitate laborare censuerit, per triennium proximum tantum pro suo arbitrio et conscientia gratis reducere possit et valeat.— Subscriptus: *A. Card. Majus, Præfectus.* »

Habemus item responsum S. C. C. datum in *Mechliniensi* 25 sept. 1847: quæsitum fuit: 1) an Parochi debeant sanctissimum Missæ sacrificium pro populo offerre diebus dominicis et iis etiam festis diebus qui per Indultum Apostolicum 9 apr. 1802 suppressi sunt, licet hujus obligationis nova promulgatio ab Episcopo Diœcesano non fiat; 2) an consuetudo unquam legitima haberi possit, vi cujus Parochi non applicant pro populo Missæ sacrificium aut dominicis aut saltem prædictis festis diebus suppressis? S. C. C. respondit ad 1: *affirmative;* ad 2: *negative.* Apud Bouix, *De Parocho*, parte 5ª. Tandem res definita est per Encyclicam Pianam supra memoratam in textu; adeo ut hodie disputationi sit finis.

646. Quæres 1: *an possit Parochus, accedente justa et legitima causa, adimplementum Missæ pro populo applicandæ alio sacerdoti committere seu per alium sacerdotem hanc Missam celebrare facere?*

Affirmative respondit S. Rituum Congregatio 22 julii 1848. Attamen advertendum, quod non omnes causæ, etsi videantur tales, sunt habendæ ut justæ ac legitimæ. Hinc S. Congregatio Concilii in Fesulana, 26 jan. 1771, ad dubium: 1) *an Parochi in dominicis aliisque festis diebus, præsente cadavere, possint celebrare Missam pro defuncto, et ad alium diem transferre Missam pro populo applicandam, in casu.* Et quatenus negative; 2) *an saltem applicationi Missæ pro populo supplere possint per alium sacerdotem, in casu,* etc.— Respondit: ad 1: *negative;* ad 2: *negative.* Hoc iterum non est accipiendum absolute; nam Benedictus XIV, Indulto *Quod expensis* 26 aug. 1748. habet, quod *juxta odiernam disciplinam liceat presbytero, relicta Missa de die, Missam pro defuncto, si præsens sit corpus cum cantu celebrare, nisi tanta fuerit diei solemnitas quæ Missam pro defunctis omni modo excludat.* Unde responsio S. Congregationis videtur intelligenda de casu, quo Parochus Missam pro defuncto non possit per alium celebrare; si enim potest, Parochus Missam pro populo applicet, et alio sacerdoti Missam pro defuncto decantandam committat, cui quidem tribuat eleemosynam, quæ solet pro manualibus, et aliquid amplius pro incommodo. Non enim stricto jure totum quod accipit, tenetur dare Parochus: cum et ipse gaudere possit privilegio ceterorum beneficiatorum, dum Missas proprii Beneficii alteri tribuunt celebrandas, ex dicendis *De Sacrificio.*

647. Quæres 2: *an etiam capellani, beneficiati, canonici,* etc., *qui ex lege fundationis tenentur applicare Missam diebus festis, debeant adhuc applicare in festis reductis, uti Parochi?*

R. Alii negant, nisi in fundatione expresse cautum sit, vel aliud clarius eruatur; nam ratio diversa est: Parochi obligantur divino præcepto ad celebrandum, quod quidem non præscribitur, sed ab Ecclesia tantum explicatur. At beneficiati obligantur a fundatore, cujus mens est, ut celebrent ad hoc, ut populus præcepto Missæ faciat satis: cum igitur non amplius teneatur populus audire, ideo nec simplex beneficiatus celebrare. Sed alii merito affirmant, tum quia per suppressionem nihil est immutatum quoad *officia in Ecclesia*, et adhuc habentur festa suppressa uti de præcepto quoad res ecclesiasticas; tum quia in Brevibus reductionis expresse cautum est, ut omnia peragantur uti prius in liturgia; et hoc maxime currit de festis ultimo suppressis a Pio IX in Regno Sabaudiæ 6 sept. 1853; nam conceptis verbis Pontifex declarat, omnia in futurum (quæ ad sacram liturgiam

pertinent) esse similiter agenda, tum *quoad chori servitium et Missarum celebrationes, tum quoad alias functiones ecclesiasticas.*

Res autem pro omnibus suppressionibus resoluta fuit a S. C. C. per responsum Novariensi Episcopo: quæsitum nempe fuit: *Cum plura Beneficia a fundatione onus habeant Missæ in omnibus festis diebus applicandæ, dubium emergit, utrum singuli beneficiati ad id obligentur etiam in festis hucusque ab Apostolica Sede suppressis?* Die 15 decembris 1856 responsum fuit: *juxta resolutiones alias in similibus editas, teneri.* Quod quidem, paritate rationis, videtur dicendum de capellanis et legatariis; nam festa reducta semper habentur in Ecclesia ut festa de præcepto. Ideo prima sententia in praxi nequit amplius sustineri; neque appellari potest privilegio aut consuetudini.

648. Nota: Ad tramitem Pianæ Encyclicæ, ubi præsens quæstio quoad Parochos resolvitur, parochi Vicariatus Gaudiani in Novariensi Diœcesi recursum habuerunt ad S. C. C. pro exoneratione applicandi Missas reductas, attenta paupertate Parœciarum quibus præsunt; gubernium enim annuatim solvit 100 libellas, ut illæ Parœciæ ad annuum reditum pertingant 500 libellarum (franchi). Responsio S. Congregationis missa fuit Novariensi Episcopo sequentis tenoris sub die 11 jan. 1859:

R. Domine uti frater,

Antequam Eminent. PP. S. C. Concilii quidquam decernant circa adjunctas preces Parochorum Vic. Gozzano, Amplitudinem Tuam audiendam esse censuerunt. Ipsa igitur super expositis S. Congregationem distincte instructam reddat et referat de annuo reditu et oneribus, comprehensis incertis, utriusque stolæ uniuscujusque Parœciæ in apposito prospectu describendis; et an in respectivis Parœciis adsint beneficia, capellaniæ vel legata pia, ex quibus Parochi aliquod emolumentum percipiant. Animique sui sensum aperiendo preces ipsas remittat Amplitudo Tua, cui Nos interim fausta omnia precamur in Domino.

Res suscepta suspensa remansit; nec amplius supplicatum fuit.

649. S. C. Congregatio 25 sept. 1858 interrogata: 1) an Parochus qui duas Parochias regit, et facultatem habet bis in die celebrandi, utrique Parochiæ suam Missam applicare teneatur, etsi reditus sint exigui; 2) an Parochus qui in eadem Parœcia ex facultate bis eadem die celebrat, utramque Missam gratis applicare debeat? 3) an vicarii et alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando ex facultate bis in die celebrant in Parœcia, hospitalibus, etc., gratis debeant applicare? Respondit: ad 1: *affirmative;* ad 2: *negative*, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa; ad 3: *negative*, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa. — V. *Analecta Juris pontificii*, 1859, pag. 1353. — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. I, pagg. 418, 432, etc.

650. Alia dubia: 1) an Vicarii apostolici et Missionarii, qui quovis modo suscipiunt animarum curam in aliquo determinato loco, teneantur indiscriminatim ex justitia applicare Missam pro populo diebus festis? 2) in quosnam Vicarios apostolicos et Missionarios ejusmodi onus incumbat? 3) an illis qui ex justitia non tenentur, responderi debeat *decere ex charitate, vel teneri ex charitate* ad applicandam Missam pro populo? 4) an probata formula: *teneri ex charitate*, intelligi debeat de obligatione sub gravi? 5) an Vicarius apostolicus Surinæ, ceterique Missionarii ejusdem Vicariatus, teneantur ad Missam applicandam pro populo? 6) an Episcopus N. qui officium Parochi exercet, ap-

plicatione Missæ pro suis diœcesanis, satisfaciat quoque obligationi, qua tenetur ob parochiale officium? 7) si idem Episcopus non satisfaciat obligationi Parochi propriæ, quoad applicationem pro populo, quid dicendum super præteritis omissionibus?

S. C. de Propaganda fide. 23 martii 1863, respondere censuit: Ad 1: *negative, dummodo non agatur de locis in quibus Sedes episcopalis ac Parœciæ canonicæ erectæ jam sint, atque ad ea Vicarius apostolicus et Missionarii missi sint ut legitimorum pastores vices gerant.* Ad 2: *provisum in primo.* Ad 3: *vitandam esse locutionem* teneri ex charitate; *dicendum autem esse* decere ex charitate, *idque ita ut nulla propriæ dictæ obligationis significatio appareat.* Ad 4: *provisum in tertio.* Ad 5: *negative et dentur decreta* 28 jan. 1780 et 5 febr. 1803. Ad 6: *juxta exposita negative et ad mentem.* Ad 7: *ad dominum Secretarium cum Sanctissimo.* — V. *Acta S. Sedis*, vol. I, pag. 407. — It. *De festorum suppressione* vide plura Lib. IV, *Append.*

(P) Pag. 357.

651. Capellani, Vice-Parochi, Sacerdotes tempore pestis: etsi isti non teneantur ex justitia residere et administrare, sicut Parochi, attamen probrosum, si ipsi fugerent, vel Sacramenta ministrare renuerent; charitas urget omnes, maxime illos, qui deputati sunt. Episcopus hosce, sicut et omnes beneficiatos potest obligare (etsi non sint in cura animarum), ut tempore pestis, contagii, vel epidemiæ resideant; quia tunc maxime urget ratio. Imo et ceteros ecclesiasticos adstringere potest, si necessitas impellat; sane eo in casu jam ipsi obligantur residere ratione charitatis; porro quando necessitas sit vel non sit impellens, maxime est Episcopi judicare.

Quanquam vix ac ne vix quidem potest dici tempore pestis non adesse veram necessitatem pro omnibus tum residendi, tum administrandi Sacramenta; pro Parochis quidem charitatis et officii ratione, pro ceteris ratione charitatis; in tanta enim multitudine (merito ait Layman) moraliter certum est multos adesse qui in peccatis versantes, suæ æternæ saluti prospicere non poterunt, ob ignorantiam eliciendi actum contritionis perfectæ. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 27; et *Homo Apost.*, tr. IV, n. 14. — Et Lib. VI *Append.*

652. Capellanus. *a)* Si capitale pro Missis otiosum et infructiferum remaneat absque culpa Ecclesiæ vel capellani: puta, si capitale in censu consisteret (qui fuit restitutus), donec capitale fuerit versum in bona frugifera, Ecclesia vel capellanus non tenebitur ad Missas. Item, pereunte capitali capellaniæ, cessare quoque debet Missæ celebrandæ obligatio. *S. C. C.* 7 jan. 1687.

b) Capellanus non tenetur per se ipsum celebrare, nisi id cautum sit in fundatione. Non tenetur, si in fundatione dicatur tantum: *ut Missæ celebrentur ab eo capellano qui fuerit electus*, vel *hæres teneatur eligere capellanum, qui in qualibet hebdomada celebret Missas quatuor.* Ita *S. C. C.* jan. 1669; 18 martii 1684.

c) Ratione honestatis, et causa devotionis, capellanus qui tenetur per se quotidie celebrare, potest semel in hebdomada per alium celebrare. *S. C. C.* 10 martii 1623.

Quoties autem hic possit in anno a celebratione abstinere, quin teneatur per alium celebrare, *S. Congregatio* distulit resolutionem (unde consulendi probati auctores). *S. C. C.* 18 sept. 1683.

Sed quid si capellanus onus habeat celebrandi quotidie, et si non celebret, solvat duos julios pro Missa non celebrata, poterit ex supradictis causis aliquando vacare? *Non posse: S. Concilii Congregatio* respondit, 17 septembris 1665.

Nota. De capellanis militum plura lib. IV, *Append.* 5.

(Q) Pag. 360.

653. Ecclesiasticorum operositas: si omnes et singuli ecclesiastici ratione proprii status tenentur fidelium salutem curare, jam deducere est quid de illis presbyteris pronuntiandum, qui Breviarium recitandi ac Missam celebrandi contenti, in ceteris de ope roganti Parocho vel Prælato respondent, se nullum obtinere Beneficium, quo ad id cogantur: sicque otiose vitam agunt, inutilem aliis, noxiam sibi; otium enim docet omnem malitiam. Si non Beneficium, Ordinem habent, quem vacuum tenere prohibentur; habent Dominicum præceptum, quo mittuntur ad opus ministerii; habent universale præceptum charitatis, quo unusquique tenetur bonum proximi, maxime animæ, curare. Hosce cum Juda Apostolo nuncupare fas est *nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur; arbores autumnales, infructuosas, bis mortuas, eradicatas; fluctus feri maris...; sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.*

Sacerdos ne etiam obliviscatur solemnitatum promissionis in sui Ordinatione emissæ; ponens enim manus suas junctas inter manus Episcopi dicentis: *promittis mihi et successoribus meis reverentiam et obedientiam?* respondit vix Communione refectus, vestibus sacris indutus, noviter sacerdos, in templo Domini, in faciem Ecclesiæ, coram Deo, Angelis et hominibus: *promitto.* Quæ porro Episcopo reverentia, si illum parvi faciat, atque apud ipsos sæculares homines dehonestet? Quæ obedientia, si infinitis studeat prætextibus, ne obtemperet ejus mandatis cum ad excolendum dominicum gregem mittitur? *Ecce mundus totus Sacerdotibus plenus, et tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator*, ajebat s. Gregorius *(Hom.* XVII). Videamus, ne ista de nobis etiam dici possint, qui ut ordinaremur promisimus, ordinati renuimus. — *V.* Dubois, *Il santo Prete*, cap. VIII; — Mauro, *Il Sacerdote novello guidato all'esercizio del suo sacro ministero.* Firenze, 1867.

654. Ecclesiasticorum obedientia: hac nostra tempestate non parum juverit hæc etiam verba referre cl. Riccardi, *Dei mezzi di promuovere l'Educazione religiosa*, c. VIII: « La subordinazione che assicura la disciplina, che consolida l'autorità, che forma la gloria della Chiesa, comincia nei preti verso i Parrochi; e segue nei Parrochi verso i Vicari foranei; continua nei Preti, nei Parrochi, e nei Vicari ai Vescovi; quindi dai Vescovi ai Metropolitani. Ma non è perfetta, se non finisce nella sommissione di tutti al supremo Gerarca, al Vicario di G. C., al Pontefice Romano. In questo Capo risiede la vita di tutto il corpo del Sacerdozio, e da questo Capo parte lo spirito di tutte le Chiese. »

« *D'onde vengono* (domanda s. Cipriano) *gli scismi e l'eresie, se non da ciò, che il Vescovo, il quale è uno e presiede alla Chiesa, viene disprezzato; e questo uomo che è onorato dalla degnazione divina, da taluni viene giudicato?* Dice: *il Vescovo è uno*, ossia è principio di unità nella sua Diocesi o Chiesa particolare, come il R. Pontefice lo è nella Chiesa universale, e come il padre lo è nella famiglia (dice

s. Tommaso), il capitano nell'esercito, il re nello Stato. Ciò posto, il disprezzare il Vescovo, questo principio di unità, a che può riescire se non ad una separazione? e la separazione che altro è mai se non lo scisma? *Il Vescovo presiede alla Chiesa*, ossia la governa colle leggi e l'ammaestra colla dottrina. Ora il giudicare colui che è rettore e maestro nella Chiesa, se non inchiude già una negazione della dottrina da lui insegnata, accenna però una disposizione a negaria, essendo troppo facile il passo da questa a quella. E un tal passo è più breve e facile ancora, quando consti con certezza che il Vescovo disprezzato e giudicato è unito al R. Pontefice, capo e maestro della Chiesa universale: e nelle cose appunto per le quali è disprezzato e giudicato, non fa altro che rappresentare la persona di quel capo, e ripetere gli insegnamenti di quel maestro. » (Vittadini, Opuscolo, *Mons. Caccia* ecc.)

« Punto essenzialissimo, e bisogna convenire (ad rem Dubois), si è l'obbligo che stringe ogni prete di accettare l'uffizio che il suo Vescovo gli destina. Che resterebbe più il ministero episcopale, se dovesse stare a' capricci, ai gusti, alle volontà de' suoi soggetti? Se le osservazioni ne pajono giuste intorno a punti ignorati, si facciano pure; ma sempre pronti a cedere, se non sono valutate, senza mettere innanzi nuove scuse o intercessori. Il fatto dell'accettazione d'un ufficio dal Vescovo, forma, a dir così, una vocazione nella vocazione, ed è un contrariare ai divini disegni, non obbedire. »

655. Dices: « *Ma se il Vescovo lascia la libertà?*

» R. Se alcune volte non insiste di vantaggio, è solo per un sentimento di paterna bontà e condiscendenza; ma la sua volontà, il suo desiderio essendoci bastantemente noto, sarebbe pregio dell'opera accondiscendere. Il buon prete obbedisce pronto senza lagnarsi: egli sa che la volontà del Vescovo è per lui la volontà di Dio. Almeno obbedisce senza dar segno di ripugnanza, specialmente ai fedeli a cui è destinato; imperocchè sa, che i fedeli quanto pigliano amore al santo prete che viene a loro contento, altrettanto si disaffezionano, anzi si scandolezzano se veggono il vice-parroco, il prete venir a loro per forza, stare con loro di mala voglia, e contare l'ora d'andarsene via da loro. » *Dubois.*

656. Dices: *At obsequium nostrum debet esse rationabile.*

« R. Sì; ma e non è ragionevole che il superiore comandi, e i soggetti obbediscano? che i posti della Chiesa sieno designati dai supremi reggitori? Non è ragionevole che dinanzi al bene pubblico taccia ogni meschino appicco? e trattandosi delle anime che a Dio costano il sangue, non si cavino fuori mai più tante fastidiose difficoltà? nè più si mettano innanzi tanto bassi e personali e mercenari riguardi?... Guai al chierico, al seminarista, al prete, sulle cui labbra compajono quelle parole da ribelli: *questa è tirannia, è dispotismo, è cosa arbitraria!* » Ad rem nostram d. Franciscus Xaverius scribit: *Ortus, occasus, auster aut boreas perinde sunt omnia, uno in his cunctis observabili ad electionem discrimine, ubi plus minusve opportunitatis effulgeat divini honoris luculentius utiliusque promovendi.... Sic tecum reputa, quasi purgatorium isthic tuum sit; et agnosce non vulgare Dei beneficium indulgentis tibi, ut vivens spiransque summo gratiæ quæstu, ærumna multo minore, peccata juventutis expies.*

« Quando il dovere (ait laudatus Vittadini) di obbedire fosse discutibile, sarebbe illusorio e nullo nella pratica. Eh! le passioni ingegnose saprebbero ben esse trovare sempre pretesti di eluderlo per modo che tutta l'autorità de' superiori sarebbe un diritto di coman-

dare senza mai ottenere l'obbedienza. L'esperienza pur troppo ne convince che chi suol chiamare a sindacato i comandi de' superiori, d'ordinario reagisce, non obbedisce. Non bisogna pigliar l'uomo in paradiso, ma qui sulla terra col suo orgoglio che sdegna ogni soggezione, colle sue passioni che fremono contro ogni giogo, per sapere che debbasi aspettare da un'obbedienza che discute. Ma pigliamo pure l'uomo anche nell'Eden: che vediam noi? la prima disobbidienza che fu al mondo, al primo precetto che fosse imposto e direttamente da Dio stesso, fu figlia dell'obbidienza che discute.... Ecco la genesi, la storia di tutte le disobbidienze che furono al mondo, e che hanno rivoltato gli inferiori contro i superiori, e i figli della Chiesa contro la loro madre. » — *V.* Ferraris; V. *Obedientia;* — Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIX: Rispetto e sommessione al proprio Vescovo.* — Et Lib. II, tract. VII, append. c. I: *De obedientia;* it. Lib. IV, append. I: *Avvisi agli ecclesiastici.*

657. Ecclesiasticorum concordia: ad hoc, ut susceptæ pro Ecclesia curæ secundissimos habeant exitus, summa extet concordia opus est consensusque animorum inter omnes de clero. Præstat sane ut quos una simul in defensione sui Nominis adunavit Deus, unam colant et fidem mentium et pietatem actionum, scilicet *eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam* (Prov. X). Etenim *frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma* (Prov. XII). Qui ergo quærit quæ sunt Christi, non quæ sua sunt, ceteris se consociat, cum agitur de divina gloria tuenda; neque pertinaciter suum sensum sequitur, qui debet sanctam unitatem curare: quomodo stabit populorum religio, si ejus ministri se invicem mordent? De primis ipsis Ecclesiæ temporibus s. Chrysostomus ajebat: *si dissensio fuisset in discipulis illis, omnia peritura erant* (Hom. LXXX *in Joann.*). At quia conjuncti fuerunt, notum est *veteres illos catholicæ fidei propugnatores* (ut verbis utamur Pii IX, 9 decembris 1854 Allocutione *Singulari) de pertinacissimis hæresibus retulisse victoriam, quum scilicet una secum et cum Apostolica Sede tanquam cum Duce suo conjuncti milites, firmo animo erectoque in certamen descendissent.*

« Dove i preti (ad rem Riccardi) sono in discordia, là v'è scompiglio e malvagità. Si biasimano, si abbandonano, si attraversano in tutti i disegni. Il servizio divino ne soffre: il Parroco stesso diventa la vittima delle loro discordie. Non può coltivare uno senza disgustare gli altri; non può prendere le difese di questo, senza irritar quello. Se uno frequenta la di lui casa, gli altri si assentano. Che se il mostro della discordia arriva a tanto di suscitare i preti contro il Parroco, allora il male è al colmo. Si allontanano dalla sua persona, strisciano sulla porta di tutti i secolari senza mai toccare quella del Parroco. Frequentano certe case, dove non possono parlare che d'interessi, o di vanità secolari; ma non fanno mai una visita al proprio Pastore, col quale si possono avere tanti oggetti di conferenza per il privato e per il pubblico bene. Osano allegare, che non vi sono ben ricevuti: col Parroco tutto pel sottile, non così coi secolari.

» Qui non è che l'indizio dei dolori. Lo abbandonano nei suoi maggiori bisogni; gioiscono di vederlo impegnato e sagrificato nei suoi doveri senza che possa arrivare a tutti. Lo contraddicono nelle stesse sagre funzioni; e fra i recinti del tempio, e negli atrii del Signore succedono talvolta scene, che svegliano il dolore e la meraviglia dei fedeli. Non basta ancora: come gli Scribi ed i Sacerdoti della Sinagoga, si cacciano fra la plebe per incitarla a gridare ella stessa il *cru-*

cifige. Una volta lo accusano, che non fa: un'altra volta che fa troppo, o che fa male. Non può intraprendere un'opera, che non sia soggetto delle loro critiche. L'adempire ad un dovere fornisce spesso un motivo di accusa. Se protegge i poveri, gli suscitano contro i ricchi; se preferisce di stare coi ricchi, lo accusano presso i poveri. In luogo di entrare nelle sue circostanze, non lo guardano che colla vista delle proprie passioni. Il popolo osserva, e ne resta scandolezzato. »

658. Hic audiendus Nazianzenus: *Quis orationem huic calamitati parem invenire queat? latrones, quos scelus inter se devinxit, pacem colunt... nos autem nullo concordiæ fœdere ac vinculo constringi, nec unquam in unum coire possumus... Cur qui charitatem colimus mutuis odiis flagramus? qui pacem, implacabile et inexpiabile bellum gerimus? qui angularem lapidem, diripimur et distrahimur? qui petram, concutimur? qui lucem, caligamus?... Prius nec supervacaneum aliquod verbum proloqui periculo carebat: nunc autem etiam summa pietate præditos conviciis proscindimus... Neque id solum: verum etiam ipsorum (profanorum) aures mutuis in nosmetipsos probris et contumeliis pascimus; ac ne illud quidem perspicere possumus, minime tutum esse arma hosti committere; nec ei qui christianos odit, sermonem adversus christianum. Nam quod hodie probo objicimus, idem nobis postero die objicietur... Quæ hæc caligo est? qui hic nocturnus conflictus? quæ hæc tempestas, amicos ab hostibus non internoscens? cur vicinis nostris opprobrium facti sumus, subsannatio et derisio his, qui in circuitu nostro sunt? Quodque omnium gravissimum est, hæc criminatio non in nobis consistit, verum ad magnum et venerandum nostrum ministerium transit,* etc. (Orat. III *De pace).* Gli empi (ad rem item Frassinetti.) conobbero che il gran segreto della forza sta nell'unione: perciò formarono, quasi diremmo, una repubblica universale, nella quale tutti i membri agiscono di concerto, fino all'estremità della terra; e affinchè l'unione fosse più forte e più animata stabilirono ovunque conventicole..., in cui raccolgonsi più spesso che possono, per trovare e concertare ognor nuovi mezzi, coi quali mettere il mondo a soqquadro. Ma la disgrazia del buon partito è l'*isolamento*, scrisse un gran genio del nostro secolo. » — V. Ramière, *Manuale dell'Apostolato della preghiera*, art. *Potere terribile dell'associamento de'malvagi.*

Concordia etiam cum ipsis *Regularibus* ac religiosis hominibus maxime fovenda est, si velimus ut opus Dei progrediatur in domo Domini. — *V.* Massillon, *Conferenze ecclesiastiche;* — Lanfredini, *Lettere pastorali al Clero* ecc. — Audisio, *Educazione morale e fisica del Clero*, lib. III, c. 9; — *Metodo per la direzione delle anime;* — Dieulin, *Il buon Pastore nel secolo XIX*, t. I: *Armonia fra gli ecclesiastici.*

(R) Pag. 362.

659. Quæres: *Clericus in vitiis recidivus ordinarie estne repellendus a sacris Ordinibus non tantum si in peccato turpi, sed etiam si in aliis vitiis sit habituatus?*

R. Affirmative, servata proportione; nam et per alia vitia semper illa positiva bonitas excluditur, quæ Ordinibus prærequiritur: Juvenes igitur (omnia notentur) *ebriosi, superbi, elati, iracundi, susurrones, qui divisiones excitant, qui disciplinam oderunt, qui nulli parcunt, leves rebus externis dediti, raro bene recollecti, circa pietatem indifferentes, in studiis negligentes, scientias ecclesiasticas fastidientes, libros profanos*

magis amantes, sæpe moniti et non emendati, nunquam sancti erunt sacerdotes: ab Ordinibus perpetuo maneant exclusi. Ideo Seminariorum Directores ac confessarii omnes, et qui eos audiunt, enixe a Deo petere debent *auxilium*, quo in re tanti momenti recte judicent; item *fortitudinem*, qua indignos perseveranter repellant, eos in antecessum monentes, ut sibi opportune ac tempestive provideant, ne, Ordinationum tempore adventante, taliter indigni in quandam desperationem conjiciantur; cum ex una parte nullimode possint accedere, ex alia nec recedere sciant, dicteria hominum suspicionemque nimium timentes. Ne confessarii credant verbis, quæ transeunt; sed inquirant facta, quæ permanent: en peritorum consilium. Credant ergo expertis, et falsa eos pietas non decipiat cum tanto fidelium scandalo, atque catholicæ Ecclesiæ damno.

660. *Quid si clericus affirmet se ab Ordine sacro abstinere non posse sine gravi scandalo et sine infamia; quia jam probatus, jam domo receptus ad Exercitia spiritualia, et instat dies ordinationis et jam omnia parata sunt?*

Si non viderem extraordinaria signa, non absolverem; nam nulla infamia, scandalum nullum, si dicat se velle maturius de tanto statu perpetuo eligendo cogitare, et melius se disponere, ut vel ipsi optimi faciunt. Si non acquiescat, ipse videat; sibi provideat per contritionem perfectam: quantum ad me est, adhuc non absolverem (ex dicendis *De Eucharistia*, de dispositionibus; Lib. III).

661. Dieulin *(Il buon Pastore nel secolo XIX*, t. I) vult a Sanctuario arcendos juvenes pravæ indolis, si eam efficaciter vincere atque ad bonum flectere non curant, ob pessimos exitus; ait enim: « In generale giova tener lontano dal Santuario: 1) gli uomini senza tatto e senza criterio, i quali operano a precipizio senza riflessione, teste deboli... 2) gli uomini d'indole ipocondriaca ed attrabiliare, di imaginazione lugubre, fantastica, facili a' paradossi e ad idee bizzarre; gli esseri di questa classe per l'usato sono capricciosi, borbottoni, esaltati, visionari, doppi, sospettosi e cupi... 3) gli uomini d'indole faziosa ed anarchica, la quale li fa presagire capi di opposizione e di partiti in mezzo al Clero... 4) gli uomini turbolenti e focosi, facili a sensazioni profonde e dolorose, a passioni veementi e rumorose... 5) gli uomini mobili e volubili nelle loro determinazioni, senza costanza nel bene, senza fermezza nella virtù... 6) gli uomini duri ed egoisti, senza cuore e senza affetto; gli uomini vili e striscianti... 7) coloro che non hanno vizi gravi che feriscono l'occhio; ma hanno a stento le virtù comuni, onde d'ordinario sono dotati i buoni cristiani: usciti di Seminario e arbitri di sè stessi sono sovente meno religiosi e meno regolari di un onest'uomo di mondo; e affidar loro un gregge, torna lo stesso che lasciarlo errare senza pastore; 8) quelli in cui domina tiranna l'indole erotica *(érôs*, amore); quando si ha un'anima esuberante di sensibilità e di amore, ed una immaginazione focosa ed irrequieta, il cuore s'invischia e si lorda assai facilmente...: è nel mondo che sono chiamati a vivere siffatti uomini di temperamento incendiario... »

662. Q. *Quid Episcopus quoad spiritus et mores suorum clericorum?*

R. *Circa spiritum et mores*, ait d. Alphonsus, *parum tutus est ille Episcopus, qui attestationibus Parochorum confidit: hæ plerumque fiunt ob humanos respectus. Propterea Episcopi zelantes non firmare solent supplices libellos, nisi prius secreto certi facti fuerint de eorum morum probitate a pluribus personis fide dignis, quæ noscunt subjectum. Advertatur hoc attente, quia hoc est medium valde efficax, imo necessarium Episcopo, ut tutam faciat suam conscientiam in Ordinationibus quas*

habet. Ex his enim secretis cognitionibus Episcopus potest certus fieri non solum si clericus ludis, insolentiis, pravis consuetudinibus sit aliis scandalo; sed etiam si positive vitam spiritualem agit, Ecclesias, orationem, Sacramenta frequentando, si solitarie vivit, aut saltem cum bonis sociis comitetur, si studio dat operam, si modesto habitu et sermone incedit et hujusmodi. Et si forsan notitiam habeat de scandalo positivo alicujus, tunc non debet sibi satis esse ordinariam probationem exigere, sed multorum annorum resipiscentiam observare debet; cum suspicio rationabilis tunc suboriatur, quod omne ab eo simulatione fiat, ut Ordines assequatur. — V. *Specchio del Clero* ecc., pag. 538.

(S) Pag. 371.

663. Regularium approbatio: Pontifex non potest errare in approbatione Religionis quoad judicium de honestate et sufficientia talis modi vivendi, ut sit status perfectionis acquirendæ, prout certo tenendum est contra Canum. Ratio est, quia Pontifex approbando Religionem quasi canonizat illam uti sanctam et honestam, et obligat fideles ad id credendum; ergo sicut non potest errare in canonizatione Sanctorum, ita nec in confirmatione Religionis. Hinc Lateranense sub Innocentio III, dixit in universum bonam et piam esse Religionem auctoritate Pontificis confirmatam. Hinc d. Thomas *(Opusc.* XIX, c. 4): *cum aliqua Religio per Sedem Apostolicam instituta est, manifeste se damnabilem ostendit qui talem Religionem damnare conatur.*

Etsi autem infallibilis non sit quoad judicium opportunitatis ac convenientiæ; attamen quod neque in hoc erret, non videtur posse dubitari, cum non omni sit ipse divina assistentia destitutus, et alioquin habeat pro se et suo senatu, sine cujus consilio tantam rem non aggreditur nec perficit, præsumptionem prudentiæ cui nullus privatus, nisi temere, suam anteponere potest. Hinc patet quam impudentissime nonnulli contra hanc vel illam Religionem debacchentur, quasi ex tripode sententiam suam dantes. — *V.* Suarez, *De Religione.*

664. Religionum utilitas: « I politici moderni (ad rem vel ipse Gioberti) immemori dei beni passati, improvvidi dei bisogni futuri, reputano beato un paese, che non abbia frati. Non importa che l'egoismo trionfi, l'amor patrio si estingua, gli atei, gli epicurei, donne di perduto costume, i suicidi, gl'infanticidi, e le enormezze si moltiplichino ogni anno a due tanti, purchè non vi siano frati. Povera gente! Quando non avrete nè frati nè monache farete forse meglio i fatti vostri? sarete più giusti, più sobri, più timorati di Dio, insomma più virtuosi e felici? Leggete le storie, consultate l'esperienza, e troverete che oggi, e per l'addietro, la maggior parte dei beneficii recati all'umanità si dee ai frati, e che niuno è atto quant'essi a gratificare eziandio coloro che li scherniscono e li detestano. » — Non ergo nos ex eorum dispersione meliores; sed neque ex eorum bonis magis divites: cum sacrilegam rapinam haud benedicat Deus. *Comprobat experientia* (ipse fatetur Lutherus, *Simphosiæ*, c. IV) *eos qui ecclesiastica bona ad se traxerunt, ab eis tandem depauperari et mendicos fieri.* Nemo ab Ecclesia ita rapuit, ut Henricus VIII; at nemo ita debitis gravatus decessit (vide Cobbet, *Storia della riforma protestante).* Et quoad Helvetiam audiendus auctor operis *Sui possedimenti ed Istituti ecclesiastici;* Vercelli, 1850: « La Svizzera sente ben dolorosi i frutti delle usurpazioni dei radicali. Nel Canton d'Argovia che diede il primo

il pessimo esempio, dopo la rapina di quattordici milioni alla Chiesa di Gesù Cristo, il Gran Consiglio dovette udire queste parole dal suo membro il sig. Schleuniger, 6 agosto 1845: *Sono tristamente messi a nulla i beni dei conventi...; alla fine niente hanno i cattolici, niente i protestanti, niente nessuno. La politica distruggitrice ci costò per lo meno tre milioni di franchi svizzeri, non compresi i beni dei Conventi.* » (Gazzetta di Zurigo 20 maggio 1845).

Quot autem bonorum fontes sint religiosa Instituta, vere ac mire aperit Tullius Dandolo, *Monachismo e Leggende*, schizzi storici; Milano, 1856: « Ecco un neonato gettato di nottetempo a perire su d'una via; ma l'Istituzione è lì che lo accoglie e lo salva. — Ecco un bambino che sta per essere mutilato, acciò, se sorvive, diventi merce invece di maggior pregio; ma l'Istituzione è lì che lo riscatta da una morte probabile, da un'infamia certa. — Ecco una fanciulla, cui povertà e mala educazione dannano a prostituirsi; mà l'Istituzione è lì che la attira a sè e la purifica. — Ecco un adolescente cui procace svegliatezza sembra destinare a nobile arringo, da inopia ed abbandono inchiodato a terra; ma l'Istituzione è lì che se lo appropria e lo eleva. — Ecco un giovane che stà per essere, e già fu trascinato da focose passioni: ebbrezza, rimorsi lo schiacciano; ma l'Istituzione è lì che lo discioglie e lo rialza. — Ecco un uomo maturato dagli anni all'iniquità, una donna che il vizio ha gangrenata sino il midollo delle ossa: un guizzo di fulmine li ha spaventati, ned intravedono liberazione che nel suicidio; ma l'Istituzione è lì che lor fa accettare il pentimento. — Ecco un dovizioso che s'invanì, ecco un povero che si avvilì; l'Istituzione d'entrambi si impadronisce; abbassa l'uno, eleva l'altro, e quando li mira aver tocco lo stesso livello, dice loro: *abbracciatevi, siete uguali.* Ecco un monarca divenuto arbitro d'Europa, padrone delle Americhe, il terrore dell'Asia e dell'Africa; forse ch'egli avrebbe subita la sorte di Nabuccodonosor, se la Istituzione non fosse stata lì a salvarlo: lo vestì d'una tunica sdruscita e gli fe' piantar cavoli. — Ecco uno schiavo, che gli Algerini sono avviati a farlo morire sotto il bastone, perchè altiera ha l'anima, e testa che non sa curvarsi; ma l'Istituzione è lì che lo riscatta, onde torna alla patria, e vi muore autore di scritti immortali. — Ecco un appestato, giacente sul limitare d'una casa che la morìa ha resa vuota, un coleroso che si contorce su d'un trivio, un idrofobo, le cui labbra si copron di spuma: chi passa fugge spaventato; ma l'Istituzione è lì che soccorre que' miseri e addolcisce i loro supremi istanti. — Ecco un mucchio di cadaveri, che il contagio rende doppiamente pericolosi; cani e corvi faranno ossa in brani, membra che furono la stanza di uno spirito immortale che Dio abitò? L'Istituzione è lì che s'impadronisce di quelle ributtanti reliquie, le seppellisce con rispetto, le benedice con amore, e prega per le anime a cui servirono d'inviluppo.

» Dalla culla alla tomba l'Instituzione è stata dunque prodiga agli uomini di tutti i soccorsi ch'erano resi urgenti da qualunque siasi maniera di lor malori fisici e morali.... Questa Istituzione è il Monachismo: perchè lo sprezzate voi, se siete savio? Quando i Romani dell'Impero si arrotolarono nel fango dell'ateismo e della oscenità, l'Istituzione chiamò alle Tebaidi gli innocenti, i pentiti. — Quando i barbari minacciarono d'eccidio le genti occidentali, l'Instituzione si collocò a foggia di baluardo fra gli sterminatori e le vittime. — Quando le tenebre dell'ignoranza si allargarono sul mondo, ed ogni tradizione parve presso a spegnersi, la Istituzione conservò accesa la face del sapere in mezzo alle sabbie, tra boschi, nelle grotte, a riparo di

mura cui la santità avea rese inviolabili. — Quando la brutalità feudale tentò d'invadere l'Europa appena salva dal ferro degli Unni, de' Vandali, e la divina Sposa di Cristo si vide in forse di soccombere alla simonia, al concubinato, la Istituzione la munì di difensori, le fornì i salvatori. — Quando orgoglio e impurità agitarono le loro torce sull'Alemagna, e la fatale conflagrazione si dilatò per l'Europa, ella si fu l'istituzione che prestò le armi, che fornì i soldati per combatterla, ch'elevò la diga dall'alto della quale essa le intimò (come Dio alle onde del mare): *Non andrai più in là.* — Quando astuzia e ipocrisia s'insinuarono strisciando nell'ovile per mordervi le anime disattente, ella si fu l'Istituzione, che chiamò alle armi, che smascherò i traditori, che salvò il gregge. — Non v'ebbero infedeli che la Istituzione non provvedesse di convertire; non sofferenti ch'ella non si mettesse in grado di confortare; non insomma, ripeteremo, piaga morale o fisica su cui ella non siasi sentita chiamata a versare un balsamo salutare. La storia n'è garante. — Questa Istituzione è il Monachismo: perchè la odierete voi, se siete buono? » (Pulcre etiam Nicolas, *La Vergine* ecc., par. ult., l. IV, c. 6).

V. Della-Margherita, *Avvedimenti politici*, c. XII; — Peraldi, *Sugli Instituti Ecclesiastici e loro possedimenti;* — Valsecchi, *Fondamenti della Religione;* — Raynaudi, *Malevoli erga Religiosos maledicti;* — Tassoni, *La Religione dimostrata;* — Scotti, *Teoremi di politica cristiana*, teor. V; — Cauchy, *Considérations sur les Ordres religieux;* Paris, 1844; — Lenormant, *Des Associations religieuses dans le Catholicisme;* — Muzzarelli, *Il buon uso della logica;* Opusc. XII: *I claustrali;* — Segneri, *Panegirico:* La causa dei Religiosi al fôro dei laici; — *Politicon ou choix des meilleurs discours sur tous les sujets de Politique traités dans la première assemblée* etc. Paris, 1792; — Riccardi, *Gemiti della Chiesa di Spagna:* Conversazione 1ª. — La-Motta, *Saggio intorno al Socialismo;* — *Civiltà Cattolica*, ser. 3ª; vol. X: *Il Frate;* — Franco, *Risposte popolari alle obbjezioni più comuni contro la Religione;* — Torricelli, *Dissertazioni*, vol. VI; — Martinet, *Sveglia del popolo*, lez. XIII; item *Soluzione di gran problemi*, III, c. 36; — Stapf, § 36.

Statistica dell' Ordine Francescano. « L'Ordine Francescano conta già 200,000 uomini e 30,000 donne compresevi le Terziarie; esso possiede 252 province e 26,000 conventi, di cui cinque in Palestina e 30 nell'impero ottomano. Diede alla Chiesa sette Pontefici e 3,000 Vescovi. Più di 80 imperatori ed imperatrici, re e regine vollero essere aggregate all'Ordine, che ha per altra parte la gloria di aver dato al cielo ben 3,000 santi, fra cui 1,700 martiri. *Armonia*, 22 ott. 1863.

665. Religiosa vota non impedienda: audiatur Balmes quoad religiosa vota in libro, *Il Protestantismo comparato al Cattolicismo* ecc., c. XXXVIII: « Due parole del voto, che quasi sempre accompagna gli Istituti religiosi: e forse è questo tra le cagioni principali, che mantengono la forte antipatia del Protestantismo a questi Istituti. Il voto ferma, laddove il principio fondamentale del Protestantismo non vuole nè stabilità, nè fermezza; multiplo ed anarchico per essenza, respinge l'unità, distrugge la gerarchia; dissolvente per natura, non lascia che lo spirito si mantenga ad una fede, o si assoggetti ad una regola; la stessa virtù è un essere vago per lui che non ha luogo determinato, e che s'alimenta d'illusioni, nè può patire alcuna legge invariabile e costante. Questa santa necessità di far bene, e camminare le vie di perfezione, doveva riuscirgli incomprensibile e ributtante in sommo grado, doveva apparirgli nemica di libertà, quasi che l'uomo che s'obbliga col voto, perda il suo libero arbitrio, e che la sanzione aggiunta

ad un proposito dall'accompagnarvisi la promessa che ne vien fatta a Dio, sbassasse in non nulla il merito di colui, che mostra la necessaria forza per adempire quello che ha voluto promettere. Coloro che hanno condannato questa necessità, che l'uomo impone a sè stesso come contraria ai diritti di libertà, obbliarono certamente che questo sforzo per farsi schiavo del bene incatenandosi tutta sua vita, oltre all'essere una devozion sublime, è il più largo uso che far si possa della libertà. L'uomo dispone di tutta la sua vita in un atto, e compiendo i doveri che risultano da questo, compie altresì la propria volontà.... »

» *Ma l'uomo è tanto incostante.* Appunto per impedire gli effetti di questa incostanza si lega col voto; e misurando a un tratto gli eventi futuri, vi si rende superiore, anticipatamente li signoreggia.

» *Ma il bene allora vien fatto per una cotale necessità.* Certamente: ma non sapete che la necessità di far bene, è una felice necessità, la quale rende l'uomo in certo modo simile a Dio? e non sapete che la bontà infinita non può far male, e che la santità infinita non può far nulla che non sia santo? Non ricordate la dottrina ammirabile dei Teologi che spiegando perchè la creatura sia peccabile, ne dà a conoscere quel profondo motivo, cioè che la creatura è uscita dal nulla? Quando l'uomo si sforza per quanto può a ben fare, o lega per tal modo la volontà, egli la nobilita, e più s'assomiglia a Dio, più approssimandosi alla condizione dei Beati, i quali non hanno la triste libertà di far male, hanno anzi la felice necessità di amare il sommo Bene. Si direbbe che la parola *libertà* dev'essere malamente compresa in tutte le sue applicazioni, allorchè se ne valgono i Protestanti e i falsi filosofi. Nell'ordine religioso, nel morale, nel sociale e nel politico è tanto vaga ed incerta, che ben si vede come abbiano essi faticato ad oscurarla e falsarla. Cicerone ci porse un'ammirabile definizione della libertà dicendo, ch'ella è tutta nell'*essere lo schiavo della legge.* Così può dirsi, la libertà dell'intelletto consistere nell'essere lo schiavo del vero, la libertà del volere nell'essere lo schiavo della virtù. Rovesciate quest'ordine, e avrete spenta la libertà; togliete la legge, e avrete in trono il vizio. Sciogliete il mondo dalla legge eterna, da quella legge che abbraccia l'uomo e la società, che s'estende ad ogni ordine e che non è altro che la ragion divina applicata alle creature intelligenti; cercate fuori di questo immenso circolo una libertà immaginaria, non altro rimane in società che il dominio della forza bruta, e nell'uomo l'impero delle passioni: tirannia in ambo i casi, e per conseguenza schiavitù. » *V.* etiam liber, cui titulus, *Quattro anni di esperienza della Religione cattolica*, cap. II.

Lacordaire, *Per lo stabilimento in Francia dell' Ordine de' Frati predicatori*, Memoria, c. I, scribit: « Quando noi, amico passionato di questo secolo, nato nel più intimo delle sue viscere, gli abbiamo chiesta la libertà di credere a nulla, ce lo ha permesso. Quando gli abbiamo domandato la libertà di aspirare a tutte le cariche, a tutti gli onori, ce lo ha permesso. Quando gli abbiamo domandato con che vivere a nostro bell'agio, lo ha approvato. Ma ora che penetrato degli elementi divini che scuote anche questo secolo, gli domandiamo la libertà di seguire le ispirazioni della nostra fede, di non più nulla pretendere, di poveramente vivere con alcuni amici mossi dagli stessi desiderii nostri, oggidì ci sentiamo tosto arrestati, sbanditi da non so quante leggi, e quasi tutta Europa, se fosse d'uopo, si unirebbe per opprimerci.... E potrà concepirsi, che un paese dove da poi cinquant'anni si proclama la libertà, cioè il diritto di fare ciò che non nuoce

altrui, perseguiti oltremodo un genere di vita che piace a molti, e che nuoce a nessuno? Acchè versar tanto sangue pei *diritti dell'uomo?* forse che la vita comune non sia un diritto dell'uomo, quand'anche non fosse dell'uomo un bisogno? Quella povera zitella che non può accasarsi, che non può trovare sulla terra un amico, non ha ella il diritto di portare la sua dote di mille scudi ad una famiglia, di cui diverrà figlia e sorella, che le darà albergo, la nutrirà, la consolerà e le procurerà, per maggior sicurezza, l'amor di Dio che mai non inganna? Se alcuni uomini non amano questo genere di vita, nessuno li costringe ad abbracciarlo. Se ricchi e contenti non hanno sentito le miserie dello spirito e del corpo, sia pure; ma loro male si addice di tôrre agli altri un asilo che sarebbe sacro anche allora che non servisse, che a soddisfare un capriccio della natura. » — V. *Analecta Juris pontificii*, anno 1857: *Des vœux solennels dans les monastères de religieuses.* — Noghera, *Riflessioni sui Consigli evangelici.*

666. *Demus*, ajunt mundani, *quod republica non ita ægre ferat religiosos illos qui in pauperum subsidium, in infirmorum curam vel alia publica charitatis opera vitam suam impendunt; at quamnam utilitatem capere potest societas a religiosis, qui in solitudine vivunt ab omni humano consortio divisi?*

R. Bougaud, *Storia di s. Francesca Chantal*, t. I, c. 17: « Per fermo il servire ai poveri e consolare i malati è bellissima cosa; ma si servono solo col donar loro pane e medicine? E quelle religiose che in fondo ai chiostri stanno pregando pei tribolati, si umiliano pei superbi, si immolano pei sensuali e si offrono in sacrificio per tutti i bisogni del mondo, non potranno essere noverate fra le più care e divote serve dei poveri? E poi Dio non è egli abbandonato come i derelitti fra i poveri? E perchè mai non vi sarebbero anime destinate a consolarlo, a compatire i suoi dolori, a fargli dimenticare colle prolungate loro adorazioni l'indifferenza, l'ingratitudine e gli oltraggi degli uomini? Certo il mondo non vuol capirle codeste cose: ma sono per questo men vere? Bisognerà dunque stralciar dal Vangelo la celebre storia di Marta e Maria perchè non piace al mondo? Marta badando all'umanità di Gesù si fa premura d'apprestargli pane, vino e letto. Maria rapita al disopra di questi pensieri terreni, e non vedendo in Gesù che il Dio nascosto, siede a' suoi piedi in un'estasi di adorazione e di amore. Allora come a' dì nostri il mondo ammirò Marta; Maria non fu capita e fu biasimata. Ma Gesù, riformando i giudizi del mondo, sollevò Maria al disopra di Marta, il servigio della preghiera al disopra delle opere di corporale misericordia, e la cura delle sue membra pazienti pose in un posto meno elevato, che la contemplazione e l'adorazione della sua divinità. »

667. La Questua: nonnullis modernæ œconomiæ cultoribus probrosum est, quod religiosi victum sibi comparent mendicando: qui enim non laborat, non manducat Quos scite refellit clariss. vir Brignole-Sale: « Io risponderò in primo luogo, ammettendo che tutti in questo mondo siamo tenuti a lavorare; ma che non tutti siamo obbligati a lavorare per procurarci o per procurare ad altri guadagni e ricchezze materiali: chè ci sono anche degli interessi spirituali, i quali anzi aver debbono la primazia sui materiali, perchè riflettono all'anima, perchè intendono a far conoscere, amare e rispettare la Religione, unica base sicura della moralità e onoratezza; come la moralità e l'onoratezza sono base sicura dell'ordine pubblico, senza il quale a nulla serve il lavoro, senza il quale vano è sperare di stabilire nella società la calma, di condurre una nazione alla prosperità.

I frati, sì possidenti che mendicanti, si danno al lavoro spirituale; ingiusto pertanto sarebbe riguardarli come inutili, molto più ancora come dannosi all'umano consorzio.

» Risponderò in secondo luogo che *la questua*, solo mezzo per loro di sussistenza, lungi dall'umiliarli, li onora; chè la mendicità cui spontaneamente si sottomettono, è fondata sui Consigli evangelici; che contro il tozzo di pane, la scarsa misura di grano, di vino, di grossolani alimenti che van raccogliendo, e che loro si danno volentieri dalle popolazioni (almeno con molto minore ripugnanza al certo di quello che non pagano esse al collettore dei pubblici tributi, le ognor crescenti tasse e sopratasse che da questo loro vengono chieste), i frati rendono ad esuberanza l'obolo sborsato col servizio permanente della Chiesa, con l'amministrazione dei Sacramenti, con la predicazione, con le preghiere, con l'assistenza agli infermi, con la pompa necessaria, e ad esse popolazioni ordinariamente gradita, delle religiose funzioni. Quella questua adunque è ben lungi dal potersi paragonare alla mendicità dell'ozioso, del vagabondo; è una mendicità che onora, lo ripeto, altamente chi la pratica, e chi vi corrisponde: è una forma di retribuzione ben moderata di un lavoro grandemente proficuo. » *(Parlamento Subalpino. Senato:* Tornata 5 maggio 1855.)

668. Votum paupertatis: pro praxi.

1. Permittunt communiter, ut religiosus possit elargiri cui voluerit suas *pietansias*, quæ limitate ei præbentur, ut ova, carnes, etc., nisi superior id expresse vetet. Idem est de munusculis ad devotionem pertinentibus; vel de levibus dodationibus remuneratoriis ex bonis sibi concessis ad usum. Ita *Sanchez*, *Molina*, *Salmanticenses*, *Garcias*, etc,

2. Facit contra votum paupertatis, qui accipit ab extraneo pecuniam ad libitum impendendam in opera pia, quia esset actus proprietatis sic agere. Secus est, si jam opera pia sint determinata a donatore; tunc religiosus non esset, nisi canalis donatoris. *Lohner*, *Azorius*, *Gury*. Quanquam etsi opera non sint determinata, adhuc licere docet Sanchez (*De decal.*, l. VII, c. 30); quia hic non recipiuntur pecuniæ ut propriæ, nec ut propriæ traduntur.

3. Monasteria mediocriter opulenta communiter dominis privatis, sat opulentis, æquiparantur. Unde hæc ratio habenda est in computanda gravitate, si nempe furtum fiat de bonis monasterii. Alii assignant pro materia gravi, cum Soto et Rodriguez, duo scuta; alii cum Lugo sex carolenos et octo pro monasterio opulento. Admittunt autem Sanchez, Bonacina et Salmanticenses non esse culpam gravem accipere res comestibiles multis vicibus; nam satis præsumitur licentia Prælati. An autem pro restitutione facienda teneatur religiosus aliquid sibi subtrahere ex rebus ibi, si datis ad usum, disputant.

4. Generatim non peccat graviter religiosus clam accipiens rem aliquam a sua communitate, v. g. librum ad usum proprium, non tamen in perpetuum; tunc Prælatus censetur tantum invitus quoad modum. *Suarez*, *Azorius*, *Salmanticenses*, etc.

5. Sine Prælati licentia generatim non peccat graviter religiosus res ad usum vel etiam ad non usum suum extraneis mutuando, modo sit tutus de restitutione facienda, nec tali mutuo grave damnum inferat communitati. *Lugo*, *Layman*, *Sanchez*, etc.

6. Peccat contra votum paupertatis, qui sine facultate, saltem præsumpta superioris, aliquid emit etiam pro communitate; quia agit ut proprietarius. Non est peccatum sub conditione licentiæ obtinendæ, aliquid accipere, vel donare, modo res recuperari vel dari possit, si licentia negetur; quia actus reapse est suspensus. *Lugo*, *Lessius*, *Collet.*

7. Non peccat contra votum paupertatis qui excipit pecunias extraneorum in depositum (cum animo reddendi quando dominus voluerit) sine licentia Prælati; quamvis id possit esse contra obedientiam atque decentiam religiosam, si fiat occulte. *Pellizarius*, *Layman*, *Lugo*, etc.

8. Si habeat licentiam dandi aliquid Paulo et det Petro, non peccat religiosus, nisi superior dederit licentiam pro Paulo, ob peculiarem circumstantiam, alioquin negaturus. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 19; *Ho. Ap.*, tr. XIII, n. 5; — Suarez, *De Religione*, tr. VII, l. VIII, c. 15. — Lugo, *De Justitia*, diss. III, n. 155.

669. Moniales; declarationes:

a) Nonnullæ capellæ monialium has habent conditiones simul junctas (agitur tantum de capella præcipua domus religiosæ): non est consecrata sed tantum benedicta; congregatio non est a S. Sede approbata; moniales non dicunt Officium canonicum, sed recitant in dicta capella Officium B. V.; ibi asservatur Ss. Sacramentum; presbyter illic ab Episcopo adscriptus est ut capellanus monialium, qui celebrat Missam privatam quotidie et de sero diebus festis dat benedictionem cum Sanctissimo; audit Confessiones monialium et aliorum; item conciones habet, et capella patet omnibus fidelibus. De cetero tamen nunquam, aut nonnisi ter vel quater in anno, ibi cantatur Missa aut celebrantur Vesperæ. — Quæritur ergo an talis capella his omnibus circumstantiis simul conjunctis, habenda sit ut Ecclesia, adeo ut ejus titulus sit vere Titularis in sensu rubricarum, cujus officium a Capellano recitari debeat sub ritu duplici primæ classis cum Octava? Vel potius dicenda sit tantum capella publica, aut Oratorium ubi juxta decretum diei 12 nov. 1831, ad 34, festum titularis sub tali ritu non debeat celebrari? *S. R. C.* 12 aug. 1854 respondit: *negative* ad *primam partem; affirmative* ad *secundam; cum capellæ in dubio expressæ habendæ semper sunt ceu Oratoria.*

b) Ex jure irrevocabiliter transfertur per solemnem professionem dominium dotis in monasterium; ita pluries *S. C. R.;* et Auth. *ingressi* cod. *de sacrosanct. eccl.;* etsi monialis transeat ad aliud monasterium. Hoc tamen valet ubi vota solemnia emittuntur. Verum (ait Vecchiotti, *Instit. can.*, l. III, c. 5, § 66) ex pluribus decisionibus erui et deduci posse videtur, dotem in ingressu traditam irrevocabiliter monasterio acquiri; sed monasterium obligatione obstringi vel congrua alimenta præstandi, vel dotem restituendi.

Si vota non sint solemnia, dos restituenda est moniali etsi professæ, si egrediatur, ex *S. C. C.* 1738. Excipe, nisi sint regulæ speciales illius monasterii; tunc iis standum est, quia pactum servari debet; nec ideo dos restituenda, ut rescripsit *S. C. E.* 10 junii 1828.

Non potest Ordinarius præfigere quantitatem dotis ita, ut moniales non possint quid amplius recipere, si sponte solvatur. *S. R. C.* 3 nov. 1604. — V. *Analecta*, etc. anno 1867, pag. 1010.

Monialis novitiæ professio potest differri ultra annum, si dotem competentem monasterium adhuc non receperit. *S. R. C.* 31 maji 1597. Potest tamen admitti in professionem antequam solvatur dos. *S. R. C.* 14 febr. 1653. — *V.* Lucidi, *De Visitatione Sacrorum Liminum*, vol. II, pag. 190.

c) Moniales debent recitare *Confiteor* absque ulla variatione, prout est in Breviario. *S. R. C.* 18 aug. 1629.

An in conclusione Capituli culparum possit ex consuetudine Abbatissa benedicere sorores dicens: *sit nomen* etc., et *Dominus nos benedicat et ab omni* etc., ut in fine Primæ. Et an possit de sero illas

aqua benedicere et aspergere repetens verba: *benedictio Dei omnipotentis* etc., *descendet super vos et maneat semper?* — *S. R. C.* 7 sept. 1850 respondit: *affirmative seu servetur consuetudo.*

In Ecclesiis monialium nequit Parochus benedicere matrimonia, facere illorum denuntiationes, puerperas benedicere et similia, etsi monasteria Episcopo subjecta sint; tum quia sunt minus consona in Ecclesiis quas habitant ut virgines, tum quia in illis jus non habet Parochus. *S. C. C. in Novariensi* 23 aug. 1727.

(T) Pag. 386.

670. Quædam hodie specialia notanda quoad regulares, tum quoad *admissionem*, tum quoad *vota emissa* in Gallia et Belgio, tum quoad *funera* dispersorum, tum quoad modum agendi in ipsa *suppressione* ac *dispersione* regularium utriusque sexus.

671. Novitiorum admissio: ex decreto Pii IX religiosi omnes Ordinum, in quibus vota solemnia emittuntur, in posterum perfecto novitiatu vota simplicia tantum emittant saltem ad triennium, deinde ad vota solemnia possunt admitti, si a superioribus digni inveniantur; secus differatur. Constat ex Encyclica S. C. Regular. 19 martii 1857. Ceterum professio non potest differri ultra ætatem 25 annorum completorum; ideo si tunc aliqui habiles non inveniuntur e monasterio ejiciendi. Ex Declarationibus autem S. C. Reg. 22 febr. 1859 vota simplicia ut supra, sunt perpetua ex parte voventis, et dispensatio reservatur S. Sedi. Attamen vota prædicta etiam ex parte Ordinis per dimissionem professorum eo ipso solvi possunt et solvuntur. Nemo autem causa infirmitatis, post professionem votorum simplicium exorta, dimitti poterit. Professi horum votorum simplicium participes fiunt omnium gratiarum ac privilegiorum, quibus professi solemniter in eodem Ordine fruuntur. — *V.* Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum.*

Die 15 aug. 1866 propositum fuit dubium: utrum in casu, quo sacerdos sæcularis habitum petivit, obtinuit, qui annum 25 longe transgressus est, huic jam emissa professione votorum simplicium, professio solemnis, nempe solemnium votorum, differri possit supra consuetum triennium, si intra triennium votorum simplicium non sufficientia argumenta de sua vocatione dederit? S. C. respondit: *negative, nempe non posse differri.* — V. *Analecta Juris pontificii*, anno 1867, pag. 1019. — Et aliæ decisiones apud *Acta ex iis decerpta, quæ apud S. Sedem geruntur*, t. I, pag. 360.

Hinc bonorum renuntiatio, quæ ex Tridentino (sess. XXV *De Regular.*, c. 16) intra duos menses proximos ante professionem fieri debet a novitiis se conferendo ad Episcopum loci professionis, vel ad ejus Vicarium generalem aut delegatum pro licentia obtinenda sub pœna nullitatis, ex nova hac disciplina ita se habet: novitii, qui per triennium votis simplicibus ligantur, carent quidem suorum bonorum administratione et usufructu, sed retinent nudam proprietatem, quam non amittunt nisi sub triennii finem, id est duobus mensibus qui professionem præcedunt. Hac de re plura apud *Analecta Juris pontificii*, anno 1867: *La renunciation de Réguliers.*

Item attente recolatur Constitutio *Sacræ Congregationis Regularium* sic inscripta: *Decreto della Sacra Congregazione sopra lo stato de' Regolari risguardante l' ammissione de' novizi all' abito e la professione,*

promulgato per comando di S. S. il nostro Pontefice Pio IX; dato a Roma, 25 genn. 1848. Hic satis sit adnotare præcipua:

1) In quocumque Ordine, Congregatione, Monasterio, Instituto, domo etiam speciali mentione digna, etsi non emittantur vota solemnia, nemo ad habitum est admittendus absque testimonialibus Ordinarii tum originis, tum loci, in quo postulans post expletum 15 annum ætatis ultra annum moratus fuerit. Testimoniales literæ erunt de ætate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia, an inquisitus, censuratus, irregularis, ære alieno gravatus, vel reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxius: super quibus ipsius Episcopi conscientia gravatur. 2) Qui duplici scrutinio, modo præstabilito non fuerit probatus, ad habitum aut non admittatur in quocumque Ordine aut Congregatione. 3) Superior Religionis quolibet semestre ad S. Congregationem Regularium summarie referat de singulis novitiis receptis, de ætate, patria, moribus, de actis confectis pro receptione, etc. 4) Prope terminum cujuscumque trimestris novitiatus, Magister novitiorum Provinciali agendi rationem cujusque novitii scripto referat. 5) Duobus mensibus ante professionem Provincialis novitii voluntatem diligenter exploret: et per secreta suffragia interroget ceteros de domo, an ad professionem admitti possit; hancque relationem examinatoribus communicet, ut et illorum suffragia habeantur. Quæ omnia sicut et cetera in prædicto Decreto præscripta sub pœna gravi sunt observanda (ab hisce tamen præscriptionibus Societas Jesu fuit dispensata). — V. *Analecta Juris pontificii*, an. 1859 etc. — Bouix, *De Jure regularium*. — Quoad Austriæ regulares vide Aichner, *Compendium Juris eccles.*, sub initio.

Ad rem hic Consessus Episcoporum Vercellis habitus 18 nov. 1849, § 5: *Testimoniales literas, quas SS. D. N. Pius PP. IX Decreto diei 25 jan. elapsi anni ab aspirantibus ad religiosam professionem impetrandas præscripsit, Præsules summa cum circumspectione elargiendas esse censent. Eapropter ad uniformitatem servandam constituunt, ut una saltem proclamatio in cujusque Paræcia præcedat; periculum vero super scientia in scriptis simul ac verbis exigatur, et literæ ipsæ expediantur juxta formam, quam hisce Actis adjectam communi calculo probaverunt.*

672. Vota emissa in Belgio ac Gallia: hodie in Gallia (idem currit de Belgio) monialium vota non habentur ut solemnia, prout respondit S. Pœnitentiaria ad Episcopum Bouvier 2 jan. 1836. Sic voluit Ecclesia ob occurrentes perturbationes. Hoc tamen non currit quoad viros, qui adhuc possunt in illo regno vota solemnia emittere; neque obstat civilis lex, qua omnes cives sunt habiles ad possidendum; lex enim civilis non potest per se solemnitati votorum obstare. Sic a Gregorio XVI (V. *L'Ami de la Relig.*, 7 sept., 1840) vota religiosorum a S. Benedicto ibi fuerunt declarata solemnia. — *V.* Carrière, *De Justitia*, nn. 220 et seqq.

Bouix, *De Jure regularium*, pars 3ª, refert: Anno 1854, ad S. Pœnitentiariam facto recursu, pro facultate mutandi nonnullas dispositiones testamenti, a moniali quadam Belgica, ante professionem suam conditi, rescriptum est: *S. Pœnitentiaria, consideratis expositis, respondet, quod vota monialium in Gallia et Belgio habentur ut simplicia; et ideo oratrix rem agat cum Ordinario, et ejus judicio se dirigat*, 2 dec., 1854. Attamen moniales in Sabaudia degentes professionem solemnem adhuc emittunt, licet hæc provincia anno 1861 Gallicæ dominationi adnexa fuerit; nam res religiosæ vices ordinationis civilis non subeunt. Præterea id etiam declaratum est a Pio IX. *V.* Gury, *Casus conscientiæ*, t. II, n. 98. Quoad moniales Americæ vide *Acta S. Sedis* etc. t. I, p. 739.

673. Funera religiosi dispersi: S. Congregatio Episcoporum et Regularium 26 febr. 1865 dedit responsum hoc: *religiosos dispersos quoad funera subesse Parocho loci, prout ceteri parochiani.* — V. *Acta S. Sedis*, vol. I, pag. 168.

674. Suppressio ac dispersio regularium; normæ.

a) « *Come regolarsi gli Ordinari in caso di soppressione di monache, o di concentrazione delle medesime in monasteri di diverso Ordine?*

» R. Al primo caso la S. Penitenzieria risponde, che si dovrà fare tutto il possibile, perchè le monache non vengano separate o col raccoglierle in un altro monastero del loro Ordine, ovvero col trasceglier loro un'altra casa da destinarsi dal Vescovo; affinchè siano tutte insieme raccolte, e, per quanto sia possibile, non omettano, di osservare la regola da loro professata. Il che se non si possa ottenere, e le prefate monache sieno costrette a ritirarsi in un monastero di Ordine diverso, allora l'istessa S. Penitenzieria (per ispeciale ed espressa autorizzazione del S. Padre Pio IX) accorda la facoltà all'Ordinario di permettere, sull'Autorizzazione Apostolica, che sieno raccolte queste monache nel monastero in cui vengono trasferite, che vi rimangano e vi seguano le regole dell'Ordine di quel monastero, dispensandole dalle regole del proprio Ordine, purchè cerchino di mantenere anche queste fin dove sia possibile, che obbediscano ai comandi dei superiori di questi monasteri e alle altre persone, affinchè le accolgano e le trattino con carità.

» Che se alcune di queste monache per giuste cagioni, le quali saranno da esaminarsi dall'Ordinario, non possano essere trasferite nel monastero loro designato, ovvero in altra casa a ciò destinata dal Vescovo, allora la stessa S. Penitenzieria concede allo stesso Ordinario la facoltà di accordare a queste monache che vivano fuori del monastero, in abito decente, presso i loro parenti, o presso altre oneste matrone, serbando però sempre il voto di castità e osservando parimenti in sostanza gli altri voti, come quello di povertà e simili, e adempiendo ogni giorno alle opere di pietà ed alle pie preghiere, nonchè alla recitazione delle Ore canoniche, sotto l'obbedienza dell'Ordinario, nella cui Diocesi esse dimorano, col beneplacito della S. Sede dispensate, in virtù dell'Autorità Apostolica, da qualunque irregolarità.

» *Se nell'occupazione de' beni e dei redditi de' luoghi pii, delle corporazioni religiose e delle Chiese fatta dal governo invasore, possano i luoghi pii, le chiese e i religiosi*, ecc., *accettare pel loro sostentamento quello che pretendono di assegnar loro gli usurpatori?*

» R. Si accetterà all'estremo, quando non si possa altrimenti provvedere. » Ita S. Pœnitentiaria, 8 oct. 1860.

Pluries aliæ decisiones quoad regulares et Congregationes tum mulierum tum virorum; item de *Tertiariis*, *Affiliationibus*, *Votis*, *Hospitiis*, vide Ferraris, hisce titulis; — Bouix, *De Regularibus — Analecta Juris pontificii;* — Gury, *Compendium Theol.* etc.

675. Aliæ responsiones datæ 28 junii 1866:

» *b)* S. Pœnitentiaria, mandatis Ss^mi^ D^ni^ libentissime obsequens, de speciali et expressa Apostolica Auctoritate omnibus et singulis locorum Ordinariis quorum territoriis jugum præfatarum legum impositum fuerit, ac religiosis viris Superioribus generalibus cujuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti, cui suppressionis lex indicta fuerit, sequentes communicat Declarationes, ac concedit facultates quibus ad annum, si tandiu iniquæ temporum circumstantiæ perduraverint, cum suis respective subditis uti licite ac libere valeant:

Declarat 1: non esse relinquenda monasteria ac domos religiosas,

nisi adsit coactio et proximum periculum violentiæ, et a Superioribus, quatenus expedire videatur, præmittendam esse protestationem.

2: Maximo studio ac animi constantia esse custodiendam legem clausuræ contra eos, qui illam spretis ecclesiasticis censuris violare non reformidant; verum permitti Ordinariis monasteriorum, ut eandem legem facili ratione relaxare valeant favore monialium ad eas liberandas a quibuscumque anxietatibus in casibus in quibus gubernii officiales, et legis executores clausuram ad inventaria conficienda aliosque actus civiles peragendos violenter intrare minitentur, adhibitis tamen, per eosdem Ordinarios, omnibus cautelis quæ prudentia ac rerum adjuncta suggesserint, ac prævia protestatione sive per eosdem Ordinarios sive per ipsas moniales facienda meliori modo quo potest, et qua declaretur se cedere violentiæ.

3: Licere regularibus utriusque sexus suppressis titulo compensationis, pro damnis illatis sibi a gubernio, debite percipere pensiones ab eodem gubernio assignatas; ea tamen lege ut quandiu in communione cum aliis regularibus vixerint, pensionem apud Superiores suos pro bono totius communitatis, deponere teneantur.

4: Ad evitanda gravia damna, et ne regulares utriusque sexus incurrant periculum amittendi eandem pensionem, tolerari ut inventaria rerum ac status monasteriorum conficere et subscribere valeant, ita cogente eodem gubernio, et prævia protestatione facienda pariter meliori modo quo potest, et qua declaretur se cedere coactioni nulloque modo cooperari pravis ipsius gubernii intentionibus. Verum caute et prudenter curandum esse, ut res monasteriorum, ac præsertim supellectiles ac vasa sacra a direptione subtrahantur.

5: Curandum esse pro viribus, ut regulares, expulsi a propriis conventibus, in alios conventus collocentur ac recipiantur.

6: Quatenus vero regulares expulsi, præsertim ob defectum domorum alibi collocari nequeunt, concurrentibus gravibus justisque causis, super quibus conscientia Superioris generalis graviter onerata remaneat, ipse Superior generalis Apostolica Auctoritate eisdem indulgere poterit, ut manere valeant extra clausuram, sub obedientia Ordinarii loci tanquam sæcularizati ad tempus, et ad nutum S. Sedis ac ipsius superioris, et in habitu religioso, ac etiam quatenus ita ferat necessitas, in habitu presbyteri sæcularis quoad sacerdotes et in habitu laicali modesti coloris quoad laicos seu conversos; retento tamen interius aliquo signo habitus religiosi, servatis quantum fieri potest substantialibus votorum, ac relaxatis regulis, quæ cum novo eorum statu minime fuerint compatibiles.

7: Quoad vero moniales, quæ propria monasteria deserere coguntur, curandum esse pro viribus per illarum Ordinarios, ut aliud monasterium sui Ordinis, sive aliam domum a respectivo Ordinario designandam ingredientes ab invicem non separentur, sed vivant simul in unum collectæ, et regulam quam professæ sunt, quantum fieri potest, observare non omittant. Quod si id obtineri nequeat et moniales cogantur ingredi monasteria diversi Ordinis, Ordinarius monasteriorum a quibus, et ad quæ ipsæ moniales transferrantur, Apostolica Auctoritate indulgere poterit, ut dictæ moniales in monasteria designata recipi, in iisque manere seque regulis ibi existentibus, dispensando super regulas proprii Ordinis easque moderando, accommodare licite valeant, monitis eorundem monasteriorum superioribus ceterisque personis, ut illas qua par est charitate suscipiant atque pertractent. Si vero aliquæ ex dictis monialibus, justis de causis per Ordinarium examinandis, in monasterium seu domum novæ collocationis

se recipere nequant, Ordinarius eisdem monialibus indulgere poterit, ut extra sui monasterii claustra in habitu decenti, retento tamen interius aliquo signo religiosi habitus, apud suos consanguineos vel honestas matronas, firmo voto castitatis et servatis substantialibus aliorum votorum quantum respective ad votum paupertatis et similia in eo statu commode fieri potest, adimpletisque quotidie aliquibus pietatis operibus, et piis precibus etiam loco recitationis Horarum canonicarum ab eodem Ordinario discrete præscribendis, sub obedientia Ordinarii in cujus Diœcesi commorabuntur, ad beneplacitum S. Sedis vivere et remanere licite valeant.

8: De speciali Indulto permitti regularibus expulsis, ut de intelligentia Ordinarii loci ac respectivi Superioris generalis, inter se dividere et pro suis necessitatibus applicare valeant pecunias in capsa communi fortasse existentes, nec non supellectiles domesticas aut alias res usu consumptibiles; sub lege tamen, ut si ad claustra redierint, et pecunias et alias res non consumpserint, eas superioribus restituere teneantur.

9: Facultatem concedit indulgendi regularibus, ut bona propriæ Religionis, Congregationis seu Instituti, a gubernio occupata, in administrationem suscipere et etiam conducere valeant, dummodo id cedat in sui Ordinis, Congregationis seu Instituti utilitatem, et absit scandalum.

10: Similiter facultatem concedit, ut bona quæcumque proprii Ordinis, Congregationis seu Instituti, a gubernio usurpata, acquirere valeant per interpositas personas quascumque etiam religiosas sibi morum integritate et fide probatas, quæ per syngraphum bonæ fidei caute custodiendam declarent emptionem, licet proprio nomine factam; attamen perfecisse pecuniis et favore Ordinis, Congregationis seu Instituti, ad quod eadem bona de jure pertinent, aliisque adhibitis cautelis in casu necessariis et opportunis, et sub conditione adimplendi pia onera forsan dictis bonis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur, ac remoto scandalo.

Ceterum in concedendis Indultis pro recensitis contractibus, sive administrationis sive conductionis aut emptionis, bonorum ecclesiasticorum tum locorum Ordinarii, tum Superiores generales de mutua intelligentia, quantum fieri poterit, procedere non omittant.

Contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus...

A. M. *Card.* Cagiano *M. P.*

676. *c) Quoad Moniales vero die* 6 *oct.* 1866 *imploratæ fuerunt sequentes facultates:*

« 1. Che possano affittarsi o comprarsi da una o più sorelle, senza interposte persone, beni stabili del monastero cui appartengono, i quali verrebbero venduti dal governo, impiegando le somme che avrebbero disponibili o loro proprie o del monastero medesimo.

» 2. Che le predette acquirenti od affittanti possano disporre per atto tra i vivi o di ultima volontà, degli stessi beni a favore di altra o altre religiose della medesima famiglia, le quali si trovassero nella loro condizione di non aver eredi necessari col diritto della porzione legittima.

» 3. Che le singole religiose possano accettare pensioni, legati, assegni vitalizi od aumenti dotali sia dai propri parenti, sia da estranei per qualunque atto trà' vivi e di ultima volontà, come a favore di taluna si vorrebbe già fare.

» 4. Che possano addivenire, in conseguenza della loro ammissione, al godimento dei diritti civili, in forza della legge di soppressione, ai relativi contratti coi coeredi od altri, aventi interesse, per quanto riguarda la loro partecipazione nella eredità paterna, materna o collaterale, a cui fossero state chiamate o per legge, o per testamento; colla facoltà di goderne i frutti e di disporre della stessa sostanza nel modo ed a favore delle persone di cui al num. 1.

» 5. Che possano, in tutti gli atti premenzionati, usurpare il nome ed il cognome che aveano nel secolo.

» 6. Finalmente vorrei pregare V. E. Rev^ma^ a degnarsi di significare se io possa usare delle facoltà concessemi con Lettere di codesta S. Penitenzieria del 15 luglio 1856, e d'anno in anno confermatemi per Indulto, a compre ed affitti di beni ecclesiastici, anche riguardo ai beni delle corporazioni soppresse coll'ultima Legge del 7 luglio del corrente anno. »

S. Pœnitentiaria facta præmissorum relatione Ss^mo^ D^no^, juxta mentem ipsius Ss^mi^ D^ni^, respondet ut sequitur:

« Ad 1^m^ Permitti etiam sine interposita persona, servata in reliquis forma et tenore Literarum diei 28 junii 1866 sub nn. 9 et 10.

» Ad 2^m^ Pro petita facultate disponendi de enunciatis bonis sive per actus inter vivos, sive causa mortis etiam per testamentum, de consilio tamen in quolibet casu proprii Ordinarii, ita tamen ut prædicti actus tantum emittantur ad effectum eadem bona servandi favore proprii monasterii.

» Ad 3^m^ Pro petita facultate in omnibus juxta preces, ita tamen ut acceptatio in singulis casibus fiat de intelligentia proprii Ordinarii, fructusque percipiantur titulo libelli.

» Ad 4^m^ Pro petita facultate enunciatos tractatus habendi cum cohæredibus ac hæreditatem ad se spectantem adeundi, dummodo jus alteri quæsitum non lædatur, fructusque percipiendi titulo libelli, ita tamen, ut actus tam pro adeunda hæreditate, quam pro administratione bonorum fiant per interpositam personam quoad fieri poterit, de intelligentia Ordinarii eligendam; nec non pro facultate disponendi de bonis hæreditatis per actus inter vivos sive causa mortis, etiam per testamentum, de consilio tamen proprii Ordinarii.

» Ad 5^m^ Pro facultate juxta petita, dummodo tamen rationabilis causa intercedat.

» Ad 6^m^ Extendi etiam ad prædicta bona, dummodo facultas petatur ante acquisitionem. Quoad bona vero acquisita, non reportata prius necessaria facultate, recurrendum esse ad S. Pœnitentiarium in singulis casibus ab emptoribus commendatis a proprio Ordinario.

» *Datum Romæ in S. Pœn. die* 30 *oct.* 1866. »

677. *Aliæ responsiones S. Pœnitentiariæ datæ ex mandato S. Pontificis* 18 *apr.* 1867 *ad explicanda dubia suborta quoad declarationes* 28 *junii* 1866 *emanatas:*

« 1. Curandum est, prout jam monitum fuit quoad moniales in præfatis Lit. 28 junii ad n. 7, ut regulares a propriis domibus expulsi, præsertim vero clerici professi, quatenus in aliud cœnobium recipi nequeant, in peculiarem aliquam domum a superioribus suis designandam, conveniant, ibique regulam, quam professi sunt, meliori quo fieri potest modo, observare non omittant, facta cuique absque debita licentia discedendi prohibitione.

» 2. Pariter curandum, ut etiam regulares, qui extra claustra et præfatas domus tanquam sæcularizati ad tempus vivere coguntur in

sua vocatione permaneant, votaque solemnia quibus se Deo consecrarunt, meliori similiter quo fieri potest modo persolvant. Unde omnibus Superioribus regularibus S. Pœnitentiaria declarat, ipsorum jurisdictionem in proprios subditos suppressos, etiam extra claustra degentes, minime cessasse; nam licet quisque regularis degens extra claustra, quoad politiam et disciplinam ecclesiasticam, ab jurisdictione Ordinarii loci, in quo degit, exemptus non sit, attamen quoad disciplinam regularem et obligationes quæ ex religiosa professione promanant et cum novo ejus statu sunt compatibiles, propriis Superioribus subesse eisque obedire tenetur.

» 3. Decernit præfatas domos, dummodo in eas tres saltem ad ibi degendum convenerint regulares, quorum unus ad minus sit sacerdos, jurisdictioni Ministri provincialis fore subjectas, easque regendas esse peculiarem superiorem ibi constituendum.

» 4. Indulget ut in eisdem domibus, dummodo in eis saltem quatuor sacerdotes regulares, erigi possit, servatis de jure servandis, privatum Oratorium a Ministro provinciali, sive ab alia idonea persona ab eo deputanda, visitandum prius et approbandum, ita ut in eo Missa a sacerdotibus regularibus celebrari, Ss. Eucharistia asservari et a religiosis atque addictis tantum Ss. Communio sumi, et præcepto de audiendo Sacro satisfieri possit.

» 5. Indulget pariter, ut in Oratorio sic erecto, ipsi regulares frui possint omnibus et quibuscumque Indulgentiis concessis et assignatis domibus seu Ecclesiis, a quibus exturbati fuerunt; juxta tamen formam et juxta tempus in concessionibus et Indultis Apostolicis, expressum ac definitum. Ita tamen, ut memoratæ Indulgentiæ in ipsius Ordinis Ecclesiis, quibus affixæ et assignatæ fuerunt, quandiu iisdem Ecclesiis aliquis sacerdos ejusdem Ordinis, legitima auctoritate, præpositus fuerit, perdurare ut antea, omnino censeantur.

» 6. Declarat insuper Superioribus regularibus integra manere privilegia quibus hactenus quoad peculiares proprii Ordinis benedictiones usi sunt; ac similiter integras omnibus et singulis regularibus utriusque sexus, etiam in sæculo de legitima licentia viventibus, manere Indulgentias personales a S. Sede eisdem concessas et non revocatas.

» 7. Mulieres vero regulares, ex propriis claustris expulsas, quantumvis exemptas et etiam in novas domus juxta Lit. 28 junii 1866 translatas, decernit jurisdictioni Ordinarii loci, in quo commorantur, omnino subesse.

» 8. Ordinariis autem locorum facultatem concedit iisdem mulieribus regularibus, in novis domibus commorantibus, Indultum Oratorii privati pro sua prudentia impertiendi; adeo ut servatis de jure servandis, Missa in ipso Oratorio quotidie celebrari et Ss. Eucharistia asservari possit, ibique ipsæ religiosæ, conversæ, novitiæ, et educandæ si quæ sint, aliæque mulieres eisdem domibus addictæ, præter Missæ inservientem, Ss. Communione refici ac præcepto de audiendo Sacro satisfacere valeant.

» 9. Ipsis præterea mulieribus regularibus concedit privilegium ut supra sub n. 5, religiosis viris impertitum, fruendi scilicet in memoratis Oratoriis, omnibus et quibuscumque Indulgentiis, quæ Ecclesiæ seu monasterio a quo expulsæ fuerunt, affixæ aut assignatæ erant.

» 10. Declarat aut decernit, regularibus suppressis, etiam extra præfatas domus degentibus, licere persolvere Horas canonicas juxta proprii Ordinis kalendarium, et non obstante defectu tituli sacri, suos Ordines exercere Missamque in quacumque Ecclesia de licentia Ordinarii loci, celebrare juxta ritum Ecclesiæ in qua celebrare contigerit;

servato tamen proprii Ordinis ritu, si celebrent in propria Ecclesia, cujus custodia alicui saltem ex suis confratribus legitime demandata sit, aut in aliquo ex præfatis sui Ordinis Oratoriis.

» 11. Declarat insuper, nihil obstare quominus ipsi regulares suppressi uti valeant facultate sibi jam ab Ordinario loci concessa, audiendi sacramentales fidelium Confessiones; dummodo tamen eadem facultas expirata aut ab ipso Ordinario revocata non fuerit, ac dummodo ea utantur iis tantum in locis pro quibus approbati fuerunt.

» 12. Superioribus tum generalibus tum provincialibus, facultatem concedit, sive per se sive per alios idoneos viros religiosos, ab ipsis deputandos, indulgendi regularibus sui Ordinis suppressis, ut durantibus præsentium temporum circumstantiis quemcumque sive regularem sive sæcularem, ex approbatis tamen ab Ordinario loci, confessarium sibi eligere valeant, a quo etiam, quatenus opus sit, a casibus et censuris in proprio Ordine reservatis absolvi; et super irregularitate ex violatione earundem censurarum quomodocumque contracta, dummodo occulta remaneant, dispensationis gratiam recipere in foro tantum conscientiæ possint.

» 13. Declarat insuper quibuscumque regularibus suppressis sive in aliqua domo prout n. 1 commorantibus, sive extra domus religiosas tanquam sæcularizatis ad tempus degentibus, licere Confessiones suas sacramentales apud confessarios proprii Ordinis, legitime a suo Prælato approbatis, peragere.

» 14. Iisdem Superioribus generalibus indulget, ut perdurantibus pariter præsentium temporum circumstantiis et usque dum aliter S. Sedi visum fuerit, expleto Superiorum inferiorum officio, eos de consilio Definitorum suorum in ipso denuo confirmare; iisdemque alios substituere valeant, prout magis in Domino expedire ipsi judicaverint.

» 15. Clericis regularibus, jam solemniter professis, concedit ut ad titulum paupertatis aut ad alium titulum proprii Instituti ad Ss. Ordines ab Ordinario loci in quo domicilium habent, aut ab alio Episcopo cum dimissoriis Literis ab eo datis, de consensu proprii Superioris regularis, et servatis de jure servandis, promoveri et in Ordinibus sic promoti ministrare valeant, donec a proprio Ordine seu Instituto legitima ex causa dimissi non fuerint.

» 16. Concedit pariter regularibus solemniter professis, ut Capellanias aut unum dumtaxat Beneficium ecclesiasticum etiam residentiale, vel cum cura animarum, de consensu et ad nutum Ordinarii loci, ac annuentibus superioribus, suis in administrationem assequi et retinere legitime possint; quod tamen dimittere teneantur statim ac ab iisdem Superioribus ad claustra revocati fuerint.

» 17. Facultatem concedit locorum Ordinariis quoad moniales, et Superioribus generalibus quoad viros regulares, indulgendi, sive per se sive per idoneas personas ab eis subdelegandas respectivis subditis in Italia suppressis, ut attentis peculiaribus circumstantiis iisque perdurantibus, non obstante solemni paupertatis voto, bona sibi legitimo jure spectantia, ac etiam hæreditates, salvo tamen jure tertii quæsito, recipere, adire et retinere, deque iis nedum contractus inire, sed etiam in pios honestosque usus, ac præsertim in favorem sui Ordinis aut Instituti, nec non in grati animi significationem, per actus sive inter vivos sive causa mortis, disponere valeant, accedente ipsius Ordinarii aut Superioris aut alterius per eum deputati, aut saltem in causa necessitatis confessarii consilio et approbatione. Ita tamen, ut rerum suarum administrationem et reditus quandiu vixerint in com-

munitate, quæ temporalia bona possidere possit, eidem communitati tradere, et quidquid ex bonis propriæ Religionis eisdem provenerit, ipsi Religioni adhibitis cautelis relinquere teneantur. Quod si communitas sit ex iis, quibus possessio bonorum temporalium permissa non sit, administrationem hoc in casu committant alicui tertiæ personæ, ita ut absque licentia Ordinarii aut Superiorum regularium, nihil de fructibus sibi applicare aut quomodocumque disponere possint.

« 18. Omnibus et singulis utriusque sexus regularibus suppressis indulget, ut pecunias legitimo titulo acquisitas de licentia superiorum suorum, et quatenus agatur de monialibus de licentia Ordinarii loci, in honesto et licito investimento sive nomine proprio, sive per interpositas personas, caute collocare possint; ea tamen lege ut regulares in communitate viventes titulos ac reditus earundem pecuniarum eidem communitati aut alicui tertiæ personæ, ut supra, tradere teneantur, neque de illis ullo modo absque licentia eorundem superiorum aut ipsius Ordinarii disponere valeant.

» 19. Declarat denique præmissa censenda esse concessa sine ullo præjudicio cujuscumque generalis aut specialis Indulti alicui Ordini seu personæ a S. Sede impertiti; iisdemque præmissis cujuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti Constitutiones ac cetera etiam speciali mentione digna in contrarium facientia, minime obstare. »

S. Congregationis Concilii declaratio data die 8 *jan.* 1867: « Procurator generalis Congregationis regularium N. N. quæ adnexam quibusdam domibus habet animarum curam hactenus per unum e regularibus exercitam per præsentationem a superiore factam, juxta morem et per acceptationem Ordinarii, humiliter exponit post generale suppressionis Decretum ab Italico gubernio editum, quasdam episcopales Curias dubium excitasse circa jura quæ pertinere possint ad religiosos dictæ Congregationis super Parœciis, quas ipsi possident in territorio eidem gubernio subjecto; petitur itaque:

» 1) An Parochi regulares possint ac debeant permanere in propriis parœcialibus locis absque ullo alio novo actu nominationis et destinationis; — 2) Si aliquis ex his Parochis regularibus deficiat, manetne jus in superioribus Instituti præsentandi Ordinario loci unum ex propriis religiosis eadem ratione ac eadem forma antea servata, suppositione facta posse servari in eodem loco pro Ecclesiæ parœcialis servitio parvam religiosam familiam, sin minus tanquam ens morale per civilem administrationem recognitum, saltem tanquam associationem vi communis Juris quoad libertatem associationis admittit?

» S. C. C. 8 jan. 1867 respondit: Ad 1 et 2: *affirmative, ita tamen ut in casibus particularibus, præsertim de novis edendis nominationibus seu præsentationibus Parochorum, Superiores regulares, collatis consiliis conveniant prius cum respectivis locorum Ordinariis.* » — V. *Acta S. Sedis* etc., vol. III; — Vecchiotti, *Instit. can.*, l. III, c. 5, § 66.

(U) Pag. 390.

678. Principes Ecclesiæ protectores: qui antiquitus dicebantur Ecclesiæ *patroni*, *advocati*, *custodes*, *defensores*, etc. « L'imperatore di Germania (ait Nardi), capo dei principi civili, prendeva il titolo di *protettore della Chiesa*; i re di Francia dicevansi *cristianissimi*; quei di Spagna diconsi tuttora *cattolici;* quei di Portogallo *fedelissimi;* quei di Ungheria, ora imperatori d'Austria, *apostolici.* » Sane

cum societas religiosa tota sit in virtute fovenda et in procuranda humani generis felicitate, quæ duo sunt omnium regnorum fundamenta, æquum profecto est, ut tanto fini, saltem grati animi ergo respondeat civilis potestas, operam quoque præstando *auxilio sui brachii*, ut illius decreta possint executioni mandari. Adde: ipse princeps, quicumque tandem sit, est Ecclesiæ subditus ac filius; necesse est ergo ut matrem quoad potest adjuvet eique præsto sit, ut simul junctis viribus Ecclesia et Princeps populorum tueantur bonum. Ad rem Ivo Carnotensis, Ep. CCXLIV: *jungant se animi* (Sacerdotium et Imperium) *qui juncti sunt institutis; invicem se foveant, invicem se defendant, invicem onera sua portent.*

Hæc tamen regia tuitio suos habeat limites, ne illud verificetur quod ajebat ipse La-Mennais: « Dopo Costantino la Chiesa ha sofferto più dai suoi protettori, che dai suoi persecutori; ormai non resta a desiderarsi se non che si cessi dal troppo proteggerla, e si cominci a tollerarla. » Protegere Ecclesiam est tutari fidem quam ipsa docet, honestatem quam ipsa præcipit, media quæ ad finem suum adhibet. Non est ergo ejus jura pessumdare, invadere, circumscribere; unde merito Pius IX in *Syllabo* damnavit hanc sub n. 19 propositionem: *civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.* Tunc, dicente Fenelonio, tuitio Ecclesiæ jam non foret auxilium, sed jugum latens: *si princeps potius vellet determinare Ecclesiam, quam determinari ab Ecclesia, jam ipse erigeretur super Ecclesiam et fieret caput ipsius. Hoc exitiali excessu Anglia rupit unitatis sacrum vinculum, dum regem qui solum fuit protector, constituit caput Ecclesiæ.* Hinc natum est *jus reformandi*, ut appellant, quod anno 1648 in *pace Wesphalica* favore principum sæcularium admissum est, instantibus hæreticis, sed omnibus reclamantibus catholicis, et maxime reprobante Innocentio X Bulla *Zelo domus Dei* anno 1649. — *V.* Tarquinius, *Juris eccles. publici Institutiones.* — De-Maistre, *Della Chiesa Gallicana.* — Vittadini, *Saggio di Diritto pubblico ecclesiastico;* it. *Le Provinciali all' italiana.* — Op. *Cosa è Giansenismo* ecc. c. VI, n. 2: *L'ortodossia è il Papa;* pag. 299. — Et nostrum *Novum Manuale Compendium Juris canonici universi* etc., c. VI, *appen.* 2ª.

679. Dotes ministrorum Status: Puffendorf de ministris habet: *cauti sint et circumspecti (inania a solidis, vera a fabulosis discernere callidi, secretorum tenacissimi), adversus quaslibet corruptiones obstinati.* P. Ventura, *Saggio sul potere politico*, c. I, habet: « Oh quanto son rari a' nostri giorni gli uomini di Stato che si collochino in cielo per istruir la terra, e domandino a Dio la sua parola per parlare all'uomo! Sulla porta de' gabinetti degli uomini di Stato moderni vi si potrebbe al contrario scrivere quelle parole del Profeta: *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* Ed ecco perchè l'Europa è sì tranquilla ed i popoli tanti felici!? »

Quod de monarchico gubernio scribit idem Ventura *(Il Potere politico cristiano*, Discorso V), aliis guberniis convenire potest: « Il re Teodorico, quantunque ariano, avendo saputo che un diacono cattolico aggregato alla sua Corte, aveva abbracciato l'arianismo per far cosa a lui gradevole, gli fece spiccare il capo pronunciando queste parole: *I re farebbero bene a non dimenticar mai, e a porre in capo alle loro leggi questo detto:* infedeli a Dio, infedeli al re. *Non ci possiamo fidare dell'attaccamento di un uomo, che ha sacrificata la sua fede alla sua ambizione.* Di fatto la storia ci insegna che l'empietà è il primo elemento di ogni ribellione, che bene spesso i principi hanno scoperto de' cospiratori accaniti fra i loro più vili adulatori. » — *V.* Della-Margarita, *Memorandum*, c. XVII; it. *Avvedimenti politici;* it. *L'uomo di Stato.*

680. Electio Deputatorum: præceptum probos deputatos eligendi in gubernio constitutionali, ac republicano urget omnes electores: et (aliis circumstantiis præclusis) non solum peccant qui malis suffragium tribuunt, sed etiam qui non concurrendo in causa sunt ut mali ab aliis eligantur; unusquisque tenetur a republica malum avertere, si spes sit. Quot autem mala ab improbis deputatis tum Religioni tum civili societati obveniant, nemo ignorat; cum ipsis summa omnium rerum concredita sit, neque tantum tribuant consilium, sed ipsas leges cum aliis condant. Hinc Episcopi provinciæ ecclesiasticæ Taurinensis Clerum monent: *Ad electiones vero quod peculiariter attinet, quum omnium prorsus officiorum sacerdos sit commonstrator et vindex, nil certe vetat, imo necessarium est de hoc haud secus atque de aliis populum monere, eumque docere ad jus voti ferendi obligationem respondere, qua unusquisque non raro adstringi posset, propterea que officio fallere qui absque legitima causa ad danda suffragia non convenerit*, etc. Hoc tamen edocendo si opus, prudenter agat, neminem offendat, nullum designet, et videat ne capiatur in sermone: qua de re vide *Codex pœnalis*, art. 268 et seqq.

Diximus: *si spes sit;* aliquando enim, omnibus pensatis, melius erit ut non simus neque electores neque electi; quod prudentum est judicare. — V. *Armonia*, an. 1853, n. 140. — *Amico Cattolico*, vol. IV: *Alcune riflessioni sulla elezione dei deputati alla Camera.* — Margotti, *Roma e Londra*, c, XI. — *Civ. Catt.*, ser. 7ª, vol. III: *Del diritto di suffragio nella società moderna.*

Hoc autem dicendum est de electione ceterorum administratorum: quid tamen? « Ecco il tempo dell'elezioni amministrative (ad rem Opuscul. *Frà Giunipero svegliatore ai buoni dormigliosi):* suvvia, o buoni, all'urna tutti; scartate una volta i lapidatori del vostro denaro ed eleggete dei galantuomini, scacciate gli uccelli di rapina e procacciatevi uccelli di buon augurio; si tratta del vostro bene, della vostra borsa; all'urna!.. All'urna? Ma voi celiate; i buoni pensano sì poco alle elezioni comunali e provinciali, che in certi luoghi neppure si sono curati di essere inscritti fra gli elettori... Possibile! è un fatto. E gli inscritti? gli inscritti, quando si viene all'atto, non compajono o perchè hanno paura a mostrarsi, oppure non vogliono brighe nè seccature. Bravissimi! a meraviglia! hanno la spada del diritto pôrta loro dalla legge, ed il giorno della battaglia la nascondono nel fodero per cessare la fatica del maneggiarla. Onore ai prodi! e poi si lagnano che i nuovi elettori sono peggiori dei primi, e li tosano e li spiumano! » Oh si omnes boni, ab initio concurrere non renuissent, sapientiores facti filiis tenebrarum, certe tot mala non essent lugenda in societate ac religione! Mali pauci, boni multo plures; at pauci mali non pepercerunt labori, non sumptibus, ut agitarent, commoverent, impellerent decipiendo multitudines. Boni e contrario timidi facti sunt, et se retrahendo primis locum cesserunt; sic contra centum prævaluere decem.

Dicunt: « Noi siamo d'avviso che le cose sieno arrivate a così mal termine, che ogni opera che si ponesse a ravviarle riuscirebbe inutile affatto. Credetelo, non c'è umano sforzo che valga, ci vuole il braccio di Dio. Il Papa medesimo la pensa così; egli ha detto: *aspettiamo gli avvenimenti.*

» R. Sia grande il male, sia piccolo, ci vuol sempre l'ajuto di Dio per porvi efficacemente rimedio; ognuno lo sa; ma ci vuole anche l'opera nostra. Se Dio voleva far tutto da sè, non avrebbe create le cause seconde. *Ajùtati*, dice il proverbio, *che io ti ajuto;* e quella gran mente, che fu s. Ignazio di Lojola, fra le sue sapientissime mas-

sime, avea anche questa: *fatte ogni sforzo come se tutto dipendesse da voi, e confidate in Dio come se tutto dipendesse da Lui.* Così la pensano i Santi, e così l'intende Pio IX, il quale mentre aspetta l'ajuto dall'alto, fa bravamente la parte sua sconfiggendo errori, resistendo al male, allettando i traviati al perdono, confortando i fedeli, iniziando trattati, e facendo e tentando mille altre cose bellissime; insomma egli *aspetta operando e non poltrendo.* » (Opuscul. cit.)

« Veramente noi viviamo nel secolo della paura: mio Dio, chi ci salverà dalla paura? non si vede che gente paurosa; s'ha paura di tutto, paura dei propri nemici, paura degli amici, degli stranieri e dei vicini. Si ha paura di non riuscire; si teme per la propria dignità, si paventano le derisioni e le critiche, e in ciò sta veramente la questione. » Mullois, *Manuale di carità*, c. IX.

Q. 1. *An sine charitatis vel justitiæ læsione candidatorum vitia possint a quolibet publice aperiri?*

R. Audiatur Parisis, *Casi di coscienza:* « Colui che esce dalla vita privata ed opta per qualche collegio elettorale, si sottomette tutto da sè al sindacato del pubblico: egli lo vuole e seco le sue conseguenze; non altrimenti che in un esame dei così detti concorsi, nei quali gli arbitri hanno il diritto della critica. Quindi le opinioni del candidato quanto a politica, a religione, a morale, il suo ingegno, la sua capacità, le guarentie che offre, i timori che inspira, tutto cade sotto il dominio del giornalismo, il quale onde incontrare l'approvazione del giudizio recato, deve di necessità addurne le prove e i fatti che lo confermano. Vero è, che quindi può sminuire la stima in che sono certe persone, e può cagionare talvolta un danno grave; ma fino a tanto che il giornalista si è tenuto al vero, fino a tanto che si attenne a' confini del pubblico bene, non recò onta veruna nè alla giustizia, perchè il candidato s'esponeva di proprio capo a questo danno; nè alla carità, perchè l'ordine di essa vuole che all'individuo si preferisca la comunità, il bene di cui, vuoi religioso vuoi sociale, esige che s'allontanino dalla cosa pubblica gli uomini incapaci o perversi, ne risulti pure pregiudizio per essi. »

Neque illico damnandus qui acriter contra Ecclesiæ inimicos scriptis pugnat; nam ex ipso Augustino etiam charitas habet aculeos suos. Iterum citatus auctor: « Dovrà bandirsi dalla polemica ogni moto frizzante, ogni parola di sarcasmo? Mai no: l'Evangelio non proibì mai di prevalersene; le divine Scritture, modello dell'umana parola, riboccano di frasi ironiche, vale a dire della forma più pungente di linguaggio che v'abbia. Vero è che i nostri avversari vorrebbero che gli scritti de' cattolici non uscissero mai da una stucchevole serietà, e se accade che la svestano alcuna volta, gridano all'astio, al difetto di carità, allo scandalo; mentre essi, gli ipocriti farisei, non sanno scrivere altrimenti che con penna tinta nel fiele. Ma tal sia di loro: noi non saremo sì babbuassi da lasciare un'arma sì acconcia e da Dio permessa.

» Sebbene noi no, non ci appiglieremo già a talune altre, che se essi maneggiano troppo a talento, sono però proibite per l'uomo di sana coscienza. Arma di questa fatta è, p. e. la menzogna; e se nol sai, è molto in voga presso i nostri nemici; e perchè l'adoperano con franchezza e con costanza, avviene che ci recano spesso profonde ferite. Così va dicendo di altri mezzi ed iniqui ed efficaci. Noi siamo combattuti *per fas et nefas*, intantochè per difenderci dobbiamo stare a sola giustizia: ognun può scorgere quanto svantaggio già abbiamo. »

Q. 2. *An conveniat ut ecclesiastici concurrant suo suffragio ad eligendos deputatos municipales suæ Paræciæ et politicos totius Regni?*

R. Dieulin hac de re scribit: « Giova che l'ecclesiastico s'astenga da qualunque diretto intervento negli affari comunali e da tutte intestine lotte che si spesso scindono le Parrocchie. Veramente vestendo l'abito ecclesiastico non ha rinunciato a' suoi diritti politici e civili, nè fatto giuramento di vivere estraneo agli interessi del suo paese e comune...; ragionevole è il suo desiderio di veder le patrie contrade rette da onesti rappresentanti...; in onta però a queste riflessioni tratte dal nostro regime costituzionale, solenni argomenti impongono all'ecclesiastico di astenersi generalmente dall'esercizio di siffatti diritti, *almeno nelle municipali elezioni.* » Quæ exceptio generatim loquendo fundata est; nam in electionibus communalibus ecclesiasticus, præcipue Parochus, non potest non amittere de sua dignitate si agitet vel agitari sinat a suis parochianis; neque effugere contrarietates, alienationes et odia ex parte illorum quibus suum denegat votum; quod quidem fieri nequit sine detrimento sui officii. Hæc autem non ita facile timenda sunt in electionibus politicis.

Diximus: *generatim loquendo;* nam si omnino postulat bonum publicum maxime Religionis, ut etiam Parochus in electione communali suas partes exerceat, omnia prudenter ac caute agat, evitando rixas, colluctationes, etc.; secus si vincit pars adversa, quot mala Religioni, et sibi timere non debet. Dieulin, *Il buon Pastore nel secoloXIX*, t. I: *Affari secolari.* — *V.* Sibour, *Sulla condotta da osservarsi dagli ecclesiastici negli affari politici.* Modena, 1864. — Tarino, *Il libro del buon Pastore*, n. 55.

Nota: Si agatur de electione deputatorum in regno usurpato, vide dicenda Lib. IV, *Append. De invasione.*

(V) Pag. 396.

681. Il denunziatore e la spia: non est confundendus denuntiator cum iniquo delatore: « Corre immenso divario fra il *denunziatore* e la *spia*, fra lo spionaggio e la denunzia... Lo strumento dello spionaggio è un animo venderecio, che nella vita o libertà d'un prossimo, d'un cittadino, d'un congiunto vede una mercanzia da trafficare con lucro, vendendola al migliore offerente. Ma a compiere il suo tradimento vedete qual'arte adopra quell'anima rea! Quanto meglio egli riesce a mascherarsi, fingendo amicizia; quanto più dà fidanza insinuandosi nella intrinsichezza, dissimulando e simulando opinioni ed affetti, tanto è più sicuro di sortire l'intento e di sorprendere il segreto... Avesse almeno per salvaguardia la missione legittima d'autorità competente; chè potrebbe rovesciare su chi comanda l'obbrobrio ed il rimorso. Ma no: il proprio della spia è questo appunto di farsi stromento ad una autorità incompetente, che travalicando quei termini in cui l'accerchiò la Provvidenza, si trafora inosservata in ordini che da lei non dipendono per ispargervi la discordia e il sospetto...

» Quanto è diversa da questa l'indole di quelle denunzie, che ad un cittadino coscienziato vengono strappate quasi per forza dal debito di amor cittadino! e diciamo ancora dalla tenerezza di amor fraterno!... Conscio di adempire ad un debito per ben della patria, e abborrente dal male che produrrà forse al reo, egli non abbisogna di arti, di frodi, di corruzioni per comperare dei segreti che vorrebbe pur ignorare. Molto meno si abbasserà a vendersi ad un padrone, ad un magistrato sospettoso per tradire segreti che sfuggano la competenza dell'autorità interrogante, e compromettano i doveri del consorzio domestico

del naturale segreto, dell'amichevole intimità. Uno solo è l'objetto ch'egli vagheggia, la giustizia; uno solo l'istinto che lo sospinge, amore di patria; uno solo i mezzi per compierne i doveri, verità e candore. Perlocchè, come non abbisogna prima d'infingimenti e di menzogna, così non sente poscia vergogna e rimorso; e se il dolore di un qualche male privato, di cui è cagione innocente, talora lo travaglia, ne lo riconforta ampiamente la coscienza del ben pubblico, che egli assicurò col compiere la sua obbligazione.

» Chi ben riflette alla differenza enorme, che quindi apparisce fra questo atto di virtù cittadina, e la scelleraggine di una spia prezzolata, non potrà stupire leggendo in tutti i Moralisti cattolici la denunzia di quei delitti che ridondano in pubblico danno, ridotta a precetto di stretta obbligazione. Odasi per tutti s. Tommaso, quel Moralista la cui *Somma*, specialmente nella sua parte morale, venne lodata dallo stesso Cousin, come il capo d'opera dell'umano intelletto nel medio evo, cui niuno superò tra i moderni: *si crimen fuerit tale quod vergat in detrimentum reipublicæ, tenetur homo ad accusationem, dummodo sufficienter possit probare, quod pertinet ad officium accusatoris: puta cum peccatum alicujus vergit in multitudinis corruptelam corporalem seu spiritualem* (2, 2, q. 68, a. 1). Le quali ultime parole sono degne di speciale avvertenza, perchè danno a divedere quanto sia grave l'errore o la malizia di certuni, i quali dalla forza della ragione costretti ad assentire il dovere della denunzia, ove trattasi del temporale vantaggio dello Stato, restringono la loro renitenza a quelle denunzie che dalla Chiesa vengono imposte, pel bene spirituale della cristiana società. Preferenza, a dir vero, stranissima e da non cadere in capo ad uom che ragiona, se non fossimo abituati al vizio di andar come pecore al gridio di pochi aggiratori che si dicono fastosamente: *la pubblica opinione*. Costoro, pieno il capo di due errori gravissimi, che corrono per le teste e per le bocche dei loro consorti, o non curano come bagatella il danno spirituale recato alla società cristiana, o questa società riguardano come un'idea sussistente solo nei cervelli dei Teologi, senza nessuna esteriore realtà di diritto, di comunanza, di autorità, di scopo e di interessi; o al più come una pura appendice della società pubblica, dal cui arbitrio dipende il vedere se convenga accordarle sussistenza e protezione. » *Civ. Catt.*, ser. 1ª, t. IX: *Il denunciatore e la spia.*

682. De Tortura reorum: qui tormentorum vi delictum capitale falso confitetur, non est causa suæ mortis, etsi extra torturam id ratificet metu novæ torturæ quæ sit excedens; confessio enim illa non habet omnem voluntarietatem. Attamen tortura, quæ olim erat in usu ad subsidium probationis, quando tamen gravissimi delicti habebantur sufficientia indicia, hodie non amplius adhiberi potest. De tortura agit cl. Vecchiotti, *Inst. canonicæ*, l. IV, c. 3, § 42, ubi *de examine et tortura reorum*. Item vide Lessius, Lugo, Sanchez, Grovius, Tomassinus, Diana, et Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 203.

683. De reorum fuga:

a) Licet reo innocenti fugere, et e manibus satellitum se eripere; sed non licet vim vi repellere occidendo aut vulnerando, quia publicæ potestatis legitime constitutæ jura violaret; et contraria propositio sub n. 18 damnata est ab Alexandro VII. Diximus: *legitime constitutæ;* hinc Gousset: « Se foste minacciato di una morte evidentemente ingiusta in tempi di anarchia, o sotto il regno della tirannide, potreste resistere respingendo la forza colla forza, a coloro che volessero arrestarvi, eccetto che la vostra resistenza fosse motivo di scandalo o occasione di qualche grande turbolenza. Così s. Tommaso. »

b) Imo regulariter innocens ad mortem damnatus tenetur fugere, ne cooperetur aliorum injustitiæ; excipe nisi aliud suadeat bonum virtutis, religionis aut reipublicæ: sic plures martyres, licet evadere possent, in carceribus manserunt. Si vero sit reus, docent communiter talem posse fugere; nimium sane naturali inclinationi repugnaret, si tale medium ei adhibere non liceret. Non tamen tenetur, ex eo quod mors non sequatur ex non fuga, sed ex crimine commisso; quinimo dicunt, reum posse sponte sua se judici sistere, ut Deo et reipublicæ satisfaciat, atque sua ipsius punitio aliis sit in exemplum.

Probabilius autem licet reo innocenti custodes (præcisa vi et corruptione) decipere ad fugam capessendam; item vincula et carceres effringere; quia cum finis est licitus, etiam media, quæ non sunt intrinsece mala, licita sunt. Neque probabiliter tenetur reficere damnum illatum in carcerem, vel quia alii captivi simul fugerunt, vel quia custos inde punitur (ex *Codice pæn.*, art. 271); hoc enim evenisse censetur per accidens. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 282. — Lugo, *De Justitia et Jure*, disp. XL, sect. 4.

684. Jus asyli: reorum indemnitatem seu *jus asyli*, quod acriter denegant Ecclesiæ, suæ sectæ ultro vindicant seditiosi: « Oh, chi è mai sì nuovo in questo mondo che non abbia udito e letto vituperii infiniti contro l'*asilo ecclesiastico?* Avea bel gridare la natura, essere indegna cosa, che nella santità del tempio penetrasse senza riguardo col ferro sguainato il birro, senza sospendere il passo un momento, senza dar segno di riconoscervi la maestà terribile del Dio dell'Universo. Avea bel fremere il naturale sentimento di pietà contro lo spietato, il sacrilego: — *natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.* — Avea bello stancarsi la storia nel raccontarci per minuto le costumanze religiose dei popoli anche pagani, anche selvaggi, ai quali l'Altare, la Selva sacra era asilo inviolabile; e i diritti diplomatici delle nazioni colte, presso i quali è inviolabile il domicilio di un ambasciadore.

» Lo stesso Dio tremendo del Sinai squillava indarno fra le caligini di quelle pendici la tromba, segnando nelle tribù del pellegrino Israello, a quali città e a quali delitti dovessero assicurare la vita. L'empietà avea vinto, il secolo apostatava; ed ogni asilo dovette portar l'anatema, e perder non solo il diritto, ma l'onore; non solo cessare di tutelare gli sventurati, ma andare in voce d'infamia e d'ingiustizia.

» Or ecco ad un tratto il linguaggio si cambia, e i zelatori della giustizia contro la Religione, strappano dalle mani di Temide le bilance e gridano: *umanità, perdono.* Jeri parea loro indegna cosa, che la maestà suprema di un regnante potesse accordare una grazia al malfattore; peggio poi che questi aver potesse una franchigia, un ricovero nelle ombre del Santuario. *E, qual forza* (sclamavano) *avrà più la legge, qual freno il delitto, qual sicurezza la società, se uno scellerato può sperare o grazia dal principe, o scampo dalla Religione?* Oggi vedete mutazioni di linguaggio! la società è sicura, la legge inviolabile, il delitto conquiso con un passaporto benignamente accordato ad un manigoldo, che fugge grondante del sangue di cento vittime. Strana mutazione invero, ma che non è mestieri spiegare ai nostri lettori. Essi già sanno di lunga mano, che i promulgatori di *convincimenti profondi*, di *principii inviolabili*, di esecrazione contro i *due pesi* e le *due misure*, sono que' dessi appunto che già tengono negli elastici loro portafogli dei *principii* per ogni fortuna, dei convincimenti per ogni interesse, delle misure adattabili ad ogni spanna; e che quando si chiedeva severità alla legge, era interesse nel perse-

guitare gli avversari; quando si chiede benignità all'asilo, è interesse nel tutelare i complici. Or su, signori: è egli lecito o illecito l'apparecchiare un rifugio all'innocente perseguitato, all'illuso disingannato, e al delinquente pentito? Se questo è illecito, se fomenta il delitto, se rende inefficace la legge, la morale, paralitica la giustizia, cessate ormai dal volere un asilo aperto a qualsivoglia angolo della terra, chè una è per tutti l'inviolabilità della giustizia, della legge, dell'ordine, della morale. Se poi riconoscete essere istituzione degnissima di una giustizia *umana*, l'aprire un asilo all'innocenza e al pentimento, cessate, se'l ciel vi salvi, dal ripeterci le invettive protestanti e volterriane contro que' secoli, in cui la Religione facendosi incontro al reo lo copriva con un manto riverito, assicurandolo non a ritemprare i pugnali, ma a piangere i suoi delitti. » *Civ. Catt.*, ser. 2ª, t. II: *L'asilo della rivoluzione.* — V. Della-Margarita, *Avvedimenti politici*, c. XVIII.

« Ma rispondono: *sono delitti politici.* Come se i delitti politici fossero un nonnulla.... Sono *delitti politici*, vale a dire delitti, che non uccidono un uomo, ma una società. E questo omicidio di un essere morale, che compromette beni, libertà, onore e vita di *tanti* milioni d'uomini, a voi pare un nonnulla? » V. *Civiltà Catt.*, ser. 2ª, t. IV: *L'autorità sociale;* et t. X; ser. 3ª, t. I: *Delle case di correzione.*

685. Prætoris seu judicis inquisitio: inquisitio judicialis definitur: *actus judicis ad detegendum, an aliqua persona aliquod delictum patraverit, ut si illud patraverit, puniatur tum ad publicam delicti vindictam, tum in exemplum aliorum.* Triplex distinguenda est inquisitio: alia *omnino generalis*, si nempe in genere inquiratur, an subditi servent leges, et crimina evitent; alia *omnino specialis*, qua de certa persona et de certo crimine quæritur, v. g. an Petrus commiserit furtum; alia est *mixta*, quando vel solum crimen est speciale, vel sola persona, ut si quæratur quis fecerit istud homicidium; vel an Petrus servet synodales Constitutiones.

Potest judex sine ulla causa et præcedenti occasione, sed sola ratione officii sui, instituere *inquisitionem generalem;* quia ita exigit bonum reipublicæ, neque alicui irrogatur injuria (ex c. 1 *de off. jud.*). Licet autem quorundam detegantur delicta, id contingit per accidens ac præter intentionem, cui incommodo prævalet bonum commune. Sed non potest instituere *inquisitionem specialem*, nisi præcesserit semiprobatio, vel infamia judicialiter contestata, vel clamorosa insinuatio, id est rumor multorum de crimine et de criminoso; sic enim exigit ordinis publici conservatio et fama subditorum (capp. XXI et XXIII *de accus.* V. *Statutum* Regni Subalpini, §§ 26, 27). Quoad *mixtam* autem distinguendum est: inquisitio generalis quoad personam, specialis vero quoad delictum, ut si quæratur quis patraverit tale homicidium, licita est; nulli enim irrogatur injuria, et tunc publico bono providetur. At inquisitio specialis quoad personam, generalis quoad delictum, v. g. an Titius aliqua crimina patraverit, judicialiter non potest fieri, cum esset sine causa infamare.

Attamen si inquisitio non sit ad pœnitentiam, sed ad simplicem emendationem, id est si inquisitio specialis sit paterna, non judicialis, licita est. Constat ex universali consuetudine: hinc Episcopi eorunque visitatores in Diœcesis visitatione (quam ordinarie nonnisi paterne faciunt), de Parochis et aliis clericis in specie inquirere et indagare solent, quomodo se gerant, an leges observent, etc. Quod valet etiam de superioribus sæcularibus. *Bouix.*

686. Probatio judicialis: probatio est *rei dubiæ seu controversæ per legitima argumenta ostensio:* quæ argumenta potissimum

desumuntur ex locis extrinsecis, ut testibus, instrumentis, etc. Probatio alia est *plena*, quæ tantam fidem facit Judici, ut sufficiat ad decisionem causæ: hanc perhibent testimonium duorum, instrumentum authenticum, jusjurandum ad relationem partis præstitum, etc. Alia est *semiplena*, quæ facit judici aliquam fidem, sed non sufficientem ad causæ decisionem: hanc inducunt, unius testis depositio, scriptura privata non authentica, comparatio literarum, levis præsumptio, etc.; et hæc dant locum juramento suppletorio et cum aliis adminiculis faciunt plenam probationem. — *V.* Maschardus, *De probationibus;* — Maschat, *Jus canonicum;* — Ferraris; V. *Probatio.*

687. Dona Judici oblata a litigante: peccat judex recipiens munera, et peccat qui ea offert, cum cooperetur illius peccato (excipe rudes quos plerumque ignorantia excusat; item si dentur ad redimendam injustam vexationem; item si de rebus agatur levioris momenti). Id enim prohibet Jus naturale, quia munera mentem obcæcant; Jus canonicum in 6 *Decr.* l. I, t. III, c. 2; Jus tandem patrium ex *Cod. pœn.* art. 217 et seqq., ubi magistratuum aut juratorum corruptio per dona aut promissiones gravibus pœnis, mulcta, officii interdictione, relegatione plectitur in corruptis; in corruptoribus autem pœna carceris et mulcta punitur.

688. Quæres: *an judex teneatur dona restituere ipso jure, antequam de restitutione damnetur?*

R. Alii probabiliter affirmant, quia tales donationes nullæ omnino lege declarantur. Alii item probabiliter negant, quia leges illæ accipiuntur pro foro tantum externo, vel post sententiam declaratoriam; unde, licet illicite agat judex accipiendo, non peccat contra justitiam retinendo; idque, ait Lugo, probatur ex communi praxi judicum etiam timoratorum, qui nunquam ea munera restituunt, quando fuerunt liberaliter data, nec a confessariis ad id obligantur.

An saltem (quæres) *debeat judex restituere quod accepit sub pacto ferendi favorabilem sententiam?*

R. Si dona judex accepit pro ferenda sententia justa tenetur acceptum restituere, quia nullum habet titulum retinendi, et officium gessit quod non potest esse materia contractus; et hoc etiamsi acceperit non ab una ex partibus, sed ab extraneo, v. g illius amico, familiari, etc. A fortiori restituere tenetur quæ extorsit vi, minis, etc. — Si pro sententia injusta accepit, est probabile eum teneri ad restitutionem; quia actio peccaminosa nullo pretio digna est: sed opinio probabilior et communis docet contrarium cum Cajetano, Croix, Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sanchez, Vasquez et Viva. Ratio potior hæc videtur, quod lex naturalis omnino velit, ut in quocumque contractu oneroso, *do ut des*, *facio ut facias*, quando una pars opus suum præstiterit quod ex justitia præstare non tenebatur, teneatur etiam altera præstare suum.

Obstrictus tamen semper esset ad restituendum parti læsæ, casu quo causa movens, nempe donans, ipse per se non restitueret. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 712; et l. IV, n. 216.

689. Lites cito finiendæ: *lites interest reipublicæ quanto citius finiri; etenim non solum consumuntur familiæ in expensis et jurgiis, verum etiam in illis distenti, publicis muneribus vacare et aliorum hominum commodo deservire prohibentur.* ita Rota Romana Decis. Recent. CXLVI, n. 6, p. 1. Et ipse Justinianus imperator *(L. properandum ff. de judiciis)* conquerebatur, quod *lites fierent pene perennes, et vitæ hominum modum excederent.* Unde Tridentinum volens providere, ait (sess. XXV, cap. 10 *de Ref.): Admonet S. Synodus tam Ordinarios,*

quam alios quoscunque judices, ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate, studeant, etc. — *V.* Muratori, *Dei difetti della Giurisprudenza*, cap. XIV.

Ad rem etiam pro praxi Stapf, § 357: « Licitum est christiano, et quandoque per officia altiora etiam necessarium redditur, ut auctoritatem publicam interpellet; Apostolus ipse, ut se Judæorum insidiis subduceret, ad Cæsarem appellavit (*Act.* XXV). At caveamus mendacia, dolos; neque id studio vindictæ vel animo alios nocendi nostra propugnemus; sed omnia *in charitate* fiant; atque nulla neque pendente neque finita lite in adversarium malevolentia ducamur, seu ut *quamvis inimici causæ, amici personæ simus*. Ast quia difficillime id obtinetur, ideo, quoad potest, nonnisi inviti et sat gravi ratione adducti litigemus; in levioribus cedamus potius, quod plerumque sumptus etiam et expensæ suadent; et ad amicabilem compositionem semper simus parati. Quidquid sit vesana illa altercandi libido, quæ alicubi et apud aliquos viget gravem sane reprehensionem meretur; præsertim in summam honestatis perniciem vergit; quos fructus divina Religio illis in locis adhuc feret, ubi inter quotidianos litigiorum strepitus charitas fraterna conticuit? Vide I, *Corinth.* VI. »

(X) *Pag.* 399.

690. Jurati (giudici del fatto): « I giudici del fatto non debbono trascorrere col pensiero all'applicazione della pena, alle conseguenze di essa ... Essi non devono mirare ad altro scopo, se non a pronunziare nella loro coscienza, se credono o no l'accusato colpevole del reato che gli è imputato. » Ita Lege 24 martii 1848, art. 48 et seqq. Qui electus renuit hoc officium suscipere, sine legitima probata causa, mulctatur (a 300 ad 1000 libell.). Quoad judicia ac juramentum emittendum vide *Cod. proc. pœn.* art. 486 et seqq.

Quæres: *si citatus reus sit a sæculari jurisdictione exemptus, possunt ne jurati ad tale judicium licite adesse?*

R. Frassinetti: « Si juratus fiduciam habet quod alii, una cum ipso justitiæ amantes, intervenire possunt, et sic efficaciter cooperari ad absolvendum innocentem, videtur quod lex naturæ ipsum obliget ad officium accipiendum, ut opus charitatis exerceat, quo graviter ne dicam gravissime indiget proximus. Si tamen in aliquo casu adesset lex expressa vel censura contra eos qui jurati munus suscipiunt, quid tunc? Cum leges ac censuræ semper sint in ædificationem, non est supponendum quod ipsæ velint auferre unicam anchoram salutis ad personarum incolumitatem tuendam; ideo, tunc illæ cessant *contrarie*, ut ajunt Theologi. Nemo autem eo in casu impedit juratum, ut suas aperiat intentiones tale officium sustinendo, ad scandalum impediendum, seu admirationem propter suam interessentiam. Item vellem ut juratus consilium peteret ab ecclesiastico superiore, si tempus suppetit; sin autem, ut interroget aliquem virum doctum ac prudentem, quæ expendat utilitatem, et gravitatem sui interventus in judicio. Quod si ejus interventus foret inutilis ad tuendum innocentem, certo prævidens quod alii jurati ipsum condemnabunt, tunc debet se abstinere, et hoc modo protestari quoad potest contra præpotentiam et justitiæ abusionem. »

Hactenus cit. auctor, nota 92, *Compendio* ecc. Verum si juratus nullam possit adducere causam, et a judicio abstineat, civili lege punitur; ideo alii censent, eum adhuc in hoc casu intervenire posse;

attamen prius exquirendo consilium, petendo facultatem, amovendo scandalum, et reo quantum in se est favendo. Quidquid tandem sit, juratus est in sua bona fide relinquendus, etsi non possit licite comparere, quando monitus non prævideatur certo obtemperaturus ob pœnam quam renuens deberet sustinere; sed amoto scandalo.

(Y) Pag. 405.

691. Quoad Medicos hæc statuimus:

1. Certum est, quando desperatur de infirmo: 1) esse applicandum remedium probabiliter profuturum, si aliud certius non habeatur, ut infirmo, modo quo potest, provideatur; 2) si remedium sit dubie profuturum et certo non nociturum, adhuc applicandum esse; habetur enim tunc aliquid spei, nihil vero timoris. Quando autem dubitatur, an remedium profuturum sit, an nociturum, sententia quæ nobis videtur satis probabilis, et fortasse etiam probabilior, docet illud applicari posse casu, quo agatur de infirmo sine spe. Nam conformius est prudentiæ et voluntati ipsius infirmi applicare illi remedium dubium, quam illud omittere, cum certitudine mortis. Hoc tamen fieri nequit ad experimentum faciendum pro aliis infirmis; est enim illicitum quærere experimentum in alterius vita.

2. Quoad obligationem monendi infirmos de Confessione, communius docent ad id medicos teneri, etsi non agatur de morbis non actualiter periculosis, sed qui periculosi fieri possunt. *Quæ sententia* (notentur hæc verba s. Alphonsi: *Praxis Conf.*, n. 57) *mihi videtur vera.* Hoc tamen non obstante, in contrarium est praxis medicorum etiam timoratæ conscientiæ, qui non solent monere infirmos ad confitendum, nisi cum infirmitas probabiliter jam periculosa effecta est. Neque in hoc putant peccare adversus juramentum præstitum juxta Bullam innixi doctrinæ plurium auctorum sentientium, quod præfatum juramentum non obligat, nisi pro illa parte, pro qua a consuetudine receptum est. Ceterum non dubitandum, quin mortaliter peccent saltem medici illi, qui omittunt monere infirmos (maxime spectatæ dignitatis), cum jam infirmitas est periculosa. Hos porro vult Sanctus noster, ut confessarius interroget ac moneat, *non obiter, sed cum calore; nam ex hoc pendet salus spiritualis medici, et omnium infirmorum, qui sub ejus cura erunt.* Imo ubi viget Concilium provinciale Romanum celebratum sub Benedicto XIII, lata est excommunicatio, Episcopo reservata, in medicos, *si tertiam post infirmi visitationem ab infirmi cura non abstineant, usque dum infirmus ipse Pœnitentiæ non susceperit Sacramentum* (tit. XXXII, c. 1): non viget apud nos. — V. *Continuazione delle Memorie di Religione;* Modena, tom. XVII, art.: *Riflessioni* del dott. Ermen. Pistelli *sopra l'officio di far noto agli infermi il pericolo di morte.* — *Analecta Juris pontificii*, 1859. — Angeli, *Il Medico giovine al letto dall'ammalato.*

Medici quo in sua arte sapientiores, eo sunt religiosiores. Ad rem celebris medicus Broësiches: *Tanta est inter Deum, Religionem et Medicinam connexio, ut sine Deo et Religione nullus exactus medicus esse queat.* Sane medicina a Deo est (Eccl. XXXVI); ac ne dum materialismum inducat, imo Dei providentiam mirabiliter commendat, tum in herbarum virtute quam inquirit; tum in admiranda humani corporis structura, cui studet: unde quidam anatomiam Dei existentiæ evidentem demonstrationem appellat. « Voltaire non voleva che i suoi amici parlassero da atei alla presenza de' suoi famigli, essendo sicuro che

se questi non credevano in Dio, avrebbero scannato il loro padrone per toglierli i denari. E chi sarà così allocco da fidarsi di un medico che non crede nè a Dio nè al diavolo, e che non riconosce altro che materia? Chi più del medico può facilmente e impunemente ammazzarvi? E se non potete fare assegnamento sulla sua coscienza, come potete mettergli in mano la vostra vita. » *(Unità Cattol.*, 1868, 18 apr.). *V.* Moserus, *De Medicis sanctis;* — Albertus, *De convenientia Medicinæ cum Theologia practica;* — Matthias, *De habitu Medicinæ ad Religionem;* — Chiappa, *Della vicendevole dipendenza tra la Morale e la Medicina;* — Devay, *De la phisiologiæ humaine et la Médicine dans le rapport avec la Religion chrétienne, la morale et la société;* — Ferraris; V. *Medicus;* — Scotti, *Catechismo medico;* it. *Omelie ai giovani studenti;* — Salva, *Sui pregi e doveri del Medico.*

Hic mire faciunt et ponderanda sunt verba quæ legere est in Libro Ecclesiastici c. XXXVIII fere per totum: *De medicis, medicinis et* ipsis *ægrotis.*

(Z) Pag. 414.

692. Cura parentum in filios: in hoc maxime sita est:

1. *Ut eos matres lacte proprio alant;* ad hoc enim natura ipsa evidenter impellit; excipe nisi habeant justam causam, v. g., infirmitatem, debilitatem: Navarrus cum aliis excusat etiam fœminam nobilem ob consuetudinem. Etsi autem probabilius mater ad hoc non teneatur nisi sub veniali, cum ejus obligatio gravis huc respiciat, ut proles bene alatur; tenetur tamen sub mortali bonam ei nutricem quærere, si ipsa per se tale onus non sustineat; lactis enim qualitas plurimum confert ad salutem ac mores. Monet nutrices ac matres p. Cajetanus a Bergomo, esortazione VII: « Nel tempo che allattate, non vi lasciate dominar dalla collera per non fare un latte collerico e rendere anche collerico il figlio. Oltre tante offese d'Iddio che schiverete, torna ciò a conto di voi medesima, perchè se il figlio sarà iracondo sfogherà la sua collera, allorchè fatto grande, anche contro di voi. » (In Op. *L'Uomo apostolico).* — *V.* Benedictus XIV, *De Synodo,* l. XI, c. 7; — Conte Benvenuto di S. Rafaele, *Ragionamento intorno all'obbligo di allattare i propri figliuoli;* — *Précis de physiologiæ humaine pour servir d'introduction aux études de la Philosophie et de la Théologie Morale, suivi d'un Code abrégé d'hygiène practique,* Ouvrage spécialement destiné au Clergé et aux Séminaire par Debreyne docteur en médecine; — Roberti, *Opere,* vol. III.

2. *Ut devotionem et domesticum cultum parentes foveant:* sane præstat, ut cultus Dei intra domesticos parietes vigeat; *etenim* (uti observat pius Stapf, § 223), *præterquam quod exinde pius Religionis sensus atque orandi studium plurimum foveri soleat, multæ etiam morum corruptelæ arcentur, et totus familiaris convictus intimior evadit... Repeto quod innui: etiamsi Rosarium finito labore diurno, plerumque multis cum distractionibus recitari soleat, iis tamen in ædibus, ubi hæc devotio nullo die omittitur, plerumque plus probitatis invenies, quam ubi omnis cultus domesticus in desuetudinem abiit. Hunc cultum constituunt tum devotæ comprecationes, tum pia lectio et colloquia ad ædificationem facientia. Præcipue mos ille commendari meretur, quo pater, vel mater familiæ Doctrinam in Ecclesia exceptam cum suis repetit, atque eorum captui magis accomodare studet.* — V. *Civiltà Catt.*, ser. 5ª, t. IX: *Possibilità d'una scuola cattolica liberale in Italia.*

Ad rem etiam Gaume, *Storia della famiglia:* « Ciò che la radice è all'albero, la sorgente al fiume, la base all'edifizio, è la famiglia allo Stato e alla Chiesa: dalle mani della famiglia il primo riceve i suoi cittadini, la seconda i suoi figli. In un senso più intimo, e per una ragione più profonda, la famiglia dev'essere chiamata la società più importante. Far l'uomo ciò che sarà, non è forse un preparare infallibilmente la gloria o la vergogna, la felicità o la sciagura del mondo? Tale è la terribile missione della famiglia... Associata alla stessa paternità del Creatore, la famiglia ha ricevuto la podestà di generare esseri a sua somiglianza, esseri capaci di partecipare un giorno alla natura divina: *divinæ consortes naturæ* (II, Petr. I). Oh famiglia! società misteriosa e sacra! come sei grande agli occhi della ragione! come sei rispettabile agli occhi della fede! comprendi la sublimità del tuo glorioso destino: qual santità deve presiedere alle tue parole, alle tue azioni! quali cure religiose non devi tu avere per quell'essere che va debitore a te della sua esistenza? quell'essere che Dio chiama *mio figlio*, e l'angelo *mio fratello?* »

3. *Ut invigilent in libros quos evolvunt, neque eorum vanitatem foveant in vestibus.* Nam corrumpunt bonos mores libri pravi: si nimis cum eis indulgeant in victu atque vestitu, eos dilicatulos, difficiles, superbientes ac pervicaces habebunt: experientiam interrogent. Hinc ad rem Quintilianus: *Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi nos perderemus! infantiam statim deliciis solvimus: mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit.* « De combien de désordes cette mollesse, cet amour parricide des parens n'est-il pas cause! » *Examen raisonné.*

4. *Ut eos de recta educatione et statu provideant.* Qua in re peccant graviter parentes, qui, ut sumptibus parcant, educationem spiritualem filiorum prorsus negligunt; qui pro famulatu penes pravos dominos eos collocant, pluris facientes pecuniam quam animam; qui eos mittunt ad scholas hæreticorum vel aliorum magistrorum, qui sint impii moribusque perditi. Videant, quæso, quam terribilem rationem sint Deo reddituri, qui de manibus eorum animas filiorum repetet; neque enim ignorare possunt quantum instituta exemplaque præceptorum in adolescentium animos influat.

Si filius debita ut vivere possit contraxit, ea solvere pater tenetur. *Collet.* « Les parens, qui par un esprit d'avarice, nourrissent et entretiennent leurs enfants avec trop d'épargne, ne commettent que une faute vénielle, si les enfants n'en souffrent pas notablement, et que ce qui leur est absolument nécessaire pour vivre et être entretenus honnêtement selon leur état, leur soi accordé. » *Examen raisonné* etc.

Item quoad matrimonium filiorum multa attendere debent parentes, præsertim ut ejusdem temperamenti et ætatis (quantum potest) sint nupturi. Quot enim ex disparitate matrimonia infelicia, cum nempe robustus infirmum aut debilem; juvenis non juvenem ducit, præsertim si uxor senior sit! Hoc matribus per confessarios singulariter inculcandum est. *Goritia.*

« Quoique un enfant soit en service, ses parents conservent toujours sur lui ses droits et l'obligation de veiller sur sa conduit. » *Examen raisonnés.* — *V.* Riccardi, *Dei mezzi di promuovere l' Educazione religiosa*, c. XVII. — Bougaud, *Storia di s. Giovanna Francesca di Chantal;* it. *Storia di s. Monica.* — Mgr. Landriot, *La Femme forte;* it. *La Femme pieuse;* Paris, 1865. — *La Famiglia cristiana, ovvero Ammaestramenti e regole del viver cristiano per ogni stato di persone secolari*, proposti da s. Carlo, dal b. Valfrè, dal v. Strambi, *diretti spe-*

cialmente ai padri e madri di famiglia. Novara. — Chassay, *I Doveri delle donne nella famiglia;* item *Manuale delle donne cristiane.* — Dupanloup, *L'Educazione.* — Ceterum quoad matres circa accuratam filiorum educationem plura disputamus Lib. IV, *Append.* 6.

693. Filii delinquunt in parentes:

1. *Eis non obediendo:* attamen non raro, in praxi, a mortali excusari potest inobedientia filiorum ob animi levitatem, inadvertentiam, vel ob quandam negligentiam humanam, et sæpe ob materiæ parvitatem, vel ob defectum rigorosi præcepti in ipsis parentibus. Audiatur Sporer: *Ex aliqua negligentia vel socordia fragilitatis humanæ, juvenilis præsertim, præceptum paternum transgredi, semel, iterum. aut sæpius (non tamen sæpissime et ordinarie; tunc enim accederet virtualis saltem contemptus et pertinacia), non censetur peccatum mortale inobedientiæ. Cum obedientia paterna tali modo non censeatur lædi graviter, quamvis etiam sic merito paternæ punitioni ipsa subjacere debeat,* etc.

2. *Eos non reverendo:* qua de re bene ait Roncaglia, non excusari a mortali qui matrem vocat *pazza, ubbriaca, bestia, strega, ladra* et similia. Qui vero diceret tantum *vecchia, stordita, ignorante* et similia, puto non posse de se absolute damnari de mortali, nisi parens ideo graviter offendatur. Filius autem clam maledicta aut convicia in parentes conjiciens, non peccat graviter; cum non adsit tunc neque contumelia neque irreverentia, siquidem absentes sunt. Excipe nisi filius eis malediceret animo malevolo aut cum magno contemptu, nempe si malediceret coram aliis eo fine, ut illi dein parentibus deferant, vel forte saltem præsumendo quod deferrent. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 334.

Ad rem etiam Gousset: « Per giudicare della natura del peccato, che si commette mancando di rispetto verso i genitori, conviene por mente ai costumi, agli usi del paese, alla condizione dei padri e delle madri ed alla educazione dei figliuoli. Un'educazione rozza può diminuire l'ingiuria fatta ai genitori, e per conseguenza la malizia anche del peccato. »

Reverentiæ parentibus debitæ adversatur etiam illa familiaritas, quam alicubi videre est, filiorum erga genitores suos, uti fert illud Italorum adagium: *La troppa confidenza fa perdere la riverenza.* Et ideo nobis non arridet consuetudo illa (quæ viget heu nimis!), ut filii tribuant patri ac matri pronomen secundum numeri singularis: *tu, ti, te.* « Il voler agguagliare i figliuoli al padre ed alla madre non è secondo natura, checchè ci gridino cotesti filosofi zucche; ma è uno sconcio, come sarebbe l'appareggiare gli effetti alle cagioni, il rampollo alla pianta, il seme al frutto, il bocciolo al fiore. Non ha egli detto il Signore: *Onora il padre e la madre, acciocchè tu viva lungamente sulla terra?* Il Signore ch'è autor della natura, sa ben egli, senza che Voltaire e Rousseau gli dian lezione di pedagogia, quale sia il debito dei figliuoli verso i genitori; nè Dio disse mai che i figliuoli sieno gli amici del padre; ma bensì inferiori e dipendenti ossequiosi. Or vedete, s'egli è savio allevare i figliuoli senza riverenza, ma colla libertà e familiarità d'amici! Cotesti filosofissimi se ponno toglier di mezzo l'autorità paterna, che è la più naturale e imperiosa all'uomo, non avvi più autorità di principi, di magistrati, di leggi che vaglia un'ette a rattenere il disfrenamento degli uomini. » *(Ubaldo ed Irene:* La visita).

3. Parentibus *læsum honorem debito modo minime reparando:* cum filii parentum debitam rationem non habuerint, utique ipsi per se lo-

quendo, tenentur læsum honorem eis restituere, veniam ab eis postulando, etiam coram iis, in quorum aspectu filii peccarunt. Nonnulli autem confessarii, parum cauti in eo casu, pro satisfactione imponunt filiis, ut cum domum pervenerint, pedes parentum deosculentur, et absolutos dimittunt; sed illi postea hoc adimplere non curant, et novum peccatum admittunt. Satius est curare ut ante absolutionem hanc veniam poscant, quin eis imponatur, ut pedes, aut manus deosculentur; quia illi filii quibus hoc faciendi consuetudo nunquam fuit, difficillime hoc exequuntur. Si autem non possit commode hic actus ab illis exigi, ut veniam postulent ante absolutionem, non imponatur hoc sub gravi obligatione; sed potius ut consilium insinuetur, dum certe præsumuntur, saltem ut plurimum, parentes remittere filiis hanc obligationem, ne filii iterum in Dei offensam incurrant. A venia petenda heu nimium refugit amor proprius. Juverit saltem adolescentibus imponere, ut domum reversi parentibus dicant, se velle in posterum esse probos, dociles, etc., *oggi mi son confessato, adesso voglio essere più buono.* Hæc enim parentes libenter accipiunt uti sufficientem satisfactionem. — *V.* Liguori, *Praxis*, § 34; — P. Gaetano da Bergamo, *L'Uomo apostolico*, l. VIII, c. 2, esortaz. X, qui modum industrium docet.

Diximus *per se loquendo;* pro praxi enim juvat monitum Frassinetti: « Quoties confessor prævidit, quod filii non essent dispositi neque disponibiles ad ita se humiliandos, quod quidem faciliter contingere potest; et aliunde supponi posset quod sint in bona fide, quod etiam potest evenire, si res sit cum filiis rudæ indolis et male educatis; tunc confessarius illos in eorum fide relinquere deberet. Item observandum est quod multoties ipsi genitores satis et abunde contenti essent, si eorum filii emendarentur, et in posterum non amplius se ostenderent irreverentes; illico parati ad illis remittendam omnem honoris restitutionem ad quam jus haberent. » *Compendio* ecc. nota 152.

Regula pro confessario. Sæpissime in tribunali Pœnitentiæ non cognoscunt confessarii quousque filii sint erga parentes rei, quia vage se accusant: unde fit quod sæpe absolvantur, quorum agendi ratio, et loquendi modus horrorem incuteret, si videretur et agnosceretur. Noscenda ergo est filiorum indoles et educatio; et præsertim interrogandi quid dixerint, quid fecerint, et quidem quomodo et quo spiritu. Experientia constat paucas esse materias præsenti difficiliores, sæpissimeque post interrogata remanere dubium, an mortaliter an venialiter solum peccaverint filii: et consequenter an absolvi possint, cum ordinarie hæc peccata sint consuetudinis. Itaque ad gravitatem peccati odii, irriverentiæ, injuriæ in parentes mensurandam, non sufficit æstimare ipsum actum secundum se præcise ex natura sua, ex suo objecto et intentione agentis; sed debet insuper attendi effectus exacerbationis, contristationis in parentibus causatus, dum prævisus fuerit. Hinc quandocunque filius vel filia, sine justa causa, deliberate aliquid agit, vel omittit, etsi per se malum non sit; ex quo tamen scit parentes graviter offendendos, aut forte etiam peccaturos nimia ira, indignatione, blasphemiis, etc., ipso facto peccat mortaliter contra amorem, reverentiam et obedientiam parentibus debitam. Etiam in dubio, an sit justa causa aliquid agendi, ex quo parentes offendendi sint, tenetur filius abstinere; quia in tali dubio stat possessio et obligatio reverentiæ. Quando tamen justa causa omnino urget aliquid agendi, et constat offensionem parentum ex mera eorum morositate, melancholia, vel etiam malitia irrationabili orituram, non peccant filii illud agentes, idque maxime in sequenda vocatione divina. (Ita *Examen raisonné.)* — *V.* Lib. IV, Append. *de præcipuis interrogationibus adhibendis cum diversis personis, a confessario,* etc.

Nota: Quarto Decalogi præcepto honorandi parentes adjecta est hæc promissio, *ut sis longævus super terram;* ita in Deuteronomio; et repetitur etiam in lege nova Ephes. VI. Quæ porro promissio verificatur secundum intentionem Dei, quæ quidem est conditionata, in quantum nempe vita longæva congruit saluti et bono filii ac divinæ providentiæ: sic rapiuntur aliquando citius boni filii ne mutentur; rapiuntur aliquando boni filii, si immineat patriæ aut familiæ acerba calamitas. Et tunc promissio longævitatis superabunde adimpletur per modum compensationis, in quantum iis loco temporalis vitæ datur vita æterna; sicuti non dicitur falli ille, cui argentum promissum est et datur aurum.

Hæc Parochi aliique, data occasione, ad praxim deducere possunt, ut obedientia, reverentia et omnis subordinatio debite servetur. *V.* d. Thomas, 2, 2, q. 104, a. 5; 1, 2. q. 100, a. 5; et *Catechismus Romanus.*

4. *Eos deserendo in necessitate, etsi agatur de amplectenda Religione.* At quæ parentum necessitas filium retrahere valeat a Religione, audiendus Angelicus: *Si sine ejus obsequio parentes nullo modo vivere possunt, sic tenetur eis servire et alia opera perfectionis prætermittere, et peccaret eos dimittere. Si vero sine ejus obsequio possunt aliqualiter sustentari, non autem onorifice, non propter hoc tenetur opera perfectionis dimittere* (Quodl. x, art. 9). Et si jam professi, tenentur *e Religione egredi* in extrema parentum necessitate, quæ nullam agnoscit legem: et egressi ex decreto Benedicti XIV, anno 1745, subduntur Ordinario loci. Sed in gravi parentum necessitate probabilius non tenentur; de hac habet Angelicus: *Ille, qui jam est in Religione professus, reputatur jam quasi mortuus mundo: unde non debet, occasione sustentationis parentum, exire e claustro* (2, 2, q. 101, a. 4).

694. Nota: Ad tollendam omnem hallucinationem circa *Status religiosi electionem,* dicimus propositum de Religionis ingressu esse tale, ut hæc diligenter perpendi requirat: 1) an finis, quo movetur adolescens ad Religionem, sit rectus, animæ nempe salus et Dei gloria; intentio probat opus; 2) an disciplina, observantia et favor vigeat in illo instituto, ad quod ipse vocari se putat; secus enim difficillime poterit perfectionem sectari; 3) an sit stabilis, et aptus officiis illius Instituti: aliter in sui et aliorum ruinam illud ingrederetur. His rite perpensis auxilium docti, prudentis ac pii consiliarii, potest Religionem ingredi, quin de magis diuturno examine sollicitus sit, sperans fore, ut perfectionis semitam tuto pede, Deo opitulante, percurrere possit. Status enim Religionis talis est, ex Doctore mellifluo, in quo homo *vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fidentius, purgatur citius, præmiatur copiosius.* Adolescentes majoris semper probationis cupidos sic alloquitur s. Thomas: *Diuturna deliberatio, et multorum consilia requiruntur in magnis dubiis...; ingressus Religionis est melius bonum, et qui de hoc dubitat, quantum in se est, deroget Christo, qui hoc consilium dedit* (2, 2, q. ult. a. 10). Iterum Bernardus: *Quantos mundi sapientia maledicta supplantat, et conceptum eis extinguit spiritum, quem voluerat Deus vehementer accendi!... Cum a Deo verbum esse non dubitas, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilii Angelus: quid aliena consilia præstolaris? quis enim fidelior quisve sapientior illo?* (Serm. in Evang. *Ecce nos reliquimus.)*

Diversa res est, si agatur de statu ecclesiastico, qui viros non probandos, sed probatos requirit. Verum in neutro casu ordinarie parentes audiendi, licet diversimode se gerant. A Religione filios abducunt, quia nihil accipere posse probe sciunt; cum religiosus sæculo moriatur. Ad statum vero ecclesiasticum eos cogunt invita minerva, ut ajunt;

id est refragrante ingenio, repugnante natura, non favente Cœlo: cogunt, inquam, quia inde maria ac montes sperant; non enim filios suos Ecclesiæ offerunt ut Anna filium Samuelem, quæ *commodavit eum Domino* (Reg. 1): hodie parentes non commodant, quia commodare est mutuum dare nihil inde sperantes; sed locant, ut pretium locationis accipiant: contractus videlicet, quem parentes inire contendunt, cum filiis ecclesiasticum ministerium suadent, est: *do ut des.*

(AA) Pag. 417.

695. Consilium-familias: ad bonum et minoris tutelam institutum est; componitur ex prætore qui consilio præest, ex quatuor consultoribus, tutore, protutore (vel curatore si agatur de minore emancipato); ipse minor si compleverit annum 16 interesse potest, sed sine jure deliberationis. « Sono consulenti di diritto (ex *Codice* art. 252) nell'ordine, seguente, quando non fanno parte del Consiglio di famiglia in altra qualità: 1) gli ascendenti maschi del minore; 2) i fratelli germani; 3) gli zii. *In defectu* il pretore dee nominare altre persone scegliendole, per quanto sia possibile e conveniente, tra i prossimi parenti o affini del minore. In mancanza di parenti o di affini, il pretore provvederà a norma dell'art. 261 *(art.* 253). Le persone chiamate nei consigli di famiglia sono tenute ad intervenire personalmente. L'assenza non giustificata è punita con ammenda estensibile a lire 50 *(art.* 255); » et habitualiter absens poterit puniri mulcta ad libellas 500. Ad validitatem deliberationis omnes consulentes sunt invitandi, quorum saltem tres ultra prætorem convenire debent.

696. Consilium tutelæ: de hoc habet *Codex* art. 261: « Nell'interesse delle persone nate fuori di matrimonio si costituisce un Consiglio di tutela, eccettuato il caso di tutela legale esercitata dal genitore a norma dell'articolo 184 *(si nempe filium naturalem recognovit).* Se la figliazione è legittimamente riconosciuta o dichiarata, il Consiglio si compone del pretore e di quattro persone da lui scelte fra quelle che abbiano avuto relazioni abituali di amicizia col genitore. In caso diverso il Consiglio di tutela si compone del pretore, di due consiglieri comunali, o di altre due persone scelte dal pretore stesso. Sono nel resto comuni al Consiglio di tutela, in quanto siano applicabili, le disposizioni riguardanti i Consigli di famiglia. » *De tutela ac consilio-familias* vide etiam *Lex transitoria* 30 nov. 1865.

(BB) Pag. 419.

697. Vigilantia Episcopi in Scholas: statim ac fides Christi cœpit propagari, Scholæ christianæ seu studiorum Sedes in præcipuis locis, uti Alexandriæ, Cesareæ, Edessæ, Romæ, Nisibi, Mediolani, Novariæ, etc. florescere cœperunt; quarum directio semper Ecclesiæ fuit. At tempora immutata sunt, et civilis potestas eas moderari nunc vi suscepit. Quidquid tamen sit, indubitatum est etiam ipsas laicorum Scholas, quoad religiosam institutionem, Ecclesiæ regimini semper subjacere; Religionis enim magistros Deus non sæculares homines, sed suos ministros constituit.

« Non è solo lo Stato (ad rem Archiepiscopi et Episcopi Austriæ 10 jan. 1868) nè la famiglia; ma eziandio la Chiesa, che possiede un diritto sulla scuola elementare; il còmpito dell'educazione giovanile è

doppio: la formazione del cuore, e lo svolgimento della mente. L'una di queste cose non può mai essere dimenticata a scapito dell'altra; molto meno poi nei primi insegnamenti. I genitori sono obbligati non solo a nutricare i loro figli, ma eziandio a renderli timorati di Dio, e coscienziosi colla parola e coll'esempio; ed essi possono, anzi devono richiedere che la scuola a questo scopo gli appoggi. La Chiesa non ha mai posto in obblio il detto: *lasciate venire a me i fanciulli;* la formazione dei fanciulli, alla cognizione e all'amore, fu ognora l'oggetto della sua cura; sotto la sua protezione la scuola prese novello svolgimento e novella forza. » Et Pius IX ad Episcopos hæc dirigit verba notatu dignissima, in Encycl. *Noscitis* 8 dec. 1849: *Quoniam... etiam ex laicorum ordine adolescentes ad pastoralem vestram sollicitudinem pertinere non est dubium, excubate insuper, venerabiles fratres, aliis omnibus publicis privatisque scholis, et quantum in vobis est omni ope atque industria adnitimini, ut tota in illis studiorum ratio ad catholicæ doctrinæ normam exigatur... Eo autem in genere præcipuam vobis, planeque liberam auctoritatem et curam vindicabitis super professoribus sacrarum disciplinarum, et in reliquis omnibus quæ Religionis sunt, aut Religionem proxime attingunt. Advigilate, ut in tota quidem scholarum ratione, sed in iis maxime quæ Religionis sunt, libri adhibeantur ab erroris cujuscunque suspicione immunes. Commonete animarum Curatores, ut seduli vobis adjutores sint in iis, quæ scholas respiciunt infantium, et juvenum primæ ætatis,* etc. Item vide propositiones in *Syllabo* damnatæ sub nn. 44, 45, 46, 47 et 48.

V. Andres, *Origine, progresso e stato d'ogni letteratura;* — Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum: De scholis.* — Boulogne, *Istruzione sull'educazione cristiana;* — Cetta, *Dell'unità e libertà d'Insegnamento in Italia;* — *La Repubblica Romana del* 1849: *Suo processo,* c. XXXII; — Riccardi, *I conti fatti al progresso,* c. VI; — *Civiltà Cattolica,* vol. I, ser. 1ª: *Teorie sociali sull'insegnamento;* vol. X et XI: *Dell'educazione; La Chiesa nelle scuole dello Stato;* t. VIII: *Dell'educazione dell'uomo e della donna;* ser. 3ª, vol. II; *La riforma degli studi;* XII: *La scuola serva e la stampa libera; L'antico e il nuovo sistema d'insegnamento;* ecc. — Rollin, *Sull'educazione;* — Archiep. Droste, *Della pace tra la Chiesa e lo Stato,* cap. VIII: *Scuole, Collegi, Università;* — Bouix, *De Judiciis,* par. I, c. 6; — Margotti, *Roma e Londra,* c. VI; — Torricelli, *Dissertazione,* vol. I e VII; — Martinet, *Sveglia del popolo,* lez. XV; — Franco, *Risposte popolari* ecc., c. LVI; — Masinelli, *Lo studio della Filosofia proposto alla gioventù come mezzo di perfezionamento intellettuale e morale;* Modena, 1867; — Aichner, *Compendium Juris ecclesiastici,* t. *De Scholis.* — Peinetti, *Del libero insegnamento e della necessità onde rinnovare gli studi in Italia;* — Dupanloup, *L'Educazione.*

698. Religio in scholis primatum habere debet: quid tamen? Ad rem adnotator Dieulin: « Come in Francia, così in Italia, il governo non si occupa quasi più della credenza de' professori, che di quella degli officiali d'armata e de' direttori delle dogane; ondechè potrà accadere che un protestante od un giudeo insegni la storia ai cattolici, ed un razionalista, un libero pensatore, un ateo debba apprender loro la filosofia morale. Giovinetti i quali abbiano sotto gli occhi esempi di assoluta incredulità o di agghiacciata indifferenza, in fatto di Religione, non si faranno facili e solleciti imitatori de' loro maestri? Che varranno i germi salutari di fede gettati in lor cuore nella famiglia, quando vengano sì presto inariditi dal soffio appestato di velenose dottrine? Noi sappiamo che gli alunni di un collegio fecero giuramento tra loro di non accostarsi ai Sacramenti, perchè i

loro professori non si accostavano *(Scuole e Collegi).* » Nil ergo mirum si omni cura nitantur Episcopi suas scholas etiam pro laicis aperire; et si contra scholas modernas clamare non cessant; ac contra funestam illam *libertatem*, et, quod adhuc pejus est, contra illam perniciosissimam instructionis *sæcularizationem*, quam tanto studio promovent moderari politici; hæc enim non solum Clerum ab instructione penitus excludunt, sed ipsam Religionem, ut videre est in Opusc. *Sulla secolarizzazione del pubblico insegnamento, ricerche e pensieri* di Salvatore Randazzini. Milano, tip. Agnelli, 1868. — It. Dupanloup, *Discorso sopra l'insegnamento popolare.* Napoli, 1866. — Mons. Parisis, *Quesiti di coscienza riguardo alle libertà civili;* sesto ques.: *Libertà d' insegnamento.* — Mons. Rendu, *A qual punto sia la rivoluzione* ecc. — *Civ. Catt.*, ser. 7ª, t. 2: cronaca: *Germania meridionale;* 1868.

« Si è fatto un rimprovero (ad rem Solaro Della-Margherita, *Parlamento Sardo, Deputati;* Tornata 8 apr. 1854) ai Vescovi per avere lamentato la tendenza delle scuole; lor se n'è fatto un delitto, e il sentenziare supplichevole si giustifica con una proposta che, ove fosse adottata, loro darebbe il diritto di altamente ripetere le stesse querele. Si dirà, lo prevedo, che sono organo del partito clericale; ma è tempo di togliere il fascino di questo talismano che s'adopera ad ogni tratto a difetto di ragioni. Il *partito clericale* è una parola d'ordine per indicare chi si serba fedele alle religiose tradizioni degli avi; è un anatema lanciato a chi in tempo di libertà non fa mercato delle sue opinioni; fra noi non ha pure il merito dell'invenzione. Fu un grido di setta in Francia, d'onde valicava le Alpi fra noi ripetuto. Forte echeggiava il nome di *parti prêtre* (partito presbiterale) regnante sotto Carlo X, sotto il ministero Martignac; si preparava allora l'usurpazione Orleanese; riprese voga negli ultimi anni di Luigi-Filippo; si preparava allora la Repubblica, anzi il Socialismo. Non sono dunque organo di un partito che non esiste, quando chiedo che un'ombra di culto religioso rimanga nella categoria del bilancio dell' istruzione pubblica. Si scuotano coloro che indifferentemente guardano ogni attacco alla Religione: difenderne le ragioni in questi tempi, è combattere *pro aris et focis;* è un contrastare le speranze della fremente anarchia. A questa, non volendo, apre la strada chi contro gl'interessi religiosi armeggia. »

Item notatu digna sunt hæc verba Diarii, *La Civiltà Cattolica*, ser. 2ª, vol. 1, p. 668: « Non è vigilanza, che basti nei Vescovi e superiori ecclesiastici, allorchè in questi tempi, in cui tanto si predica il Cattolicismo ammodernato, si tratta di certe novelle istituzioni, che hanno l'aspetto della carità e bene pubblico, ma per altri capi ingenerano sospizioni. È desiderevole certamente che gl'instituti di beneficenza ordinati alla istruzione, al sollievo, al miglioramento delle classi più derelitte della società, invigoriscano e sempre più crescano nella Chiesa, essendone essa stata in ogni tempo feconda. Bisogna che chiunque abbia zelo per la gloria di Dio e pel vantaggio del suo prossimo, concorra a promuoverle ed ajutarle di tutto suo potere. Ma per pietà badino quelli a cui corre debito del bene pubblico, che sotto pelle di agnelli non s'intrudano lupi, cui poi sia difficile, o tardi, o inutile di voler discacciare. Niuno s'illuda guardando alle sole parti buone che per avventura si mostrino: discernino tutto, esaminino tutto per ogni verso, affine di conoscere bene lo spirito che vi s'infonde, e la natura de' frutti che se ne possono sperare: *Omnia probate; quod bonum est, tenete* (Thess. 1).

» Indizi certi da diffidare ogni persona accorta, sarebbero, se una

qualche istituzione d'indole morale si volesse governata dai soli laici, sottratta o poco sottomessa alla cura e inspezione dei Vescovi; se nell'insegnamento religioso si facesse uso di un nuovo catechismo diverso da quello approvato nella Diocesi; se vi si vedesse niuna o rara frequenza ai Sacramenti; niun uso di sacre immagini, o d'invocazione dei Santi; se nei libri d'istruzione si trovasse una certa novità di massime e di formole riguardo ai dommi e alla morale; se rado o non mai si nominasse la Chiesa e il suo magistero infallibile; se tutta la virtù si riducesse alla temperanza e alla beneficenza, dimenticando o toccando con negligenza il culto divino verso Dio, massimamente dove trattasi dell'esterno, e via discorrendo. Cosiffatto tenore ci farebbe segno, che questa o quell'opera sarebbe intrapresa non per ispirazione cattolica, ma pagana, o che peggio è, settaria, e però non potrebbe tornare che a danno della Religione e dello Stato. e a somma sventura dei popoli. » — It. vide serie 2ª, vol. XI et XII: *Gli asili d'infanzia;* it. ser. 6, vol. IX: *L'associazione nazionale degli asili rurali per l'infanzia. — Memorie di Religione;* Modena: *Continuazione*, volume XVIII; et serie 3ª, vol. IV.

Quid (quæres) *si adolescentuli catholici communia gymnasia adire cogantur una cum acatholicis?*

R. De mistis gymnasiis multum disputatum fuit paucis ab hinc annis a *Congregatione de Propaganda fide*, quando Britanniæ gubernium hanc methodum in Hiberniam inveit. S. C. Concilii juxta sententiam C. de Propaganda monuit Episcopos, *ut præ oculis haberent remedia in hujusmodi casibus inculcari solita, videlicet, ut libri in scholis adhibiti ab omni vel minima suspicione contra fidei puritatem immunes forent, et præceptores præsertim de religione, morali, et historia catholici essent, et omni probitatis laude præfulgerent, ut pueri catholici gymnasia facultatum tantummodo inferiorum frequentarent, ut Episcopi et Parochi continua vigilantia scholas prosequerentur, et si fieri posset, darent operam ut suæ jurisdictioni subdantur: tandem ut Episcopi, collatis cum suis conlegis consiliis nominatim in Synodis provincialibus, omni studio meliores conditiones consequi, et gymnasia mere catholica erigenda curarent.* — *V.* Lucidi, *De Visitatione Sanctorum Liminum*, vol. II; pag. 553.

699. Modus servandus in instructione: nempe habenda est ratio personarum, quæ non raro ob perceptam doctrinam propriam conditionem fastidiunt, meliorem tentant; sed cum non possint mutare in melius statum suum, mutant in malum. — V. *Civiltà Catt.* ser. 2ª, vol. IX: *Le scuole letterarie per tutti; Le scuole del popolo;* t. X: *Il catechismo scuola del popolo;* t. XI: *Di alcune scuole medie tra le letterarie e le popolari.* Ser. 3ª; vol. I: *Pedagogia popolare.* — Conte Solaro, *Avvedimenti politici*, c. XI. — Muzzarelli, *l'Emilio disingannato*, tom. II, dial. 1. — Farini, *Il poco e il troppo nell'educazione.* Modena, 1834. — Fontana, *Perchè spesso a' nostri tempi l'educazione non corrisponde alle premure che pongonsi in essa.* Modena. — Stapf, § 525. — Franco, *Istruzioni ai padri e madri di famiglia.*

700. Libri pro juvenibus: non abs re erit præcipuos libros, qui bono juventutis conferre possunt, indicare, tum ut ipsi juvenes, tum ut eorum directores habeant, in tanta undique volantium et peccare docentium libellorum contagione, quibus tuto studere possint. — *V.* Liguori, *Avvertimenti ai giovani studenti;* — Scotti, *Omelie ai giovani studenti;* — Foresti, *Il sentiero della Sapienza mostrato ai giovani studenti;* — Coda, *Ricordi di un maestro al suo allievo, che sta per entrare nella società;* Napoli, 1821; — Bresciani, *Il Tionide; L'E-*

breo di Verona; la Repubblica Romana; Il Lionello; Ubaldo ed Irene; Lorenzo il Coscritto; Don Giovanni; Matilde; etc. — Blanchard, *Scuola dei costumi;* — Collet, *Lo Scolaro cristiano;* — Gobinet, *Istruzioni alla gioventù;* — Arciv. di Besanzone, *Istruzioni cristiane;* — Orsi, *La gioventù dabbene; Lezioni di buoni libri*; Torino; — *Letture Cattoliche;* Roma e Torino; — Fontana, *Guida infallibile per chi cerca la felicità;* — Smith, *Racconti;* — Silvio Antoniano, *Educazione cristiana e politica dei figliuoli:* quem librum venerabilis episcopus Bescapè valde commendat. — Fenoglio, *Il giovine studente che ama santificarsi.* — Pellicani, *I compagni.* — Spezi, *Conferenze* ecc. — Morando, *La Damigella istruita.*

Nota. Magna quæstio exagitata fuit in Gallia, circa usum librorum gentilium in scholis; aliis contendentibus illos omnino esse eliminandos, utpote tot malorum in christiana educatione scaturiginem (inter quos eminet Gaume in opere, *Il verme roditore);* aliis id negantibus, quod quidem tot sæculorum experientia probat, ac tot Sanctorum exemplum. Controversiæ finem imposuit Pius Pp. IX Encycl. 21 martii 1853 ad Gallicanos Episcopos, ubi hortatur sic esse instruendos scholares, ut *germanam dicendi scribendique elegantiam et eloquentiam tum ex sapientissimis sanctorum Patrum operibus, tum ex clarissimis ethnicis scriptoribus ab omni labe expurgatis addiscere valeant.* — V. *Civiltà Cattolica*, ser. 4ª, vol. III: *I classici prima del risorgimento*, vol. IV: *Pretesi nemici dei classici.* — *Acta S. Sedis* etc., vol. II, pag. 673. Et maxime Chantrel, *Annali ecclesiastici*, 10 apr. 1852. « Socrate *(Storia ecclesiast.* III, 16), riferisce questa objezione contro l'uso de' classici nelle scuole cristiane, sollevatasi per occasione della proibizione fattane da Giuliano. Si vede che i moderni avversari del classicismo non inventarono nulla di nuovo. Peccato che non abbiano letto le confutazioni fattene non solo da Socrate, ma da s. Anfilochio, da san Girolamo, da s. Agostino, da s. Basilio, da s. Gregorio Nazianzeno. » *Civ. Catt.*, ser. 6ª, vol. VII, pag. 291.

701. Academiæ, Universitates: Academiæ seu Universitates *(universa studia)* appellantur scholæ publicæ in quibus doctrinæ sacræ traduntur, scientiæ humanæ, artesque liberales. Sola ecclesiastica auctoritas erigere valet Universitates proprie dictas, studiosos laurea doctorali decorando; siquidem Universitates uti tales complectuntur etiam facultates Theologiæ et canonici Juris. Ridiculum autem est, quod laicus testimonium dicat, judicium ferat et doctorem faciat aliquem in rebus sacris, cum circa istas nulla sit ejus auctoritas: ideo si id fiat, laurea illa nullius est roboris in faciem Ecclesiæ. Item si Universitas habere debeat privilegia sua ultra limites hujus vel alterius Diœcesis, id est in toto catholico orbe, interveniat necesse est suprema Romanæ Sedis auctoritas. — V. *Prælectiones canonicæ S. Sulpitii*, t. II; — *Lettera circolare* dell'arcivesc. di Torino, M. Franzoni, 25 agosto 1854; — *Analecta Juris pontificii*, vol. I et seqq.: *De l'éducation cléricale* etc. — Ferraris; V. *Magister.*

Plures in Italia Universitates numerantur. Salernitana et Bononiensis fundata fuit anno 1158; Neapolitana 1224; Patavina 1228; Romana 1245; Perusinensis 1307; Pisana 1333; Senensis 1380; Palermitana 1394; Taurinensis 1405; Florentina 1438; Catanensis 1445; Parmensis 1482; Maceratensis 1540; Messanensis 1548; Papiensis 1606; Mantuanensis 1625; Calaritana 1720; Turritana *(Sassari)* 1765; Auximanensis *(Osimo)* 1778; Januensis 1812.

Sacra Rituum Congregatio 19 dec. 1693 decrevit: *Academiæ, etiam in honorem Sanctorum removendæ sunt ab Ecclesiis; et circa lucubrationes literarias, quæ ab Academia recitantur, Episcopus invigilet.*

702. Peccata discipulorum : pro praxi hæc notat *Examen raisonné :* « Les élèves doivent à leurs maîtres l'amour, le respect et l'obéisance dans ce qui concerne les soins que ceux-ci doivent leur donner. Au lieu d'avoir pour vos précepteurs, ou pour vos maîtres l'amour et le respect qui leur étaient dus, ne les avez-vous point haïs, méprisés, et peut-être même injuriés ? (Si la haine, le mépris, ou l'injurie est grave et volontaire, péché mortel qui a double malice. *Bonacina.* Si elle n'est pas grave, péché véniel.)

» Ne les avez vous point provoqués à la colère par des paroles offensantes ou autrement? (Si on les provoque avec délibération à une grave colère, péché mortel qui a double malice; si cependant les paroles ou la manière d'agir à leur égard ne pouvaient leur faire une grave injure, le péché ne serait que véniel. Souvent les élèves à raison de leur âge et de leur légèreté, sont excusables de péché mortel là où il y en aurait un s'il y avait de la réflexion et pleine deliberation. *Sporer.)*

» Ne leur avez-vous pas voluntairement désobéi dans ce qu'ils avaient droit de vous commander, par exemple, dans ce qui concernait vos études et vos devoirs de Religion? (Si la chose est de peu d'importance, péché véniel; mais si elle est d'un grande importance, et commandée sérieusement, avec l'intention au moins implicite d'obliger *sub gravi*, et que d'ailleurs on désobeisse avec pleine délibération et avec connaissance de la gravité de la matière, péché mortel. Souvent le défaut de réflexion de la part des elèves rend le péché véniel).

» N'avez-vous point obéi en murmurant, repondant même avec arrogance? (Si en obéissant ainsi avec réflexion on fait une grave injure au maître, et qu'on ait pu le prévoir, péché mortel; si l'injure n'est que légère, pêché véniel.)

» Dans le temps d'étude, au lieu d'étudier conformement à la volonté de vos maîtres, et de faire avec soins vos dovoirs de classe, ne vous êtes vous point livré à l'oisiveté et à la paresse? (Si la perte de temps n'est pas notable, péché véniel; mais si elle est considerable, et qu'elle nuise notablement aux progrès des études, elle est mortelle. *Goritia.* Le défait de réflexion peut souvent excuser de faute grave). Ne vous êtes-vous pas quelquefois absenté des classes sans cause légitime et sans permission? (Péché véniel): il ne serait mortel qu'autant qu'il y aurait un certain nombre d'absences qui nuiraient notablement aux études, ou qui seraint réputées un grave désordre, et qu'il y aurait assez de réflexion pour le connaître.

» Pendant les classes, au lieu d'être attentif aux leçons qu'on y donnât, ne vous êtes-vous point laissé distraire volontairement, vous occupant à des choses vaines et inutiles? (Si cela arrive souvent, et que l'on puisse prévoir que le progrès des études en souffrira gravement, péché mortel; si cela n'arrive que quelquefois, et qu'on ne porte qu'un léger préjudice aux études, péché véniel.)

» Comment avez-vous santifié vos études?... Au lieu de vous y proposer la gloire de Dieu et votre santification, n'avez-vous pas étudié uniquement par des motifs de vanité, d'orgueil, d'ambition, etc.? (Péché plus ou moins grave, selon que le motif est plus ou moins mauvais; mais, que le péché soit mortel, il faut qu'il y ait ce que les Theologiens appellent *gravis inordinatio*, un grave désordre dans le motif: étudier simplement par vanité, pour exceller, pour se faire remarquer par sa science, n'est qu'un péché véniel.)

» Ne vous êtes-vous point trop livré à la lecture des ouvrages totalement étrangers à vos études et à votre classe? (Si l'on perd à

cette lecture un temps considérable, et que l'on s'apercoive que par là on nuit notablement à la science, à laquelle on se destine et aux progrès qu'on doit faire dans sa classe, péché mortel; si cette lecture ne porte pas aux propres études un préjudice notable, péché seulement véniel, pourvu toutefois que les livres ne soient ni contre la Religion ni contre les mœurs.) »

703. Monita ad Parochos quoad scholas:

« *a)* Un Parroco zelante deve essere convinto che la generazione nascente è la porzione eletta del suo gregge; è pertanto di estrema importanza, che tenga continuamente gli occhi sopra le scuole della sua Parrocchia; e per ottenere un felice risultato non avrà difficoltà a riconoscere essere necessario conservare coi maestri relazioni d'amicizia e di benevolenza, tanto più se fossero ecclesiastici.

» *b)* Il Parroco ardente ed accattabrighe alla prima parola che sente contro del maestro, si lascia trascorrere a censurarlo pubblicamente, si astiene dal visitar la scuola, evita d' incontrarlo. No, non è da far così: il male peggiorerà; il maestro indispettito... la guerra dichiarata... poveri fanciulli, il male cadrà su di loro! — Si devono procurar tutti i mezzi d'avvicinarsi il maestro, mancasse pure al suo dovere; fargli qualche onorifico invito, lodarne le buone qualità, visitarlo per trovar modo di acquistarlo e correggerlo.

» *c)* Ma se il maestro fosse un vero lupo rapace e incorreggibile? A mio parere, la prima cosa è di guardarsi dal dar pubblicamente segno di lotta; e intanto vedere se le autorità da cui dipende questo maestro, sono favorevoli alla Religione, onde farlo correggere o rivocare. Nel resto riferire la cosa al Vescovo, onde colla sua alta influenza e sapienza consigli, o provvegga.

» *d)* Se vi sono nella stessa Parrocchia più scuole, il Parroco si mantenga egualmente con tutte, a meno che una di esse fosse pubblicamente caduta in discredito. Benchè non sarebbe affatto sconvenevole mostrare un po' di predilezione ad una scuola regolata da religiosi; generalmente per le corporazioni religiose passa una più stretta relazione. Ma non susciti rivalità, anzi le impedisca.

» *e)* La visita delle scuole è una cosa eminentemente pastorale; il maestro se ne tiene onorato, i fanciulli ne provano piacere. In questa occasione un'animata, ma breve esortazione, una lode al maestro, una piccola rivista; il tutto poi coronato dalla distribuzione di qualche immagine o libro, produce stupendi effetti. Questa rivista sarebbe da farsi ogni mese. Certo poi il Parroco dee esser l'anima delle solennità delle scuole, cioè nella distribuzione dei premi, ecc.; e lasciar da parte ogni puntiglio; ma sacrificar qualche cosa pel bene dei figli.

» *f)* Il detto riguardo ai maestri può applicarsi anche alle maestre; ma qui le precauzioni denno essere ben grandi. Armonia, ma non frequenza colla giovine maestra: nè vale il dire non c'è nulla; c'è che il popolo parla, che la gente maligna, che il paese sospetta: e un Parroco deve astenersi anche da ogni specie di male. Allorchè visitate le scuole delle figlie, usate contegno grande, schivate le carezze, la familiarità. Non permettete che la maestra lasci le ragazze per accompagnarvi fino alla porta; non permettetevi mai sotto pretesto di visitar la scuola di portarvi ad essa, lorchè le fanciulle non vi si trovano. Voi dovete tutte queste precauzioni alla vostra salute, al vostro ministero, alla vostra riputazione, alla edificazione dei parrocchiani: *qui se existimat stare, videat ne cadat* (I, Corint. X); *ut qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis* (Tim. II);

ut benefacientes obmutescere faciamus imprudentium hominum ignorantiam (I, Petr. II). » Ex Dubois; item vide clariss. Tarino, *Il libro del buon Pastore*, num. 85.

« *g)* Monemus Parochos summopere esse invigilandum, ne scholæ, quæ dicuntur *Asyla*, in animarum detrimento vertantur: meminerint etenim hic non solum de primis scientiæ rudimentis agi, quæ quidem minime sunt negligenda; sed super omnia de innocentia vitæ et recta Dei cognitione. Solliciti sint præsertim, ne unquam isti parvuli committantur nisi bene moratis et piis mulieribus. Attendant insuper, ut preces, cantica, lectiones et quidquid ad animarum informationem tendet, nihil nisi catholicum redoleant. Demum ubi pueris utriusque sexus aperitur asylum, videant an semper et ubique, sive studeant, sive ambulent, intersepto quodam separentur. » Ita *Concilium Provinciale Burdigalense*, anno 1850.

« *h)* Sopra tutto si adoperi il Parroco, perchè non sia permesso agli emissari delle sêtte, e agli altri increduli, che aprino pubbliche scuole, sieno pure di solo leggere, scrivere e aritmetica; mentre che eglino si servono di questo mezzo per insinuare nei cuori dei fanciulli funesti errori. Che se ad ogni modo queste scuole si aprissero, il Parroco non ometterà di avvisare e scongiurare i padri di famiglia, perchè non vi mandino i loro figliuoli. E affinchè non possano addurre il pretesto della necessità, il Parroco dovrà vivamente impegnarsi, acciocchè si aprano in Parrocchia buone scuole governate da maestri religiosi e timorati. » *Frassinetti.*

i) Habet s. Alphonsus, *Ho. Ap.*, tr. ult., n, 43: *Ne puellis indulgeat confessarius, ut a viris doceantur legere et tanto minus scribere: quot puellæ simplices, quia didicerunt legere animæ jacturam luxere! Hæc, si non est proxima peccati occasio, saltem est non parum periculosa. Si cupiunt talia addiscere, curent doceri ab aliqua alia muliere aut ab aliquo fratre parvulo (adhuc cum cautela); alioquin eas non absolvat, nec etiam absolvat matres quæ hoc permittunt.* Hodie tamen passim alicubi viri adolescentulas docent: quod tolerandum dicunt, si id fiat publice; gravibus semper et honestis modis atque ex neutra parte proximum exurgat peccandi periculum. Verum hodie deplorandum est aliud malum.

« Avviene talvolta in alcuni paesi, massime di poca popolazione, che l'insegnamento dei fanciulli d'ambo i sessi venga affidato ad una sola persona, per lo più ad una maestra. Non è mestieri essere pastore d'anime per capire la sconvenienza ed il pericolo per la morale di queste promiscue riunioni, quando i fanciulli siano in età di conoscere il bene ed il male. Ogni uomo, che ha fior di senno e qualche pratica del mondo, conosce di leggeri quanto precoce sia lo sviluppo della malizia nell'animo de' fanciulli, e come fin dai primi anni della vita si formino quelle abitudini ed inclinazioni, che decidono poscia di tutta la vita. Quale esca non troveranno perciò questi germi del male in questo coabitare dei fanciulli per due o tre ore del giorno nella medesima scuola sotto la direzione di una sola maestra, la quale, per quanto oculata e vigilante, non ha occhi per vedere tutto quello che possono fare figli e figlie posti anche a distanza tra loro, e spesso non ha neanche spirito per indovinarlo? Con ragione però alcuni Vescovi, massime francesi, riprovavano quest'uso, almeno come pericoloso al costume; ed a ragione un vero Pastore che ami il bene dei suoi parrocchiani, deve fare ogni sforzo per tenerlo lontano dalla sua parrocchia. Fuori degli asili infantili, e forse tutto al più della prima elementare, dove i fanciulli sono assai ragazzi, come avviene nei paesi

in cui vi hanno più classi elementari, tu dovresti, per quanto si appartiene a te, far di tutto contro un simil uso o abuso... Però se tu non potrai... non muovere per questo un gran rumore per non compromettere gravemente la tua autorità, e cagionare un mal maggiore. Ma se il maestro o la maestra sono persone buone e penetrate dalla nobiltà del loro officio, procura piuttosto di trarre da loro il maggior bene che puoi; ti metti in relazione con essoloro per ottenere che da questa commistione ne nasca il minor male possibile; perchè vi sia cioè assoluta separazione dei due sessi nella scuola, continua assistenza, e vigilanza durante l'intera lezione, somma prudenza nell'insegnare alle due classi di persone, massima precauzione nel licenziare le fanciulle almeno un quarto d'ora prima dei fanciulli, etc. » Tarino, *il libro del buon Pastore.*

704. Nota: Cum etiam parva Parœcia totum Parochum occupet, ipse non debet magistri munus exercere sine Episcopi licentia. Ita *Synodus Novariensis*, pag. 186. Quoad ecclesiasticos vero, qui sunt hoc munus suscepturi, bonum vitæ testimonium exhibeant; item et Parochi super illos sedulo invigilent oportet. Ceterum ex Consessu provinciæ Vercellensis Episcoporum, proprii Episcopi licentia requiritur, ut ecclesiasticus suscipiat a laica potestate officium magistri præceptoris: vide supra n. 588. — *V.* Dieulin, *Il buon Pastore del secolo XIX:* § *Visita delle scuole.*

(CC) Pag. 420.

705. « Quod liceat marito verberare uxorem, lubenter admittunt et practicant Germani et rudiores nostrates. De mediocri verberatione admitti potest, si uxor graviter delinquat et alia via non speretur corrigenda; sed casus hic perquam rarus est. Unde uxorem verberare ad barbariem referunt Galli et politiores nostrates; atque eis magis placet dictum epistolæ inter Opera s. Bernardi: *malam uxorem potius risu, quam baculo castigabis;* ratio est, quod uxor non sit viri serva, sed socia et cum eo una caro. » Ita Dens Mechlinensis.

« In una famiglia d'artisti discretamente comoda e numerosa v'eran due fratelli molto concordi fra loro, e che mediante la loro buona unione e industriosa fatica tenevano il loro negozio ben avviato e fiorente; ma quanto più buona unione v'era tra i due fratelli, altrettanta disunione passava tra le loro mogli. Ad ogni tratto erano sotto a contesa. Stanchi finalmente i due fratelli dal veder sempre più la disunione, tra le due cognate, consultarono tra loro sul rimedio da usarsi per farla finire. L'un di loro fece questo progetto: *Quando saran sotto a contesa, tu darai quattro pugni alla moglie mia, ed io farò lo stesso colla moglie tua.* Il progetto fu adottato, ed alla prima occasione fu eseguito. Non si può spiegare quanto spiacesse alle mogli quel trattamento. Pazienza l'essere battute dal proprio marito; ma da un altro pareva loro intollerabile. Peggio poi ancora le affliggeva il timore, che ad ogni loro contesa non venisse fatta la replica. Altro sfogo non potevano averne che di lamentarsene col marito, ed il marito rispondeva: *Che vuoi ci abbia da fare? Se egli ha battuto te, ho battuto ancor io la moglie sua; siamo pari. Tra noi uomini ci vogliamo bene; resta solo che vi vogliate bene voi altre donne.* Il rimedio fu brusco sì, ma giovevole. Son persuaso che nessun marito vorrà usare rimedi bruschi, se non v'è costretto dalla necessità...

» Qual è la rovina che mette sossopra i matrimoni, e fa che tra

marito e moglie, invece di volersi bene, si vedano anzi di mal occhio, si disgustino, si offendano, si strapazzino? Fate pur osservazione e vedrete aver sempre origine da questo, dell'oltrepassare i confini dentro i quali è da ritenersi l'amor dell'uno verso dell'altra. Or sarà il marito, che abusando della sua superiorità sopra la moglie, dimentica d'averla per compagna e la strapazza come fosse sua serva. Ora sarà la moglie, che abusando della confidenza presa sul marito, dimentica la di lui superiorità, e pretende comandargli come ne fosse padrona. Ed ora saranno l'uno e l'altra, che volendo far tutti e due a lor modo, l'una disgusta l'altro, e pretendono ambedue d'aver ragione... Veramente essendo la moglie inferiore al marito, sarebbe dover suo di cedere, e guardarsi dal cozzare con lui quand'anche le paresse d'aver ragione. Guadagnerebbe invero ella assai più col cedere, che non col contrastare. Supponiamo pure che il marito avesse torto da vero; qual frutto ne trarrà ella mai dal suo contrastare? vedrà che quanto più ella sostiene la sua ragione con calore, tanto meno il marito sarà disposto a volerla ascoltare....; altro alla fine non guadagna, se non di restare l'uno e l'altra coll'animo amareggiato; se pur anche non avvenga, che il marito vedendo di non poter conchiudere la questione a sole parole, non chiami in soccorso le mani per far sentir le sue ragioni con più di forza. Capirà egli stesso in tal caso di aver fatto male, ma ne imputerà la colpa alla lingua della moglie, dicendo d'essere stato da lei tirato come per forza a quell'impeto di sdegno. Fatti simili, riferisce s. Agostino (*Confess.* l. IX, c. 19), che ne avvenivano frequentemente in Tagaste sua patria, dove tratto tratto si vedevano le mogli segnate da battiture dai loro mariti, non per altro, se non per aver voluto contrastare con loro.

» Si stupivano le altre mogli al vedere come s. Monica di lei madre n'andasse esente, con tutto che avesse per marito certo Patrizio, uomo furibondo e bestiale, che non era neanche cristiano. Ma la Santa faceva loro vedere, col suo proprio esempio, come si potessero benissimo fuggire i maltrattamenti del marito coll'astenersi dal contrastare con lui, come gli sfuggiva ella stessa. Non veniva mai a contrasto col marito, sia che avesse torto, sia che avesse ragione; attendeva quietamente a ben adempire i suoi doveri di buona moglie, volendo ella bene al marito, e facendosi dal marito voler bene ancor ella...

» Deve la moglie adattarsi a fare la volontà del marito più della volontà sua propria: e così quando il marito risolvesse di volere cambiar paese, o abitazione, ci vuole pazienza, e andar ad abitare dove egli vuole. Si fa intendere di non voler vedere tanto per casa quella persona, di cui egli ha cattiva opinione? o giusta sì o giusta no che sia la di lui opinione, se non riesce di levargliela dalla testa, ci vuol pazienza e trovar maniera di far ciò ch'egli vuole. Si determina il marito di non voler più andar a provvedere la roba alla tal bottega, di non voler più servirsi del tal artista, e cosa simile? quand'anche la moglie sia di parere che il cambiamento possa risultare più di danno, non importa; se dopo d'avergli fatti presenti i suoi riflessi, sta saldo a voler così, così è da farsi. Si fa intendere il marito di voler che la moglie nel tal giorno, nella tal'ora abbia da trovarsi a casa; che a far la tal faccenda non vi si metta da sola, ma l'aspetti lui; che cambi posto ad alcun mobile..... una moglie capricciosa farebbe se occorre tutto il contrario; ma una moglie che abbia coscienza, e voglia fare il suo dovere, sarà puntuale a fare quanto le vien comandato. » *V.* Fornaroli, *Sul matrimonio cristiano, istruzione.* Milano, Pogliani.

(DD) Pag. 423.

706. Quoad famulos hæc ad praxim maxime conducentia notanda cum docto ac pio *Joanne Ambrosio Stapf:*

1. Rem esse valde periculosam, quod puellæ rusticæ majori commoditate vel vitæ splendore attractæ in urbes commigrent, ut ibidem ancillentur, præsertim ubi neminem habeant, quem consulere possint. Quare facile est, ut vel impio seductori in prædam cadant, vel nimio luxui indulgentes in omnia vitia præcipites ruant.

2. Illi famuli acriter increpandi sunt, qui identidem atque occulte aliquid de cibis exquisitis surripiunt. Licet enim per se res non ita gravis videatur; attamen timendum est, ne sic ad domestica furta disponantur: præterquamquod etiam gula ipsi peccant.

3. Admonendi sunt famuli, ut dum viribus valent, etiam in futurum sibi provideant, ne tempore infirmitatis aut senectutis adveniente, miserrime vitam agere cogantur. Utique nimium nos sollicitos esse dedecet, sed etiam dedecet inconsideratos esse; qui enim bona in juventute dissipat, inutiliter lugebit in senectute.

4. Curandum, ut sua sorte contenti sint, neque contra Dei providentiam insurgant. Sciant terribile judicium instare iis, qui præsunt; et sæpe magnam fortunam magnam esse servitutem. Sciant in humili vitam egisse tum Mariam Cœli Reginam, tum Christum Dominum Dominantium. Sciant omnes homines alios ab aliis dependere, unum Deum independentem esse. Sciant eorum statum plures Sanctos numerare, etc. Ad rem Bossuet: « Dove sono coloro che muovono lagni, e querele perpetue perchè mal rispondono i loro impieghi alla capacità loro, o diremo meglio al loro orgoglio? Qua nella casa di Giuseppe e di Maria a contemplare Gesù Cristo medesimo che si sottomette al travaglio nella bottega di suo padre putativo, che dopo la morte di Giuseppe conserva tuttavia questa stessa bottega *(comprendete voi questo termine sì sprezzato al dì d'oggi?)*, che sostenta colle sue fatiche una Madre vedova, e mantiene il piccolo commercio che serve all'alimento d'amendue. Ricordavansi ai primi tempi della Chiesa aratri fatti da Lui, e ne' più antichi autori se ne ritrova tuttora la tradizione. » (Apud Mullois, *Il Libro degli operai.*) — *V.* Siniscalchi, *Il giorno santificato*, p. 2ª, c. ult. — Mons. Languet, *Della falsa felicità delle persone del mondo.* — Bartoli, *La povertà contenta.* — Opusc. *Se sia meglio esser povero od esser ricco.* Monza. — Præ ceteris Busson, *Istruzioni e consigli alle persone di servizio.* — Zanzarri, *Vite de' Santi, che hanno servito in qualità di familiari, narrate a conforto ed esempio di quelli, che disimpegnano eguali offici.* Roma, 1863.

LIBER PRIMUS

TRACTATUS QUARTUS

DE VITIIS ATQUE PECCATIS IN GENERE ET SPECIE AC DE CENSURIS.

707. Postquam homo vidit quomodo sui in se actus efficiantur, et quibus regulis directricibus ad honestatem ordinentur, necessarium imprimis est, ut e regulis illis nunquam recedat, sicque malum evitet juxta illud: *declina a malo.* Sed quomodo a regulis illis recedit homo, nisi per vitia ac peccata? Oportet igitur ut de iis disputemus: en Tractatus quartus. Duo autem hic maxime fluunt: 1) ut homo peccatum in natura sua agnoscat; 2) ut peccatorum præcipuas addiscat radices seu vitia principaliora, quæ sunt veluti peccatorum omnium capita.

Hinc duplex disputatio: 1ª *de peccatis in genere;* 2ª *de peccatis in specie* seu *vitiis capitalibus.* Ut autem magis a peccatis atque vitiis abhorreat christianus; 3ª additur, *de censuris*, quæ sunt pœnæ, quibus ab Ecclesia in foro etiam externo quædam graviora plectuntur.

DISPUTATIO PRIMA

DE VITIIS ATQUE PECCATIS IN GENERE.

708. Q. 1. *Quid est peccatum?*

R. Peccatum improprie modo accipitur pro *hostia*, quæ pro peccatis offertur: sic Apostolus ait, quod Deus Christum *pro nobis peccatum fecit* [1]. Modo pro *occasione* peccati: sic Moyses vitulum aureum *peccatum* appellat [2]. Modo pro effectu ac simul causa occasionali peccati: sic Apostolus concupiscentiam *peccatum* dicit [3]. Modo pro *pœna* peccatis debita: sic Daniel vult, ut peccata eleemosynis redimantur [4].

Proprie autem, sed generice acceptum peccatum, idem est ac quilibet defectus. Unde in ordine naturali monstra dicuntur *peccata naturæ;* in artibus opera defectuosa dicuntur *peccata artis;* in moralibus vero actus humani vitiosi simpliciter *peccata* dicuntur; quo sensu hic a nobis accipitur peccatum. Celebris est peccati definitio,

[1] II, Cor. v. [2] Exod. xxxiii. [3] Rom. vii. [4] Cap. iv.

quam tradit Augustinus: *peccatum est dictum vel factum vel concupitum contra legem æternam* [1]. Communiter tamen definiri solet peccatum: *libera legis divinæ violatio*, seu *actus libere positus vel libere omissus contra legem Dei* [2].

Dicitur: 1. *Libera;* quia debet esse in voluntatis potestate actum illum ponere vel non ponere, alioquin nunquam erit peccatum; cum tam ad merendum quam ad demerendum requiratur illa *indifferentiæ* libertas, qua homo agere possit et non agere: *peccatum*, inquit Angelicus, *essentialiter consistit in actu liberi arbitrii* [3].

2. *Legis;* etenim *ubi non est lex, nec prævaricatio* [4]. Et quidem legis *divinæ*, quo nomine intelligitur lex omnis, cum ab illa omnes leges dimanent et vim suam obtineant [5]: et ideo huc revocatur peccatum rectæ rationi repugnans.

3. *Violatio*, ut indicetur formalis ratio peccati, quæ consistit in voluntario hominis recessu a recta agendorum, et omittendorum regula, sive in privatione ordinis et rectitudinis [6] *(A)*.

309. Q. 2. *Quomodo peccatum generatim dividitur?*

R. Prima et generalis peccati divisio est in *personale* et *originale*. Qua de re habet d. Anselmus: *Est peccatum a natura, et est peccatum a persona: itaque quod est a persona, potest dici* personale; *quod autem a natura* naturale, *quod dicitur* originale [7]. Sed clarius peccatum *personale* est quod patratur propria et physica peccatoris voluntate. *Originale* vero quod a propria peccatoris voluntate non producitur physice, sed moraliter (sive æquivalenter), quatenus nempe ad inficiendam ejus animam eamque inimicam Deo reddendam, perinde se habet ac si ab ea physice fuerit patratum.

« La differenza che corre fra il peccato originale e personale è questa, che il peccato personale si commette colla volontà fisicamente propria; l'originale fu commesso colla volontà fisicamente aliena e moralmente propria. » Ita etiam s. Alphonsus [8].

[1] L. XXII *contra Faustum*, c. 27. Nomine *facti* vel *dicti* venit etiam omissio; cum male utique agat omittens illud quod omittere non debet. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 1; — Ferraris; V. *Peccatum*.

[2] Vitium et peccatum etsi promiscue usurpentur, proprie tamen, uti notat Angelicus (1, 2, q. 71), differunt. Nam *peccatum* est ipse actus moraliter malus; *vitium* est habitus seu dispositio inclinans ad actum ipsum malum. Unde primum est quid pejus; cum actu male agere pejus sit, quam solum esse dispositum ad male agendum.

[3] 1, 2, q. 77, a. 6. [4] Rom. IV. [5] Vide supra n. 310.

[6] Non tamen peccatum est ipsum nihilum: *peccatum non est pura privatio*, ait sanctus Thomas (1, 2, q. 72, a. 1), *sed est actus debito ordine privatus*.

[7] *De concept., Virg.* et *Orig. pecc.*, c. XXIII.

[8] *Opera dogmatica* contro gli increduli pretesi riformati, sess. V.

CAPUT PRIMUM

DE PECCATO ORIGINALI.

710. Q. 1. *An peccati originalis existentia admittenda sit?*

R. Peccati originalis existentiam præcipue negarunt IV sæculo Pelagiani; VII Armeni; VIII Albanenses; XIII Albigenses; XVI Zuwingliani aliique ex Novatoribus; et negant adhuc Sociniani et increduli. Verum de fide catholica est, *peccatum originale in omnes et singulos homines transfundi, qui via naturali ex Adamo descendunt, nisi privilegio speciali eximantur.*

Prob. 1. *Scriptura:* Regius Psaltes habet: *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* [1]. Atqui hujusmodi iniquitas atque peccatum, in quo David conceptum se dolet, non aliud esse potest, quam peccatum originale: *numquid David* (ait s. Augustinus in hæc verba) *de adulterio natus erat, de Jesse viro justo et conjuge ipsius? Quid est, quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam?* Et Apostolus scribit: *sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* [2]. Docet hic Apostolus per Adamum peccatum in mundum intrasse, non secus ac mortem; atqui mors intravit in omnes et singulos homines tam adultos quam parvulos. Ergo etiam peccatum originale; neque enim in parvulis actuale esse potest.

2. *Patribus:* unanimis sane fuit et perpetuus eorum consensus hac in re. Duos proferimus, Augustinum et Athanasium. — Primus contra Pelagium inquiebat [3]: *Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus; sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus hæreticus.* Alter hæc habet: *Ob Adami iniquitatem omnes, qui ab Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur* [4].

[1] Ps. L. — In textu hebraico habetur numerus singularis *in iniquitate et in peccato*. Sed non officit quod ponatur plurale; tum quia peccatum originale est radix plurium peccatorum; tum quia in eo peccato plures et graves fuerunt deformitates, nempe superbia, infidelitas, inobedientia, gula, etc.

Attamen si quæratur quodnam fuerit primum Adæ peccatum, dicimus illud fuisse non inobedientiam, sed superbiam simul includens ac causans inobedientiam. Audiens enim Adam, quod foret Deo similis comedendo de ligno vetito, in superbiam elatus ex motivo hujus assimilationis, voluntatem comedendi concepit et comedit.

[2] Rom. v. [3] *De nupt.*, l. II, c. 12.

[4] In Ps. L. — De fide est omnes homines ab uno Adamo derivare: hoc est contra Peyrerium qui docuit Adamum et Evam esse tantummodo capita populi Israelitici, parentes autem gentilium alios fuisse homines antea creatos, quos proinde vocabat *Præ-Adamitas*. Sed hoc fabulosum est, ut patet ex toto Genesis contextu, et ex illo 1 ad Cor. XV: *factu sest primus homo Adam in animam viventem.* Unde Augustinus (tr. IX in Joann.): *in ipso exordio Adam et Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo Judæorum.* — *V.* Billuart, *De pecc. orig.* Digressio historica; — Bergier, *Dizionario*, h. l. — Salzano, *Elementi di storia antica*, lib. I: *Unità della specie umana.*

3. *Conciliis:* sufficiat Tridentinum: *Si quis*, ait, *Adæ prævaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum quod mors est animæ, anathema sit. Cum contradicat Apostolo dicenti: « Per unum hominem peccatum intravit in mundum; et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* [1]. »

4. *Ratione theologica.* Fides catholica semper docuit Baptismum esse necessarium ad salutem æternam: atqui nulla esset talis necessitas, si peccatum originale non existeret. Adde: Christus fuit Salvator atque Redemptor tam adultorum quam parvolorum; atqui sublato dogmate peccati originalis, talis dici non posset.

5. Denique *antiquæ traditionis vestigiis*, quæ apud omnes gentes etiam barbaras reperiuntur, uti ex historia luculentissime constat. Unde vel ipse Voltairius ultro fatetur: *casus hominis est fundamentum Theologiæ omnium pene antiquorum populorum* [2].

Diximus: 1. *Qui via naturali ex Adamo descendunt*, ut ita eximatur Christus, et alii qui per miraculum formarentur; nam isti tunc non descenderent per seminalem propagationem ab Adamo: *Revera*, ait Tridentinum, *homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant* [3].

2. *Nisi privilegio eximantur*, ut excludatur Maria; absit ut Eam includamus, *opus* (ex Damiani) *quod solus Opifex supergreditur* [4].

711. Q. 2. *In quonam peccati originalis natura collocanda?*

R. Protestantes communiter senserunt peccatum originale esse ipsam concupiscentiam seu propensionem illam qua ad peccandum *trahimur*. Ab istis non valde abludit Jansenius cum docet, peccatum originale consistere in pondere concupiscentiæ, quo erga creaturas sumus conversi ex peccato primi parentis, nisi habitualis charitas diffundatur in cordibus hominum eosque habitualiter ad Deum conversos faciat. Hæc sententia aperte contradicit Apostolo dicenti: *nihil damnationis est in iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant;* et Tridentino, quod docet per Baptismum *tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet.* Atqui post Baptismum remanet concupiscentia; ergo concupiscentia non potest habere veram peccati rationem.

Ex catholicis vero ad explicandum peccatum originale, alii necessarium putarunt recurrere ad generationem animarum, ita ut sicut caro

[1] Sess. v, can. 2. — *V.* Liguori, *Opera dogmatica*, sess. v.
[2] *Phil. de l'hist.*, ch. xvii. — Muzzarelli, *Il buon uso della logica in materia di Religione*, Op. xxv: *Peccato originale.* — Feller, *Dizionario filosofico* ecc.
[3] Sess. vi, c. 3. [4] Serm. *De nativ. B. V.*

nascentium ex carne patrum, sic animæ infectæ ex animabus infectis procreentur. A qua sententia non omnino fuit alienus d. Augustinus. Sed hoc rejicitur, tum quia hodie ut indubia haberi debet animarum a Deo creatio; tum quia Adæ anima jam a peccato per pœnitentiam mundata erat, cum filios suos genuit; porro ex anima secundum se totam mundata propagari non potuit anima peccatrix.

Alii probabiliter reponunt essentiam peccati originalis in privatione originalis justitiæ, nempe in privatione gratiæ Adæ infusæ, et posteris ejus, si ipse non peccasset infundendæ. Verum huic sententiæ obstat, quod privatio gratiæ est pœna ipsius peccati ab omnibus in Adam commissi; porro pœna peccati peccatum jam constitutum supponit.

Alii contendunt ideo peccatum in alios traduci, quia anima infunditur in corpus vitiatum: sicut liquor in vase vitiato corrumpitur; sic ipsa anima dolet, si conjugatur corpori vulnerato. Sed neque id admittendum; quia in hac hypothesi vitium corporis supponitur ante peccatum, cum tamen sit ipsius peccati effectus.

Nos, aliis opinionibus omissis, censemus peccatum Adæ eo ferme modo transire ad posteros, quo promanat delictum parentum in filios. Nam potest sane rex aliquem divitiis et singulari amore prosequi hac lege, ut si is fidelitatem servat, eodem favore tum ipse tum ejus filii et nepotes gaudeant; quod si perduellis fiat, omnes simul cum ipso evadant ipsius amicitiæ et donorum gratuitorum indigni: quæ porro hic injustitia? Pari ratione intelligimus Deum potuisse ditare Adam donis supernaturalibus gratiæ atque immunitate a concupiscentia, doloribus et morte ea conditione, ut nisi comedisset de fructu vetito, tum ipse, tum ejus posteri naturali generatione ab ipso procedentes, in perpetuum hoc privilegio gauderent. Contra si hoc præceptum violasset, ut omnes una cum ipso traheret in illorum donorum privationem. Quod intendit d. Thomas [1], dum docet, Adam constitutum a Domino fuisse *caput naturale et morale totius generis humani*, *tum ad conservationem*, *tum ad amissionem justitiæ originalis*, ita ut, eo perseverante in bono, omnes nati fuissent justi; eo autem prævaricante, omnes nascerentur justitia originali exuti. Juxta hanc explicationem quatuor habentur quæ ad originale peccatum concurrunt; *a)* præceptum de non edendo de tali fructu; *b)* lex a Deo statuta de pœnis ob infractionem perferendis; *c)* Adæ inobedientia; *d)* naturalis ex Adam propagatio. Ubi vides totam mali radicem esse in Adæ transgressione; alia enim tria innocua sunt, et locum habuissent, etsi Adam non peccasset.

712. Quibus positis intelligitur:

1. Omnes qui ex Adam naturali generatione descendunt, in ipsa conceptione contrahere odium Dei, adeoque peccatum originis; et hoc peccatum conservari, scilicet fieri habitualiter, donec per Baptismum in re vel in voto amicitia Dei recuperetur, sic Deo statuente.

2. Christum non contraxisse peccati originalis maculam, quia generatione naturali ex Adam non descendit. E contra B. Virginem hanc maculam contracturam fuisse, nisi ex meritis prævisis Salvatoris aut a lege illa generali fuisset exempta, aut in ipso conceptionis suæ instanti per gratiæ sanctificantis infusionem fuisset prævenita.

3. Peccatum originale incurri a prole, etiamsi ejus parentes jam fuerint ab hac macula per Baptismum aspersi; quia cum parentes generent secundum corpus, non secundum mentem, nec quatenus sunt per Baptismum renovati, sed quatenus de vetustate primi peccati in

[1] 1, 2, q. 81, a. 3.

mortali corpore retinent; ideo licet baptizati et sancti, peccatum originale in prolem traducunt.

4. Non malas esse nuptias, per quas filii generantur cum originali peccato, neque Deum concurrere positive ad peccatum creando animam; nam hæc influunt in peccatum tantum materialiter, et non sunt cum ipso necessario connexa; quemadmodum non influit formaliter in peccatum concursus Dei ad malas hominum actiones. Neque injustus est Deus, qui transfusionem illam permittit; adest enim justa causa, nempe generis humani propagatio, cui abunde per Redemptionem provisum fuit. Unde Apostolus habet: *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* [1], quamvis per accidens non omnes hujus vitæ beneficium obtineant.

5. Hoc peccatum, *quod origine unum est, et propagatione non imitatione transfusum omnibus, inesse unicuique proprium* [2]. Et ideo ad illud incurrendum necessarium non esse, ut committatur propria et physica posterorum voluntate, sed tantum morali sive æquivalenti.

6. Solum traduci ad posteros peccatum commissum per usum fructus vetiti; illi enim tantum adnexa erat justitiæ originalis amissio. Item nobis Adam nocuisse peccando, quin prodesse potuerit pœnitendo; nam ipse delevit quidem personale peccatum, quod in mala voluntate erat; at non potuit amplius auferre naturæ corruptionem, quæ a peccato necessario secuta fuit *(B)*.

713. Q. 3. *Quodnam est subjectum peccati originalis?*

R. Peccati originalis subjectum sunt omnes homines naturaliter ab Adamo derivati, ut patet ex generalibus tum Scripturæ tum Patrum verbis: hinc Apostolus aperte docet, quod omnes in Adam peccaverunt. Est ergo contra fidem quod tradunt Calvinistæ, nempe peccatum originis filiis fidelium non imputari, quia justitia parentum per eorum fidem ipsis communicatur; tunc enim frustra ipsi baptizarentur, si per parentum fidem essent justificati. Quare merito Tridentinum: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam... anathema sit* [3].

Hoc tamen non impedit, quominus exceptionem faciamus pro Virgine Maria: *Niente osta*, ait Liguori, *alla verità di un detto universale un'eccezione di qualche oggetto particolare, che suole specificamente esprimersi quando si vuol comprendere, per aver quello alcuna special ragione di non essere compreso.* Sic quamvis generales sint istæ locutiones in Scripturis quoad actualia peccata: *omnis homo mendax, non est homo qui non peccat;* nullus hic Mariam comprehendit. Imo de fide catholica est *Virginem M., quamvis ex Adamo carnali genera-*

[1] 1, Corinth. xv. — *V.* Moehler, *La simbolica*, c. 1.
[2] Tridentinum, sess. v, can. 3.
[3] Sess. v, can. 4. — *V.* Perrone, Knoll, etc.

tione descendat, a Deo tamen per gratiam prævenientem ab originali peccato fuisse præservatam vi redemptionis futuræ, eo instanti quo formata fuit; ita ut labem peccati nunquam de facto habuerit (C).

1. Id manifestum est ex verbis, quæ Genesis capite III leguntur post protoparentum nostrorum lapsum, dum Deus serpentem seu diabolum originalis peccati auctorem alloquitur: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* In prima textus parte denuntiatur identitas inimicitiarum inter dæmonem et semen mulieris, ac inter dæmonem et mulierem ipsam: atqui inimicitiæ inter dæmonem et semen mulieris, id est Christum, fuerunt absolutæ, perpetuæ, quæ nullam præcedentem amicitiam admittunt: ergo tales sint oportet etiam mulieris seu Mariæ inimicitiæ cum dæmone; tales autem non fuissent, si Beata Virgo vel unico instanti subjacuisset peccato. — In secunda parte denuntiatur effectus prædictarum inimicitiarum, idest triumphus quem mulier virtute seminis sui, nempe Christi, plenum refert. Sed hic triumphus plenus non fuisset, si dæmon veneno suo seu peccato mulierem infexisset: hac enim in hypothesi non *ipsa* caput contrivisset serpentis; sed dæmon contrivisset caput mulieris seu Beatæ Virginis [1].

Veritas confirmatur ex verbis Gabrielis Archangeli ad ipsam Virginem: *ave, gratia plena; invenisti gratiam apud Deum;* et Elisabeth: *benedicta inter mulieres* [2]. At quomodo ipsa gratia plena, quomodo invenire potuit gratiam apud Deum, quomodo adeo accepta Deo, atque supra ceteras mulieres benedicta, quomodo uno verbo adeo sublimata, laudata, honorificata, si aliquid novi, aliquid magni et singularis non contigisset in Virgine Maria? Hoc sensu hæc verba exposuerunt Origenes, s. Ambrosius, s. Sophronius hierosolimitanus, s. Andreas cretensis, s. Joannes Damascenus et alii, uti videre est penes Passaglia: qui docent, B. Virginem per gratiæ plenitudinem quam ipsa consecuta est, ac benedictionem illam, fieri prorsus singularem inter creaturas omnes, puriorem cœlestibus agminibus, omnisque labis expertem.

2. Id probat auctoritas Pontificum Sixti IV, Pii V, Pauli V, Gregorii XV et Alexandri VII, qui declarant toto se animo piam sequi

[1] In hebraico textu et samaritano, ac alexandrina versione, loco *ipsa* legitur *ipsum* (semen nempe mulieris) aut *ipse* (Christus videlicet); sed hoc parum refert ad rei substantiam; non enim vis probationis pendet ex voce *ipsa* vel *ipsum*, sed ex inimicitia absoluta, et perpetua filii et matris adversus dæmonem, ex qua sequitur et filium et matrem perfecte et plene de dæmone triumphasse, licet ex diverso titulo, nempe Filium virtute propria, Matrem virtute Filii. Ceterum a vero catholico est præferenda lectio Vulgatæ versionis, quæ authentica declarata a Tridentino atque proposita authentica fuit a Sixto V et Clemente VIII; et illius lectionis fundamenta gravissima exponunt catholici controversistæ et expositores, Bellarminus, Bonfrerius, etc.

[2] Luc. I et V.

sententiam, Conceptionis Missam et Officium approbando, et indulgentias concedendo [1]. Et Gregorius XVI, postulantibus Episcopis, quam libentissime facultatem tribuit, ut in Lauretanis Litaniis, et in ipsa Missæ præfatione Immaculatus Virginis proclameretur Conceptus, atque adeo lex credendi ipsa supplicandi lege statueretur. Tandem Pius IX proprium de Immaculata Conceptione Officium, die 2 febr. anno 1849, pro Universa Ecclesia lætissimo prorsus animo concessit; die autem 8 dec. anno 1854, Apostolicis Literis *Ineffabilis Deus*, dogmaticam definitionem (616 Archiepiscopis et Episcopis una cum eorum clero hanc veritatem jam profitentibus) toto plaudente catholico orbe dedit, promulgavit: *Ad honorem Sanctæ et Individuæ Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparæ, ad exaltationem Fidei catholicæ et christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra declaramus, pronunciamus et definimus doctrinam, quæ tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam, immunem, esse a Deo revelatam, atque iccirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.*

3. Id firmant Concilia. Inter cetera Toletanum anno 634, ubi receptum fuit Breviarum, in quo quidem B. M. Virginis *immunitas ab originali* prædicatur. Trullanum anno 692, quod quidem liturgia s. Jacobi Apostoli nuncupata utebatur; in ea autem Beata M. Virgo vocatur *sanctissima, immaculata*. Et Nicœnum II generale (anno 787) definit: *Si quis non confitetur sanctam semperque Virginem Mariam, proprie ac vere Dei genitricem, sublimiorem esse omni visibili et invisibili creatura, anathema sit.* At quomodo Virgo posset dici *sublimior* omnibus creaturis etiam angelicis, si aliquando fœdata fuisset a culpa originali, ideoque gratiæ expers et Dei inimica? Tandem Tridentinum anno 1542 cum dogmaticum de peccato originali ederet Decretum, solemniter declaravit, *non esse suæ intentionis* in decreto ipso *comprehendere* Dei Genitricem Mariam [2]. *Hac enim declaratione*, ait Pius Pp. IX, citatis Literis, *Tridentini Patres, ipsam Beatissimam Virginem ab originali labe solutam pro rerum temporumque adjunctis satis innuerunt, atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis Literis*,

1 Imo triginta et amplius numerantur Pontifices qui promoverunt piam sententiam et cultum Virginis Immaculatæ. — *V.* Plazza, *Causa Immaculatæ Conceptionis;* et Perrone, *De Deo creatore.*

2 « Espressioni di una delicatezza squisita, le quali manifestano il pensiero del Concilio, e vanno sino alla qualificazione, ma non per anco sino alla definizione. » Ad rem Nicolas, *La Vergine*, t. II, c. 5.

nihil ex Traditione, Patrumque auctoritate rite afferri posse, quod tantæ Virginis prærogativæ quovis modo refragetur.

4. Habemus ss. Patrum testimonium, qui utique conceptis verbis id non adstruunt, cum nulla tunc exorta esset controversia; sed veritatem uti certam supponunt ob generalia, quibus loquuntur, verba. — S. Ephrem ait (anno 370): *immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica, atque ab omni sorde ac labe peccati alienissima Virgo* [1]. — S. Joannes Damascenus (ex Calmet locupletissimus sententiarum totius græcæ Ecclesiæ testis, ac doctrinæ præcedentium Patrum custos fidissimus), loquens de Virginis Conceptione aperte ait (anno 735): *Natura gratiam antevertere ausa non est, sed tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset* [2]. — S. Petrus Damiani (anno 1070) ait [3]: *caro Virginis ex Adam sumpta maculam Adam non admisit.*

5. Adde universalis Ecclesiæ praxim; nam ubique Festum Immaculatæ Conceptionis, ubique sodalitates, vel pia exercitia in honorem hujusce mysterii extabant, etiam nondum data dogmatica definitione. — Adde liturgias orientalis et occidentalis Ecclesiæ, panegyricas orationes, hymnos qui ubique publice decantantur, in quibus omnibus B. Virgo (uti res meridiana luce clarior) ab omni labe originali immunis prædicatur, laudatur, extollitur. — Adde celebriores orbis Universitates, Religiosorum Ordinum votum, Principum devotionem pro immaculata Virginis Conceptione. — Adde communem fidelium sensum, qui, dicente Cano, *in quæstione fidei haud levem facit fidem* [4]; impossibile est enim, quod omnes fallantur: idque maxime, si locis ac tempore sint dissiti, indole dispares ac moribus diversi, et tamen in unum semper conveniant [5]. — Adde factas revelationes et acta per Deum prodigia, in cultum videlicet Beatæ Virginis Mariæ sine labe originali conceptæ.

6. Habemus vel ipsam rationis congruentiam. Decuit enim, ut Deus sanctitatis amator sibi talem eligeret Matrem, quæ omnino esset sancta. Decuit, ut Sanctorum Regina, inferorum Dominatrix, Domini Genitrix ne uno instanti diceretur sub potestate dæmonis: *Si Dominus,* ait d. Anselmus, *castaneæ confert, ut inter spinas, remota compunctione, recipiatur, alatur et formetur; non poterit hoc dare humano quod sibi parabat templo, in quo corporaliter habitaret, ut licet inter spinas peccatorum conciperetur, ab ipsis tamen spinarum*

1 In Orat. ad *Sanctiss. Dei Genitricem.*
2 Orat. 1 *de Nativ. Virg.*
3 Serm. *de Assumpt.*
4 *De loc. Theol.*, l. v, cap. ult.
5 *V.* Petavius, *De Incarnat.*, l. xiv, c. 2, n. 10.

aculeis omnimode exors redderetur? plane potuit et voluit; quod si voluit et fecit [1].

714. Q. 4. *Quot sunt peccati originalis effectus?*

R. In præsenti vita effectus peccati originalis corpus et animam afficiunt: Tridentinum docet, *totum Adam, per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse* [2].

1. Effectus ex parte corporis sunt ærumnæ, morbi et ipsa mors: licet enim corpus nostrum ex contrariis compactum naturaliter esset corrumpendum; Deus tamen benignitate sua dederat per justitiæ originalis donum, ut dissolutio impediretur lignum vitæ vescendo [3]. *Posse non mori Adamo præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ,* ait Augustinus [4]. At semel amissa originali justitia, corpus in pœnam pristinæ naturæ restitutum est. Hinc ærumnæ, morbi et ipsa mors; unde Apostolus: *per peccatum mors* [5].

2. Effectus ex parte animæ quatuor enumerat Angelicus: quorum primus respicit rationem, secundus voluntatem, tertius irascibilem, quartus concupiscentiam. *Quatuor sunt potentiæ animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum, scilicet, ratio in qua est* prudentia; *voluntas, in qua est* justitia; *irascibilis, in qua est* fortitudo; *concupiscibilis, in qua est* temperantia. — *In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus* ignorantiæ. *In quantum autem voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus* malitiæ. *In quantum irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus* infirmitatis. *In quantum vero concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus* concupiscentiæ [6]. Quæ vulnera per actuale peccatum fiunt pejora.

Diximus: *in præsenti vita.* Quod autem spectat ad vitam futuram, de fide est, originale peccatum, etiam solum, a regno cœlorum perpetuo excludere juxta illud Joannis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* [7] *(D).*

CAPUT SECUNDUM

DE PECCATO PERSONALI.

715. Q. *Quomodo dividitur peccatum personale?*

R. Peccatum personale dividitur in actuale, et habituale. Per *actuale* intelligimus peccatum in actu existens, idest ipsammet

[1] Liber, *De Concept. B. M.*, cap. IV. [2] Sess. V, c. 1.
[3] Gen. II. [4] Lib. IV *de gen. ad lit.*, c. 26. [5] Rom. V.
[6] S. Thomas, 1, 2, q. 85, a. 3. [7] Joann. III.

actionem peccaminosam: est contra Lutherum, qui dicebat peccatum actuale nihil aliud esse, quam *malum illud, quod in nobis producitur a peccato originali* [1]. Per peccatum vero *habituale* intelligimus ipsam maculam animæ inhærentem ex actuali peccato, eamque deturpantem, donec pœnitentia abstergatur. Hic autem est potissimum de peccato actuali *(E)*.

716. Peccatum *actuale* multiplex dividitur, prout multiplici sub respectu consideratur. A nobis consideratur: 1) ratione causæ occasionalis, quæ est vel *externa* vel *interna*, prout ipsi hominis naturæ inhæret vel non [2]; 2) ratione differentis speciei, et dicitur a Scholasticis *differentia peccatorum specifica;* 3) ratione differentis gravitatis, et venit peccatum *mortale* et *veniale;* 4) ratione multiplicationis actuum, quibus unum idemque peccatum etiam in eadem specie et gravitate potest iterum iterumque committi, et sic multiplicari: et hæc in Scholis appellatur: *differentia peccatorum numerica;* 5) ratione modi, quo peccatum patratur, et venit peccatum tum *commissionis* et *omissionis;* tum *internum* et *externum*, nempe *cordis*, *oris* et *operis*. Hinc sequentes versus:

Causam, cum specie, pondus, numerumque, modumque
Qualibet in culpa discutienda scias.

ART. I. — *De peccato actuali ratione causæ occasionalis.*

717. Q. 1. *Quotuplex causa peccati externa et interna occasionalis?*

R. Ad 1: Causa externa occasionalis peccati est tum *diabolus* tum *mundus*.

1. Diabolus: qui tentat homines *variis artibus captare pro cujusque natura et moribus* [3]: et quantum potest contra legem Dei concitare, uti Evæ et Jobi historia probat. Quare s. Petrus monet: *sobrii estote et vigilate; quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide* [4].

2. Mundus, quem pariter esse externam peccati causam probat quotidiana experientia; ipse enim nos ad peccatum inducit impiis dictis, exemplis pravis et sensuum illecebris: adeo verum est, *quod mundus totus in maligno positus est* [5].

R. Ad 2: Triplex distinguitur causa peccati interna occasionalis: *ignorantia*, *concupiscentia* et *malitia*. Prima est ex parte intellectus; secunda ex parte appetitus; tertia ex parte voluntatis. Ex iis autem oriuntur peccata ignorantiæ, infirmitatis atque malitiæ.

[1] De capt. Balyn. c. x.
[2] *Causæ* nomine non intelligitur causa efficiens peccati, quæ est sola voluntas; sed quidquid aliquo modo ad peccatum trahit; ideo dicitur *causa occasionalis*.
[3] Lactantius, *De vero culto*, l. vi, c. 4.
[4] Ep. 1, c. v. — V. *Bibbia* di Vence, vol. iii, dissert. *sui demonii*. — Rohrbacher, *Storia della Chiesa*, lib. LXXXII, ubi in vita s. Franciscæ Romanæ malorum Angelorum destinatio describitur.
[5] Ep. 1 Joann. c. 5.

718. Q. 2. *An ignorantia et mala ex ignorantia sint peccata?*

R. Certum est: 1) quod ignorantia invincibilis non est peccaminosa neque in se neque in suis consectariis; etenim moralitatis fundamentum est voluntarietas, quæ non reperitur in ignorantia invincibili; *non enim tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras*, ait Augustinus, *sed quod negligis quærere quod ignoras*. Quod valet etsi ignorantia sit Juris naturalis; una enim semper est firma ratio: *quis peccat in eo quod nullo modo caveri potest* [1]? Hinc illa Baji propositio n. 2 damnata est ab Alexandro VIII: *tametsi detur ignorantia invincibilis Juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato.*

Certum est: 2) quod oblivio vel inadvertentia involuntaria alicujus præcepti, quæ sit causa cur illud non observetur, non est peccaminosa neque in se neque in suo effectu: sic viator qui obliviscitur involuntarie jejunii præcepti in vigilia alicujus festivitatis, non peccat omittendo jejunium, quia hæc oblivio seu ignorantia invincibili æquivalet.

3) Utrum vero qui de suis obligationibus suspicionem habet, et in eas non inquirit, peccat, et de tali ignorantia sit culpandus, distinguendum putamus. Si iste proponit opportuniori tempore se instruere, et interim abstinere ab omni actione de qua dubium exurgit, tunc non peccat, etsi postea inadvertenter contra preceptum agat, si tamen hæc inadvertentia non fuerit prævisa; nam eo in casu prudenter agit, neque se voluntarie exponit periculo violandi legem. Si autem urget obligatio illico depellendi omnem dubietatem propter prævisum periculum operandi contra legem, aut contra officia proprii status, quæ quidem quotidie sunt ad manus, tunc peccat toties quoties ignorantiam potest depellere et non vult aut agit cum suspicione peccati; hoc enim quid est aliud quam voluntarie se exponere periculo violandi formaliter legem? Huc spectat illud Davidis Regis: *delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris, Domine* [2].

Et species peccati, quod tunc committitur, sumenda est ex natura præcepti ignorati; nam cognitio obligationum quæ ad cujuscumque statum vel officium pertinent, cadit sub eodem præcepto, ex quo ipsæ obligationes sunt implendæ; ideo enim præceptum est quod sciantur, ut adimpleri possint. Hinc medicus, qui medicinam ignarus exercet, peccat contra justitiam; quia ex justitia tenetur artis

[1] Augustinus, *De lib. arb.*, l. III, c. 18. — *V.* Bouvier, *De act. humanis*, c. I, sess. 2. — Et maxime Opus, *De peccatis ignorantiæ, sive quæstio theologica, an insuperabilis ignorantia Juris naturæ liberet a peccato;* auctore Christiano Alethino. Coloniæ, 1681.
[2] Psal. XXIV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 4; *Homo Apost.*, tract. III, n. 28.

salutaris scientiam habere, si velit illam, sine gravi proximi damno, excolere.

719. Q. 3. *Quid de peccatis infirmitatis?*

R. Peccata, quæ ex concupiscentia proveniunt, dicuntur *peccata ex infirmitate*, quasi totidem animi ægritudines. Quæ tamen ægritudines vel pravi motus ad quos concupiscentia nos inclinat, non sunt peccata quandiu nostra voluntas iis non assentit: est de fide contra Lutherum et Calvinum, aliosque paucos hæreticos [1]. Nullum sane peccatum ubi nulla libertas; atqui nulla libertas in hujusmodi concupiscentiæ motibus, quibus non assentimur. Quare d. Augustinus: *frustra dictum est* post concupiscentias tuas non eas, *si jam quisque reus est, quod tumultuantes et ad mala trahere nitentes sentit eas* [2]. Hinc damnata est hæc Baji propositio: *Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto* non concupisces; *unde homo eas sentiens et non consentiens, transgreditur præceptum:* non concupisces; *quamvis transgressio in peccatum non imputetur.* Unde patet nonnisi improprie peccata vocari quæ ex concupiscentia proveniunt.

Non tamen negandum concupiscentiam frequentissimam esse peccati causam, quatenus nos trahit ad assentiendum objecto sensibili et illicito. Hinc Daniel: *concupiscentia subvertit cor* [3]. Et Jacobus: *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus; deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum* [4]. In quæ verba Augustinus: *concupiscentia non parit nisi conceperit, non concipit nisi illexerit, hoc est ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum* [5]: ergo in ipsam fortiter dimicandum est, ne concipiat, ac pariat peccatum.

720. Q. 4. *Quid de peccatis malitiæ?*

R. Peccata quæ quis nec ignorantia deceptus nec concupiscentia incitatus, sed ex plena libertate committit, dicuntur *malitiæ*. Quæ definiri solet: *deliberata quædam voluntatis adhæsio peccato, qua fit ut illud eligat, et velit ex solo et pravo in ipsum peccatum affectu.* Peccata autem provenientia ex ignorantia affectata vel ex passione libere excitata, æquiparantur peccatis malitiæ, cum prima earum radix sit sola prava voluntas, quæ vel ignorantiam vel passionem procurat. Tale est peccatum illorum, qui *lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis* [6]: vel *quasi de industria recesserunt ab eo* (Deo), *et omnes vias ejus intelligere noluerunt* [7]. — Idem est de

1 Imo concupiscentia ad licita etiam impellere potest. — V. *Catechismus Romanus*. p. III, c. 10, § 6. — Et supra *De actibus*, n. 25.
2 L. V *contra Jul.*, c. III. 3 Dan. XIII. 4 Epist. Jacobi, c. I.
5 L. V *contra Jul.*, c. XV. 6 Prov. II. 7 Job, XXXIV.

peccatis commissis ex prava consuetudine, quam quis emendare non studet; nam *manifestum est*, inquit s. Thomas, *quod quicumque peccat ex habitu, peccat ex certa malitia* [1]; quia peccat ex majori inclinatione voluntatis.

Peccatum malitiæ ceteris paribus gravius est peccato infirmitatis; et hoc item gravius est peccato ignorantiæ, ratione nempe voluntarii, quod plenius est in uno quam in altero *(F)*.

Corollarium. — *De tentationibus.*

721. Q. 1. *Quid est tentatio?*

R. Tentatio generatim sumpta est *incitamentum ad peccandum voluntati nostræ propositum*, seu *quasi stimulus quidam, quo voluntas nostra allicitur vel inclinatur ad violandum præceptum legis.* Potest esse vel a nostra corrupta natura, vel a dæmone solo, vel a dæmone simul et nobis ipsis, si nempe ab eo et simul a concupiscentia nostra originem habeat. In quocumque casu ea est vel levis vel gravis.

Sentire tentationem non est peccatum; cum id impedire non sit in nostra potestate. Imo sæpius est occasio meriti penes Deum, qui tentationes permittit in bonum nostrum, juxta illud: *fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. Certamen forte dedit illi, ut vinceret* [2]. Peccatum vero est tentationi pravæ libere consentire; malum enim est malum voluntate approbare.

722. Q. 2. *Quænam remedia contra tentationem?*

R. 1. Si agitur de tentatione gravi, remedia sunt:

1. *Vigilantia* et *oratio*, dicente Christo: *vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* [3]; vigilantia enim omnes patefacit inimici insidias, oratio verò eas superat ac vincit.

2. Exhibere sub oculis Crucifixum, et eidem profiteri perfectam submissionem, hostem propulsando illis Domini verbis: *vade, Satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies* [4]; hoc enim diaboli vires infirmat.

[1] 1, 2, q. 78, a. 2.

[2] Eccli. II; Sap. X. — Multi sensum et consensum, cogitationem rei malæ et delectationem promiscue sumentes in magna idearum confusione versantur ac scrupulis torquentur; quos animarum directores instruere debent. Item omnes confessarii accuratam sibi cognitionem acquirant circa tentationes, ut valeant pœnitentibus opportuna remedia suppeditare. Nos pluribus locis plura damus. — *V.* Sales, *La Filotea*, p. 4ª. — Pinamonti, *Il Direttore delle anime.* — Rodriguez, Scaramelli, ecc.

[3] Marci, IV. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. III, nn. 43 et seqq.; et *App.*, 2ª, § 2. — Stapf, § 606.

[4] Matth. IV.

3. Tentationem citius aperire proprio directori: diabolus totus tenebrosus lucem timet; et satis est pravorum machinationes pandere ut evanescant: *nemo insolentior latrone quandiu latitat; et nemo illo timidior quando manifestatur; talis diabolus est:* d. Gregorius.

4. Tentationem non confidenter aspicere in se, nec disputare cum tentatore, maxime si tentet contra castitatem. Observat Angelicus, quod tentationes venereæ felicius vincuntur fugiendo, scilicet nos ad alia illico convertendo, quam positive illis resistendo; quia quanto magis homo particularia objecta carnis considerat, tanto magis incenditur [1]. Idem consulunt in tentationibus contra fidem et spem, ac in cogitationibus suspiciosis de proximo.

5. Viriliter contra tentationem se habere; nemo facilius prosternitur, ait Stapf, quam qui vertigine laborans sese identidem lapsurum formidat. Adde: qui animo cadit, nihil tribuit divinæ misericordiæ, quæ *faciet etiam cum tentatione proventum* [2], ut possimus sustinere; neque enim hosti major vis competit, quam Deus ad nos salubriter exercendos illi concessit.

R. 2: Si agitur de tentatione levi, remedium magis opportunum erit, ut sine anxietate tentatio contemnatur; et actus eliciantur virtutum oppositarum, præsertim charitatis in Deum, quin ad eam animum convertamus; hæc est enim uti ignis cineri suppositus, qui fodicatione accenditur magis.

Pinamonti remedia generatim reducit ad *humilitatem*, qua fit gratiæ locus; ad *orationem*, qua tribuitur gratiæ donum; ad *fortitudinem*, qua gratiæ cooperando consummatur victoria nostra [3].

Articulus II. — *De distinctione specifica peccatorum et eorum differenti gravitate.*

723. Q. 1. *Quænam peccata specie differunt inter se?*

R. Ea peccata specie differunt inter se, quæ non habent eandem malitiam; sed omnino diversam et specialem, ut homicidium, furtum.

Putant aliqui differentiam peccatorum specificam desumendam esse ex oppositione, quæ sit notabiliter major cum lege. Sed communiter id rejicitur cum s. Thoma [4]; nam majus et minus non diversificant speciem, seu non mutant malitiam, sed tantum augent vel minuunt malitiam ipsam jam existentem. Unde dicimus, spe-

1 In Epist. 1 ad Corinth. c. VI, lect. 3.
2 1, Corinth. X. — *V.* Knoll, *Instit. Theol.*, p. 2ª.
3 *Il Confessore diretto.*
4 1, 2, q. 16. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 32; et *Homo Apost.*, tract. III, n. 55.

cificam differentiam repetendam esse ab oppositione specie diversa cum lege; peccatum enim constituitur per hanc oppositionem: si ergo oppositio sit specifice diversa, peccatum quoque specie diversum habebitur. Quod quidem contingit: 1) *quando diversæ offenduntur virtutes;* 2) *quando diversa violantur officia seu præcepta ejusdem virtutis;* 3) *quando eadem lædituir virtus, sed modo contrario.* Res illustretur exemplis.

1. *Apostasia a fide, desperatio, odium Dei* differunt specie inter se. Quare? quia tribus virtutibus specie diversis opponuntur, nempe fidei, spei et charitati.

2. *Furtum, detractio, homicidium* inter se specie differunt. Quare? quia opponuntur diversis ejusdem virtutis officiis, seu præceptis, nempe justitiæ, quæ jubet, ut nemo lædatur neque in bonis vitæ, neque in bonis famæ, neque in bonis fortunæ.

3. *Prodigalitas* et *avaritia*, pariter differunt specie inter se. Quare? quia opponuntur quidem eidem virtuti, nempe liberalitati; sed opponuntur modo plane opposito, prima nempe per excessum, altera vero per defectum. — Hinc versus:

Virtutes læsæ, diversa objecta, modusque
Dant speciem peccatis, diversumque reatum.

721. Q. 2. *An detur peccatorum differentia ratione gravitatis?*

R. Fuit olim Stoicorum paradoxum, omnia peccata ratione gravitatis inter se æqualia esse [1]. Errorem amplexus est sæculo IV Jovinianus, et sæculo XVI Calvinus et Lutherus, quorum erat effatum: *omnia peccata esse ex natura sua mortalia;* et *venialium* nomine ea tantum esse appellanda, quorum de facto venia obtineretur. Wiclephus docet, omnia peccata reproborum esse lethalia, contra vero prædestinatorum peccata omnia ex divina ordinatione venialia esse: unde fit, ut peccata sint mortalia et venialia non per se, sed tantum externa imputatione. His accedere visus est insanus Jansenistarum præcursor Michael Bajus, cujus hæc propositio a Pio V et Gregorio XIII damnata fuit: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale; sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Verum de fide est, peccata inter se ac natura sua differre ratione gravitatis, sive in prædestinatis sive in reprobis.

Prob. 1: Ex *Scripturis:* Jeremias de Israelitis habet: *pejus operati sunt quam patres eorum* [2]. Et Christus Pilato de Juda proditore dixit: *qui me tradidit tibi, majus peccatum habet* [3]. Et Joannes aperte

[1] Cicero, *De Officiis, parad.* III. [2] Cap. VII.
[3] Joann. XIX. — Qui textus probat contra Stoicos et Jovinianum peccata alia aliis esse posse graviora, neque semper esse æqualia, licet in eadem specie mortali.

distinguit *peccata ad mortem et non ad mortem* [1]. Tandem ex Scripturis quædam sunt peccata, quibus justi et prædestinati gratiam amittunt, quale fuit illud protoparentum nostrorum; quædam vero, quibus gratia non amittitur juxta illud: *non est... homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet* [2]. Ergo peccata alia sunt gravia, alia levia natura sua; non autem externa imputatione, aut habita ratione ad committentem, quatenus sit prædestinatus vel reprobus.

2. Ex *Patribus:* s. Hieronymus ex professo scripsit pro hac tuenda catholica veritate contra Jovinianum hæreticum; eique summopere hac de re gratulatus est d. Augustinus, qui etiam habet ad rem: *de quotidianis, brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio satisfacit* [3].

3. Ex *Conciliis:* Tridentinum docet, nos teneri in Confessione manifestare omnia mortalia, quæ memoriæ occurrunt; non item venialia: quæ doctrina stare non posset sine vera et reali peccatorum inter se differentia ratione gravitatis. Idem Concilium habet: *Licet in hac mortali vita quantumvis sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi* [4].

4. Ex *ratione:* eodem modo, data proportione, disserendum de injuriis hominum in Deum, ac filiorum in patres et subditorum in principes: atqui injuriæ istæ differunt ratione gravitatis, ergo et illæ. Adde ex Angelico: *Peccata sunt quædam animæ infirmitates: et sicut corporis infirmitates aliæ sunt mortiferæ quæ mortem corporis inferunt, aliæ non mortiferæ quæ corporis vires tantum imminuunt; itæ animæ infirmitates: aliæ sunt mortiferæ, quæ gratiam tollunt, in qua est animæ vita; aliæ non mortiferæ, quæ gratia sanctificante animam non privant, sed tantum charitatis fervorem imminuunt* [5].

725. Q. 3. *Undenam repetenda est gravitas peccatorum?*

R. Cum Angelico, peccata eo graviora esse ex suo genere, quo majori bono privant, seu quo excellentiori virtuti opponuntur: sic odisse Deum gravius est quam odisse proximum.

1 Epist. 1, c. 5. — Hic damnatur Lutherus, Calvinus, Bajus venialia non admittentes.
2 Eccle. 7.
3 Epist. XXIX; it. *Enchir.*, c. 71. 4 Sess. XIV, c. 5; et sess. VI, c. 14.
5 2, 2, q. 88, a. 1. — Neque etiam peccata ita sunt inter se connexa, ut qui unum committit, et aliorum sit reus, uti patet. Et illud, quod opponunt Jacobi, II: *quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*, est extra rem; ibi enim agitur de peccato ex parte aversionis, quasi sensus sit: qui Deum graviter offendit in uno, in ordine ad gratiæ et gloriæ amissionem idem est, ac si eum offenderet in omnibus; quia jam per unum mortale amittimus vitam spiritualem.

Hinc videant quomodo securi esse possint qui hoc vel illud præceptum grave transgredientes, attamen nihil formidant, imo forsan sibi plaudunt; quia reliqua sua officia strenue peragunt, ea præsertim quæ publice fiunt, sicque in humana societate honesti homines prædicantur.

Diximus: *ex suo genere;* quia per accidens fieri potest, ut peccatum quod privat ex se bono specie majori, vel ex levitate materiæ vel ex imperfectione actus, vel ex eo quod non ita directe majori bono opponatur, sit levius peccato inferioris speciei. Sic sodomia et bestialitas perjurio utique graviora sunt: quia magis disconveniunt et magis prohibentur. Imo fieri potest, ut idem actus magis disconveniat in uno, quam in alio, si nempe secundum plures circumstantias opponatur rationi et legi. Hinc s. Thomas: *Ceteris paribus, gravius peccat fidelis quam infidelis, tum propter notitiam veritatis ex fide, tum etiam propter Sacramenta fidei, quibus est imbutus, quibus peccando contumeliam facit* [1]. Hinc illud Domini: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique...; tu vero homo unanimis; dux meus et notus meus; qui simul mecum dulces capiebas cibos; in domo Dei ambulavimus cum consensu* [2]. Hoc maxime valet de ecclesiasticis tot gratiis dignatis.

726. Q. 4. *Quomodo dividitur peccatum ratione gravitatis?*

R. Peccatum ratione gravitatis dividitur in *mortale* et *veniale.* Primum est *gravis transgressio legis divinæ, per quam homo privatur gratia sanctificante et amicitia Dei, dignusque efficitur pœna æterna:* dicitur mortale seu lethale, quia animæ mortem affert.

Alterum est *transgressio levis ejusdem legis minuens fervorem charitatis, et reddens hominem dignum pœna temporali.* Dicitur veniale, quia veniam facile consequitur, non vero quasi sit res in se levis, ac non attendenda; si enim et veniali peccato Deus offenditur, hoc erit malum omnia alia superans post mortale peccatum. Et ideo etiam veniale peccatum est a Deo prohibitum, prout in Ecclesiastico legitur: *noli velle mentiri;* et apud Matthæum: *non jurare omnino* [3]. Ex quo patet etiam venialia esse contra legem divinam, etsi non omni modo.

§ I. — *De peccato mortali.*

727. Q. 1. *Quid requiritur ad peccatum mortale constituendum?*

R. Tria requiruntur: unum ex parte objecti; aliud ex parte intellectus; tertium ex parte voluntatis. Quæ quidem præsumuntur in homine, qui sit plene vigil et sui compos.

1. Ex *parte objecti* requiritur materiæ gravitas, saltem ratione finis, si nempe finis sit magni momenti; ex objecto enim actus primam malitiam desumit.

[1] 2, 2, q. 10, a. 3; et q. 14, a. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. v, n. 34.
[2] Ps. LIV. [3] Eccli. VII; Matth. v. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 11.

2. Ex *parte intellectus* requiritur plena advertentia malitiæ actionis vel omissionis [1]. Ubi notandum contingere posse vel quod intellectus noster ita rapiatur a delectabilitate objecti, ut nihil malitiæ in eo advertat: et hi motus dicuntur *motus primo-primi*, qui antevertunt omnem advertentiam rationis, et sunt omnino culpæ expertes. Vel quod intellectus non advertat nisi semiplene, cum nempe rem cognoscimus mente non plene expedita, quia forte sumus semidormientes, semiebrii, alio distracti, aut graviter mente commoti: et hi dicuntur *motus secundo-primi*, qui culpam venialem non excedunt; quia cum in eis non præcesserit plena advertentia, voluntas in illos non consentit perfecta libertate requisita ad mortale. Vel quod intellectus plene advertat, si videlicet mente expedita nos aliquid decernimus: qui quidem *motus deliberati* appellantur, cum fiant cum plena advertentia intellectus clare discernentis malitiam mortalem, saltem confuse in genere, et cum pleno consensu voluntatis; et hi sunt mortalia, si objecta sub gravi sint vetita.

Quod porro plena advertentia ad mortale constituendum sit necessaria, patet; nam homo per mortale fit reus æterna pœna, sed non est credibile infinitam Dei bonitatem velle, ut homo tantæ pœnæ sit reus, nisi plene advertat ad peccati malitiam vel ejus periculum. Unde Angelicus: *Cum aliquis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat, et tunc... non habet proprie rationem blasphemiæ* [2].

3. Ex *parte voluntatis* requiritur perfectus consensus, ille nempe actus, quo voluntas objectum sibi ab intellectu propositum deliberate amplectitur: sane motus nostri in tantum sunt culpabiles, in quantum sunt voluntarii; in tantum autem sunt voluntarii, in quantum sunt a voluntatis consensu ac deliberatione.

Qui consensus potest esse vel *expressus*, et est quando voluntas objectum ipsum in se directe et expresse amplectitur; vel *implicitus*, quando nempe quis vult causam, ex qua necessario oritur effectus. Porro ad peccatum mortale requiritur quidem perfectus consensus, sed satis est, si sit indirectus. Requiritur *perfectus consensus*; nam cum mortale sit plena et consummata malitia, ad illud necesse est plenum et perfectum voluntarium. At sufficit *consensus indirectus*, quia et in hoc plene adest ratio voluntarii: hinc qui vult lectionem rerum obscenarum, sufficienter velle censetur pravos motus inde exurgentes; clericus qui fastidit studium, vult per consequens

[1] Advertentia in genere considerata definiri potest, ut sit *consideratio, sive cogitatio malitiæ et prohibitionis actus, aut saltem aliqua dubitatio aut suspicio peccati aut peccandi periculi.*

[2] 2, 2, q. 13, a. 2. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 4.

ignorantiam, et mala sine numero, quæ ex tali ignorantia in suo ministerio inde consequentur.

728. Quæres: *qualis esse debet plena et perfecta advertentia malitiæ ad mortale constituendum? actualisne et expressa, qua quis nempe actionis suæ malitiam actu cognoscit; an vero solummodo interpretativa et in virtute, qua nempe cognosceret, si adverteret? quatenus poterat et debebat scire rem illam esse prohibitam?*

R. Magna quæstio est inter Theologos [1]. Nos diversas sententias facile conciliantes dicimus:

1. Quantum ad illos qui absolute possunt pervenire in notitiam alicujus prohibitionis et remote tenerentur in eam inquirere, quia illa prohibitio eosdem respicit, non sufficit ad lethale peccatum, quod potuerint, absolute loquendo advertere, sed de facto non adverterint ad hanc obligationem, nec cogitaverint ullo modo de obligatione inquirendi in eam. Sane plurimæ sunt obligationes circa præcepta ipsa Decalogi ac Juris humani, ut mirum non sit, quod vel ipsi studiosi ignorent aliquam suarum obligationum. Recte Suarez: *Quando nulla talis cognitio in mentem subiit, quod possit voluntas excitari ad quærendam scientiam, non est in potestate hominis se ad illam movere, et consequenter non potest talis ignorantia homini imputari.* Quare eo in casu adest ignorantia omnino invincibilis, et communiter bona fides, quam allegabat Abimelech dicens: *Domine, num gentem ignorantem et justam interficies?* cui Deus: *et ego scio quod simplici corde feceris, et ideo custodivi te, nè peccares in me* [2].

2. Quantum ad illos, qui advertunt esse prohibitiones quasdam ad ipsos pertinentes in aliqua determinata materia, et nolunt interim in eos inquirere, non ideo tamen mortaliter peccare dicendi sunt, si proponant abstinere ab ea materia, aut obligationibus studere antequam ad illam manus admoveant, etiamsi ex hac dilatione fiat, ut dubitationis prioris obliti, inadvertenter contra illas obligationes agant. Nam semper verificatur quod sunt in bona fide quoad talem actionem, utpote ignorantia invincibili laborantes.

3. Quantum denique ad illos qui advertunt aut suspicantur esse quasdam prohibitiones in hac vel illa gravi materia, et negligunt

[1] Alii enim cum Antoine, Concina, Continuatore Tournely, Medina, Lopez, Serra, Prado, Franzoja, etc., dicunt non requiri advertentiam actualem malitiæ actus, sed satis esse virtualem et interpretativam, in eo positam, quod homo teneatur, et possit malitiam actionis cognoscere, quamvis actualiter non advertat: alias essent immunes a culpa, qui obcæcati passionibus malum patrant, non amplius advertentes. Alii cum s. Antonino, Adriano VI, Gotti, Lyrano, Sayno, Sanchez, Salas, Sylvio, Suarez, Salmanticensibus, Gammachæo, Du-Val, Vasquez, etc., dicunt ad mortale requiri aliquam advertentiam, sive suspicionem malitiæ actus vel in se vel in sua causa, saltem in confuso; nam nil volitum, quin sit præcognitum. Istæ sententiæ facile conciliantur per sententiam nostram.

V. Liguori, qui agit fusius *Op. Mor.*, l. v, n. 3; *Homo Apost.*, tract. III, n. 28.

[2] Gen. XX. — Vide d. Thomas, 1, 2, q. 109, a. 2.

de ipsis inquirere, quin proponant (aut possint ratione officii) abstinere ab illa, nec studere antequam agant, dicimus hoc ad peccatum lethale sufficere, et peccatum incurri toties quoties quis negligit discere obligationes illas, quæ ad ipsum pertinent. Species autem peccati determinatur ex natura prohibitionis, de qua est suspicio; ita si quis dubitat suam aliquam actionem fore contra justitiam, peccat eo ipso contra justitiam quoties sciens negligit inquirere de rectitudine talis actionis. Nam voluntarie se exponit periculo illam violandi, et consequenter operando peccat [1].

729. Opponunt 1: *Omnis ignorantia in eo, qui tenetur et potest suam obligationem advertere, est vincibilis et propterea culpabilis, ut patet de confessariis, advocatis, medicis imperitis, quoties operantur.*

Recte respondent Sylvius et Suarez: qui de malitia objecti hic et nunc non suspicatur nec de obligatione advertendi, habet potentiam remotam sive physicam ad advertendum; sed caret potentia proxima et expedita, quæ homini necessaria est ad cognoscendam deformitatem suarum actionum: unde nequit naturaliter ac humano modo suam vincere ignorantiam. Advertit ad actionem suam, qua actio humana est; non autem utrum ea mala sit. Intollerabile enim esset, si ad omne verbum, motum, omissionem deberemus suspicari malum, et per diligens examen jugiter explorare, num ex aliqua parte sub culpa ejusmodi actio prohibeatur.

Opponunt 2: *Si ad omnia peccata requireretur actualis advertentia, inculpabiles reputandi essent Judæi crucifigentes Dominum, qui* si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent [2]. *Item pagani occidentes Martyres, et hæretici crimina perpetrantes.*

R. In his omnibus ignorantia fuit et est omnino crassa: loquens enim Christus Dominus de Judæis, dixit: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent;* et ideo ipse in cruce hujus peccati veniam illis adprecabatur sic orans Patrem: *Pater, dimitte illis, nesciunt enim quid faciunt* [3]. Idem dicendum de infidelibus et hæreticis, quibus ob eorum malitiam vel supinam negligentiam omnes errores juste imputantur ad culpam.

Opponunt 3: *Peccatores in malo habituati, obdurati, passionibus excæcati nullam amplius habent advertentiam, nullum vestigium actualis cognitionis malorum quæ faciunt.*

R. Hujusmodi peccatores habent quidem cognitionem minus expeditam quam alii; semper tamen habent cognitionem aliquam actualem suorum criminum sufficientem ad reddendos actus deliberatos et morales; *impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit;* leges, præcepta, monita contemnit, at scienter [4].

730. Q. 2. *Quotuplex distinguitur peccatum mortale?*

R. Peccatum mortale tale est vel ex genere suo, vel ex accidenti.

[1] Pro praxi debet confessarius maxime venari ex moribus pœnitentis, an inadvertentia, quam allegat, sit vincibilis necne. Si enim sit vitæ liberioris, sæculi moribus serviens, salutis incurius, judicanda est ut plurimum vincibilis inadvertentia ac peccaminosa. Secus si persona sit timoratæ conscientiæ, neque agatur de peccatis externis circa primaria ac secundaria præcepta legis naturæ. *Billuart.*

[2] I, Cor. II. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 4.

[3] Joann. xv et Luc. xxiii.

[4] Prov. xviii. — *V.* Frassinetti, *Compendio* ecc. nota 16.

Peccatum mortale *ex accidenti* est, cum actus venialis vel indifferens ex se, fit mortalis per accidens: ut siquis aliquid perpetret veniale vel indifferens cum conscientia peccati mortalis.

Mortale vero *ex genere suo* est illud, quod in sua specie sistendo, et absque nova malitia, potest esset mortale; tale est furtum, quod licet ex levitate materiæ fieri possit veniale: attamen per se, sine accessione alterius malitiæ, mortale esse potest. Mortale autem ex genere suo subdistinguitur in mortale *ex genere suo toto*, et in mortale *ex genere suo non toto*. Primum est illud, cujus objectum seu materia gravis est ex omni parte, et graviter semper dedecet naturam rationalem; quia scilicet pars quælibet semper continet gravem inordinationem, uti est odium Dei [1]. Secundum est illud, intra cujus materiam datur aliquid ex se grave et aliquid leve, aliquid nempe graviter et aliquid leviter inordinatum ac prohibitum. Hoc patet in furto, cujus materia esse potest gravis vel levis.

731. Q. 3. *An peccatum, quod est ex genere suo mortale, evadere possit aliquando veniale?*

R. Cum ad mortale requiratur materiæ gravitas, perfectus consensus, plena advertentia, sequitur mortale fieri veniale, si deficiat:

1. Ex *parte materiæ;* si enim parva est, tantummodo parvæ inordinationis est capax: nisi ipsa ex toto genere suo gravis sit; quia tunc in qualibet parte ejus gravis esset deformitas.

2. Ex *parte intellectus;* si nempe advertentia non sit, nisi imperfecta; nam pro modo cognitionis peccatum est. Imperfecta autem censebitur advertentia, cum is qui agit *vel* leviter apprehendit aliquid esse malum; *vel* post factum, re diligenter considerata, judicat se illud non fuisse facturum, si ita apprehendisset; *vel* vehementissima antecedenti passione, apprehensione aut distractione ita fuit perturbatus in agendo, ut ferme nesciverit quid perageret.

3. Ex *parte voluntatis;* si nempe ejus consensus non sit plenus ac perfecte liber; solo enim consensu voluntas nostra fit culpabilis. Consensus autem communiter censebitur imperfectus: — *a)* si agens opus peccaminosum non sit executus, licet de facili illud exequi potuisset; — *b)* si fuerit semidormiens, nec plene compos sui; — *c)* si soleat ita esse animo comparatus, ut potius mori velit, quam mortaliter peccare [2].

[1] Talia ordinarie judicantur *tum* ea, quæ directe sunt contra Deum, aut aliquam ejus perfectionem: ut peccata contra fidem, spem, charitatem; item blasphemia, perjurium. *Tum* ea, quæ gravissime nocerent humanæ dignitati, si admitterent temperamentum, ut peccata contra castitatem, circa quam, admissa semel levitate, ob nostram proclivitatem, omni turpitudini pateret locus. *Tum* ea, quæ in indivisibili consistunt: ut jejunium naturale in sumptione Eucharistiæ.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, nn. 53. et seqq.; et l. vi, n. 476; — Stapf, § 108.

732. Q. 4. *Quibus regulis cognoscitur peccatum esse mortale?*

R. Tres sunt regulæ præcipuæ a Theologis communiter admissæ.

Prima regula est, ut recurratur ad sacras Scripturas: *quæ sint levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio,* ait Augustinus [1]. Ea autem peccata existimanda sunt mortalia, quæ in sacris Literis dicuntur *digna morte* aut *excludere a Regno Cœlorum*, vel enunciantur cum adjuncta particula *væ*. Quia expressiones hujusmodi significant deformitatem actionis profecto gravem. Sic Apostolus loquens de homicidio, contentione, dolo, malignitate ait: *Qui talia agunt digni sunt morte;* loquens vero de operibus carnis ait: *quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria..., prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur* [2]. Ex Job: *Si impius fuero, væ mihi est* [3].

Secunda regula est, ut sacris Scripturis deficientibus, recurratur ad ss. Patres, ad Pontificum definitiones, atque Conciliorum generalium Decreta, si nempe in iis aliquod peccatum declaretur mortale, aut gravibus sit pœnis affectum. Ab iis enim post Deum regula morum repetenda est, qui positi sunt in Ecclesia sancta Dei Magistri atque Doctores.

Tertia regula est, ut consulantur Theologi doctrina et pietate insignes. Quæ porro ab ipsis unanimiter habentur mortalia, etiam a nobis sic erunt existimanda, secus non; non sentire enim quod ipsi, temeritatem sapit, cum talium consensus sit veritatis indicium. Namque Theologi, ut notat Martinet, in expositione sacræ doctrinæ Patribus successerunt [4].

Si adhuc res dubia sit, non facile damnemus de mortali, ne exponantur pœnitentes periculo peccandi mortaliter. Hinc si eo in casu confessarius a pœnitente interrogetur, an illa actio, illa cogitatio sit gravis, id unum dicat peccatum esse; at de illarum gravitate judicium se Deo remittere: ex quo fiet quod si pœnitens in eam culpam iterum labatur, probabiliter non peccet mortaliter *(G)*.

§ II. — *De peccato veniali.*

Ad veniale constituendum præter malitiam objectivam actus, requiritur advertentia mentis ad illam malitiam, et voluntatis consensus; repugnat enim peccari absque ulla cognitione peccati ac voluntate peccandi.

733. Q. 1. *An plura venialia possint constituere unum mortale?*

R. Peccata venialia, utcumque multiplicata, per se loquendo et ratione multiplicationis, nunquam possunt constituere peccatum

[1] *Enchir.*, c. LXXVII. [2] Rom. I; et Gal. V. [3] Cap. X.
[4] *Institut. Theol.*, vol. I, prolegomena, a. 1.

mortale; quia mortale constituitur in ordine altiori, et plura individua unius speciei non possunt constituere speciem aliam. Sic mille mendacia jocosa vel officiosa, sunt mille peccata venialia; sed ne unum quidem mortale conficiunt. Hinc Tridentinum docet venialia non esse de necessitate Confessionis, neque gratiam extinguere [1].

Diximus: *per se loquendo et ratione multiplicationis peccatorum;* nam si materiæ ipsorum venialium possunt in unum coalescere, ita ut fiat unum objectum grave relate ad idem præceptum, tunc peccatum fiet utique mortale; sed non per se et multiplicatione actuum venialium, bene vero quia ultimus actus, etsi in se levis, ob continuationem cum aliis complet materiam gravem, seu uniuntur actus ad unum producendum effectum graviter inordinatum. Sic plura parva furta constituunt tandem furtum mortale, at non quia sunt parva furta; sed quia materiæ parvorum furtorum coalescunt in unam notabilem materiam. Sic qui eodem die festo pluries per quadrantem, absque causa excusante, operi servili incumbit singulis vicibus peccat venialiter; sed ultima vice, si per hanc aliis unitam notabiliter vetiti laboris materiam compleat ad mortale sufficientem, peccat mortaliter.

734. Q. 2. *Quot modis peccatum ex se veniale evadit mortale?*

R. Cum peccatum ex genere suo veniale illud sit, quod ex se ac sine addito alienæ malitiæ semper est tale, uti superfluitas in lætitia; ideo patet illud evadere mortale tantum ratione adjunctorum, quæ novam malitiam tribuant. Quæ adjuncta notant versus:

Damnum, finis, amor, discrimen, spretus et error;
In mortale trahunt hæc veniale nefas.

1. *Ratione gravis damni* tam spiritualis, puta gravis scandali; quam temporalis proximo illati, uti si quis instrumentum parvi momenti auferendo in causa sit, cur artifex opus notabile perficere nequeat, aut in blasphemias erumpat. Etenim ob talem effectum gravem et prævisum actus graviter adversatur charitati et justitiæ.

2. *Ratione finis mortaliter mali*, si quis, v. g., ad seducendam puellam mendacium proferat officiosum; nam actus ex se participat de malitia sui effectus, et suam a fine speciem sumit. Non tamen necessarium est in Confessione exprimere illud mendacium, sed solam seductionem; quia, seclusa malitia mortalis finis, manet veniale; porro malitia illa mortalis jam panditur.

3. *Ratione mali affectus*, ut si quis rem venialiter malam (aut indifferentem) perficiens paratus animo sit eam facere, tametsi esset

[1] Sess. XIV, c. 5. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. v, nn. 52 et seqq.

mala mortaliter. Satis enim ostendit suam voluntatem in malum: et quantum in se est, jam illam præfert divinæ amicitiæ [1].

4. *Ratione periculi proximi* labendi in peccatum mortale: uti si quis ex conspectu mulieris, vel familiari cum eadem colloquio grave incurrat periculum labendi in turpia. Nam mortale est se exponere voluntarie proximo periculo peccandi mortaliter.

5. *Ratione contemptus formalis* legis vel superioris: ut si quis violet præceptum in re levi, ideo quia renuit subjici superiori uti superiori; contemptus redundat in Deum, a quo omnis potestas.

6. *Ratione conscientiæ erroneæ*, qua quis putat se peccare mortaliter; nam tunc ipse consentit in mortale apprehensum. Conscientia autem peccatum facit.

735. Q. 3. *Quid confessarius, ut pœnitentem liberet a venialibus?*

R. Duplex remedium Ascetici suppeditant: unum *curativum* mali præteriti; alterum *præservativum* mali futuri.

1m Consistit in detestatione peccati mortalis, quam sæpius in pœnitente debet confessarius excitare. Hæc quo magis fuerit viva et vehemens, eo erit simul efficacior ac potentior ad eliminanda venialia; cum ideo excitetur amor Dei.

2m Situm est in cognitione causarum, e quibus venialia proveniunt, ut eas extinguere valeat. Sic si confessarius videat nimium divitiarum amorem esse causam venialium, suo pœnitenti præscribat majores eleemosynas. Si nimiam ambitionem, præscribat fugam conversationum. Si nimiam divagationem in precibus ceterisque muniis, præscribat majorem collectionem et solitudinem, etc. [2].

Art. III. — *De distinctione numerica peccatorum, ac de peccato commissionis et omissionis.*

736. Q. 1. *Quando peccata distinguuntur seu multiplicantur numero?*

R. Peccata dicuntur distingui numero, quorum malitia multiplicatur, ita ut peccata numerari possint, v. g. duo, tria furta, etc. Peccatorum autem malitia multiplicatur ex duplici capite: 1) propter *repetitionem actus;* nam quilibet actus malus est peccaminosus: itaque multiplicatis actibus, multiplicantur etiam ipsa peccata; 2) propter *pluralitatem objectorum*, nam uno actu possumus velle diversa objecta mala, et contrahere eorum omnium malitiam, quæ ideo multiplex erit.

737. *Quomodo* (quæres) *multiplicantur numero peccata ob actuum repetitionem?*

1 Observandum autem est, quod etsi veniale evadere possit mortale, non ideo tamen confessarius de omnibus venialibus quæ audit, tenetur quoad hoc interrogare, quod esset importabile ac fastidiosum nimis; confessarius non de possibilibus, sed tantum de probabilibus curare debet, adeo ut interroget tantum de iis, quibus prudenter præsumit, pœnitentem suum defecisse.

2 *V.* Pinamonti, *Il Direttore* ecc., c. v; — Scaramelli, *Direttorio ascetico.*

R. 1: Quoad *actus externos* nulla difficultas: tot enim sunt peccata numero distincta, quot sunt actus externi completi; ideo qui diversis actibus plures occidit, tot committit homicidia numero distincta. Nam singuli illi actus in se terminantur et complentur; unde sunt totidem actus voluntatis distincti.

R. 2: Quoad actus vero mere *internos*, res ardua est; nam impossibile est nobis scire quot sint instantia in aliqua delectatione morosa, adeoque mathematice numerare quoties renovatum fuerit interne peccatum. Nos duplici tantum modo tunc apprehendimus multiplicari peccata:

1. Quando datur *interruptio moralis*, quæ contingit vel per *revocationem expressam;* hæc enim impedit ut actus posterior cum priore moraliter conjungatur, v. g. tibi complacebas in delectatione mala; actum displicentiæ elicis, sed postea ad eandem voluntarie redis; duplex commisisti peccatum. Vel per *cessationem voluntariam*, v. g. consilium furandi iniisti, sed postea ab illo proposito advertenter cessas, si dein illud renovas, novum patras peccatum diversum a primo; cum novum a primo non dependeat.

2. Quando datur *interruptio physica*, nempe quando prior actus, quin expresse revocetur, tamen nec formaliter nec virtualiter perseverat, et ideo necessaria est nova advertentia et novus actus voluntatis, ut redeas ad idem: hoc contigit quando post peccatum quis dormit aut multum distrahitur sive voluntarie sive involuntarie, et postea iterum redit ad peccatum. Nam hic reditus ad vomitum satis discriminatur a priori culpa, et non est cum illa connexa uti ejus causa vel effectus.

738. *Quomodo* (addes) *multiplicantur peccata ratione objecti?*

R. Multiplicantur peccata ratione objecti:

1. Quando in uno eodemque objecto multiplex est malitia specie diversa; nam tunc una malitia non est altera, et ideo habentur peccata numero multiplicata. Sic in uno parricidio duo sunt numero peccata, quia læditur tum virtus justitiæ quæ exigit ne vita proximum privemus ad quam jus habet; tum virtus pietatis quæ obligat ad non offendendos parentes.

2. Quando unus actus multa habet objecta materialia disparata, seu non coordinata suapte natura ad unum et idem [1]. Hinc qui uno actu decem occidit homines, decem committit homicidia; qui pluribus una vice scandalum præbet, plura committit peccata; qui uno verbo de tota communitate detrahit, tot committit injustitias quot

[1] Ita Navarrius, Lessius, Bonacina, Concina, ac fuse Salmanticenses (tract. VI, c. 8, n. 76; et tract. XX, c. 12, n. 41), ubi idipsum etiam ex ipso Jure canonico probant.

sunt personæ in communitate, quia unusquisque jus distinctum habet ad famam. Qui uno actu optat ad plures fœminas accedere, tanto magis qui eodem actu voluntatis perseverante pluries eandem fœminam cognoscit, pluries peccat; quælibet enim fornicatio habet suum terminum completum. Qui uno actu vult per plures dies Horas omittere vel jejunium (ad quæ tenetur), plura peccata admittit, quia singulis diebus est affixa propria obligatio. Et sacerdos in mortali tot committit sacrilegia quot absolutiones impertitur; quia profert tot judicia distincta [1].

Diximus: *non coordinata suapte natura ad unum et idem;* etenim si plura objecta sint coordinata in eundem finem, et in illa feratur voluntas uno impetu absque interruptione physica vel morali, commune est, unum tantum committi peccatum; quia omnia objecta concurrunt in finem, uti partes unius actus completi, vel (ut ait d. Thomas) *non habent rationem peccati, nisi secundum quod per unam voluntatem in perversum finem ordinantur* [2]. Ita si quis ad homicidium patrandum uno impetu emit arma, viam capit, quærit inimicum et occidit, unum peccatum hisce actibus committit, etsi pluries interim repetat occidendi voluntatem *(H)*.

739. Q. 2. *Quid de peccato commissionis et omissionis?*

R. Peccatum commissionis est *transgressio præcepti negativi*, fitque agendo quod prohibetur a lege, v. g. furtum patrando.

Peccatum omissionis est *transgressio præcepti positivi*, fitque omittendo quod a lege præcipitur, v. g. Missam die festo non audiendo. Ubi notamus, ad omissionem requiri actum positivum ac deliberatum voluntatis; voluntas enim est quæ peccat. Omittens tamen illud, ad quod quis tenetur, jam censetur moraliter facere contra id, quod ipse facere debet.

Inter se differunt specie peccata commissionis et omissionis, etiam cum eidem adversantur præcepto: quia adversantur diverso modo, seu diversis ejusdem virtutis officiis. Sic differunt specie inter se odium Dei et omissio actus amoris; ideoque qui Deum odisset, peccatum suum sufficienter non declararet dicendo, se contra charitatem divinam peccasse. Imo in hoc etiam differunt, quod peccatum commissionis ceteris paribus majorem habeat malitiam: est profecto gravius amplecti

[1] Qui negat uno actu plures fidei articulos, verius unum mortale tantum committit; sicut qui uno actu furatur eidem personæ magnam pecuniæ summam quæ sufficiat pluribus peccatis lethalibus committendis. Nam in hoc casu non habentur diversi actus externe completi; et objecta ipsa materialia, quamvis distincta physice, in unum moraliter colligantur, quia in una eademque re per unicum actum eandem personam lædunt; adeoque eorum multiplicitas est tantum circumstantia aggravans ratione quantitatis. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 48.

[2] S. Thomas, in 2, d. 41, q. 1, a. 1. — Ita siquis ad copulam consummandam præmittit oscula, verba, etc., uno dumtaxat peccato gravatur; itaque tunc sufficit dicere, se copulam commisisse. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 40.

objectum malum, quam bono non adhærere: v. g. gravius est odisse Deum, quam actum charitatis in Deum non elicere [1].

740. *Quid* (quæres) *de actibus, qui junguntur omissioni culpabili?*

R. Actus conjungi potest omissioni culpabili vel eam causando, vel eam tantummodo concomitando.

a) Si actus concomitanter tantum se habet ad omissionem, quamvis ille sit cum præcepto incompossibilis; attamen nisi aliunde sit malus, nil de pravitate omissionis contrahit, quia ad illam nullimode impellit: unde non est declarandus. Sic qui firmiter statuit omittere Sacrum, si postea tempore Sacri studet, puta ne otiosus remaneat, satis est si declaret omissionem Sacri; nam studium non participat de mala omissione, cum in eam non influxerit: imo supposita mala voluntate, tempus illud, ne otiosum sit recte impenditur in studio.

b) Quando actus est causa omissionis culpabilis, tunc si actus ille in se est bonus, solam malitiam contrahit omissionis; cum nulli alteri præcepto adversetur præter illud, cui opponitur omissio. Unde in Confessione sufficit omissionem declarare: ita qui Sacrum festo die causa studendi omiserit, satis est, si dicat, se Missam sine sufficienti ratione omisisse. Si vero ille actus est ex objecto malus, tunc duplex in omissione pravitas: alia ipsius omissionis, alia causæ; et utraque aperienda est. Sic qui ad furandum Missam omisit, utramque malitiam et omissionis Sacri et furti tenetur confiteri.

741. Q. 3. *Quandonam peccatum omissionis incipit imputari?*

R. Incipit imputari illo temporis puncto, quo advertenter ponitur illius causa, etsi omissio non sequatur, ut recte docent cum Angelico [2]; quia qui ponit causam omissionis, jam interpretative vult omissionem ipsam. Hinc qui vult jocare vel se inebriare, etsi prævideat, se ideo esse Sacrum in festo omissurum, talis omissionis statim reus sit, etsi postea Sacrum audiat. Si tamen peccaminosa omissio reapse sequatur, aperienda erit in Confessione cum ipsa causa (si hæc suam habeat malitiam propriam); nam actus mali externati sunt de necessitate Confessionis [3].

Sed (dices) *quid si quis de sua mala voluntate doleat, sed non amplius habeat potestatem ejus effectum impediendi? ut si quis projiciat Breviarium in mare, et postea se vere pœniteat; sed amplius Breviarum habere non possit, quo Officium recitet?*

[1] Alii cum d. Thoma (1, 2, q. 72, a. 6) negant specie differre omissionem et commissionem, si eidem præcepto adversentur, et ex eodem motivo; nam peccata, sicuti et ceteri actus humani, habent suam speciem a fine. Attamen adhuc in hac sententia sunt seorsim confitenda; quia semper se habent uti partes integrales, ex quibus constituitur adæquate una species moralis. — *V.* Billuart, *De peccatis*, art. 3.

[2] 2, 2, q. 79, a. 5. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. III, n. 45.

[3] Neque obstat, si tempore quo omissio contingit, voluntas facta fuerit impotens ad illam vitandam; etenim effectus jam fuit sufficienter voluntarius in causa: et talis est fidelium praxis: sicque et peccati gravitas et illius consectaria aperiuntur. Hinc qui se inebriat prævidens tempore ebrietatis se omissurum Sacrum, tenebitur tam causam, quam illius effectum aperire, id est et ebrietatem et omissionem Sacri. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 149; et l. V, n. 10.

Verius cum d. Thoma dicunt, talem peccasse, ac statim tot peccata commisisse, quot prævidit omissiones ex tali Breviarii projectione: illas igitur debet confiteri; nam illis præstitit consensum, cum causam posuit. Si tamen postea de hoc vere doleat, non tenetur (uti plures cum Alasia tuentur) confiteri omissiones illas revera secutas esse; nam illæ non amplius sunt peccata in se spectatæ, cum retractatæ fuerint [1]. Neque ex tunc tenetur ad restituendos fructus Beneficii, nam per retractationem subsequens Horarum canonicarum omissio non est amplius illi culpabilis.

742. Q. 4. *Quid de peccatis internis et externis?*

R. Peccata *interna* sunt quæ tantum corde patrantur; *externa* quæ etiam externo opere complentur. Inter peccata autem interna (quæ *pravi affectus* appellantur) distinguuntur *desiderium*, *gaudium* ac *delectatio;* hoc enim triplici modo quis animo peccare potest. Quæ quidem tria diversa sunt, cum actum diverso modo attingant; et ideo ea, uti in se sunt, in Confessione aperienda erunt.

Essentialiter non differunt peccata interna ab externis quoad malitiam; nam peccatum externum totam suam imputabilitatem sumit ab interno, et est ipsius peccati interni complementum. Unde Augustinus ait: *quidquid vis et non potes, factum Deus computat* [2], nempe voluntas pro facto reputatur. Ex his colligitur peccata interna, sive omnes pravos affectus esse vera et completa peccata. Hinc sacra Scriptura ea graviter damnat: *abominatio Domini cogitationes malæ* [3], quibus nempe assentimur. Sane omnis affectus peccaminosus circa aliquod graviter malum, graviter disconvenit rationali naturæ.

Neque ad peccatum requiritur efficax consensus in opus; alioquin approbans alterius peccatum, non peccaret *(I)*.

743. Q. 5. *An liceat actionem ponere, ex qua quis prævidet, malas cogitationes aut pravos concupiscentiæ motus se esse passurum?*

R. Si adest causa et actio est honesta, non peccat qui eam ponit, secluso periculo consensus; quia tunc utitur jure suo, et tentationes inde exurgentes ac motus utpote non intenti, non censentur voluntarii. Si aliter esset, plures deberent suum officium relinquere, quod nimis grave est: hinc non peccant confessarii, chirurgi et similes, qui in sui muneris exercitio pravas patiuntur cogitationes vel motus, modo ab eorum consensu caveant.

Quod si nulla legitima adest causa, sed actio illa ex levitate tantum fieret, esset mortale peccatum illam ponere, si proximam contineret dispositionem ad turpes motus, vel pravas cogitationes, indeque

[1] Si peccato consummato annexa sit censura, et quis, antequam effectus sequatur, se retractaret, etsi esset reus effectus præcogniti, non tamen incurreret censuram, si tali omissioni sit imposita; quia censura requirit contumaciam eodem temporis momento, quo peccatum consummatur. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. III, n. 45.
[2] In Ps. LVII. — Viva, in prop. 25 Alexandri VII solide hanc veritatem tuetur.
[3] Prov. XV. — *V.* Antoine, *De Actibus;* dissert. procem., a. 2.

proximum iis consentiendi periculum; nam qui vult causam, vult etiam effectum. Verum siquis actionem illam ponendo nec tales pravos motus intenderet nec adesset in eo periculum consensus, in plurium sententia venialiter tantum peccaret; hi namque motus in humanæ vitæ negotiis, utcumque honestis, frequenter oriri solent: unde non videntur sat voluntarii in causa; secus omnis vel honesta conversatio esset fugienda *(J)*.

744. *Quid* (quæres) *si pœnitens dubitet, an pravis cogitationibus consenserit necne?*

R. Sequentes regulas tradunt Theologi:

1. Præsumendum est pœnitentem non consensisse, si agatur de eo, qui Deum timet et abhorret ab illis peccatis. E contrario peccatis assuetus, aut parum abhorrens a peccato præsumi potest vere consensisse; in dubio enim prudens præsumptio petitur ex communiter contingentibus. Communiter autem contingit, ut vir pius non consentiat, quin dignoscat se revera peccato consentire; vir autem pravus non resistat peccato sine pugna, quæ quidem tollit dubium circa consensum, aut dissensum.

2. Qui dubitat vigilans ne an dormiens, sui compos an non quidpiam fecerit, judicatur non sat advertisse nec consensisse; qui enim vigilat, satis sentit se vigilare.

3. Siquis ubi primum reflectit ad pravas cogitationes aut motus statim sentiat dolorem, tristitiam, aversionem, horrorem, prudenter præsumitur in dubio non consensisse. At notandum quod sola pravæ cogitationis continuatio non est indicium consensus; cum diuturna esse possit et tentatio et resistentia.

4. Si ætatis defectus adsit, puta si septennium nondum sit completum, tunc perfecta saltem advertentia et plenus consensus non præsumitur, nisi malitia certo suppleat ætatem [1].

745. Q. 6. *In quo differunt desiderium, gaudium et delectatio?*

R. In hoc differunt desiderium, gaudium et delectatio:

Desiderium respicit tempus futurum; et est actus voluntatis, quo quis deliberate cupit opus determinatum perficere. Dicitur efficax, quando quis media suscipit ad opus illud perficiendum: inefficax, si non proponit opus perficere; sed illud esset perfecturus, si posset, ut si quis diceret: *rem istam furto libenter mihi comparem si possem.*

Gaudium e contrario seu *complacentia* respicit tempus præteritum: et est cum quis de malo opere patrato sibi blanditur, et illud quodammodo approbat. Huc revocatur displicentia, malum data occasione non fecisse, v. g. puellam non seduxisse, advertendo se illam tunc facile seducere potuisse.

Delectatio respicit tempus præsens: et in re nostra habetur, quando quis per imaginationem reddit sibi præsens objectum pec-

1 *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. v, n. 63; et *Homo Apost.*, tract. III, n. 69.

cati, et de illo delectatur deliberato consensu, ac si opus actu perficeret; quin tamen habeat desiderium illud reapse perficiendi. Ut siquis fingens se fornicari, in tali actu sibi præsentato delectetur, quin illum intendat perficere. Delectatio hæc dicitur *morosa*, non quidem a temporis mora, cum etiam uno temporis puncto perfici possit; sed eo quod voluntas nostra post plenam advertentiam in ea immoratur [1].

746. Q. 7. *An et quale peccatum est desiderium operis mali?*

R. Quodlibet desiderium rei vel actionis malæ, licet inefficax, peccatum est, utpote prohibitum nono et decimo Decalogi præcepto: *non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt* [2]. Sane turpe est desiderare aliquid turpe et illicitum.

Malum autem desiderium est peccatum ejusdem speciei atque malitiæ, cujus est opus ipsum, in quod desiderium fertur. Id constat ex his Christi verbis: *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* [3]. Ipsa ratio suadet; quia actus internus suam sumit malitiam ab objecto, in quod voluntarie fertur. Quare desiderium etiamsi inefficax furandi rem gravem, occidendi vel fornicandi, erit peccatum grave furti, homicidii vel fornicationis: ideo in Confessione omnia desideria sunt distincte aperienda. Non ergo sufficit, ut pœnitens dicat generatim se impura desideria habuisse; sed debet specificare quid desideraverit, an copulam, an solum tactus vel aspectus; an cum persona in genere, et cujus sexus; et quæ? an libera, an matrimonio aut castitate detenta, vel consanguinitate aut affinitate sibi ligata, etc.

747. *Quid* (quæres) *dicendum de illo, qui vult quidem objectum graviter malum, sed sub conditione*, si liceret?

R. Si illa conditio, *si liceret*, non aufert ab objecto malitiam, erit graviter peccaminosa tum volitio tum delectatio, etiamsi conditionata; quia est plenus et voluntarius consensus in objectum graviter malum. Hoc maxime evenit in iis quæ intrinsece mala sunt, a quibus nulla posita conditio potest sejungere malitiam objecti, ut si dicas: *peccarem si non esset infernus, occiderem inimicum si ensem haberem, fornicarer si non essem religiosus;* est certum apud omnes. Idem docent Sanchez, Sporer, Layman et Azorius de hisce conditionatis desideriis: *si non esset peccatum vellem blasphemare, pejerare, luxuriose vivere, ulcisci*, etc.; hæc enim in nulla hypothesi a peccato

1 Juxta alios delectatio *morosa* idem est ac delectatio *mentis*.
2 Exodi, xx. 3 Matth. v.

immunia esse possunt [1]. Item recte dicunt, si optares, ut mala quæ intrinsece mala sunt, non essent prohibita; quia per se malum est velle inverti ordinem et legem naturæ.

Si vero conditio auferret malitiam ab objecto, tunc non peccaret saltem graviter, qui illud optat sub conditione, *si liceret:* quod accidere potest non solum in vetitis de Jure positivo, ut si diceres: *ederem carnes in quadragesima, nisi Ecclesia prohiberet;* sed etiam in vetitis de Jure naturali, casu quo objectum evadere possit licitum, nempe dicendo: *si Deus permitteret, vellem rem illam Titii auferre.*

Diximus: *saltem graviter;* nam ordinarie hujusmodi desideria non excusantur a peccato veniali, cum communiter sint periculosa, aut saltem otiosa.

748. Q. 8. *An, et quale peccatum est complacentia de re mala?*

R. Gaudium (seu complacentia) de malo, malum est; cum includat illius approbationem. Adde: omnis virtus exigit, ut non contemnatur: illam autem contemnunt qui de illius violatione gloriantur, et tales sunt *qui lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis* [2].

Hæc complacentia comprehendit totam malitiam objecti et omnes ejus species; cum secundum se tota in illud feratur. Unde qui sibi complacet de copula habita cum conjugata, de novo adulterium committit; quia tunc voluntas complectitur totum objectum pravum cum omnibus circumstantiis, nec ab illis præscindere potest. Item qui gaudet de copula sodomitica, committit sodomiam. Hinc qui se jactat de peccato patrato, regulariter explicare debet in Confessione omnes species; quia se jactando ut plurimum adjungit ad jactantiæ scandali, atque ad peccatum, etiam complacentiam de peccato commisso [3].

749. Q. 9. *An, et quale peccatum est delectatio de re mala?*

R. Certum est delectationem deliberatam de objecto graviter malo esse peccatum mortale; quia graviter dedecet naturam rationalem: uti si quis in deliciis habeat, quod Deus graviter offendatur; *perversæ enim cogitationes separant a Deo*, ait Scriptura [4].

In probabiliori sententia delectatio morosa suam speciem sumit a qualitate objecti, quod sibi imaginatione repræsentat; non obstante enim quacumque præcisione a mente facta, videtur ferme impossi-

[1] At satis probabiliter dicunt Bonacina, Valentia, Suarez et alii, quod cum voluntas desiderat aliquod objectum malum impossibile sub conditione, *si liceret*, revera non consentit efficaciter in illud; quando enim objectum tu optas, dicendo, *si liceret*, et scis nec esse nec posse esse licitum, non vere optas; sed tantum tuam propensionem ostendis; quod (ut dicunt) non videtur mortale. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. v, n. 13; et *Homo Apost.*, tract. IX, n. 10.

[2] Prov. II. [3] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. IX, n. 9. [4] Sap. I.

bile, ut delectatio non complectatur objectum ut tale, et cognitum totum prout est. Hinc d. Thomas: *Delectatio alicujus operationis et ipsa operatio ad idem genus peccati reducuntur; sicut et operatio virtutis et delectatio de eadem ad eandem virtutem* [1]. Quare qui delectatur de objecto graviter malo, debet in Confessione aperire circumstantiam specialem illius objecti, in quod sua mala delectatio ferebatur; v. g. in materia iræ, an fuerit de occidendo fratre an alio, uno an pluribus; in materia luxuriæ, an de conjugata, moniali, consanguinea, delectationem habuerit *(K)*.

750. *Quid* (dices) *siquis delectetur non jam de re ipsa mala, sed de simplici cognitione, vel lectione, vel cogitatione rei malæ?*

R. Delectatio de cogitatione rei malæ, quæ tunc habetur quando non opus, sed cogitatio de opere illo est per se objectum delectationis, potest esse vel *bona*, si nempe adsit justa causa cogitandi, v. g. causa studii, consultationis abominando tamen objectum. Vel *mala*, et quidem venialiter tantum, si id fiat ex mera curiositate absque periculo consensus in objectum malum. Lethaliter vero, si proximum consensus periculum adsit: quod quidem eruitur ex modo rem cognoscendi aut legendi, ex qualitate personæ quæ legit, vel materiæ quæ legitur. Ita communiter cum d. Thoma qui ait: *Aliquis de fornicatione cogitans, de duobus potest delectari: uno modo de ipsa cogitatione, alio modo de ipsa fornicatione cogitata...; cogitatio autem ipsa secundum se non est peccatum mortale, imo quandoque est veniale tantum, puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea; quandoque autem sine peccato omnino, puta cum aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea prædicare vel disputare*, etc. [2].

751. *An* (quæres) *licita sit delectatio de modo malæ operationis?*

R. Si modus per se malus est, aut cum periculo gaudendi etiam de ipso objecto malo, v. g. siquis utatur fraudibus atque mendaciis ad seducendam puellam, clare patet delectationem de modo illo esse ex se malam; quia ejusdem objectum malum est.

Si vero modus ille talis non est, delectatio nequit mala esse; præcisus enim a malo opere, modus malus non est. Neque peccare dixeris hominem ridentem de modo quo ebrius pede ob vinum vacillante procedit, vel de modo subtili et artificioso, quo quis v. g. usus est ad furtum. Hoc sensu *laudavit Dominus villicum iniquitatis* [3].

752. Q. 10. *An licitum sit gaudere de ipso opere malo ob bonum effectum inde secutum?*

1 Q. 15 *de verit.*, a. 4. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 28.
2 1, 2, q. 74, a. 8. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 17.
3 Lucæ, xvi. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 18; *Homo Apost.*, tract. iii, n. 49.

R. Cum quis dicitur gaudere de opere malo, quatenus illud est causa boni, dupliciter potest intelligi. Primo quod ob bonum effectum secutum gaudeat, illud opus evenisse; et hoc omnino est illicitum, si illud opus erat intrinsece peccatum; quia hoc est approbare ipsum peccatum et illius habere complacentiam. Hinc Innocentius XI damnavit hanc (sub n. 15) propositionem: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.* — Secundo potest intelligi, quod gaudeat illud opus pravum, talem effectum bonum habuisse, et hoc sensu licet gaudere; non enim gaudemus illud opus malum factum esse; sed supposito quod factum sit, gaudemus quod boni effectus causam dederit. Vere enim gaudio dignum est, quod divina bonitate etiam ex pessimis operibus maxima bona proveniant. Hoc sensu Ecclesia gaudet de Redemptione per Christum Dominum secuta ex Adami peccato exclamans: *Oh felix culpa, quæ talem meruit habere Redemptorem* [1]!

753. *An* (quæres) *liceat delectari de re, quæ actu est mala quia prohibita; sed tractu temporis erit bona, cessante prohibitione?*

Negative; nam delectatio reddit objectum sibi præsens, et ideo mala est, cum actu desit conditio illud cohonestans. Sic nefas erit sponso, nondum celebrato matrimonio, delectari de ejusdem usu; nam matrimonium est tantum in spe, delectatio esset in re [2].

Art. IV. — *De peccati actualis effectibus.*

754. Q. 1. *Quinam sunt effectus peccati mortalis?*

R. Præcipui effectus peccati mortalis sunt:

1. *Gravis offensa Dei*, quem vehementer provocat; peccator enim Dei voluntati contumaciter reluctans, si non verbis, facto dicit: *non*

[1] Atque hinc solutio quæstionis: *an liceat gaudere de pollutione in somnis habita?* Alii dicunt peccatum esse si pollutio propter delectationem placeat; secus vero si placeat ut est naturæ exoneratio vel alleviatio, etsi evenerit ex tactu in somnis. Alii tamen cum s. Alphonso, distinguunt; docent non esse peccatum si pollutio evenerit naturaliter a natura; non vero si evenerit ex tactu seu turpi somnio, quia cum eo in casu pollutio in se sit objective mala, non licet de ea gaudere neque quatenus est naturæ exoneratio. — Liguori, *Op. Mor.*, l. v, nn. 20 et 27.

[2] « Aliud est, ait Roncaglia, si sponsus desiderat simpliciter copulam futuram cum sponsa, quando sibi erit uxor; quia tunc optat rem ad tempus, quo revera illa sibi licita erit. Sed hoc non obstante ego subjungo (ait s. Alphonsus, *Homo Apost.*, tract. III, n. 51), quod per hujusmodi desideria, cum quis moratur in iis cogitationibus, magnum subest periculum delectationis præsentis; ideoque debet confessarius omnino prohibere, ne sponsi in hujusmodi desideriis morentur. » Addunt tamen quod plerumque sponsi et vidui sunt in bona fide non putantes esse mortale delectari de objecto licito, ut est copula in matrimonio, et ideo confessarius prudenter tacebit de peccato mortali, nisi ex illa complacentia videret sequi pollutionem.

Quia tamen hæc delectatio ingens periculum includit labendi in mortali, curandum, ut quam citissime, sponsalibus initis, matrimonium celebretur; ne sponsi in illa facili peccandi occasione relinquantur.

serviam [1]. Hinc docet Angelicus peccatum habere *quandam infinitatem malitiæ ex infinitate divinæ Majestatis* [2].

2. *Jactura gratiæ sanctificantis:* gratia nobis tribuit, *ut filii Dei nominemur et simus* [3]: hac porro per mortale expoliamur, nam per illud efficimur inimici Dei et filii diaboli. Hinc Tridentinum: *Asserendum est non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides acceptam, justificationis gratiam amitti* [4].

3. *Fœdissima animæ macula.* Hanc peccato induci est de fide. Id constat ex Scriptura, ubi de Jerusalem peccatrice dicitur: *maculata es in iniquitate tua* [5]; et Tridentinum ait, hominem fieri *inquinatum per inobedientiæ peccatum* [6]. Unde patet aliquid relinqui in anima peccatoris ad modum vulneris, quod licet uno ictu fiat, relinquit tamen in corpore deformitatem. Quæ deformitas non solum consistit in privatione gratiæ sanctificantis quæ animam spoliat divino decore; verum etiam in ipso peccati actu, qui quamvis physice transierit, perseverat tamen moraliter in ordine ad reddendam animam Deo odibilem: quod quidem est ipsum peccatum mortale habituale.

4. *Amissio meritorum omnium*, quæ in statu gratiæ anima jam sibi comparaverat: mortale hæc omnia prædatur; legitur enim de peccatore: *omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur* [7]. Itemque inhabilitas, perdurante statu peccati, ad nova merita acquirenda in ordine ad vitam æternam; quia, ut ait d. Augustinus, *ubi deest charitas, nihil est quod prosit ad gloriam* [8].

5. *Angor spiritus* et *cordis perturbatio;* sic enim habet Job: *cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Et David: *Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt* [9]. Et d. Augustinus: *fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in* [10].

6. *Pœnæ reatus:* id est obligatio subeundæ pœnæ proprio peccato debitæ; æquum est enim, ut qui ordinem violavit, ab ordinis Auctore puniatur. Hæc pœna pro peccatis duplex est: una quæ solvitur in præsenti vita, uti sunt diversa morborum genera, ærumnæ,

1 Jer. II. 2 P. III, q. 2, a. 2. 3 1, Joann. III.
4 Sess. VI, cap. 15. — *V.* Boudrand, *L'anima elevata a Dio*, t. I, lez. 8ª e 18ª: ubi et gravissima peccati vulnera, et excellentes divinæ gratiæ dotes vivide expressit.
5 Jer. II. — *V.* Bellarminus, *De amiss. gratiæ et statu peccati*, lib. I, c. 4.
6 Sess. V, can. 2. — Differt macula a reatu pœnæ quæ maculam jam supponit; differt ab inclinatione ad malum, quæ remanet adhuc, sublata macula. Juxta Angelicum (1, 2, q. 86, a. 1) consistit in privatione illius nitoris, qui exurgit ex debita conformitate facultatum animæ ad legem atque ad Deum.
7 Ezech. XVIII. 8 *De Verbis Domini.*
9 Job, LVII; Ps. XIII. 10 Liber *Confessionum.*

afflictiones, etc. [1]. Alia persolvenda in vita futura, vel temporanea in purgatorio, si peccatum fuerit quidem deletum quoad culpam, sed non totaliter quoad pœnam; vel æterna in inferno, si peccatum non fuerit deletum quoad culpam.

Peccatum mortale inducere reatum pœnæ æternæ, de fide est contra Origenistas et Socinianos, quibus adhærent increduli, et nonnulli ex protestantibus. Sane Christus sic reprobos alloquitur: *discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus* [2]. Quare Augustinus: *Quia vita Sanctorum sine fine erit, supplicium quoque æternum finem procul dubio non habebit* [3]. Et Gregorius M.: *Quia pius est* (Deus), *miserorum cruciatu non pascitur; quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur* [4]. Id definitum est contra Origenistas in Constantinopolitano II *(L)*.

Hinc versus:

Provocat, expoliat, fœdat, prædatur et angit,
Pœnæque æternæ gravis affert noxa reatum.

755. *An* (quæres) *unum peccatum possit esse pœna alterius?*

R. Per se unum peccatum non est pœna alterius; cum peccatum a libera hominis voluntate proficiscatur. Poterit esse per accidens, quatenus Deus in illius pœnam auxilia subtrahit, quibus homo destitutus in peccata alia voluntarie labitur. Hinc in pœnam superbiæ gentiles *tradidit Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam* [5].

756. Q. 2. *Quinam sunt effectus peccati venialis?*

R. Sex maxime numerantur effectus, nempe veniale:

1. *Deum offendit:* quo sensu veniale est aliquid pejus omnibus mundi malis, etiam collectim sumptis, ipsa etiam morte, ipso etiam inferno, prout infernus est mera pœna. Nam hæc omnia sunt mala creaturæ; peccatum vero veniale malum Dei est, quatenus ipsum offendit, etsi ejus gratiam non extinguat.

2. *Minuit animæ pulcritudinem* et *charitatis fervorem:* sit quidem levis nebula, at quælibet nebula aliquantisper lucem impedit.

3. *Minuit timorem Dei* ex una parte, ex altera auget *animi teporem:* homo juxta viam quam semel elegit, facile progreditur.

4. *Impedit gratias speciales*, nosque reddit indignos peculiari illo Dei affectu, quo ipse prosequitur justos in amore suo ferventes juxta illud: *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* [6].

5. *Inducit reatum pœnæ* temporalis subeundæ in hac vel in altera vita: æquitas sane postulat, ut quilibet reus puniatur.

6. *Disponit ad mortale*, præsertim si ex habitu committatur in eadem materia; scriptum est enim: *qui spernit modica, paullatim*

[1] Deum etiam in hac vita punire peccata constat ex diluvio, ex Sodomæ incensione, ex historia Davidis. Hinc Prov. XIV: *miseros facit populos peccatum.*
[2] Matth. XXV. [3] L. XXI *De Civ. Dei*, c. 23. [4] L. IV, *Mor.*, c. 19.
[5] Rom. I. — *V.* Billuart, Dens, Knoll, etc.
[6] Matth. VII. — *V.* Segneri, *Il Cristiano istruito*, p. 2ª, Rag. XXII; — Belleccio, *Exercitia spiritualia* etc. *De peccato veniali;* — Boudrand, Rodriguez, etc.

decidet [1]. *A minimis incipiunt qui ad maxima proruunt* [2]. Igitur periculose nimis negliguntur venialia, maxime ab iis, qui ad majorem tenentur perfectionem, uti sunt religiosi, sacerdotes, et adolescentes ministerio ecclesiastico proludentes. — Hinc versus:

Offendit Dominum; decus, imminuitque timorem;
Subtrahit auxilia; ad pœnam et mortalia ducit [3].

DISPUTATIO SECUNDA

DE PECCATIS IN SPECIE SEU DE VITIIS CAPITALIBUS.

757. Q. *Quot sunt vitia capitalia?*

R. Vitia capitalia septem enumerat Angelicus; et sunt: *superbia, avaritia, luxuria, gula, ira, invidia* et *acedia* [4]. Dicuntur *capitalia*, non quia sint ceterorum peccatorum gravissima, vel semper mortalia; sed quia sunt specialia peccata, aliorum causa, fons, caput et principium. Gregorius Magnus ea nuncupabat: *exercitum diaboli, cui superbia dominatur tanquam regina.*

Horum autem peccatorum duo dicuntur *carnalia*, nempe *gula* quæ perficitur in delectatione ciborum, et *luxuria* quæ perficitur in delectatione venereorum; cetera vero *spiritualia*, cum perficiantur in delectatione spirituali. Quod si peccata carnalia sint minoris culpæ, sunt tamen majoris infamiæ; *minoris culpæ*, quia non important directam aversionem a fine; *majoris infamiæ*, quia includunt majorem indecentiam ex parte peccantis.

CAPUT PRIMUM

DE SUPERBIA ET AVARITIA.

758. Q. 1. *Quid est superbia?*

R. Superbia definitur a s. Thoma: *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ* [5]. Nomine *appetitus* intelligitur amor, desiderium et complacentia. Sic autem dicitur, quasi tendens *supra id quod est.*

1 Eccli. XIX. 2 S. Gregorius M.

3 Vel in ipso veniali peccato adest *macula*, at non per privationem gratiæ sanctificantis, sed tantum per imminutionem fervoris charitatis, ut ait idem Angelicus *in* 4, *d.* 16, *q.* 2, *a.* 2. It. veniale *physice commissum* moraliter perseverat, non jam reddendo animam Deo odibilem, sed minus gratam.

4 1, 2, q. 83 et 84, a. 4. — *V.* s. Bonaventura, *De pugna contra septem vitia capit.* — P. Ludovicus Granatensis, *Dux peccatorum* (opus a Benedicto XIII commendatum). — Toletus, *Instructio Sacerdotum ac de septem peccatis mortalibus;* — *Traité sur les sept péchés capitaux.* — Liguori, *Opus Mor.*, l. v, nn. 65 et seqq.

5 2, 2, q. 162, a. 2.

Est autem superbia peccatum ex genere suo mortale; superbi enim ab Apostolo inter illos enumerantur *qui digni sunt morte* [1].

Est peccatum omnium primum ratione finis et ex parte intentionis (quatenus nempe homo omnia, vel ipsa temporalia appetat, ut præ omnibus excellat); hinc illud: *initium omnis peccati est superbia* [2].

Est peccatum omnium maximum, ex parte maximæ aversionis a Deo [3]. Item ceteris periculosius; tum quia, dicente s. Gregorio, *alia vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut videlicet ira patientiam...; superbia autem quasi generalis et pestiferus morbus corpus omnium virtutum corrumpit* [4]; tum quia, este Augustino, *alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant; superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant* [5].

759. Superbia dividitur in perfectam, et in imperfectam.

Perfecta committitur: 1) quando quis præ superbia recusat Deo propriam dependentiam etiam in re minima; 2) quando quis putat bona quæ habet, vel a se ipso habere, vel a Deo meritis propriis fuisse debita; 3) quando finis ultimus ponitur in propria excellentia; vel propria excellentia in rebus graviter malis constituitur, aut quæritur in illis. Porro superbia perfecta est semper mortalis; cum semper adversetur graviter Dei charitati, honori et præcellentiæ.

Imperfecta vero committitur, quando quis sine Dei aliorumque contemptu, et quin superioribus subjici recuset, *vel* plus æquo se extollit, *vel* in propria et de propria excellentia nimis sibi placet. Hæc superbia non est, nisi venialis; quia non est graviter inordinata, neque graviter repugnat charitati.

760. Q. 2. *Quænam sunt superbiæ filiæ?*

R. Superbia mater est fœcundissima peccatorum: *ista mater nescit esse sterilis*, sic de superbia Augustinus; *sed ubi fuerit, continuo parit.* Præcipuæ ejus filiæ sunt:

a) Præsumptio, quæ est inordinata cupiditas aliquid faciendi proprias vires excedens: est lethalis, tum ratione gravis damni proximo illati, ut si quis præsumeret exercere officium confessarii, medici, advocati sine sufficienti scientia; tum ratione gravis injuriæ, uti illa Luciferi: *ascendam. .., similis ero Altissimo* [6].

b) Ambitio, quæ est inordinata cupiditas honoris, potentiæ vel dignitatis. Est mortalis: 1) *ratione damni*, ut si quis alterum longe se digniorem arcendo a dignitatis consecutione, ipse illam consequatur cum gravi honoris divini, vel proximi detrimento; 2) *ratione modi*, ut si quis honores velit adipisci per simoniam, fraudem, detractionem, etc.

c) Vanagloria, quæ est inordinata cupiditas humanæ æstimationis ac laudis. *Inordinata;* nam appetitus gloriæ per se pravus non est, cum dicat Dominus: *luceat lux vestra coram hominibus* [7]. Imo ex Angelico neque inordinata per se mortalis est; at periculosa, quia disponit ad gravia peccata, *in quantum scilicet per inanem gloriam redditur homo præsumptuosus, et nimis de se ipso confidens* [8] *(M).*

[1] Rom. I. [2] Eccli. X.
[3] S. Thomas, 2, 2, q. 169, a. 6.
[4] L. XXXIV, *Moral.*, c. 17. — *V.* Ferraris; V. *Superbia.*
[5] Epist. CCXI. — Quare justi maxime invigilent (cum eos præsertim superbia aggredi soleat), postquam et Angelum et primum hominem vicerit. — *V.* Balmes, *Il criterio*, c. XXII, n. 19. — Martinet, *Filosofia del catechismo cattolico*, l. IV, c. 3.
[6] Isaiæ, XIV. [7] Matth. V. [8] 2, 2, q. 132, a. 3.

Huc faciunt versus:

Præsumens proprios excessit Lucifer orbes;
Deordinatos ambitio poscit honores;
Laxatis frænis se gloria jactat inanis.

761. Q. 3. *Quænam sunt superbiæ remedia?*

R. Superbiæ, ejusque filiarum remedia præcipua sunt:

1. Humilitatem frequenter a Deo expostulare, *qui est dives in omnes, qui invocant illum* [1]. Hinc frequenter usurpandum illud Augustini: *amove a me, Domine, spiritum superbiæ; concede mihi thesaurum humilitatis.* Item frequens nobis sit illud Psalmistæ: *non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.*

2. Proprium nihilum et innumeras corporis et animi miserias ante oculos indesinenter habere: *quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* [2]?

3. Pœnas superbiæ et præmia humilitatis meditari: nam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* [3]. *Qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* [4].

4. Mente agitare exempla Christi Jesu qui *semetipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* [5].

5. Actus tam internos, quam externos humilitatis frequenter exercere; contraria enim contrariis curantur [6]. — Hinc versus:

Ora; te, pœnas, Christum meditare; retunde.

762. Q. 4. *Quid avaritia, quale peccatum et quæ ejus remedia?*

R. Avaritia (sic dicta ab Isidoro quasi *æris aviditas*, quia pecunia omnia valet comparare) definitur: *inordinatus amor divitiarum*, seu rerum quæ pecunia æstimantur, ut ager, domus, etc. Qui nimius amor tam potest esse erga illa, quæ jam possidentur, iis nimium adhærendo; quam ergo illa, quæ nondum habentur, ea nimia cupiditate inquirendo. Unde etiam egentes possunt esse avari; quia si carent facultate, possunt ardere cupiditate.

Est avaritia speciale peccatum; cum habeat speciale objectum, nempe bona fortunæ. — Peccatum capitale; cum plurima alia ex illo oriantur; hinc Apostolus: *radix omnium peccatorum est cupiditas* [7]; sane videmus quod per divitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcumque peccatum; unde cupiditas est peccatorum radix ex parte executionis. — Est etiam peccatum hoc sensu aliis periculosius: tum quia alia vitia in senectute vires amittunt, avaritia

[1] Rom. x. [2] 1, Cor. iv.
[3] Jac. iv; et 1, Petr. v.
[4] Matth. xxiii. [5] Phil. ii.
[6] *V.* Pinamonti, *Lo Specchio che non inganna* ecc.
[7] 1, Tim. v. — *V.* d. Thomas, 1, 2, q. 85, a. 1. — Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 68.

magis augetur; tum quia alia vitia satisfactione sedantur, uti gula cibo, non ita tamen avaritia: *avarus non implebitur pecunia; avaro nihil est scelestius* [1].

Est autem peccatum mortale, quando quis ad sibi comparandas, augendas, aut conservandas divitias adhibet media graviter illicita; vel proprium in iis constituit finem ultimum; vel animo paratus est potius mortaliter peccare, quam in iisdem pati detrimentum; vel peccat reipsa mortaliter, v. g. alienum accipiendo et detinendo, malam fidem in contractibus adhibendo, etc. Si vero quis divitias quidem nimis amet, sed nec velit facere nec faciat quidpiam grave contra Deum aut proximum aut se ipsum, peccabit solum venialiter; cum sit quædam tantum inordinatio [2].

763. Avaritiæ *filiæ* præcipuæ sunt:

R. 1. *Durities cordis* super egenorum miseriis, eis non compatiendo, non opitulando, debita tarde solvendo, eos despiciendo, objurgationibus afficiendo, etc.

2. *Inquieta sollicitudo* ex nimio amore divitias sibi comparandi, aut timore eas amittendi. Hæc si retrahit a spiritualibus vel ab aliis obligationibus ex gravi præcepto implendis, mortalis erit.

3. *Violentia*, rei nempe alienæ per vim usurpatio.

4. *Perfidia*, si ad ditescendum fides data violetur: et est *fallacia*, si proximus decipiatur in verbo; *fraus*, si decipiatur in factis; *perjurium*, si juramento firmetur talis deceptio.

5. *Proditio*, nempe injusta rei vel personæ manifestatio lucri causa; uti de Juda proditore legimus. — Hinc versus:

Durus, sollicitus, violentus, perfidus atque
Proditor, auratas qui nimis ambit opes.

764. Avaritiæ *remedia* sunt:

1. Oratio jugis, ut gratia Dei caveamus ab omni avaritia, et quæ alienum appetit vel suum nimium amat, et quæ foris prodit vel intus in corde latet; nisi enim ipsa radicitus evellatur, in malum arborem erumpet, cujus fructus pestilentissimi. Vitium namque hoc et *opprobriosum* est, cum avarum faciat sordidum, fœdum, durum ac crudelem. Et *insatiabile*, nam avarus quo plus bibit, plus sitit; unde d. Hieronymus: *avaro et quod habet, et quod non habet, deest.* Et *fere insanabile:* in Apostolico Collegio habemus Petrum negantem,

[1] Eccl. 5 et 70. — Et Poetarum princeps Aligherius de avaritia habet:

Ed ha natura sì malvagia e ria,
Che mai non empie la bramosa voglia,
E dopo 'l pasto ha più fame che pria.

INFERNO, c. 1, vv. 97 et segg.

[2] Licet avaritia abstrahendo a consectariis, et in se considerata ac in genere suo, non sit nisi venialis, quia ex se avarus graviter nec Deum offendit nec proximum lædit, neque se ipsum corrumpit; tamen quia de facili ipsam comitatur hoc periculum vel Deum postponendi, vel proximum lædendi, vel propriam salutem negligendi; ideo in praxi non raro uti mortale peccatum habetur. Hinc illud Virgilii (*Eneid.* III): *quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames?*

Jacobum et Joannem primos accubitus concupiscentes, Thomam non illico credentem, omnes trepidantes, qui tamen resipiscunt. At Judas qui et ipse sortitus erat sortem apostolici ministerii, avarus nec blandimentis nec minis flectitur; sed suspensus crepuit medius et abiit in locum suum, idest in locum cupidorum, qui est gehenna ignis.

2. Meditatio tum celsitudinis cœlestium et terrestrium vanitatis; tum exempli Christi qui pauper nascitur, pauperior vivit, pauperrimus moritur; tum mortis, nam post mortem *nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* [1]. Ad rem Augustinus: *cui non datur semper vivere, quid prodest bene vivere* [2]?

3. Consideratio malorum quæ inde exurgunt. Hinc Apostolus: *Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus; nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem; radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidem appetentes, erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis* [3].

4. Eleemosynæ largitio, venenum enim suo antidoto expellitur. Unde versus:

Oro, res pendo, damnumque; superflua dono.

765. Avaritiæ opponitur *prodigalitas*, quæ consistit in defectu conservandi et excessu erogandi: est ex genere suo venialis, levior quam avaritia: quia minus exulat a virtute liberalitatis. Potest tamen fieri mortalis; si gravia sequantur mala, ut si ideo impotentem te reddas ad debita solvenda, si tuis pauperiem crees, etc. [4].

CAPUT SECUNDUM

DE LUXURIA.

766. Timidis gressibus ad materiam accedimus, de qua, si multa dicimus, castas offendimus aures; si pauca, instructio nostra deficit in re omnium frequentissima. Verum sicuti in ceteris, ita et in hac disputatione sequimur Alphonsum nostrum, qui etsi puritate angelus, zelo tamen animarum accensus, lubricam materiam tractare non omisit. Qui ait: « Utinam brevius aut obscurius explicare me potuissem! sed cum hæc sit frequentior atque abundantior Confessionum materia, propter quam major animarum numerus ad infernum delabitur..., hinc opus mihi fuit ad instructionem eorum, qui moralem scientiam capiunt addiscere, ut clare (licet quo castissime fieri potuit) me explicarem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen studiosos, qui ad munus audiendarum Confessionum se parant, ut hunc Tractatum quemadmodum et alium de debito conjugali, legant ob hunc unice finem: omnem prorsum curiositatem abjicientes, atque eo tempore

[1] Ps. LIX. [2] Tract. XLIII *in Joann.* [3] 1, Timoth. VI.
[4] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 68; — Ferraris; V. *Avaritia.*

sæpius mentem ad Deum elevent, et Virgini Immaculatæ sese commendent, ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur [1]. »

ART. I. — *De luxuriæ definitione, natura et divisione.*

767. Q. *Quid est luxuria et quale peccatum?*

R. Luxuria sic dicitur ab Isidoro, vel quasi sit *resolutio in voluptates*, vel quia proprium est hujus turpitudinis vires corporis animique *laxare* ac dissolvere: unde qui ei cedunt, dicuntur *dissoluti*.

Definitur: *inordinatus appetitus, vel usus delectationis venereæ*. Peccatum esse ex genere suo lethale constat ex Apostolo, qui declarat, luxuriosos a regno Dei prorsus excludi [2]. Præterea cum usus rei venereæ institutus sit ad propagationem generis humani, censetur ex se materia gravis; ergo gravis pariter ex se erit censenda inordinatio in tali materia. Id insuper est contra dignitatem christiani, cujus corpus sanctificatum est et factum templum Spiritus Sancti.

Imo est luxuria (vel etiam sola luxuriosa delectatio) gravis ex genere suo toto, si sit cum plena advertentia. tum quia in omni delectatione venerea ex Galeno fit quædam seminis resolutio, et est veluti inchoata pollutio seu motus ad eam; tum quia naturam rationalem graviter semper offendit hæc immunditia: unde merito Croix rejicit eorum opinionem, qui negant graviter peccare qui libere consentit in motus leves carnales sponte obvenientes. Quod quidem demonstrat raro ignorantiam invincibilem hisce in turpitudinibus admittendam, maxime si agatur de externo peccato, v. g. pollutione.

768. Q. 2. *Quomodo dividitur luxuria?*

R. Luxuria dividitur in *perfectam* seu *consummatam*, quæ consistit in voluntaria humani seminis effusione; et in *imperfectam* seu *non consummatam*, in qua nulla intervenit humani seminis effusio.

Luxuria perfecta iterum divitur in *naturalem*, et *non naturalem* sive *contra naturam*. Naturalis est voluntaria humani seminis effusio, servatis conditionibus, quas requirit natura actus necessarii ad hominis generationem: unde est conjunctio viri et fœminæ modo generationis apto, sed extra conjugium. Non naturalis est voluntaria seminis effusio, in qua tales conditiones non servantur.

Quæ omnia sexto et nono Decalogi præcepto prohibentur: quod vetat mœchari et uxorem proximi concupiscere; nam qui prohibet aliquid, censetur etiam prohibere omnia, quæ ad illud ex se conducere possunt: ut in præsenti, prout probant Salmanticenses.

§ 1. — *De luxuria perfecta et naturali.*

769. Sunt sex species luxuriæ perfectæ et naturalis; nempe: 1) *fornicatio*, ad quam reducitur *meretricium* et *concubinatus;* 2) *stuprum;* 3) *raptus;* 4) *adulterium;* 5) *incestus;* 6) *sacrilegium*. Quinque species posteriores specialem continent malitiam luxuriæ superadditam; cum

1 *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 413. — It. *Annali delle scienze religiose*, ser. 2ª, an. 1846, t. III, pagg. 210 et seqq.

2 Gal. v. — *Venerea* dicitur omnis delectatio ex se tendens ad generationem, a dea Venere; ideo quia illam generationi præsidem dicebant pagani.

deformitatem includant specie diversam, quæ ideo in Confessione distincte aperienda est.

770. Q. 1. *Quid est fornicatio, et an prohibita?*

R. Fornicatio communiter definiri solet: *concubitus soluti cum soluta ex mutuo consensu* [1]. Quæ fornicatio sub gravi prohibetur:

1. Jure *divino* (quod est contra Beguardos et Beguinos: sane Apostolus fornicarios dicit non habere hæreditatem regni Dei [2].

2. Jure *naturali* (quod est contra Caramuelem et Durandum). Sane in fornicatione non servatur ordo rectæ rationis, in quantum usus venereorum non fit secundum quod est conveniens ad bonum prolis nascituræ; nam huic necessaria est educatio et institutio debita. Ad quod quidem non solum requiritur cura matris a qua nutritur; sed multo magis cura patris a quo est instituendus, defendendus, et in bonis tam interioribus quam exterioribus curandus. Sed pro hac mutua parentum cura, necessaria est certitudo prolis, et perpetuo indivisa unio maris cum determinata fœmina, quæ unio *matrimonium* vocatur: id porro impeditur per vagum concubitum, ut argumentatur Angelicus Doctor [3].

Et quamvis hoc incommodum in aliquo peculiari casu posset evitari, id esset per accidens; at natura attendit ad id quod communiter contingit: ideo Deus uti auctor naturæ debuit fornicationem pro omni casu vetare. Alioquin homines cupiditatibus excæcati facile sibi fingerent incommodum illud multis in casibus defuturum, in quibus tamen reapse non deesset cum maximo prolis detrimento. Hinc d. Fulgentius: *fornicatio nunquam potest esse sine gravi peccato* [4]. Et Innocentius XI damnavit hanc sub n. 48 propositionem: *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, sed solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur* [5].

771. *An* (quæres) *fornicatio, quam unus ex sponsis habet cum extranea persona, aliquid superaddat, ut talis fornicatio sit specie diversa a simplici fornicatione, explicanda in Confessione?*

R. Alii negant, sponsi fornicationem cum extranea esse specie diversam a simplici fornicatione; quia talis concubitus dici nequit adulterium, cum per sola sponsalia nullum jus competat proprie dictum sponso in corpus sponsæ, et vicissim. Unde talis fornicatio est tantum circumstantia aggravans non necessario explicanda in Confessione. Alii censent, diversam habere malitiam dumtaxat fornicationem sponsæ, cum in sponso non ita gravis appareat inordinatio. Alii docent utriusque fornicationem habere malitiam specie diversam ratione injustitiæ contra partem desponsatam. Licet enim ista nondum per sponsalia acquisiverit jus in corpus alterius, seu uti dicunt, jus in rem; acquisivit tamen jus ad ejus corpus, id est jus ad rem; ideo talis circumstantia est aperienda. Hæ opiniones sunt æque omnes probabiles [6].

[1] Hæc fornicatio dicitur *simplex*, cum nempe transitorie exercetur cum una aut pluribus personis *solutis*: sic dicitur ad eam discriminandam a fornicatione *continuata* cum eadem persona, uti evenire solet in concubinatu ac meretricio. *Soluti* autem hic dicuntur illi qui sunt liberi non solum a vinculo matrimonii, sed etiam a mutua cognatione vel affinitate in gradibus prohibitis, a voto continentiæ, ab Ordine sacro et ab omni violentia.

[2] Eph. v. [3] 2, 2, q. 154, a. 2. [4] Ep. 1, c. 4.

[5] V. *Cod. pœn. Sabaudiæ*, art. 420 et seqq.

[6] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 447; l. V, n. 847; — Ferraris; V. *Absolutio*, a. 2.

772. Q. 2. *Quid est meretricium* [1] *?*

R. Meretricium est *status mulieris, quæ omnibus parata est sub mercede sui corporis copiam facere.* Mulieres meretricantes semper habitæ sunt uti speciei humanæ opprobrium: pessima certe est earum conditio ratione habitualis ac pravæ animi dispositionis, scandali et nocumenti prolis. Ex quo constat eas esse incapaces absolutionis, donec larga experientia constet esse emendatas et a lupanari remotas: sunt tamen a confessario humaniter accipiendæ, si forte resipiscant. Etsi autem emendatæ possint absolvi, non ita est de Eucharistiæ susceptione, ad quam ut admittantur, de eorum conversione ad scandalum auferendum, publice constare debet; et, si fieri possit, e loco turpitudinis prius asportandæ sunt.

Utrum vero in societate permitti possint meretrices, sunt qui probabiliter affirmant cum Augustino [2] et Angelico [3]; ne secus pejora peccata eveniant, nempe sodomiæ, bestialitatis, mollitiei, etc. Verum practice loquendo contrarium est probabilius cum Bouvier, Guttierez, Navarro, Roncaglia, Scotti et aliis plurimis [4]; neque enim ideo illa mala vitantur. Imo vitium hoc frequentia augetur magis, ad malum sollicitatio crescit, excitantur rixæ, provocantur duella, hebetantur sensus, studia negliguntur, vilescunt nuptiæ, etc. In omni autem casu non poterit permitti, nisi in vastis urbibus, uti probat Sarnelli; et quidem nonnisi vilissimum in locum ipsæ meretrices sunt amandandæ [5].

773. Q. 3. *Quid de concubinatu?*

R. Concubinatus est *frequens concubitus soluti cum una eademque persona soluta.* Nihil refert, quod personæ in eadem vel in diversis domibus maneant, modo uxorio more secum vivant Imo si hic concubitus habeatur cum uxorato vel uxorata, adhuc dicitur concubinatus quamvis improprie, quia tunc etiam malitiam adulterii includit. In hoc differt concubinatus a simplici fornicatione, quod fornicatio indicet concubitum soluti cum soluta modo una, modo altera; concubinatus vero exercetur erga eandem personam ac si esset conjux. Gravissimum peccatum est concubinatus; quia concubinarius non tantum peccat, sed etiam perseverat in statu peccati mortalis: unde ordinarie non debet absolvi, nisi dimissa concubina.

Tridentinum Concilium adversus quemcunque concubinarium tulit pœnam: 1) excommunicationis ferendæ sententiæ post trinam monitionem; 2) ejectionis extra oppidum vel etiam extra Diœcesim, implorato auxilio brachii sæcularis [6].

Contra clericos autem idem Concilium statuit, ut post primam monitionem priventur tertia parte fructuum Beneficii; post secundam priventur pensionibus et Beneficii administratione; post tertiam ipso Beneficio; dein excommunicentur: tunc poterit quoque Episcopus eos tradere Curiæ seculari [7]. Notandum tamen ex declaratione S. C. C. nomine *fructuum* non intelligi distributiones quotidianas [8].

[1] Nomen ductum est a *mercede*, quam faciunt illæ quæ hunc statum turpiter profitentur. De hac mercede erit *De Justitia et Jure*, lib. II, diss. 2; item vide Ferraris; V. *Meretrix*.

[2] Lib. IV *de Ord.*, c. 4. [3] Opusc. 10, l. IV, c. 14.

[4] Quamvis posterior sententia probabilior videatur, arbitramur tamen absolvendos esse magistratus urbium, qui bona fide asserunt, se malum istud tollere non posse. In dubiis namque non confessarii est decernere quid agere debeant ii, quibus difficilia commissa sunt negotia, uti sunt magistratus, reges, aut ministri. *Bouvier*.

[5] Opusculum *De abusu meretricis.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 434.

[6] Sess. XXIV, c. 8. [7] Sess. XXII, c. 14.

[8] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 442.

In Synodis ferme omnibus (uti Novariensi, pag. 322), concubinatus reservatus est, licet occultus, licet habitus cum conjugata persona, modo quadam actuum frequentia (sive domi propriæ sive alibi) per integrum annum, ac si delinquentes essent conjuges, duret. Item hoc scelus carcere punitur a lege civili si a conjugato patratum [1].

774. Quæres: *an possit absolvi concubinarius, qui concubinam ejicere e domo non potest sine scandalo aut infamia?*

R. Communiter loquendo non est absolvendus: quia in diuturno concubinatu est moraliter impossibile, rem aliis non fieri notam; ideo potius scandalum est, si eam non dimittat. Non negant tamen Salmanticenses in aliquo casu rarissimo posse absolvi, v. g., si aliter non possit revera vitari grave damnum famæ vel fortunæ; sed tunc omnino expedit, ut saltem differatur absolutio, donec experimento probetur continentia pœnitentis. Excipe nisi pœnitens jam satis dispositus non amplius redire posset ad se confitendum, vel si ad vitandam positivam infamiam immineret necessitas communicandi.

Utrum vero extra prædictum rarissimum casum infamiæ aut scandali, possit absolvi concubinarius antequam concubinam dimittat, si sedulo eam dimittere promittat, non una est sententia. — Alii cum Sancio id concedunt pro prima vel secunda vice. Alii cum Navarro omnino negant etiam pro prima vice, quando occasio est proxima. — Alii cum Salmanticensibus distinguunt: si concubinarius est publice notus, non est absolvendus, etsi cum signis magni doloris, nisi concubinam dimittat (aut nisi postquam, concubina extra domum degente, per tempus notabile ad eam non accesserit); nam secus scandalum esset ipsum ad Eucharistiam accedere: et aliunde publicus peccator non debet absolvi, nisi etiam publice pœniteat et scandalo satisfaciat. Si vero concubinarius est occultus, nec etiam absolvi potest, nisi in aliquo casu raro, puta si vir ille doleat profusis lacrymis, vel post terribilem concionem auditam, vel si confiteatur territus a morte socii, vel a magno periculo mortis evasus. Quanquam hoc tantum admittendum puto, cum est moraliter impossibile quod concubina ante absolutionem brevi dimitti possit, vel quando urget necessitas communicandi ob vitandam magnam infamiam.

An concubina, quæ a concubinario sustentatur, possit absolvi antequam e domo illius discedat?

R. Recte negant: nisi ex discessu grave ei eveniret damnum, v. g., infamia, aliorum scandalum; vel nisi ipsa nequiret manuum labore se alere, aut in alia domo deservire, aut mendicare sine dedecore vel alio gravi incommodo (emendicare autem illi, quæ non est ad id assueta, magnum incommodum afferre videtur). Verum regulariter differenda absolutio usque ad emendationem.

An quis teneatur tollere occasionem proximam peccandi cum concubina etiam cum suo gravi damno temporali, puta si amasius debitor esset concubinæ in magna summa?

R. Probabiliter amasius occasionem illico auferre non tenetur, si nequeat solvere sine magno detrimento suæ famæ vel sui status, ita ut in gravem necessitatem redigeretur. Verum expedit ut differatur absolutio usque ad emendationem; quia experientia constat, quod (ea obtenta) difficulter occasio postea aufertur, et facillime redditur ad vomitum. Et si dilatio non juvat, occasio omnino auferenda: nam omnes divitiæ nihil sunt in comparatione animæ [2].

[1] *Cod. pœn.*, art. 487: — *C. A. pœn.*, p. 2ª, §§ 2ª4 et seqq.

[2] Quod dicitur de concubina, idem ferme valet de alia muliere suspecta, cujus re-

775. Q. 4. *Quid est stuprum?*

R. Stuprum definitur: *illicita defloratio virginis, ipsa invita* [1]. Hoc peccatum habet malitiam specialem et propriam; quia præter fornicationem continet gravissimam injustitiam et injuriam oppressæ virgini irrogatam: stuprator enim aufert carnis integritatem, legitimas impedit puellæ nuptias, eamque ponit in via meretricandi [2]. Stupri reus censetur etiamsi quis personam ebriam, fatuam aut dormientem sine prævio ejusdem consensu oppresserit, nam tunc persona illa censetur interpretative repugnare. Imo etiamsi virgo fraude (v. g. falsa matrimonii aut magnæ dotis promissione, vel gravi metu etiam reverentiali) fuerit ad malum inducta; quia licet ipsa quoque peccet consentiendo, talis tamen ejus consensus extortus fuit per gravem injuriam, nempe per vim moralem. Imo quamvis communius sit stuprum per se non esse speciale peccatum a fornicatione distinctum, si virgo plane consentiat [3], quia consentienti propria dicta injuria non irrogatur; erit tamen specie diversum a simplici fornicatione, si inde interveniat damnum, aut dedecus parentibus, in quorum custodia erat puella juxta illud: *filiæ tibi sunt? serva corpus illarum* [4]; et ideo declarandum in Confessione.

Pluribus in Synodis (ut in Novariensi, pag. 324) reservata est *copula carnalis cum innupta vi metuve, sub ficta promissione dotis vel matrimonii extorta.* Imo etiam a lege civili graviter stuprator punitur [5].

776. Q. 5. *Quid est raptus?*

R. Raptus dupliciter committitur: vel violenter abducendo fœminam repugnantem de loco in locum matrimonii contrahendi causa; vel abducendo virum aut fœminam libidinis explendæ causa de loco tuto ad non tutum per vim aut metum gravem illatum aut ipsi personæ raptæ, aut iis quibus illa subest, idest parentibus, aut tutoribus, aut viro. Si 1, raptus non solum grave peccatum est, sed est quoque impedimentum matrimonii dirimens; atque gravissimæ pœnæ in ipsum Jure canonico constitutæ sunt. Si 2, raptus nedum dirimat conjugium, imo ex Tridentino [6] raptor tenetur raptam ducere aut dotare, nisi sit meretrix vel malæ famæ: quod non tam est pœna, quam justa compensatio.

tentio scandalum daret, licet cum ea non peccetur. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 435; et dicenda *De Pœnitentia*, ubi *de Occasionariis.*

[1] Hic virginitas non sumitur pro virtute, sed pro integritate carnis, quatenus fœmina nunquam claustrum seu signaculum virginitatis, uti dicunt, violavit: unde stuprum adhuc est in illa, quæ delectationibus venereis, vel mollitie jam polluta fuit.

[2] S. Thomas, 2, 2, q. 154, a. 6. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 445.

[3] Ita sentiunt Bannes, Barbosa, Diana, Dicastillus, Lessius, Salmanticenses, Sanchez, Suarez, aliique contra Collet, Dens, Sylvium, Billuart, etc. Quod movet adversarios, est violatio claustri cui porro bono puella non habet facultatem cedendi. Verum quod ab homine signaculum virginale rumpatur, virgine ipsa consentiente, et alia circumstantia præcisa, in eo solum natura offenditur, quod illa violatio fiat extra matrimonium (certe enim in matrimonio id liceret). Ergo malitia in eo tantum stat quod concubitus fiat a viro non suo; sed hoc induit tantummodo malitiam simplicis fornicationis. Adde in contraria sententia puella de delectationibus venereis se accusans, dicere deberet, an sit necne virgo. Similiter vir, qui mulierem concupivit, declarare deberet an illam judicaverit virginem vel corruptam: hoc porro intollerabile foret, et communi pœnitentium ac confessariorum praxi adversatur.

Hanc difficultatem sentit Billuart qui ideo cum Wiggers, Bourdat et Duelman vult, circumstantiam virginitatis in voluntario stupro addere quidem malitiam specialem, sed tantum venialem, quæ ideo non est necessario aperienda. Et testatur, se antequam huic opinioni adhæsisset, graves passum esse, et aliis creasse molestias in interrogationibus istis et raro sibi satisfactum.

[4] Eccli. VII. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. IX, n. 14; et dicenda *de Restitutione.*

[5] *Cod. pœn.*, art. 489; — *C. A. pœn.*, p. 1ª, § 110.

[6] Sess. XXI, c. 6. Vide De matrimonio, *de raptu.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 144. Ipse *Codex pœnalis* animadvertit in raptores, art. 493. — *C. A.* p. 1ª, § 80.

Est autem talis raptus peccatum mortale, et luxuriæ, cum nempe intentionem contineat adeo libidinosam; et injustitiæ tam contra personam ipsam, quæ violenter abducitur, quam etiam contra parentes aut alios, quorum in potestate persona illa constituta est. Si vero puella sponte discedat cum amasio, non raptus, sed *fuga* appellatur, quæ non addit malitiam specie distinctam a fornicatione.

777. Q. 6. *Quid est adulterium?*

R. Adulterium sic dictum, quasi *accessio ad alienum torum*, definitur communiter: *concubitus illicitus viri cum muliere, quorum alteruter vel uterque sit conjugio ligatus.* Committitur adulterium tribus modis: 1) dum solutus accedit ad conjugatam; 2) dum soluta accedit ad conjugatum; 3) dum conjugatus accedit ad conjugatam.

Est autem peccatum grave tam contra castitatem, quam contra justitiam; nam ex Apostolo: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Unde idem Apostolus monet: *nolite errare: neque fornicari, neque adulteri.., regnum Dei possidebunt* [1]. Hoc grande scelus vel ipsi gentiles detestati sunt ac prohibuerunt, uti Solon apud Græcos: Romulus apud Romanos. Quod si fœmina adultera sit conjugata, gravius committit peccatum, quam si solus vir: idque ob incommoda graviora, quæ inde solent exoriri, uti est incertitudo prolis, impedimentum generationis, etc. Si vero uterque sit conjugio ligatus, malum adhuc gravius erit; qua duplex irrogatur injuria in utriusque conjugem: ideoque in Confessione id erit aperiendum.

Pœnæ in adulteros ex Jure canonico sunt: — 1) quod non possint adulteri compellere innocentem partem ad debitum reddendum: æquum est enim, *ut frangenti fidem nulla fides servetur;* — 2) quod adsit jus in comparte innocenti divortium petendi; si tamen adulterium fuerit consummatum certum, formale, alterutrius, non collaudatum neque remissum. Et Jure civili modo carcere, modo reclusione, modo operibus duris adulter mulctatur pro rerum adjunctis [2].

Imo uxor erit adhuc adulterii rea etsi maritus in illius adulterium consentiat; quia conjuges in hoc non possunt valide et efficaciter juri proprio renuntiare; cum renuntiare nequeant statui matrimonii, cui tale jus ex natura sua inviolabiliter inhæret. Hinc ab Innocentio XI damnata est hæc sub n. 50 propositio: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; ideoque sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum* [3].

Pluribus Synodis (uti in Novariensi, pag. 324), pœna reservationis infertur marito, qui *uxori legitimæ dictis vel factis libere omnino præstat consensum, ut alteri sui copiam faciat, si sequatur copula.*

778. Q. 7. *Quid est incestus?*

R. Incestus definitur: *concubitus illicitus inter personas cognatione sibi invicem conjunctas.* Hæc cognatio quadruplex distinguitur: oritur enim vel ex sanguinis communione, et dicitur *consanguinitas;* vel ex copula carnali, et dicitur *affinitas;* vel ex Baptismo ac Confirmatione, et dicitur *cognatio spiritualis;* vel ex adoptione legali, et dicitur *cognatio legalis.* Omnia autem hæc semper præ oculis habenda, nam carnale peccatum, cum talibus conjunctis perpetratum præter luxuriæ

1 I, Cor. VI et VII; it. Eccli. XXIII.

2 *Cod. pœnal.* art. 482; — *C. A. pœn.*, p. 2ª, § 247. — V. Lib. III *De matrimonio*, ubi *de divortio.*

3 Imo commune et probabilius vir etiam cum propria uxore adulterium committit, si eam sodomitice cognoscat; nam hoc est contra bonum datæ fidei, quod est in Confessione explicandum. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 445.

fœditatem, continet turpitudinem specialem; quia est contrarium reverentiæ propinquis debitæ. Hinc in sacra Scriptura incestus *res nefanda* dicitur, et *morte dignus* incestuosus [1]. Imo non solum copula, sed omnes etiam tactus impudici inter conjunctos scienter habiti induunt naturam incestus in Confessione explicandi; semper enim est contra pietatem, quam ipsi conjuncti sibi mutuo debent [2].

Attamen ad pœnas incurrendas requiritur ut incestus sit non tantum *formalis* seu ut fiat cum scientia cognationis; sed ut sit *completus* seu proprie dictus, sive ut interveniat completa commixtio seminum in vase naturali. Unde non sufficeret si eveniret reseratio seu penetratio vasis naturalis sine seminatione, aut cum seminatione sed extra dictum vas. Pœnæ porro ex Jure canonico in 1° et 2° consanguinitatis gradu, est privatio juris debiti petendi [3]. In Synodis Diœcesanis, ut plurimum (uti Novariensi, pag. 322) incestus reservatur, si contingat inter consanguineos in 1° et 2° gradu lineæ tum rectæ tum transversalis; vel inter affines in 1° gradu et inter cognatos spirituales. Graviter tandem incestus punitur lege civili [4].

Quæres: *an omnes memorati incestus differant inter se essentialiter, an vero sint ejusdem speciei?*

R. Certum est incestum inter cognatos spirituales et legales, tum a se invicem, tum ab incestu inter consanguineos et affines differre; cum uterque attingant objectum specie diversum. Nempe incestus in cognatione legali quandam tantum habet similitudinem cum irriverentia erga parentes, per copulam vero cum cognatis spiritualibus ex d. Thoma committitur *sacrilegium ad modum incestus*, cum ea propinquitas sit in reverentiam Sacramenti inducta [5]: unde in Confessione qualitas incestus vel legalis vel spiritualis est aperienda, ut tota ac propria malitia innotescat.

Utrum vero specie etiam differant inter se incestus inter consanguineos et affines, alii probabiliter affirmant; quia una propinquitas est intrinseca ab identitate sanguinis, altera extrinseca a copula. Alii probabilius negant: cum materialiter se habeat, quod una sit a sanguine, altera a copula; quia uterque incestus semper eodem pietatis motivo prohibetur. Hinc Angelicus Doctor habet: *ejusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas et affinitas.*

Quid vero (dices) *de variis gradibus ejusdem incestus? Estne inter se diversæ speciei gradus unus ab alio, ut debeat declarari graduum diversitas seu distantia in Confessione?*

Quod R. 1: Pertinet *ad cognationem legalem*, varii hujus cognationis gradus, uti docent probabilius, inter se non differunt specie. Nam per se non adest naturalis ac diversa deformitas in uno, quam non sit in alio gradu: cum id positivo tantum jure inductum sit. — Incestus pariter *cum affinibus* quoad diversos gradus est commune, esse ejusdem speciei paritate rationis; si tamen excipiatur incestus inter privignum et novercam, interque socerum et nurum, cujus quidem illico concipitur horrenda deformitas. Tandem circa *gradus consanguinitatis*, quoad primum gradum lineæ rectæ, id est quoad incestum cum

[1] Lev. xx. — Juxta aliquos incestus ex generali vocabulo idem est *ac non castus.*
[2] Copula inter personas, quæ ob impedimentum honestatis publicæ matrimonium secum inire non possunt, ad incestum revocatur. Similiter tutor, qui pupillam suam corrumpit, quandam speciem incestus admittit.
[3] *Formalis* dicitur incestus si ille qui peccat scit personam quacum peccat, sibi esse cognatione conjunctam; *completus* quando fit seminatio intra vas.
[4] Art. 481; — *C. A. pœn.*, p. 2ª, § 246.
[5] 2, 2, q. 154, a, 10.

matre vel patre, videtur omnino tenendum, istum ab aliis differre specie; cum hic exhibeat specialem deformitatem ex se [1]. Imo recte dicunt Lugo et Continuator Tournely explicandum esse, an pater peccaverit cum filia: vel an cum matre filius, cujus culpa habet diversam malitiam ratione reverentiæ matri debitæ.

R. 2: Quoad ceteros gradus consanguinitatis, disputant. Alii cum Lessio, Lugo et Sanchez dicunt, specie differre etiam primum gradum lineæ transversalis; natura enim ipsa refugit maxime commixtionem inter fratres et sorores. — Alii cum Laymano, Suarez et Vasquez, tenent, omnes gradus usque ad quartum speciem diversam constituere; quia major debetur reverentia proximiori gradui, quam remotiori. — Alii cum Cajetano, Navarro et Pontio docent, primo excluso lineæ rectæ, ceteros gradus specie non differre; sed tantum continere circumstantiam aggravantem. Ratio, quia prohibitio commixtionis conjugalis inter personas, excepto primo gradu lineæ rectæ, non oritur ex lege naturali (olim enim filiis Adam licitum fuit cum suis sororibus copulari), sed ex prohibitione Ecclesiæ: porro per solum Jus naturale specifica diversitas constituitur. Pro hac ultima sententia videtur indubitanter esse Angelicus, qui docet, quod præter parentes, ceteræ personæ non habent ex se ipsis indecentiam, si conjungantur [2].

779. *Quid est sacrilegium in materia luxuriæ* [3]?

R. Sacrilegium in materia luxuriæ est *violatio rei, loci vel personæ sacræ per actum venereum.* Grande peccatum; dictat enim recta ratio, sancta sancte tractanda esse: malitiam continet specialem et contra castitatem et contra religionem, ideo in Confessione explicandam.

1. Circa *rem* erit sacrilegium omnis actus luxuriosus, qui Christum lædat sub aliqua re specialiter exhibitum. Hinc sacrilegium est quicunque actus luxuriosus interior vel exterior in eo, qui vel Eucharistiam gestat vel Communionem distribuit, vel sacris indutus vestibus procedit; iste enim Christum speciali ratione iis in rebus exhibet. Item sacrilegus qui infra mediam horam post Communionem se polluit; gravem enim injuriam irrogat Christo in Sacramento. Non tamen qui turpiter peccaret Reliquias gestando; nam istæ non specialiter Christum repræsentant [4].

2. Circa *locum*, sacrilegium erit omnis actus luxuriosus exterior patratus in loco benedicto et deputato tum ad mortuos sepeliendos, tum ad officia divina celebranda, a tecto nempe usque ad pavimentum, exclusis tamen cellis, claustro, sacrario, dormitorio, tecto super Ecclesiam, janua extra atrium ejusdem et atrio [5]. Excluduntur etiam Oratoria privata, cum non habeantur uti veræ Ecclesiæ. — Sicuti vero per voluntariam sanguinis, ita et per seminis voluntariam effusionem polluta remanet Ecclesia, adeo ut esset abstinendum a Divinis (si id innotescat), donec ipsa reconcilietur [6]. Quod communius et probabilius dicunt valere etiam de copula maritali; quia semper graviter sanctitudini hæc copula disconvenit [7].

1 De cognatione spirituali non loquimur, cum in ea nulla gradus distinctio.

2 2, 2, q. 154, a. 9. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n 460. — Secunda sententia est minus probabilis; aliæ æque probabiles videntur.

3 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 454; *Homo Apost.*, tract. IX, n. 20. — Pœnæ in sacrilegos vide *De virtute Religionis.* Hic agitur tam de perfecta quam imperfecta luxuria.

4 Item neque qui Reliquias daret amasiæ, titulo tamen simplicis donationis, uti docent Salmanticenses, Filliucius, Azor, aliique multi contra Concinam.

5 Item exclusis caveis fabricatis sub pavimento, nisi sit locus sepulturæ vel divinorum officiorum, ait Gousset. Item turris campanarum, si tamen ab ipsa Ecclesia et cœmeterio sit sejuncta; item excluso choro monialium ab Ecclesia separato.

6 C. unic. *de consecr. Eccl.*, in 6°.

7 Merito tamen a mortali excusant conjuges, si sint in periculo incontinentiæ vel

3. Circa *personam*, sacrilegium est omnis actus luxuriosus tam exterior, quam interior in persona, vel cum persona voto castitatis ligata. Et si peccatum sit personæ sacræ cum alia item sacra, duplex erit sacrilegium; quia dupliciter tunc offenditur Religio, peccato nempe proprio et peccato alterius, cui utrique uterque peccans cooperatur. — Qui castitatis voto obstrictus alteri suadet peccatum carnale, sacrilegii item reus evadit, si illum ex positivo libidinis effectu suadet; jam enim directe in illam peccaret. Secus si induceret alio fine; quia votum propriam tantum respicit castitatem: Billuart, Dens.

Religiosus professus, qui sit etiam in Sacris, si castitatem lædit, probabilius unum tantum committit sacrilegium; cum unum tantum sit motivum illius servandæ [1]. Item qui votum pluries iteravit aut votum simplex voto solemni addidit, non ideo multiplex committit peccatum illud violando; unica quippe est obligatio. Ita Bouvier, qui tamen addit, circumstantiam solemnitatis in voto notabiliter aggravare peccatum juxta probabilem multorum sententiam.

Hinc etiam communius dicunt contra Voit, quod si sacerdos inquinatus impuritatibus, dum ad Confessionem accedit, fingit se esse laicum, voto tamen castitatis obstrictum, valide confitetur; cum adhuc sufficienter aperiat circumstantiam de necessitate aperiendam pro Sacramenti valore: unde si aliud non obstet, etiam dato quod mentitus sic iste sacerdos, id tamen culpæ venialis rationem non egreditur, sicque Sacramentum non infirmat. Neque obstat perfectionem per solemne votum majorem esse debere ea qua tenetur qui votum simplex emisit; cum hæc major vel minor perfectio per peccatum amissa peccatum de una in aliam speciem non transferat. Ita Palaus, Lugo ac *Resolutio Casuum* sub Benedicto XIV.

780. *An verba tactus, aspectus turpes in Ecclesia sit sacrilegia?*

R. Affirmant probabilius (licet absit periculum pollutionis) si externi actus sint graviter turpes. Nam tunc ipsi per se continent deformitatem externam gravem contra reverentiam loci sacri.

Quid (quæres) *de luxoriosis et gravibus cogitationibus in Ecclesia habitis? suntne sacrilegia?*

R. Vel cogitationes hujusmodi continent desiderium deliberatum peccandi in ipsa Ecclesia, tametsi occulte; vel peccandi extra. Si 1, habetur sacrilegium ob gravem irreverentiam erga domum Dei, quam *decet sanctitudo in longitudinem dierum* [2]. Et valet, etsi extra Ecclesiam pravum desiderium habitum fuerit; quia terminum habet ad locum sacrum. Si 2, nullum sacrilegium; cum tunc peccatum non ordinetur ad Ecclesiæ ipsius violationem. Ita docent communiter cum Dens, Suarez, etc.

§ II. — *De luxuria perfecta non naturali, seu contra naturam.*

781. Species luxuriæ perfectæ contra naturam sunt: 1) *pollutio* seu *mollities;* 2) *sodomia;* 3) *bestialitas;* 4) *indebitus concubendi modus* [3]. Singulæ species invicem differunt natura sua; quia specialem includunt deformitatem. Unde Alexander VII hanc sub n. 24 damnavit pro-

si diu remanere deberent in Ecclesia, probabilius ad 20 vel 30 dies. Nam non censetur velle pia mater Ecclesia eos obligare ad abstinendum cum tanto incommodo.

[1] Cap. *Cum olim*, de Cler. conjug. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. IX, n. 20.

[2] Ps. XCII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 462.

[3] Ita Angelicus, 2, 2, q. 154, a. 11. — De modo indebito concubendi, qui evenit quando servatur identitas speciei, sexus diversitas et debita organa naturæ (sed modo inordinato) erit in Tractatu de *Matrimonio*, ubi de debito conjugali.

positionem: *mollities, sodomia et bestialitas sunt peecata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione: se procurasse pollutionem.* Et hæc omnia detestatur Apostolus, et *immunditiam* vocat [1].

782. Q. 1. *Quid est pollutio, qnotuplex, et an mala?*

R. Pollutio generatim accepta definitur communiter: *humani seminis effusio sine congressu cum alio* [2].

Pollutio dividi solet: 1) in *simplicem*, et ea est, quæ nullam aliam malitiam habet adjunctam: ut cum quis nullo vinculo ligatus, sed solutus, in sua delectatione sistens se polluit; 2) in *qualificatam*, et est quando præter suam, aliam malitiam habet. Uti si quis vinculo castitatis ligatus uno actu se polluat cogitando de consanguinea conjugata: iste peccat non tantum peccato pollutionis; sed etiam sacrilegii, incestus et adulterii: quæ omnia sunt distincte aperienda; 3) in *voluntariam*, et quidem vel in se, vel in causa: in se, ut si quis directe velit pollui; vel in causa voluntarie posita, ut si quis legat libros obscenos, quæ ipsam causant; 4) in *involuntariam*, si nempe absque cooperatione voluntatis contingat, sed ex causis mere naturalibus, v. g. ex superfluitate naturæ, ex imbecillitate organorum, aut ex dispositione nervorum, etc. De hac porro nulla quæstio, cum peccaminosa non sit; sed habeatur uti naturalis effectus, prout sudor vel sanguinis effusio e naribus.

Certum est pollutionem etiam simplicem voluntariam esse intrinsece ac graviter malam; repugnat enim fini, ad quem ordinatum est semen humanum: homo enim potest membris suis uti in eum tantum finem, qui est a naturæ Auctore dispositus. Videlicet si fornicatio mala est, quia adversatur prolis educationi, a fortiori mala erit pollutio, quæ adversatur ipsi prolis generationi. Hinc legimus Deum percussisse Onan (a quo turpissimum scelus nominari cœpit), quia *semen fundebat in terram*, eo quod *rem detestabilem faceret*, quæ nempe natura sua erat iniqua [3]. Hinc Apostolus ait: *neque adulteri, neque molles... regnum Dei possidebunt* [4]. Hinc Innocentius XI damnavit hanc sub n. 49 propositionem: *mollities jure naturæ prohibita non est.*

783. Q. 2. *An liceat ponere actionem de se honestam ac licitam, ex qua tamen prævidetur secutura pollutio?*

R. Si nulla adest causa necessitatis, utilitatis aut commoditatis ponendi illam actionem, etsi in se honesta sit, nefas est eam ponere; nam rationalem creaturam dedecet sine justa causa pollutionem etiam indirecte admittere. Si vero aliqua honesta causa adest, actio illa licite poni potest, etsi in pollutionem influat; dummodo pollutio ab agente nullo modo intendatur, intentio enim mala malum opus facit: et insuper, ut excludatur periculum in eam consentiendi; nam tunc

[1] Rom. XII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III. n. 477.

[2] Sive effundatur foras, ut in maribus; sive intus defluat in matricem, ut fœminis. Sed quoad fœminas audiatur *Examen raisonné:* « In fœminis nullum proprie dictum semen vident nunc saltem generaliter medici in humore, qui ad intra vel extra in eis effunditur; et dicunt sat unanimiter Theologi (et etiam medici, ut mihi dixit celebris medicus auctor) illud semen improprie dictum non esse ad generationem necessarium. Quidquid sit, pollutæ, cognoscuntur fœminæ cum etiam sine ulla effusione, magnum, plus minusve ratione complexionis, experiuntur sensum voluptatis, qua completa, satiantur ac quiescunt. Sensus hic, qui incipit in partibus venereis, et spasmi et collapsus majoris vel minoris species, proprieque seminatio in fœminis, sive ejus indicium, in pluribus iteratur, sæpe multoties iterata causa. »

Si fœmina ad se polluendum utatur aliquo instrumento, hæc circumstantia videtur explicanda, si eo utatur uti membro viri.

[3] Gen. XXXVIII. [4] 1, Cor. VI.

habetur potius passio quam actio, si pollutio eveniat [1]; quæ ideo dici nequiret procedere ex malitia; cum procedat ex naturæ infirmitate. Sane: quis incusaret Titium, qui ad commodius iter agendum equitat, ad commodius quiescendum in lecto elastico decumbit, si equitando, vel sic quiescendo talem in se experiatur effectum, sed omni remoto periculo consensus? Ita Billuart, Bouvier, Gousset aliique cum d. Thoma qui ad rem habet: *nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione; alius vero sit præter intentionem* [2]. Hinc (verba sunt s. Alphonsi) etiam prævisa pollutione, sed semper involuntaria:

« 1° Licet confessariis excipere Confessiones, et tractatus legere de rebus turpibus; item chirurgis aspicere et tangere partes fœminæ ægrotantis, ac studere rebus medicis. Ita communiter d. Antoninus, Navarrus, Cajetanus, Petrocorensis, Sanchez, Bonacina, Anacletus, Sporer, Salmanticenses, Holzman et alii plures cum d. Thoma. Idque admittunt Navarrus, Hurtadus, Roncaglia, Salmanticenses, Elbel, Sporer, etc., etiamsi aliquis chirurgus ex officio medens, vel Parochus excipiendo Confessiones aliquoties in pollutionem consenserit, modo proponat in futurum convenientibus mediis se præcavere ad peccatum vitandum. Secus vero dicunt de *simplici confessario;* hic enim tenetur eo casu abstinere ab audiendis Confessionibus, si possit sine gravi suo damno. Imo si Parochus vel chirurgus in iis occasionibus semper vel fere semper lapsus fuerit, et non appareat vere probabilis spes emendationis, omnino tenetur etiam cum jactura propriæ vitæ officium deserere.

» Sic etiam 2° dicunt quamplurimi, uti Cajetanus, Bonacina, Layman, Sanchez, Navarrus, Filliucius, Salmanticenses, Sporer, Croix, Busembaum, Villalobus, Ledesma, Marchantius, Trullench, etc., licere iis qui magnum patiuntur pruritum in verendis, tactu illum abigere, etiamsi pollutio sequatur. Recte vero id prohibet Roncaglia, si pruritus non sit valde molestus, quamvis permittat eum abigere cum aliqua tantum commotione. — Nihilominus non facile credatur quibusdam puellis, quæ tactibus se polluere solent, prætextu hujusmodi ardoris; nam si diligenter examinentur, cognoscetur ille pruritus multoties potius excitatus fuisse vel a pravis cogitationibus præhabitis, vel ab habitu pravo contracto se tangendi.

» 3° Dicunt etiam Castropalaus, Layman, Sanchez, Armilla, Lessius, Azor, Navarrus, Vasquez, Bonacina, Anacletus et Salmanticenses, licere equitare causa utilitatis; et etiam recreationis, ut subdunt Sanchez, Layman, Castropalaus. Dicunt quoque Sanchez, Layman, Castropalaus, Holzman, Sporer, etc., ex communi, unicuique licere decumbere in aliquo situ ad commodius quiescendum.

» 4° Demum dicunt s. Antoninus, Lessius, Toletus, Pichler, Salmanticenses, Holzman, Sporer, etc., communiter, licere cibos aut potus calidos moderate sumere, et honestas choreas ducere [3]. »

784. *Sed* (quæres) *quale peccatum committit qui absque justa vel necessitatis vel utilitatis vel commoditatis causa ponit actionem, ex qua prævidet pollutionem esse secuturam?*

[1] Et Cajetanus: « Doctores et confessores vacantes cogitationibus vel auditionibus operum turpium intuitu pietatis, non peccant subsequentibus corporalibus pollutionibus contra eorum voluntatem, quia licet possint, non tamen debent subtrahere se ab operibus sanctis propter hujusmodi, quæ sequuntur ex necessitate memoriæ. »

[2] 2, 2, q. 64, a. 7.

[3] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. IX, n. 34.

R. Si actio sine justa causa posita influit proxime et graviter in pollutionem, erit peccatum mortale, licet in se pollutio intenta non sit; quia lex naturalis pollutionem graviter prohibens, obligat etiam sub gravi ad non ponendas actiones proxime, et per se in eam influentes. Si vero actio influit remote et leviter, nec aliquo modo pollutio fuerit intenta, non erit nisi culpa venialis; quia cum ea non sit volita in se, sed tantum in causa, eo gradu mala est, quo est mala ipsamet causa. In hoc scilicet casu pollutio quæ prævidetur secutura, a causa potius naturali videtur procedere, quam a causis illis leviter et remote in eam influentibus.

Porro actiones seu causæ *proxime* in pollutionem influentes sunt eæ, quæ per se, directe et natura sua, ad pollutionem tendunt, eo fere modo quo dicitur causa per se mortis inflictio vulneris lethalis; atque iccirco gravem culpam constituunt in genere luxuriæ. Sunt v. g. voluntarius aspectus concubitus humani, colloquia aperte nimis inhonesta, lectio vel auditio rerum valde turpium, cogitationes morosæ de rebus venereis, tactus turpes in pudendis. Omnes ideo actiones istæ (vel pollutiones inde provenientes) procul dubio peccata mortalia dicendæ sunt, si absque causa proportionata, necessaria vel utili illæ ponantur; quia natura sua tales sunt, ut valeant graviter incitare ad libidinem. Ita communiter cum s. Thoma.

Actiones vero seu causæ in pollutionem influentes *remote* tantum illæ dicuntur, quæ per se ac directe non tendunt ad pollutionem, ac proinde non costituunt, nisi culpam levem in genere luxuriæ: vel gravem quidem per se, sed non in genere luxuriæ, bene vero in materia diversa. Est, v. g. esus vel potus calidorum, equitatio, confabulatio inutilis cum puella, crapula, ebrietas aut carnium comestio nimis immoderata; item audire Confessiones fœminarum, studere rebus venereis; denique omnes aliæ actiones sive licitæ de se, sive illicitæ extra genus luxuriæ, ex quibus nihilominus solet oriri pollutio. Has porro, uti probabilius docent cum s. Antonino, Anacletus, Elbel, Roncaglia, Salmanticenses, Sanchez, Sylvester, Suarez aliique, non tenemur sub gravi evitare, ideo quia non influunt directe et per se in pollutionem.

Advertimus tamen actiones, quæ per se remote tantum in pollutionem influunt, posse influere proxime in eandem *respective* (cum periculo consensus), idest relate ad peculiarem alicujus infirmam dispositionem. Et tunc in eo tales actiones essent utique peccaminosæ mortaliter, ut valde probabiliter docent Roncaglia et Salmanticenses. Hinc qui frequenter pollutiones expertus est ex causis per se non graviter culpabilibus in materia turpi, puta ex curiosa inquisitione in lexicon turpium verborum, ex aspectu picturæ non ita honestæ, ex coitu animalium, etc., tenetur eas sub gravi evitare. Unusquisque ergo conscientiam suam consulat, et ex propria inclinatione maxime vitiose acquisita, consideret ex qua causa sibi pollutionis vel malæ delectationis periculum immineat, ut cognoscat quæ causa respectu ipsius sit gravis, quæ non. Hinc si quis patiatur pollutionem involuntariam ex lectione turpi peracta ob simplicem curiositatem, absque prava intentione et sine periculo se delectandi de rebus quas legit, etsi speculative loquendo videatur a mortali posse excusari; in praxi tamen facile non excusamus, maxime si ideo jam frequenter pollutionem sit passus; nam illius respectu lectio illa graviter in pollutionem influit.

785. Q. 3. *Si semen humanum noceat, licetne illud expellere?*

R. Non licet; actio enim seminis administra ad solam generationem

a natura per liberum agentem permissa est. Neque dicas, quod possunt expelli e corpore humores superflui: disparitas est, quod humores dantur primario in bonum corporis, et ideo illius bono subduntur; at semen habet finem unicum a natura, nempe generationem. Neque pars est superflua, sed virtus potentiæ generativæ [1].

Si tamen semen judicio medicorum transierit in materiam corruptam, tunc poterit medicinis expelli, etsi præter intentionem sequatur aliqua vera seminis effusio, uti affirmant communius et satis probabiliter Billuart, Bouvier, Layman et Sanchez contra Bonacinam, Croix et Lugo: quia tunc veri seminis effusio per accidens sequeretur, cum non intendatur directe. Intellige: 1) si semen certo sit corruptum: in dubio non licet, nam verum semen est in possessione, unde nostrum est probare illud esse corruptum; 2) si alia desint remedia; cum enim hoc periculosum admodum sit, non est tentandum, nisi in extremis; 3) si fieri possit sine sensu libidinis, qui semper malus est. Hinc non licet id procurare tactibus; quia confricatio de se tendit ad commovendos spiritus carnales et verum semen expellendum [2].

786. Q. 4. *Quid de pollutione in somnis habita?*

R. Pollutio in somno habita per se non est peccatum: quia in somno nulla libertas. Diximus *per se;* nam erit mortalis: 1) si ante somnum directe aut formaliter fuerit procurata, vel ideo calidam potionem sumendo vel certo situ apposite cubando; tunc pollutio esset voluntaria in causa; 2) si post somnum placuit ob delectationem veneream; tunc accederet formalis consensus.

Notandum, quod cum pollutio contingit in somno, et seminis emissio contingit in vigilia semiplena, tunc etsi quædam adsit delectatio, cum non sit plene deliberata, peccatum erit dumtaxat veniale. Item si seminis emissio incæperit in somno, sed consummetur in plena vigilia, modo absit in delectationem consensus vel proximum ejusdem periculum (quod ex præterita experientia judicatur), non tenetur emissionem illam quis in se cohibere, ne se morbi periculo exponat semen corruptum violenter in se retinendo [3].

787. Q. 5. *Quid sentiendum de simplici distillatione?*

R. Hoc nomine intelligimus fluxum quendam humoris medii urinam inter et verum semen, qui guttatim in parva quantitate decidit.

Si distillatio hæc evenit præter intentionem, nempe sine ullo voluntario sensu carnis et sine spirituum commotione item voluntaria, nullum est peccatum; neque plus oportet de ea inquirere, quam de simplici alio quocumque corporis sudore.

Si vere eveniat cum voluntario carnali sensu et cum spirituum generationi inservientium commotione, v. g. ex turpi colloquio, aspectu, tactu, etc., erit peccatum mortale; esset enim inchoata pollutio. Adde: ipsa esse non potest sine magna carnis rebellione. Unde pro praxi recte advertit Sanchez, quod data opera etiam levem distillationem procurare, mortale est; quia illa ut plurimum secum fert nimiam commotionem, et aliquantuli veri seminis effusionem, aut certe illius effusionis proximum periculum.

[1] Neque opponas illud aliquando a natura expelli; quod enim a natura fit, non est contra naturam, sed ab Auctore naturæ; neque ideo fieri licite potest a nobis. Sic contra naturam non est, quo quis ex defectu virium moriatur; at esset, si quis ideo vires sibi vellet adimere. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 477.

[2] Nunc medici testantur semen non corrumpi, sed tantum non elaborari: ac proinde vanam esse hypothesim seminis corrupti et morbiferi.

[3] Adde illud retinere difficillimum esse: et ita communiter Theologi cum Concina. Expedit tamen pro avertendo quocunque periculo peccati, ut talis sese crucis signo muniat, ut mentem ad contraria convertat, ut ss. Jesu et Mariæ Nomina invocet.

768. Q. 6. *Quid est sodomia, et quid de ea?*

R. Sodomia perfecta definitur communius ac probabilius cum d. Thoma [1]: *Concubitus ad non debitum sexum, nempe masculi ad masculum, vel fœminæ ad fœminam.* Unde concubitus cum debito sexu, nempe masculi ad fœminam, sed extra vas naturale, erit adhuc sodomia, imperfecta tamen. Sodomia suum nomen accepit ab urbe Sodoma, quæ in tanti criminis pœnam igne a cœlo delapso fuit una cum suis incolis tota consumpta [2]. Ex tali autem pœna criminis gravitatem facile colligere est: et sane illud vehementissime natura refugit. Talem ignominiam graviter quoque insectatur Apostolus [3]. *Horrendum scelus* appellat Pius V, et Chrysostomus sodomitas eloquentia sua conterit, infamiores ipsis canibus eos dicens [4].

Debet autem necessario pœnitens aperire in Confessione circa sodomiam: 1) qualis fuerit persona, quacum peccaverit, an sacra, conjugata, consanguinea vel affinis; idque ob specialem malitiam, quæ tunc superadditur vel sacrilegii vel adulterii vel incestus; 2) in sententia probabiliori tenetur etiam aperire, an fuerit agens an patiens; quia in primo contingit pollutio, non semper in altero; 3) an persona complex sit diversi vel ejusdem sexus; nam in sententia communiori perfecta sodomia est diversæ speciei ab imperfecta; cum sit major ac diversa deformitas contra naturam rationalem, non servare neque debitum sexum, neque debitum vas.

Jure canonico, si sodomitæ sint laici, excommunicationi subduntur, ac declarantur infames [5]. Si clerici vel religiosi, ex Bulla *Horrendum* s. Pii V, privantur omni officio, omni Beneficio atque privilegio clericali. Verum sodomitæ has pœnas non incurrunt, nisi sodomia sit: 1) *perfecta*, nempe cum alio ejusdem sexus; 2) *completa*, nempe consummata intra vas: lex enim in odiosis est strictæ interpretationis [6]; 3) *frequentata*, nam Bulla loquitur *de exercentibus sodomiam.* Hanc pœnam probabilius incurrunt etiam patientes; cum vere sint sodomitæ [7].

Solet etiam ab Episcopis sodomia reservari (uti reservata est in Synodo Novariensi, pag. 321), si tamen major sit (seu perfecta) et completa. Ex Jure autem civili sodomitæ modo carcere modo reclusione, etc., puniuntur, pro circumstantiarum videlicet varietate *(Cod. pœn.*, art. 420).

789. Q. 7. *Quid est bestialitas, et quale peccatum?*

R. Bestialitas est *coitus cum bestia:* nefandissimum scelus gravius alio quocunque contra naturam; nam ibi non solum non servatur debitum vas aut sexus, sed neque debita species. In ejus execrationem statuebatur a Domino in Lege veteri, ut homo simul et bestia truciderentur [8].

In Confessione opus non est explicari qualis fuerit bestia; cum in genere morum id non referat. Item non est opus, uti communiter et probabilius docent Azor, Potestas, Renzi, Tournely, etc., contra Croix et Elbel, quod explicetur, an bestia illa fuerit mas an fœmella; quia

1 2, 2, q. 154, a. 11. 2 Gen. XIX. 3 Rom. I.
4 Hom. 14 *in Ep. ad Rom.* 5 C. 1 *de excess. prœl.*
6 Etiam inter fœminas habetur completa sodomia, vel ope instrumenti, vel naturaliter eo modo, quo compleri potest, quoties nempe fit applicatio unius partis ad partem alterius cum aliqua seminatione intra vas. Ita Salmanticenses, Luraschi, etc.
7 Non tamen pœnæ contra sodomitas incurruntur ipso facto, uti verius dicunt et communius; quia nulla pœna activa privans jure acquisito incurritur, nisi post sententiam saltem declaratoriam, quamvis pœna exprimatur ipso facto incurri; cum nimis sit durum, ut quis debeat in seipsum gravem pœnam exequi. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 472.
8 Lev. XX. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 473, 474.

hic tota essentialis deformitas consistit in accessu ad diversam speciem: unde qualitas bestiæ et sexus accidentalis est. — Bestialitas in omnibus ferme Synodis diœcesanis reservata est, licet extra vas naturale expleatur (uti in Novariensi, pag. 321).

§ III. — *De luxuria imperfecta.*

790. Luxuria imperfecta sistit in delectationibus, osculis, amplexibus, tactibus, aspectibus, turpiloquiis, comœdiis, saltationibus, etc.

791. Q. 1. *Quid est, et quotuplex delectatio?*

R. Delectatio, quæ in genere definitur *quietio appetitus in aliquo quod placet*, triplex est: alia *spiritualis* sive intellectualis; alia *organica* sive sensibilis; alia *venerea* sive carnalis. *Prima* est quietio appetitus spiritualis in bono extra sensus posito; talis est delectatio, quæ exurgit ex contemplatione veritatis. De hac nulla quæstio. *Secunda* est quietio appetitus sensitivi in aliqua impressione grata, oritur nempe ex conformitate rei sensibilis cum organo sensus, quin tamen ullo modo commoveantur spiritus genitales. Talis est delectatio visus ex re pulcra, auditus ex musica, tactus est lenitate, gustus ex sapore, odoratus ex suavitate. *Tertia* est quietio appetitus sensitivi sese oblectantis circa res ad generationem tendentes. Est quæ sentitur circa partes venereas, et oritur ex commotione spirituum genitalium [1].

792. Q. 2. *An in delectatione venerea et sensibili detur materiæ parvitas?*

R. 1: Quod pertinet ad delectationem *veneream* sive *carnalem*, in ea non datur, ex communi Doctorum contra Sanchez, Sotum et Salas, parvitas extra conjugium; talis enim deliberata delectatio est quædam semper inchoata pollutio, seu motus ad ipsam. Hinc Alexander VII damnavit hanc sub n. 40 propositionem: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus et pollutionis.* Hinc fortiter improbandus qui sic delectando manum mulieris attrectat, digitos contorquet, pedem premit, etc.

R. 2: Quoad delectationem *sensibilem*, speculative loquendo, est probabilis opinio Billuart, Gousset, Collet, Sylvii et aliorum, qui docent dari in hac parvitatem materiæ: nam hæc delectatio, sistendo ibi et ex se, mala non est; cum ipse Deus eam sensibus pro fine legitimo annexuerit: unde erit tantum mala ratione periculi, quod potest etiam leve esse. Hinc leviter tantum peccaret qui aspicit pulcram mulierem, aut tangit ejus manum vel faciem, præcise propter delectationem mere organicam seu sensualem, consistentem in quadam conformitate rei visæ vel tactæ cum organo visus vel tactus; ita ut non sit aliud quam delectatio de re pulcra quæ videtur, aut de re blanda, tenera quæ tangitur; absque ulla rei turpis delectatione.

Diximus: *speculative loquendo;* nam in praxi tenendum contrarium cum Cajetano, Diana, Filliuccio, Roncaglia et Salmanticensibus, quando

[1] Eadem persona potest esse objectum hujus triplicis delectationis. Si illa amatur ob dona naturalia intellectus, est *delectatio spiritualis;* si amatur ob quandam excellentiam corporis, est *delectatio sensibilis;* si amatur ob voluptatem carnalem ad concupiscendam eam, est *delectatio venerea.* Hic etiam notamus, nomine *delectationis* intelligi omnes cogitationes malas in genere luxuriæ, scilicet desiderium, gaudium et delectationem morosam proprie dictam, de quibus speciatim supra n. 745.

delectatio sensibilis est cum plena advertentia et consensu circa objecta, quæ grave animæ periculum inducere possunt. Nam ob corruptam naturam est moraliter impossibile, ut hæc delectatio venereæ locum non faciat, maxime si delectatio sensibilis habeatur a personis ad copulam aptis, vel sit cum aliqua mora et affectu [1].

Bene tamen advertit Continuator Tournely, aliud esse agere propter delectationem; aliud autem agere cum aliqua delectatione naturali, quæ de se consurgit ex qualitatibus corpori adnexis. Quia in hac potest quidem dari parvitas materiæ; cum directe ac per se non habeat rationem periculi proximi: puta in medico, qui ex necessitate mulierem tangit. Modo (addendum) curet non sistere in tali declaratione, sed eam detestetur; alias jam quasi agere inciperet propter delectationem, quæ licet naturalis sit, non est tamen sejuncta a proximo periculo transeundi in carnalem.

793. Q. 3. *Quid de osculis, amplexibus, etc. extra conjugium?*

R. Oscula, amplexus et similia in partibus honestis possunt extra conjugium fieri: 1) ex intentione delectationis venereæ; 2) ex intentione delectationis sensibilis; 3) ex simplici consuetudine patriæ et benevolentia; 4) ex animi levitate, joco, curiositate vel petulantia.

1. Oscula, amplexus et similia, si fiant ex intentione delectationis venereæ, sunt mortalia; cum talis delectatio tendat ad luxuriam perfectam. Imo sunt ejusdem naturæ cum actibus luxuriæ consummatis, quia attingunt totum objectum ut est in se: hinc in Confessione exprimendum, an locum habuerint cum persona conjugata, etc.

2. Si hæc fiant ex intentione delectationis sensibilis, adhuc tenendum, esse mortale peccatum; est enim se exponere proximo periculo in delectationem carnalem labendi. Nam ob naturæ corruptæ infirmitatem et ejusdem in luxuriam proclivitatem, difficile est in sola delectatione sensibili immorari, nec ad venereum procedi [2].

3. Si hæc fiant tantum vel ex patriæ consuetudine, vel causa officii aut benevolentiæ, vel alia intentione non mala, non erunt peccata, etsi delectatio venerea suboriatur, modo voluntas illam adversetur, et omne absit periculum proximum consentiendi. Non enim hoc in casu per se impudica dici possunt, vel tendere in actionem veneream.

4. Si fiant ex quadam levitate, joco, curiositate vel petulantia, cum supponantur in se honesta, et tantum deficiant in modo, per se non erunt nisi venialia; si tamen absit consentiendi periculum, nec scandalo sint, uti essent scandalo, si hæc fierent ab ecclesiasticis. Si vero hæc crebro contingant, cum mora atque ardore, uti cum os ad os fiant quasi gustatis labiis vel lingua introducta, præsertim inter personas diversi sexus, erunt grave peccatum; quia valde ad libidinem solent excitare, et facillime ad venerem, declinant, attenta hominis fragilitate.

794. Q. 4. *Quid de tactu partis inhonestæ corporis proprii vel alieni?*

R. Ad 1: Ad corpus proprium quod attinet, si tactus contingat ex necessitate vel ex fine aliquo honesto, v. g., ad abstergendas corporis sordes, nullum erit peccatum etsi venerea suboriatur tentatio, modo eam voluntas adversetur; causa enim honesta est, periculum vero re-

[1] Ipse Billuart ait *(De temperantia,* diss. v, a. 2): *a delectatione sensuali ad venereum, maxime in sensu tactus aut visus, facilis est progressus;* intellige *in re sensuali periculosa;* neque enim quis diceret illum peccare qui sensibiliter delectatur ex concentu musico. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 416; et *Homo Apost.*, tract. IX, n. 2.

[2] Hinc merito communiter docent, delectationem sensibilem in praxi vix ac ne vix quidem a venerea separari. Ideo actus inde provenientes esse ut plurimum peccata mortalia, præsertim si exerceantur inter personas diversi sexus ad copulam idoneas, et sint cum aliquo affectu et mora, ut dictum est.

motum, nulloque modo volitum. Quod si nulla sit necessitas partem pudendam proprii corporis tangendi, neque finis aliquis honestus, sed tactus procedat ex levitate vel joco, erit venialis, si obiter fiat, non repetitis vicibus, et absque periculo consensus venerei; non enim tunc adest, nisi aliqualis turpitudo. Mortalis vero, si fiat studiose, morose et cum proximo turpis concupiscentiæ periculo, ut patet.

R. Ad 2: Quoad corpus alienum regulariter a mortali excusari non potest qui absque necessitate tangit partes pudendas alterius, vel partes admodum vicinas, etiamsi persona illa sit ejusdem sexus, et tactus fiat super vestes. Quia talis actio, quamvis poneretur ex animi levitate, natura sua ad venerem excitat vehementissime, et honestati valde adversatur. Hic graviter increpanda mater, quæ filios omnino nudos una simul in lectulo collocat, cum tanto periculo pudoris ac verecundiæ. Et maxime si masculos jam grandiusculos una cum ipsa dormire permittat, prætextu, quod lecto careat: id nullimode permittendum esset.

Diximus *regulariter;* quia si tactus hujusmodi contingerent inter impuberes ex levitate et joco, absque ulla delectationis venereæ intentione, a mortali poterunt excusari; cum in hoc casu non videantur in eandem (saltem graviter) ex se influere [1].

795. Q. 5. *Quid de illo, qui permittit se ab alio turpiter tangi?*

R. Admittens tactus graviter impudicos peccat dupliciter et mortaliter; tum quia consentit peccato alterius; tum quia se exponit periculo turpis affectionis. Peccat pariter lethaliter qui voluntarie admittit oscula, amplexus, et vel ipsam manus contrectationem, si id fiat affectu libidinoso. Hinc illud:

Ni fugias tactus, vix evitabitur actus.

796. Q. 6. *Quid de aspectu partium inhonestarum?*

R. Partes *inhonestæ*, seu turpes et obscenæ sunt partes genitales iisque proximæ; porro vel agitur de aspectu partium inhonestarum proprii corporis; vel corporis alieni aut ejusdem aut diversi sexus.

1. Aspectus partium inhonestarum proprii corporis, si fiat ex mera levitate aut curiositate, veniale non excedit, quando secluso affectu venereo obiter tantum contingit; quia tunc non est incentivus libidinis.

2. Si aspectus partium inhonestarum refertur ad personas ejusdem sexus, non est per se mortale; quia nec videtur graviter honestati adversari, nec adeo ad luxuriam inclinare. Diximus *per se;* nam excipe: 1) si aspiciens sit ad turpia valde inclinatus; tunc illi periculum esset proximum: item est si pulcher adolescens aspiciatur nudus; 2) si aspectus sit nimis diuturnus; neque enim in hac naturæ cor-

[1] Quod dicendum quoque est de ancillis vel nutricibus, quæ dum induunt vel spoliant infantes aut adolescentes, partes eorum pudendas aspiciunt vel tangunt ex levitate; hoc enim ordinarie non est conjunctum cum gravi carnis commotione. Attamen ab hac prava consuetudine graviter sunt arcendæ ancillæ, quia si id in more habent, turpem habitum se tangendi de facili vel ipsi adolescentes contrahunt, qui inde non raro in profundum veniunt. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 416; — Ferraris; V. *Tactus.*

Genitalia autem brutorum tangere (etiam ex sola curiositate, joco, vel levitate) usque ad effusionem seminis belluini, est mortale cum hoc vehementer natum sit ad libidinem excitandam; per se tamen tangere, molliter tractare genitalia bruti non est, nisi veniale.

Conjungentes equos, tauros, etc., ad procreandam prolem, non peccant, etsi motus libidinis exurgat, modo ei non consentiant: cum sit res necessitatis, vel res utilitatis. (Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 419 et seqq.) Olfacere ex curiositate menstruum, semen et cetera fœda, videtur inordinatio, gravis vel levis juxta periculum.

ruptione diu esse potest, quin concupiscentia stimulos acuat suos. Hinc reprehendendi graviter sunt simul natantes, detectis verendis [1]; et vigilandum ab ecclesiastica et civili potestate, ne natantes posthabita verecundia alienis oculis, præsertim personarum diversi sexus nudos se objiciant; quod sine gravi periculo esse nequit.

3. Si vero aspectus partium inhonestarum, cum voluntaria delectatione actus, refertur ad personam diversi sexus, vel ad humanum concubitum, hoc erit mortale (nisi visio contingeret e loco valde longinquo, et tempore brevissimo et absque turpi affectu). Talis enim visio ad luxuriam vehementer inducit, et maximam turpitudinem procul dubio includit [2]. Neque excusaris a gravi, si partes turpes velo tenuissimo et perlucido aspicias; quia talis aspectus potius libidinem auget.

797. Q. 7. *Quid aspicere partes honestæ personæ pulcræ diversi sexus?*

R. Dicimus imprimis cum d. Thoma diuturnum mulieris pulcræ aspectum in eo, qui inordinato amore erga eam feratur, esse peccatum grave ob grave, cui se exponit, libidinosæ delectationis periculum; idem est de diuturno colloquio vano cum puella inordinate dilecta. Si vero aspectus contingat ex simplici urbanitate, vel ex causa alia honesta, non erit peccatum; vel veniale, si aspectus sit diuturnus aut ex curiositate, videlicet ratione aliqualis periculi.

798. Q. 8. *Quid de tactu et aspectu partium minus honestarum?*

R. Partes minus honestæ dicuntur pectus, brachia, crura, etc. Secluso pravo affectu libidinoso aut ejus periculo, proprias partes minus honestas tangere aut aspicere, ex levitate, veniale non excedit. Item est si aspiciantur partes minus honestæ corporis alieni, etiam mulieris; si aspectus non sit diuturnus, neque aspiciens ad venerem valde proclivis; cum tunc grave periculum non adsit pravæ delectationis. Quod currit etiam de tactu, qui ex joco vel levitate fiat; non tamen de osculo, quod non potest supponi fieri sino ullo affectu libidinoso.

Ceterum fortiter est increpanda illorum juvenum procacia, qui manus ex proposito immittunt in sinum mulieris; affectus enim libidinosus si non antecedit, certe sequitur ex tali tactu, uti experientia docet: adde vel ipsam quæ tangitur, non raro sic exponi pollutionis, vel libidinosæ delectationis periculo. Ait Goritia: tactus uberum, fœminæ præsertim jam puberis, sunt mortales cum sunt pressi et morosi; veniales vero, si leves et fiant obiter, superficialiter sineque affectu libidinoso.

799. Q. 9. *Quid de eo, qui aspicit picturas obscenas?*

R. Iste per se et speculative loquendo, non peccat, si nulla sit delectatio turpis, neque proximum ejusdem periculum; quia revera artificialia minus movent, quam naturalia. In praxi tamen putamus difficulter a mortali posse excusari virum, qui partes inhonestas mulieris depictæ morose aspiceret; difficulter enim iste liberare se poterit a turpi delectatione, vel saltem a proximo ejusdem periculo; nisi aspiceret per tempus brevissimum vel in magna loci distantia. Idem docet

[1] Notat Sanchez, explicandum in Confessione qualitatem personæ, quæ fuit turpiter aspecta; quia aspectus sicut et tactus ab objecto specificantur. Sed verius contradicit Croix: quomodo enim quis aspiciens turpiter consanguineam committit incestum, si aspiciat sine ullo ejus desiderio? Videlicet aspectus afficiunt immediate solam personam, et ideo natura sua non censentur in actum consummatum tendere, et esse quasi aliqua copulæ affectiva inchoatio. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 421.

[2] Excusant a mortali Salmanticenses, si absit periculum commotionis, ratione ætatis puerilis vel etiam senilis vel frigidæ complexionis; sed hoc nec admittendum puto; cum saltem ex visu turpi oriatur periculum concupiscendi. Sunt autem graviter increpandi pueri illi ac puellæ sibi invicem verenda detegentes, etsi obiter et ex levitate et quin ulla adsit visus delectatio; id enim si non erit mortale ad mortale sine dubio conducit. Morose autem aspicere commixtionem animalium periculosum est.

Billuart, si aspectus fiant ex levitate, vel ex curiositate; aut si picturæ infantes tantum repræsentent.

Quod vero pertinet ad illos qui pingunt vel exponunt publice imagines obscenas, scilicet detectis verendis vel tenui velo obductis, isti peccant gravissimo scandalo, cum picturæ istæ præsertim adolescentes valde ad libidinem provocent [1]. Monet Tridentinum: *omnia lascivia vitentur ita, ut procaci venustate imagines nec pingantur nec ornentur* [2]. Quod etiam valet de iis, qui eas domi retinent omnium aspectui expositas; cum sibi et aliis pravam præbeant occasionem.

800. Q. 10. *An sit mortale turpia verba proferre?*

R. Affirmative: mortale est turpia verba proferre, si ea sint nimis lasciva, uti si nominentur pudenda alterius sexus, aut modus copulandi, maxime si fiat cum aliorum scandalo, quod adest plurimum, cum dicuntur coram puellis aut pueris; vel si sint cum periculo malæ delectationis in se ipso. Unde ajebat Apostolus: *corrumpunt mores bonos colloquia mala* [3]. Si tamen proferantur ex joco aut ex ira inter personas, in quibus vel nulla vel levis carnis commotio excitari soleat, non sunt nisi venialia peccata; cum periculum sit valde remotum: ut si ista nominentur inter conjugatos qui venereis assueti parum ordinarie moventur [4].

Hic etiam notandum dicteria, quæ proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, etc., remoto scandali periculo, de se non esse mortalia; quia ea proferentes et audientes parum commoventur. Item neque semper videntur habenda ut mortalia tenera colloquia cum personis diversi sexus; quamvis non sit negandum ea esse periculis plena, præsertim si diuturna sint, aut si in locis solitariis fiant.

801. *An* (quæres) *sit mortale verba obscena audire?*

R. Quod dicitur de obscena verba proferente, idem generatim dicendum de ea ex proposito audiente; cum æque sit in morum corruptionem. Ceterum hac in re notamus:

1. Qui audiunt obscena vel auctoritatem habent in proferentes, vel non. Si auctoritatem habent, eos sub gravi cohibere debent quantum moraliter possunt: si non habent, eos admonere tenentur: aut ad minus tacere. Præsertim mulieres cavere debent, ne turpibus assentire videantur, ne libido virorum inflammetur.

2. Non subito pronuntiandum est eos omnes, qui audientes turpiloquia parum rident, mortaliter peccare; fieri enim potest, ut de modo dicendi potiusquam de rebus ipsis rideant. Ideo in hoc casu mortaliter non peccant, nisi grave præbeant scandalum, ut facile præberent religiosi et clerici.

3. Quod de verbis turpibus diximus, pari ratione dicendum est de cantilenis inhonestis. Carmina valde turpia componere, cantare vel libenter audire, est mortale: item mortale est, si grave detur scanda-

[1] *V.* Travi, *Della convenienza di trattare la scultura e la pittura in relazione all'attuale progresso de' lumi.* — *Amico cattolico.* Milano, t. XXII, p. 22; — *Memorie di Modena*, t. XII, ser. 3ª: *La decenza nelle Belle-Arti;* — Cittadella, *Istruzioni al pittor cristiano.* — *Civ. Catt.*, ser. 2ª, vol. XI, pag. 658; — Rosignoli, *La pittura in giudizio.*

[2] Sess. XXV. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 424. — *Analecta*, 1857, pag. 137.

[3] I, Corint. XV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 426. — Ferraris; V. *Luxuria.*

[4] Videant tamen conjugati, ne aliis gravi scandalo sint: « Rarum non est (ait *Stapf*, § 482), ut homines omni spurcitia repleti corruptionis suæ initium a propriis parentibus repetant, quippe quorum pudendæ conversationis testes fuerunt. Omnem fidem superat quæ sit circa hanc materiam ætatis adhuc teneræ sagacitas: hinc summopere dolendum est ubi parentes proles suas sui jam quodammodo compotes vel in suo secum cubili tenent, vel coram ipsis inhoneste jocantur, etc. Hujusmodi impressiones tenello animo infixæ hærent, et serius vel citius in fœdissima ulcera prorumpunt. »

lum, v. g. si clericus carmina etiam æquivoca conficiat, aut coram aliis, præsertim coram sæcularibus, ea cantet, aut approbet.

802. Q. 11. *Quid de adolescentibus et puellis, qui se invicem adamant, vulgo:* fanno all'amore?

R. Generatim loquendo, isti omnes non sunt indistincte de gravi culpa damnandi, sed ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam lethaliter peccandi. Id nimium experientia patet; nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres in occasione mortalibus invenientur immunes; et si non in principio, saltem in progressu. Tales enim adamantes prius conversantur invicem ob propensionem; deinde propensio fit passio; et passio, postquam radicem in corde fixerit, mentem obtenebrat, et eos in mille crimina ruere facit. Hinc cardinalis Picus de Mirandula, episcopus, suos monuit confessarios, ne tales adamantes absolverent, si ter ab aliis jam admoniti, ab hujusmodi amore non abstinuissent, præsertim tempore nocturno aut diu aut clam intra domos (cum facili periculo osculorum et tactuum), aut contra parentum præceptum, aut cum altera pars prorumpit in verba obscena, aut cum scandalo (ut si in Ecclesia), aut cum conjugatis, claustralibus, clericis [1].

803. Q. 12. *An peccent qui theatris intersunt?*

R. Theatra licet de se mala non sint, sed indifferentia cum bene et male haberi possint, ordinarie tamen loquendo, negari non potest ea esse plena periculi, maxime pro adolescentibus, quorum jam sanguis per se satis ebullit. Nam et luxum fovent et turpiter visum pascunt et animam enervant et passiones nimium acuunt; et quod non raro lugendum est, Religionem, ritus, catholicum ministerium atque ministros irrident, non sine maximo animarum scandalo ac ruina [2].

Ad meritum tamen quæstionis veniendo, dicimus nullum esse peccatum sive comœdiis interesse sive eas agere, si honestæ sint: *officium histrionum, quod ordinatur ad solatium exhibendum hominibus, non est secundum se illicitum*, ait Angelicus [3]. — Si vero comœdiæ sint aliquantisper turpes, eas audiens peccabit tantum venialiter, nisi jam expertus sit suam fragilitatem; nam pro modo periculi peccatum est. Si tandem comœdiæ sint notabiliter turpes vel in re vel in modo, mortaliter peccant interessentes ideo ut delectentur; cum talis delectatio nata sit ad venerem incitandam. Sed quoad illos qui ob solam curiositatem vel solatium vanum intersunt, secluso periculo pravæ delectationis, licet nonnulli eorum aliquando forsan excusari valeant a mortali, si sint simplices spectatores; non excusantur tamen: 1) adolescentes, et alii parum timoratæ conscientiæ, in quibus de facili semper adest delectatio turpis, vel saltem illius periculum; 2) ecclesiastici omnes et religiosi, quos merito docet Benedictus XIV non posse iis comœdiis interesse absque scandalo gravi [4].

Diximus: *si sint simplices spectatores;* nam semper mortaliter peccare dicendi sunt qui pecunia vel plausu ad comœdias notabiliter turpes concurrunt, quamvis sine ipsis comœdia adhuc fieret. Etenim etsi materialiter tantum; adhuc positive concurrunt ad opus graviter ma-

[1] *V.* Liguori, *Praxis Conf.*, § 65. Et dicenda Lib. IV, *Append.:* de pœnitentium directione.

[2] *V.* Rulfus, *Theatrum modernum bonis moribus exitiosum.* — Riccardi, *Dei mezzi di promuovere l'Educazione religiosa*, cap. XXV. — Fénelon, *Lettres sur les occupations de l'académie.* — Bossuet, *Maximes sur la comédie.* — *Sentimenti di s. Carlo intorno agli spettacoli.* — *Civiltà Catt.*, ser. 2ª, vol. V: *Del teatro italiano.* — Ferraris; V. *Comœdiæ*, etc.

[3] 2, 2, q. 168, a. 3.

[4] *De Syn. Diœc.*, c. X.

lum [1]. A fortiori peccant qui comœdias notabiliter turpes impedire tenentur et possunt, neque impediunt. A fortiori qui illas componunt, vel repræsentant, cum moraliter certum sit multos inde ad peccatum incitandos. — Neque liberantur eo quod scandalum non intendant, sed lucrum: opus enim de se illud satis intendit. Neque amissio magni lucri excusat, nam bonum corporis non valet bonum animæ. Attamen advertendum, ab omni peccato excusari *milites*, qui interesse tenentur ad invigilandum; *famulos*, qui dominorum; *filios*, qui parentum; *uxores*, quæ virorum indignationem paterentur gravem, si theatris adesse renuerent. Justa extante causa, periculosa actio poni potest, salutaribus tamen præsidiis peccandi periculum avertendo.

604. Hic venit graviter reprehendendus abusus ille maledictus, fructus sacrilegus nostræ præsertim ætatis, videlicet religiosorum habitu, ac vestibus sacerdotalibus ignominiose utendi in ludis ac scenicis spectaculis (quod quidem gravissime olim puniebatur [2]). Item de theatris, ubi reverentia nulla, sed petulans licentia imperat Sacra fingendi, Ecclesiæ hymnos decantandi, personas maxime reverendas ridendi, et omnia quæ in Ecclesia nonnisi venerabunde aguntur, in comica scena exhibendi: quæ quidem neque repræsentari neque spectari possunt omnino sine portentoso fidelium scandalo atque immani sacrorum contemptu.

605. Q. 13. *An liceat choreas ducere?*

R. Choreæ secundum se et ex natura sua, uti observat Salesius [3], si nempe fiant neque fine malo, neque cum periculo seipsum vel alios ad libidinem excitandi, neque cum aliqua mala circumstantia conjungantur, non sunt malæ nec actus libidinis; sed potius lætitiæ. et non raro, ex Gury, inveniuntur mulieres et puellæ, quæ ut ex eorum confessione apertum est, nullum aliud peccatum, nisi aliquos superbiæ motus admittunt, vel quæ minime peccant. Hinc legitur, David quoque regem *saltasse viribus totis*, coram Domino tamen [4]. Unde s. Antoninus docet, choreas per se non esse prohibitas, modo fiant a sæcularibus cum personis honestis et honesto modo.

Verum in praxi sunt attente dissuadendæ; quia, ut plurimum, fieri solent inter juvenes diversi sexus, intercedente etiam colloquio familiari, blanda manuum attrectatione, musici concentus soavitate, procaci nuditate, ceterisque, quæ facillime concupiscentiæ motus solent excitare, præsertim in adolescentibus, ut luctuosa docet experientia. Huc facit illud Ecclesiastici: *cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius* [5]. Et s. Ephrem: *ubi citharæ et*

[1] Aliter tamen dicendum de iis, qui remote tantum cooperantur, v. g. aulam theatralem verrendo, ædificium instaurando, etc. Ceterum theatra non ita forsan sunt castitati exitiosa ut choreæ.

[2] L. Authen. *de Ss. Episc.* § ult. — Cum autem a theatricis ludis non possit populus averti, præstat ut bonæ malis substituantur comœdiis, quæ nempe non sint *sacrarium Veneris, concistorium impudicitiæ* ex Tertulliano, *De spectac.*, c. XVII.

[3] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 427; et *Praxis confessarii.* — Sales, *Filotea*, p. 2ª, c. XXXII; et p. 3ª, c. XXXIII.

[4] XI Reg. VI. — Alicubi panicum et alia grana (jam feriali die præparata) noctu solent pedibus excuti in festis choreas ducendo: quamvis non sit contra sanctificationem festorum, attamen sine periculo animæ non est, uti testantur experti. Parochus in his aliisque similibus prudenter se gerat, ne volens malo occurrere illud adaugeat intempestivo zelo; nam quidquid agat, non intermittentur. Potius invehat directe in peccata, quæ committi solent choreas agendo. Ita Gury et Gousset.

[5] Cap. IX. « Præter luxuriam (ait *Stapf*, § 317), etiam alia peccata quasi turmatim ex hac arena procedunt, nimirum luxus quoad vestitum et indecentem ornatum corporis, vesana zelotypia quæ non raro in mutuas offensiones et cruentas rixas prorumpit, gula et ebrietas, destructio sanitatis, bonorum profusio, domestica furta, pro-

chori, ibi mulierum perditio, ibi Angelorum tristitia et festum diaboli [1]. Et d. Ambrosius: *quid verecundiæ ibi potest esse, ubi saltatur, strepitur, concrepatur* [2]? Vel ipse Petrarca vocat (Dialogo XXXIV) *choream veneris præludium, libidinum stimulum, laxamentum licentiæ, ubi liberæ manus, liberi oculi, liberæ voces.* Hinc jure Benedictus XIV concludit, quod etsi choreæ in se videantur licitæ, vix tamen in actu (quomodo nunc fiunt) permitti possunt [3]. Merito ergo Tridentinum clericis gravissime prohibuit, ne ullo tempore choreis interesse præsumant. Et laicis saltem vult suadendum, ne iis intersint in festis, præsertim horis divini officii [4].

Qui chorearum patroni (ad rem Stapf, § 317) *ad s. Franciscum Salesium provocant, meminerint, quid sanctus Præsul de iisdem doceat. In primis tum solummodo choreas admittit, ubi prudentia et pia discretio suadeat, ut votis aliorum concedamus; tum vero monet, ut id raro tantum, honesta semper ratione et cum viva Dei præsentis vel novissimorum memoria fiat. Denique generatim observat, choreas quascumque* fungis *non absimiles esse, qui utcumque scite cocti plus noceant quam prosint, præsertim nisi parce admodum et in stomachum sat validum transmittantur* [5].

Art. II. — *De luxuriæ filiabus et remediis.*

506. Q. 1. *Quænam sunt luxuriæ filiæ?*

R. Luxuriæ filias d. Thomas octo enumerat, quarum quatuor sunt ex parte intellectus, quatuor ex parte voluntatis.

Ex *parte intellectus* sunt: 1) *cæcitas mentis,* qua luxuriosus non advertit ad sui operis fœditatem, dicente Daniele Propheta: *species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum* [6]; 2) *præcipitatio,* quæ secum importat consilii subtractionem: revera nullum consilium ei, qui sua mala concupiscentia tenetur; 3) *inconsideratio* ad judicia Dei et pœnas in luxuriosos constitutas; 4) *inconstantia,* nam luxuriosus nimis facile ab omni bono proposito declinat.

Ex *parte voluntatis* sunt: 1) *amor inordinatus delectationis sensualis,* quo ita voluptates carnales diligit impudicus, ut ultimum finem in iis constituat; 2) *affectus sæculi præsentis,* in quantum vellet perpetuo voluptatibus suis hac in vita perfrui; 3) *horror* et *desperatio sæculi futuri;* quia dum curat tam anxie delectationes carnis, delicias spirituales fastidit: ideo animo horret sæculum futurum, ubi

fanatio dierum sacrorum, innumera scandala, etc. Unde aliquis ex ss. Patribus saltationem recte definit: esse *circulum, cujus centrum diabolus est.*

[1] S. Hier., *de Scriptoribus eccles.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 429.

[2] *De Virg.*, l. III. [3] *Notificationibus* XXXVII et LXXVI.

[4] Sess. XXIV, c. 12 *de R.* — Quoad clericos, supra n. 424.

[5] *V.* Goutier, *Trattato contro i balli e le canzoni oscene.* — Torricelli, *Documenti per le giovani;* — Gaume, *Catechismo di perseveranza,* p. 2ª, lez. XXX, ubi pulcrum exemplum. — *Il ballerino istruito.* Torino, 1867.

[6] Dan. XIII. — Patet etiam exemplo Bezæ in Vita s. Franc. Salesii.

desperat se voluptates carnales habiturum; 4) *odium Dei*, in quantum Deus luxurioso spurcitias suas gravissime vetat ac punit.

Hinc versus:

Cæcutiens, præceps, inconsideratus et instans;
Corpus, tempus amat; refugitque futura, Deumque.

807. Q. 2. *Quænam sunt luxuriæ remedia?*

R. Luxuriæ remedia alia sunt negativa, alia positiva:

a) Remedia *negativa* luxuriæ sunt: 1. Fuga otii; *multam enim malitiam decuit otiositas.* Otium germinans ab acedia animum enervat, atque ideo vitiis omnibus aditum aperit. Hinc d. Hieronymus ad Eustochium: *firmissime tene, quod omnis concupiscentiæ et immunditiæ mater est otiositas.*

2. Abstinentia a lectione librorum, qui agunt de rebus amatoriis, uti sunt pestiferi illi (vulgo *romanzi*), qui toti sunt in profanis describendis amoribus. Quam fatale incendium, in teneris præsertim adolescentium animis, excitari nati sint, vix dici potest!

3. In viris fuga familiaritatis cum mulieribus, licet hæ probæ, imo et devotissimæ videantur. *In medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt; colloquium enim illius quasi ignis exardescit* [1]. — In mulieribus autem fuga familiaritatis cum viris, maxime juvenibus; si enim vir ignis est qui incendit, mulier est palea, quæ incenditur. Caveat autem toto cœlo puella, ne munuscula ab amasio accipiat; cum id mutuum amorem maxime excitet ac foveat. Quod si jam munera accepit, statim ea vel restituat, vel pauperibus distribuat, vel flammis tradat [2].

4. Fuga occasionum, juxta illud Poetæ: *subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam.* Et d. Augustinus: *contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam* [3].

5. Fuga ebrietatis; nam *luxuriosa res vinum* [4]. Et Apostolus: *nolite inebriari vino, in quo est luxuria* [5]. Hinc versus:

Otia, libri absint, mulierque, occasio, vinum.

b) Remedia vero positiva luxuriæ sunt:

1. Oratio frequens: *hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejunio*, ait Christus de dæmone impuritatis.

[1] Eccli. IX et XLII; it. XI, XXV et XXVI; Prov. VII; Job, XXXI; et III, Reg. XI.

[2] Si vero munuscula data sint tantum ad alliciendam fœminæ voluntatem et impetrandum usum sui corporis (non vero ex pacto implicito vel explicito pro ipso usu corporis), non peccaret fœmina contra justitiam illa retinendo, uti dicunt communiter, etsi non consentiat in copulam; quia non est datum pretium sub hoc pacto, sed simpliciter datum est ad vincendum ejus animum. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, n. 76; et l. III, n. 712.

[3] Serm. CCCL *de Temp.* [4] Prov. XX. [5] Eph. V.

2. Frequens Confessio apud eundem confessarium: quo enim magis infirmi status dignoscitur, eo magis remedium adaptari potest. Item (de confessarii consilio) frequens devota Communio, qua manducatur panis Angelicus ac vinum bibitur *germinans virgines.*

3. Memoria Novissimorum. Hinc s. Isidorus: *sicut clavus clavum repellit; ita recordatio ardoris gehennæ ardorem excludit luxuriæ.*

4. Cultus constans et invocatio frequens B. V. Mariæ sine labe conceptæ; est enim *mater pulcræ dilectionis et sanctæ spei.*

5. Custodia sensuum, præcipue oculorum; clamat Augustinus: *oculi vestri, etsi in aliquam jaciantur, figantur in neminem* (id est, si licet raptim aspicere, ut cognoscatis quod illæ sunt mulieres, cavete ne studiose intueamini, ut cognoscatis quæ et quales mulieres); *nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos* [1]. Et sanctus Hieronymus de se ipso ajebat: *fateor imbecillitatem meam, timeo vultum.*

6. Mortificatio carnis, dicente d. Ambrosio: *Libido gravis ignis est: et ideo non demus ei alimenta luxuriæ: pascitur enim conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur* [2]. Hinc versus:

Prex, Sacra, Mors, Virgo: de oculis, de carne triumphus (N).

Concludamus cum sancto Alphonso Ligorio nostro: *In hac materia sexti Præcepti oportet, quantum possibile est, omnem adhibere severitatem; cum in re tam labili nulla cautela unquam nimia existimari debeat: et plures opiniones, quæ speculative sunt probabiles, in praxi improbabiles evadant. Hinc confessarius, ubi periculum pœnitentium inspicit, licet actionem, quam illi vellent perpetrare, de certo peccato mortali damnare non valeat, tamen nullo modo permittat.* Ita in *Homo Apost.*, tract. IX, in fine.

CAPUT TERTIUM

DE GULA, IRA, INVIDIA ET ACEDIA.

SOS. Q. 1. *Quid est gula et quale peccatum?*

R. Ad 1: Gula definitur a s. Thoma: *inordinatus appetitus edendi et bibendi* [3]. Cum causa finalis edendi et bibendi sit necessitas et utilitas naturæ, ordo rationis postulat, ut cibus et potus sumatur in

1 Epist. XIX. — *V.* Stapf, § 531. « Come mai vedere le persone, e non guardarle? *Ciò si fa vedendole con una vista generale in modo di distinguere una donna da un uomo; ma non mirandole fissamente con uno sguardo fermo ed indagatore.* » Sales.

2 *De Pœnit.*, l. I, c. 4. — Addunt, aliquando suadendum esse matrimonium iis, qui nubere possunt, tanquam unicum, aut saltem tanquam efficacius remedium, ut se valeant ab habitu masturbationis liberare. — *V.* Salvatori, *Istruzione pratica pei Confessori*, § 9; — Segneri, *Inestimabili beni della santa purità e danni incalcolabili del vizio contrario.*

3 2, 2, q. 148, a. 1. — *V.* Salvatori, *Istruzione pratica* ecc., § 7.

ea quantitate, qualitate et modo, quibus natura perficiatur et conservetur; si quis ergo in edendo et bibendo committatur excessus, erit peccatum gulæ: si per excessum in cibo, dicitur *commessatio* seu *crapula;* si per excessum in potu, dicitur *ebrietas.* Quoad regulas morum, eadem ferme est ratio; secunda tamen species frequentior esse solet, ac emendatu difficilior.

Quando vero habeatur excessus, non potest facile una regula pro omnibus assignari, cum sit habenda ratio tam complexionis, quam laborum quos quisque sustinet: *Tantum potest quis comedere et bibere*, verba sunt s. Antonini, *quanto credit se indigere ad sustentationem et executionem eorum quæ sibi incumbunt agenda; ita ut non usque ad nauseam sumat, sed cum aliquali adhuc appetitu finem faciat.*

R. Ad 2: Gula, quæ adversatur virtuti abstinentiæ et sobrietatis, potest esse peccatum mortale:

1. *Ratione finis ultimi*, si finis in cibi et potus delectatione constituatur. Tales erant olim Epicurei, et tales sunt hodie qui eorum vestigiis turpissime inhærent, *quorum Deus venter est* [1].

2. *Ratione gravis damni* tum quoad animam, ut si quis prævideat se inde excitatum iri ad luxuriam, tum quoad corpus, si ideo grave sanitati detrimentum afferrat.

3. *Ratione impotentiæ* servandi gravia præcepta, v. g. solvendi debita, alendi familiam: qui enim negligit media, peccat in finem.

4. *Ratione excessus graviter inordinati*, ut si quis vesceretur carne humana, aut humanum sanguinem biberet: cum summa in hoc appareat naturæ inordinatio, nisi forte per medicinam fuerint alterata; vel excuset casus necessitatis extremæ [2].

5. *Ratione scandali gravis* inde obvenientis, uti si clericus commessationibus in loco publico nimis indulgeat. — Extra hos casus gula erit tantum peccatum veniale; quia si gravia hæc mala absint, excessus est levis ob materiæ parvitatem ex s. Thoma [3]. Et d. Augustinus: *quoties aliquis in cibo vel potu plus accipit, quam necesse est, ad minuta peccata pertinere noverit* [4].

809. Quinque modis admittitur peccatum gulæ ex d. Gregorio:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

[1] Phil. III. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. v, n. 73.

[2] Salmanticenses (Tract. XXV, c. 2), putant etiam esse veniale comedere carnes crudas animalium et recentes sine causa; cum hoc habeat quid ferini et belluini.

[3] 2, 2, q. 148, a. 2. — V. Ferraris; V. *Gula*, ubi plura.

[4] Serm. IV *in die Animarum.* — Ideo ajunt probabile esse, quod ex genere suo non sit mortale comedere aut bibere usque ad vomitum, scandalo præcluso ac damno gravi. Ita communius Salmanticenses, Cajetanus, Holzman, Navarrus aliique; nam præcluso scandalo gravi, itemque gravi damno, hoc esset tantum peccatum gulæ, quod quidem ex se non est nisi leve. Alii tamen cum s. Antonino putant hoc esse grave juxta

1. *Præpropere:* hinc peccant qui ordinarium comedendi tempus absque causa antevertunt; tunc enim voluptati, potiusquam necessitati velle satisfacere videntur.

2. *Laute:* id dicitur de iis, qui cibos aut liquores nimis pretiosos conquirunt, nisi eos excuset *vel* infirmitas, *vel* virium debilitas, *vel* proprii status conditio, *vel* peculiaris aliqua temporis circumstantia. *O vilissimam ventris servitutem! O inexplicabilem cupiditatem!* ita hos perstringit cardinalis Bona: *Tibi angustus est orbis, non sufficit ventri tuo quidquid natat in undis, quidquid latet in sylvis.*

3. *Nimis:* intelliguntur hic voluptuosi illi, qui cibis potibusque ita indulgent, ut iisdem saginare se, vel se ingurgitare videantur. Hoc sic insectabatur Lucilius: *edite lurcones, commedones, edite ventres.*

4. *Ardenter,* et ii sunt *qui,* ut ait s. Antoninus, *nimia aviditate cibum et potum sumunt: ad quod pertinere videtur comedere nimis rapaciter et festinanter.*

5. *Studiose:* quod eos respicit, qui cibos nimio studio præparatos inquirunt, ut magis iisdem delectentur.

810. Q. 2. *Quid de voluptate quæ in cibo potuque percipitur?*

R. Si illa voluptas est tantummodo causa concomitans, et sumatur cibus ob moderatam delectationem, sed non ob *solam* delectationem, non est peccaminosa; cum talis delectatio ab ipso naturæ Auctore tam cibo quam potui indita sit, ut homo ad ea sibi sumenda alliceretur, et suam sibi vitam sic sustentaret: *Non solum cibo,* ait Augustinus, *sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter saturandam libidinem, sed propter tuendam salutem* [1].

Si vero voluptas est causa finalis, seu si sumatur cibus ob *solam* delectationem, erit saltem veniale peccatum; cum hoc pervertat aliquo modo naturæ ordinem, dirigendo videlicet finem ad medium; sane delectatio est propter conservationem, non viceversa. Pono illud *solam,* quod positive excludit finem, ad quem cibus suapte natura et principaliter ordinatur. Quare ab Innocentio XI damnata est hæc sub n. 8 propositio: *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus uti.* Huc faciunt Salesii verba: « Certo segno d'uno spirito goloso, villano, abjetto ed infame è pensare ai cibi ed al mangiare avanti il tempo della refezione, ed anco più, quando dopo di essa si trattiene a pensare al gusto, che ha preso nel mangiare, fermandovisi con parole e pensieri, ed in-

illud: *væ qui saturati estis* (Luc. VI): quod quidem exponunt de re in se spectata. Qui tamen vomitu se exonerat, ut iterum edat, vix excusari potest a mortali; cum maximam deformitatem involvat. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 72.

[1] L. IV *contra Julianum,* c. XIV. — Ipse tamen Doctor (l. X, c. 31 *Confessionum*) sic de naturæ corruptione, quam etiam in hac parte experitur, ingemiscit: *Cum salus sit causa edendi et bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, et plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico vel volo.* — *V.* etiam Kempis, *De Imitatione Christi,* l. III, c. 26.

fangando per tal modo il suo spirito nella ricordanza del piacere avuto [1].»

811. Q. 3. *Quid est ebrietas, et quale peccatum?*

R. Ebrietas est *excessus in potu, usque ad violentam rationis privationem.* Opponitur sobrietati, quæ est virtus moderans inordinatum appetitum potus habentis vim inebriandi. — Ut cognoscatur quale peccatum ebrietas sit, audiamus Angelicum: *Contingit* (ebrietas) *esse tripliciter. Uno modo sic, quod nesciat potum esse immoderatum et inebriare potentem; et sic ebrietas potest esse sine peccato. Alio modo sic, quod aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen existimet potum esse inebriare potentem; et sic ebrietas potest esse cum peccato veniali. Tertio modo potest esse, quod aliquis bene advertat potum esse immoderatum et inebriantem...; et sic ebrietas est peccatum mortale, quia secundum hoc homo volens et sciens privat se usu rationis* [2]. Et præfert vini delectationem rationis integritati; et ultro se projicit ad brutorum conditionem; Deique imaginem in se deturpat. Hinc Apostolus ebrios vocat *morte dignos* [3].

Hæc tria perfectæ ebrietatis signa solent indicare: 1) si quis non jam amplius sciat licitum ab illicito discriminare; 2) si loco stare nesciens, aut in vino ipso quasi sepultus talia pronuntiet et faciat quæ nunquam nec pronuntiare nec facere antea consueverat, v. g. absurda et turpia proferens, familiam perturbans, uxorem filiosque verberans; 3) si ab ebrietate egressus ignoret quid in ea dixerit vel fecerit, ubi fuerit, quomodo domum redierit. Unum etiam ex istis ostendit usum rationis amissum.

812. *Quid* (quæres) *sentiendum de malis in ebrietate admissis?*

R. Gravitas peccatorum, quæ ab ebrio committuntur, accipi debet juxta mensuram advertentiæ et voluntarietatis illorum in causa, scilicet in ebrietate. Si igitur mala ab ebrio nullo modo fuerint prævisa, imputari nequeunt ad culpam; nam ea, quæ non sunt in prævisione, neque sunt in cognitione, ideo neque in electione [4].

Si tamen mala in ebrietate admissa prævisa fuerunt aliquo modo, tunc utique imputantur ad culpam, cum causa libere sit posita; et inducunt irregularitatem, reservationem, censuram, si forte in illo genere peccatorum hæ pœnæ latæ sint et peccata illa sequantur; quia ad has incurrendas satis est liberam illis peccatis causam datam esse, et effectum esse subsecutum. Quod si mala illa non sequantur, adhuc imputantur coram Deo; nam cum se inebrians prævideret illa probabiliter ex ebrietate secutura, nec se ab ebrietate

[1] Sales, *Filotea*, c. XXXIV.
[2] 2, 2, q. 150, a. 2.
[3] Gal. v. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. v, n. 78.
[4] Angelicus, 1, 2, q. 77, a. 7. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 78.

voluit abstinere, ea voluisse censetur. Hinc prævisa reputantur mala, et ideo in Confessione aperienda, quæ ebrii ordinarie committere solent, vel quæ quis ex aliis ebrietatibus novit se committere, et etiam peccata ad quæ se noverit propensum; cum enim in ebrietate, amisso rationis usu, homo habitudine operetur, facile prorumpet ad ea vitia ad quæ propendet.

Ajunt tamen ordinarie non haberi ut veras contumelias, ideo reparandas, mala oris in hominem ab ebrio prolata, licet prævisa, quia illa communiter non habentur dedecori, sed potius risu excipiuntur. Diximus: 1) *ordinarie;* nam aliter esset, si quis proferat aliquod infame delictum in aliquam personam determinatam; quia hoc esse non potest sine læsione famæ; 2) *in hominem*, nam prolata in Deum semper sunt peccata. Quia ex una parte sunt voluntaria in causa; ex alia semper Deo sunt injuriosa (quamvis materialiter prolata), et audientibus scandalo, qui semper ab eis cum horrore refugiunt. Ita Sanchez, Toletus, Cajetanus contra Lugo et Vasquez [1] *(O)*.

813. Q. 4. *Quænam sunt gulæ filiæ et remedia?*

R. Ad 1: Gulæ filiæ sunt quinque ex Gregorio Magno: 1) *inepta lætitia*, sive immoderata hilaritas; 2) *scurrilitas*, sive studium mordax movendi in aliis risum per jocos et lubrica; 3) *immunditia*, sive impuritas verborum atque factorum: *venter cibo meroque distentus despumat in libidinem*, inquit s. Hieronymus [2]; 4) *multiloquium*, seu nimia loquacitas, quæ potest esse mortalis, si in gravem Dei vel proximi injuriam effundatur: certo *in multiloquio non deerit peccatum* [3]; 5) *hebetudo mentis;* crapula et ebrietas ita mentis aciem obtundunt, ut homo fiat ineptus ad ea, in quibus aliquid ingenii, consilii vel prudentiæ expostuletur [4]. Hinc versus:

Lætus, scurrilis, fœdus, verbosus et hebes.

R. Ad 2: Gulæ remedium efficax est, ut helluones considerent 1) mortem, quæ omnibus gulæ voluptatibus finem erit impositura: *esca ventri et venter escis*, ait Apostolus, *Deus autem et hunc et has destruet* [5]; 2) quot mala ex gula proveniant, nempe corporis morbi, incitamenta luxuriæ, memoriæ obscuratio, ingenii hebetudo, etc.;

[1] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. VIII, n. 8; — Ferraris; V. *Gula.* — Ceterum actiones in ebrietate (vel somno) exercitæ, licet prævisæ et volitæ in plena vigilia, non essent aptæ ad conficienda Sacramenta; etsi aptæ ad peccatum; nam ex communi æstimatione actiones sacramentales, debent esse actiones humanæ in se: unde ebrius proferens verba consecrationis, etsi antea id prævisum sit, non consecrat.

[2] Ep. *ad Ocean.* [3] Prov. X.

[4] Hisce omnibus adde corporis infirmitates juxta illud Eccli. XXXVII: *in multis escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram.* Et notum est illud: *plus occidit gula, quam gladius.* Hinc monent: *Gulæ pone metas, ut sit sibi longior ætas.*

[5] Cor. VI. — *V.* Castelvetere, *Direttorio ascetico;* — Scaramelli, *Direttorio ascetico.*

3) optimum erit in mensa aliquid gulæ subtrahere, quod palato sit gratius; 4) præstabit meditari Dominum Jesum non solum in vita usum fuisse victu vulgari, sed morti proximum sitim acerbissimam voluisse pati pro nobis. Ubi *poculum bibiturus acceperis* (inquit Joannes Climacus) *memineris acetum et fel Jesu Christo oblatum, atque ita sobrietatis limites non transilies.* Hinc versus:

Mors, mala, subtracta, in cruce Christus sitio *dicens.*

814. Q. 5. *Quid est ira?*

R. Ira est *inordinatus appetitus vindictæ, vel quasi vindictæ.* Est ex genere suo mortalis, quia est directe contra charitatem; hinc ab Apostolo ea numeratur inter opera excludentia a Regno Cœlorum [1].

Dicitur: *inordinatus appetitus;* nam debita cum moderatione appetere vel sumere mali vindictam, non est vitium, sed boni amor et zelus. Sic Christus Judæos circumspexit *cum ira; et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo,* vendentes et ementes [2]. Sic recte agit judex a reo vindictam assumens, pater a filio, dominus a servo, si discolis. Unde vindictam appetere, uti est malum proximi prohibetur; non vero uti est medicinalis delinquentis correctio, aliorum exemplum, conservatio ordinis et violati juris vel irrogati scandali condigna reparatio.

Additum est *vel quasi vindictæ* (id est non propriæ), ad significandum, posse hominem aliquando irasci inordinate etiam in res inanimes, v. g. pictorem in penicillum, quasi suis conatibus male respondeat; agricolam in falcem, quasi fuerit ab ipsa læsus, studiosum in calamum, qui atramentum non effundit.

Dupliciter ira fit culpabilis; ex parte objecti et modi:

1. Ex *parte objecti:* siquis appetat vindictam alicui, qui eam vel minime sibi meretur, vel ultra quam meretur, vel ob finem minime justum, peccabit mortaliter, quia directe lædit charitatem; nisi materiæ levitas aut advertentiæ defectus eum excuset.

2. Ex *parte modi:* si v. g. justam appetens vindictam, nimis ardenter animo agitetur, vel nimis vehementer exterius iræ suæ signa manifestet. Id rationem peccati venialis non videtur excedere; nisi vel ratione gravis scandali, vel quando quis ideo prorumpat deliberate in blasphemias, in contumelias graves, etc. [3].

815. Q. 6. *Quænam sunt iræ filiæ et remedia?*

R. Ad 1: Ira ut est mater aliorum vitiorum, spectari potest vel in quantum est in corde, vel in quantum est in ore, vel in quantum transit ad facta. *In quantum est in corde,* producit indignationem,

[1] Gal. v. — Ferraris; V. *Ira.*
[2] Marc. III; et Joann. II. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 79.
[3] S. Thomas, 2, 2, q. 158, a. 3.

nempe animi commotionem in aliquem diversas vindictæ vias excogitantis. *In quantum est in ore*, producit clamorem, inordinatam nempe locutionem atque blasphemiam. *In quantum transit ad facta*, generat contumeliam, maledictionem et rixam: ad has referuntur damna, quæ ex ira solent proximo obvenire, uti pugna, vulnus, mors. Quæ omnia per se sunt mortalia; quia charitatis et justitiæ adversantur [1].

Huc facit versus:

Corde fremens, ore exilit, actu vulnerat ira.

R. Ad 2: Iræ remedia præcipua sunt:

1. Orare, atque Domini mansuetudinem meditari; oratio enim obtinet vires, Christi autem exemplum robur addit.

2. In ipso iræ motu nihil neque agere neque loqui, sed expectare quod evanescat: *mala cuncta ministrat impetus*, ajebat Poeta.

3. Motus iræ impedire, nascentes statim reprimere, et actus contrarios, patientiæ et humilitatis excitare; contraria contrariis.

4. Secum animo reputare vitia nostra: *patienter illatam injuriam tolerat qui meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari*, ait s. Gregorius M. [2]. — Hinc versus:

Ores, attendas, cohibe, tua vitia pendas.

816. Q. 7. *Quid est invidia et quale peccatum?*

R. Invidia definitur cum Angelico: *tristitia de bono alterius in quantum est diminutivum gloriæ propriæ* [3]. Invidia est peccatum ex genere suo lethale; quia est contra charitatem proximi, ac voluntatem Dei bona distribuentis. Quare Apostolus peccatum invidiæ reponit in eorum classe, quæ excludunt a Regno Dei [4]. Imo aliquo sensu invidia peccatum diabolicum est juxta illud: *invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius* [5].

Quot malorum sit causa invidia, Cain, Esau, fratrum Joseph et Saulis historia testatur: unde merito inter vitia capitalia numeratur. Poterit tamen invidia esse venialis ex parvitate materiæ, vel ex indeliberatione [6] *(P)*.

817. Q. 8. *Quænam sunt invidiæ filiæ et remedia?*

R. Ad 1: Invidiæ filiæ sequentes numerantur a d. Thoma [7]: nempe *detractio, exultatio in proximi rebus adversis, susurratio, afflictio in prosperis rebus et odium.* — Hinc versus:

Detrahit, exultat, susurrat et angitur, odit.

R. Ad 2: Invidiæ remedia sunt hæc quinque præcipua:

1. Pugnare contra superbiam; ait enim Augustinus: *invidia*

[1] Angelicus, 2, 2, q. 158, a. 7; et Prov. xv. — Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 80.
[2] 5, *Mor.*, c. xxx. [3] 2, 2, q. 36, a. 1. [4] Gal. III.
[5] Sap. II. [6] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, c. 72. — Ferraris; V. *Invidia.*
[7] 2, 2, q. 36, a. 4. — Quæ explicantur Tract. *De detractione* et *De charitate.*

filia est superbiæ . . . ; suffoca matrem, et non erit filia [1]. Et Apostolus Paulus ait: *ne efficiamur inanis gloriæ cupidi invicem provocantes, invicem invidentes* [2].

2. Considerare quod invidia invido tantum nocet ipsumque solummodo rodit juxta illud Poetæ: *invidus alterius rebus macrescit opimis;* et Sapiens: *putredo ossium invidia* [3].

3. Memorare, quod *sicut . . . invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* [4], ita per invidiam intrant in hominem peccata ac crimina sine numero, et cum iisdem mors animæ.

4. Perpendere, quod omnes unius Dei, unius Ecclesiæ sumus filii, quorum proinde debet esse cor unum et anima una.

5. Motus invidiæ prompte cohibere per actus benevolentiæ, non tam verbis quam factis, laudando, orando, benefaciendo ei, cui invidemus. — Hinc versus:

> *Tolle* superba; *tibi quæ* damna *et* crimina *gignat,*
> *Invide, pende, puer; quæ Christi* schismata *membris;*
> *Invidiam cohibe præstans* contraria *factis.*

318. Q. 9. *Quid est acedia, quæ acediæ filiæ ac remedia?*

R. Ad 1: Docet d. Thomas acediam accipi posse: — 1) late pro fastidio et tepore animi in exercitio virtutum ob laborem, et aliquam arduitatem ipsis inhærentem. Esset si quis ob frigus, quod pati debet in auditione Missæ, eam distracte audiat nimium difficultati incumbens; — 2) stricte pro tristitia in Dei amicitia comparanda per mandatorum observantiam, et propter hoc amicitiam illam non curat [5].

Primo modo accepta acedia est venialis; quia non inficit rei substantiam: aliter esse, si inde omitteretur actus virtutis graviter præceptæ, v. g. recitatio Breviarii, vel auditio Missæ die festivo. *Secundo* modo accepta semper est ex genere suo lethalis, quia repugnat charitati Dei, avertit a bono spirituali et in peccata conjicit.

R. Ad 2: Acediæ filiæ præcipuæ sunt: 1) *tepor* in servitio divino, uti negligens præparatio ad Sacramenta suscipienda, et administranda: *otiositas et somnolentia*, ait Angelicus, *reducuntur ad torporem circa præcepta* [6]; 2) *evagatio mentis* in spiritualibus exercitiis;

[1] *De Gen. ad lit.*, c. XIV. [2] Gal. V.
[3] Prov. XIII. [4] Sap. II.
[5] 2, 2, q. 36, a. 4. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v, n. 84. — Acedia est a græco vocabulo *a* (privatio), *cedos* (cura): quasi nempe sit sine cura. Stapf, § 635; § 233 hæc notat pro praxi: *attamen hæc circa divinum cultum tepiditas confundi non debet cum* spirituali sensuum ariditate; *nam vera devotio non* in affectione sensuum, *sed* in affectu animi consistit; *et sæpissime accidit, ut animæ præ reliquis piæ multo tempore omni sensu destituantur et quasi exarescant. Tales ergo frustra sibi de vitio ac pœnis tepiditatis timent; atque per confessarium suaviter erigi debent, ut viam ceptam impigre prosequantur.*
[6] 2, 2, q. 35, a. 4.

3) *pusillanimitas*, seu nimia diffidentia in suscipiendo quæ ad Dei obsequium pertinent; 4) *nausea* seu odium rerum spiritualium, quo quis vellet eas non esse; aut Dei beneficia contemnit, v. g. desiderando se natum non fuisse vel Christum non agnovisse; 5) *desperatio* de salute æterna; 6) *rancor*, quo eos fastidimus, qui spiritualia nos docent. — Hinc versus:

Si tepidus, si mente vagus, si corde pusillus,
Nausea si fuerit, si disperatio, rancor.

R. Ad 3: Acediosi considerent: 1) terribilem Dei vocem in acediosos prolatam; *utinam frigidus esses, aut calidus! sed quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo* [1]; 2) innumera beneficia sibi a Deo collata, quæ sane gratitudinem fervidam expostulant; 3) vitam et mortem Christi, atque Sanctorum actiones, ut eorum memoria in pietate inflammentur; 4) exiguum laborem pro mercede in cœlis immensa æterna juxta illud: *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* [2]; 5) quantum impendant pro mundo et corpore: ideo quam sit opprobriosum, quod si non majorem, saltem æqualem fervorem impendant pro anima. — Hinc versus:

Vox, benefacta Dei; Christus; revelandaque cœli
Gloria; quæ mundo, quæ carni munia præstas.

819. Q. 10. *Quomodo se gerere debet confessarius cum tepido?*

R. Videat confessarius in quo acediæ gradu pœnitens sit.

Si non adeo sit progressus, eidem jubeat, ut omnia resumat pietatis officia neglecta, ad mentem ipsi revocans jacturam gratiæ, ejus pretium et pericula teporis: neque omittat memorare terribiles Dei minas: *quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.*

Si vero sit in teporem valde progressus, curet eum excitare ad exercitia spiritualia convenienti modo peragenda, etiam domi, si nequeat alio se conferre; veritatum enim æternarum consideratio salutariter terrendo ferventiores nos facit.

Si in profundum jam venerit, caveat, ne desperet; sed spem erigat, ac primo omni charitate utatur ostendens pœnitenti emendationem redundaturam in maximam Dei gloriam. Quod si videat his argumentis se parum proficere, ad terrorem deflectat exponendo gravissimis verbis teporis pericula, mortem tepidi valde periculosam et similia. Hac de re consulatur Scaramelli, *Direttorio ascetico*.

1 Apocal. III. — Hoc dictum est, non quasi torpor per se sit pejor mortali peccato, sed quia acedia sic aggravat hominem, ut eum tandem totaliter a bonis operibus retrahat, et in pejora ruat, speciales gratias Deo in pœnam denegante.

2 Rom. VIII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. v. n. 84.

DISPUTATIO TERTIA.

DE CENSURIS.

CAPUT PRIMUM

DE CENSURÆ NOMINE, NATURA, DIVISIONE AC DE IIS QUI CENSURARE POSSUNT ET CENSURARI.

820. Q. 1. *Quid est censura?*

R. Censuræ nomen a latinis repetendum est, penes quos vigebat *Censoris* officium; et ejus pars erat præcipua, ut delinquentium mores corrigeret atque notaret; nota ista dicebatur *censura.* Hoc vocabulo Scriptores ecclesiastici multis abhinc sæculis usi sunt ad pœnam illam significandam, qua Ecclesia filios suos quorundam criminum reos corrigere nititur. Et hoc sensu censura definitur: *pœna spiritualis et medicinalis auctoritate Ecclesiæ inflicta in foro externo, per quam homini baptizato, delinquenti, et contumaci tollitur usus quorundam bonorum primario spiritualium.*

Dicitur 1: *Pœna,* nam censura supponit præcedentem culpam. Additur: *spiritualis*, tum quia fertur a potestate spirituali in spirituales christianorum utilitatem; tum quia ligat etiam in cœlo et animas obligat, uti constat ex Bulla *Auctorem fidei*, qua contraria doctrina sub n. 46 damnatur uti *falsa, perniciosa, in articulo* 23° *Lutheri damnata, ad minus erronea.* Additur etiam *medicinalis:* quia Ecclesia in censuris ferendis id maxime intendit [1], ut christianus a peccato resurgat, atque ad bonam vitæ frugem sese convertat.

2: *Auctoritate Ecclesiæ inflicta:* sic indicatur necessarium esse actum aliquem ex parte Ecclesiasticæ potestatis, ut censura inferatur. Additur: *in foro externo;* licet enim censura liget homines etiam in foro interno, a nemine tamen inferri potest, nisi in foro externo, atque nonnisi ab iis, qui externam in Ecclesia jurisdictionem exercent.

3: *Per quam homini baptizato;* quia Ecclesia nullam a Christo accepit jurisdictionem in judæos, gentiles et turcas; *quid enim mihi*, ait Apostolus, *de iis qui foris sunt, judicare* [2]*?*

[1] Diximus: *maxime intendit;* potest enim ferri etiam in ultionem delicti, in terrorem aliorum; unde cessante correctionis delinquentis fine, censura adhuc subsistit.
[2] 1, Cor. v. — *V.* Ferraris; V. *Censura, Pœna.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 1.

4: *Delinquenti et contumaci;* cum enim censura sit pœna, non alios quam delinquentes afficere debet. Cum vero sit medicinalis debet in contumaces inferri, in illos videlicet, qui monita aspernantur, atque in peccato malunt obstinate vitam suam peragere.

5: *Tollitur usus bonorum;* est enim de ratione censuræ non bona ipsa, sed ipsorum usum tantum auferre. Sic censura suspensionis a Beneficio privat clericum reditibus Beneficii, non ipso Beneficio. Additur: *quorundam bonorum.* Quod ut intelligatur, sciendum tria esse genera bonorum in Ecclesia: alia procedunt *a capite*, ut merita Christi, gratia, fides, spes, charitas; alia procedunt *a corpore*, ut Sacramenta, sacrificia, communia suffragia; alia vero procedunt *a membris*, uti sunt preces ac bona opera singolorum fidelium. Jam vero censura non tollit usum bonorum prioris generis, cum ab Ecclesia non dependeant; item per se neque tertii generis, non enim vult Ecclesia privatorum preces impedire: sed tantum bonorum secundi generis, aliquando in toto, aliquando in parte.

6: *Primario spiritualium;* hæc enim pœna, utpote spiritualis, si quandoque privat fructibus Beneficiorum et communione fidelium etiam in civilibus, non evenit nisi secundarie et indirecte, in ordine videlicet ad bona spiritualia.

821. Q. 2. *Quomodo censura dividitur?*

R. Multipliciter dividitur censura:

1. Alia est censura *a jure*, alia *ab homine*. Censura *a jure* dicitur ea, quæ fertur per canones et per statuta ecclesiastica et pro delictis futuris. Hæc, ut plurimum, generalis est et perpetua; quia omnes subditos delinquentes et contumaces complectitur; et durat quandiu durat lex ipsa: talis est censura quam Episcopus fert in Synodo diœcesana.

Censura vero *ab homine* dicitur ea, quæ fertur a legitimo superiore (etiam pro præteritis delictis) per modum mandati aut edicti, aut præcepti; vel per modum sententiæ judiciariæ, in determinatas personas. Et est vel *generalis*, si generaliter et indeterminate feratur, v. g. in clericos omnes; vel *particularis*, si feratur in personam particularem. Huc spectat (in nostra sententia [1]) censura extra Synodum lata, quæ proinde cessat morte vel renuntiatione superioris a quo illata: et ideo dicitur etiam *transitoria;* cum enim non sustineatur, nisi ab homine, homine deficiente et illa deficere debet, nisi jam incursa.

1 Ita plures contra plures, ut videre est penes Benedictum XIV, *De Syn.*, l. v, c. 4. Vide Lib. I, n. 309. — Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 6.

2. Alia est *reservata*, alia *non reservata*. Censura *reservata* est, cujus absolutionem sibi superior reservavit; *non reservata*, cujus absolutio aliis ministris relicta est.

3. Alia est censura *latæ*, alia *ferendæ sententiæ*. Censura *latæ sententiæ* est, quando lex vel superior statuit eam incurrendam ipso facto, quo quis legem violaverit, v. g. hominem interfecerit [1]. Erit generatim censura *latæ sententiæ*, si verba quibus infertur, excludant alterius actionem, seu ministerium: ac — 1) si dicatur *ipso facto, ipso jure, eo ipso, ex tunc, illico, protinus, sine alia sententia;* — 2) si verba sint temporis præteriti, præsentis, vel modi imperativi, v. g. *excommunicavimus, excommunico, incidat in excommunicationem, maneat suspensus, interdictus;* — 3) si in censura contra hæresim dicatur: *excommunicatus sit, anathema sit:* ut apud omnes in confesso est. At si hæc ultima verba adhiberentur contra aliud crimen, sentiunt Layman et Sanchez non continere censuram latæ sententiæ, cum non ita sint clara ac determinata; illud enim *sit*, sine alio addito, sumitur etiam pro verbo futuri temporis. Attamen æque probabiliter id negant Tournely atque Suarez; cum aliter se habeat usus [2].

Censura *ferendæ* est cum lex vel superior statuit eam non incurri ipso facto quo crimen patratur, sed quando per judicis sententiam ea infligenda declaratur. Talis autem est, si verba includant alterius actionem et ministerium, v. g. *excommunicetur per Episcopum;* vel sint comminatoria tantum, v. g. *præcipimus sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis* (nisi tamen aliud ex adjunctis colligatur); vel si tempus exprimat futurum, v. g., *excommunicabitur, excommunicatus erit.* In dubio an sit latæ vel ferendæ sententiæ, censura habenda est uti ferendæ; cum res sit de odiosis.

4. Alia est *notoria*, alia *occulta*, prout publice constat aliquem incurisse censuram, adeo ut id celari nequeat; vel non.

5. Alia tandem est *justa*, vel *injusta;* alia *valida*, vel *invalida*, prout nempe superior æquitatis ac justitiæ leges observat in censura ferenda, vel non; quanquam censura injusta et invalida censuræ nomen sibi vindicari non debeat.

[1] Sunt falsi nominis Canonistæ, qui licet non audeant damnare hanc speciem censurarum, docent tamen, eam non fuisse in usu prioribus decem Ecclesiæ sæculis. Id Benedictus XIV *(De Syn. Diœc.*, l. x, c. 1) erudite ostendit historicæ veritati contrarium: imo excommunicatio severissima olim lata erat in idololatras, homicidas adulteros, relapsos etsi occulte, et in clericos grave facinus occulte admittentes. *V.* item propositio 47 damnata in celebri Bulla *Auctorem fidei.*

[2] *Anathema*, si penultimam vocalem longam facias, rem designat in alto collocatam: et a Græcis adhibebatur ad sacra donaria ac vota designanda, quæ in alto collocabantur; est a græco *anà* de novo, et *tithèmi*, collocare. Si brevem, separationem indicat, ut in usu est in decretis fidei. — *V.* D'Avino, *Enciclopedia dell'Ecclesiastico;* V. *Anatema.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. vii, n. 9.

822. Q. 3. *An Ecclesia gaudeat potestate ferendi censuras?*

R. Ecclesiam gaudere potestate ferendi censuras de fide est.

Probatur 1: Ex *Scripturis:* Christus Ecclesiæ suæ tradidit potestatem proprio e sinu ejicendi filios delinquentes et contumaces iis verbis: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Cœlo* [1]. Atqui hæc potestas in se et ratione substantiæ nihil est aliud, quam potestas ipsa inferendi censuras.

2: Ex *Patribus:* sufficiat pro omnibus d. Augustinus, qui ait: *Nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus: jam judicavi.... congregatis vobis et meo spiritu..... tradere hujusmodi Satanæ* [2].

3: Ex *Conciliis:* Sit Tridentinum Concilium, quod quidem hanc supponens in Ecclesia potestatem, dicit illam esse *nervum ecclesiasticæ disciplinæ ad continendos in officio populos valde salutarem, et spirituale gladium* [3].

4: Ex *universali* et *perpetua Ecclesiæ praxi:* ab ætate Apostolorum ad nostra usque tempora semper viguit in Ecclesia usus ferendi censuras. Sic Paulus Satanæ tradidit incestuosum Corinthium, Himenæum et Alexandrum blasphemos [4]. Ejus porro vestigiis inhærentes sequentibus sæculis eadem potestate usi sunt pedetentim Pontifices et Ecclesiæ Prælati, uti ex historia constat [5].

5: Denique, ex *ratione.* Qualibet bene ordinata hominum societas habet potestatem arcendi e proprio sinu membra noxia; atqui Ecclesia est profecto societas bene ordinata: ergo hanc habet potestatem. Habere autem eam non potest, nisi a Christo ejus fundatore; ideo hæc potestas dicenda est Juris divini. Hinc Chrysostomus: *Nemo contemnat vincula ecclesiastica; non enim homo est qui ligat, sed Christus qui nobis hanc potestatem fecit* [6].

823. Q. 4. *Quid requiritur, ut quis possit valide ferre censuras?*

R. Ut quis possit valide ferre censuras, debet esse:

1. Masculus, baptizatus, saltem tonsuratus; qui non est in Ecclesia superior, non est capax ecclesiasticæ jurisdictionis.

[1] Matth. XVIII. — Quæ veritas definita est tum in Concilio Costantiensi contra Wiclephistas et Hussitas qui *excommunicationem Papæ vel cujuscumque Prælati dicebant non timendam;* tum Bulla Leonis contra Lutherum, qui ajebat: *Excommunicationes esse tantum externas pœnas, nec privare homines communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.* Et sub n. 90 damnata est hæc propositio Quesnelliana: *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis.*

[2] *De fide et oper.*, c. II. [3] Sess. XXV, c. 3 *de Ref.*

[4] 1. Cor. V; et 1, Tim. I.

[5] *V.* Devoti, *Inst. Can.*, l. IV, ubi ad rem plura congerit erudite.

[6] Hom. IV *in epist. ad Hebr.* — *V.* Pierini, *Errori ed imposture delle missioni protestanti.* — Opusc. *Della podestà della Chiesa in ordine alla scomunica.* Bologna, 1863.

2. Compos rationis et liber; exercet enim actum liberum. Censura tamen lata metu gravi est valida; quia sufficienter voluntaria.

3. Necesse est, ut habeat jurisdictionem expeditam quoad usum: alioquin frustra ageret, cum in exercitio ligatus sit.

4. Ut eam ferat in subjectos servando solemnitates essentiales: alioquin nulla esset censura, cum deficeret in substantialibus.

5. Ut eam non ferat in propria causa mere personali; quod in jure reputatur vindicta [1]; esset si Prælatus censuraret aliquem, qui contra illum legitime recurrit ad superiorem.

824. Q. 5. *Quinam ex clericis censuras inferre possunt?*

R. Si sermo est de potestate ordinaria, eam habent omnes, qui externam in Ecclesia jurisdictionem exercent:

1. Pontifex independenter a cujuscumque consensu. Unde Quesnelli propositio n. 90 a Clemente XI, Bulla *Unigenitus*, damnata fuit: *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores, de consensu saltem præsumpto totius corporis.*

2. Archiepiscopi in Diœcesibus propriis, et etiam in Suffraganeis tempore visitationis, cum agitur de causa ad eorum tribunal per appellationem delata: cum tunc de jure ordinario in Suffraganeos jurisdictione polleant.

3. Episcopi in Diœcesi sua, si electi et confirmati et possessionem adepti; quia tunc tantum (ex hodierna disciplina) habent jurisdictionem expeditam [2]. — Item Cardinales in Ecclesia proprii tituli. Item Legati in territorio propriæ Legationis. Item Vicarii Episcoporum generales, uti recte dicunt Fagnanus, Suarez, Tournely; unum enim cum Episcopis tribunal constituunt.

4. Generales, Provinciales, Superiores locales Religionum respectu subditorum; item Congregationes et Capitula provincialia.

5. Capitulum cathedralis Ecclesiæ, Sede episcopali vacante, primis octo diebus; dein Vicarii capitulares.

6. Denique omnes qui per communem errorem cum titulo præsumpto habentur uti legitimi superiores [3].

Si vero sermo est de potestate delegata, ea est in iis quibus committitur ab habente ordinariam. Ubi notandum: 1) delegata potestas expirat morte delegantis, nisi causa a delegato jam fuerit incepta, etiam per solam citationem; 2) delegatus non potest subdelegare, nisi vel expressam habuerit licentiam a delegante, vel sit delegatus a Pontifice, vel ad universalitatem causarum [4].

825. Q. 6. *Quid de Prælatis hæreticis, excommunicatis, suspensis?*

R. Generatim isti valide non possunt censuras inferre; cum jurisdictionem non habeant expeditam quoad usum [5]. Diximus *generatim;* quia docent communiter eos, si non sint notorie tales, valide (etsi non

[1] Can. XXVII, c. 23, q. 4. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 12.

[2] V. *De Legibus*, lib. I, n. 176.

[3] Quæ omnia in jure definita habentur, ut videre est penes s. Alphonsum nostrum, *Op. Mor.*, l. VII, n. 9. Hæc censurandi potestas acquiri etiam potest: 1) *præscriptione*, ad quam requiruntur 40 anni, si adsit titulus coloratus; sin autem tempus immemorabile ex cap. I et XV *de præscr.;* 2) *consuetudine* ex cap. XIII *de off. jud. ord.;* 3) *privilegio*, ut constat ex cap. XXIII *de verb. sing.*

[4] Ex cap. III, *Si pro debilit.;* et cap. XX, *Gratum*, de offic. jud. deleg.

[5] C. *except.* de except. — *V.* Pavone, *Spicilegio* ecc., nn. 214 et seqq.

licite) censuras inferre; cum Ecclesia ob bonum publicum eisdem adhuc usum jurisdictionis conservet. Imo Avila, Bonacina, Diana docent istos, etsi notorios, adhuc valide censurare, quia ex Martino V, ut quis jurisdictione privetur, requiritur quod sit vel denuntiatus nominatim, vel publicus clerici percussor, adeo ut sit vitandus.

826. Q. 7. *Quodnam est subjectum censuræ?*

R. Subjectum censuræ est *homo, viator, baptizatus, rationis capax* et *subditus* [1]; est enim censura actus jurisdictionis ad correctionem instituta voluntarie delinquentis. — Hinc versus:

Iste viator erit, sacro et Baptismate lotus,
Sitque sui compos, liganti subditus esto.

Diximus: *rationis capax:* ergo amentes, si ita perpetuo sunt, non possunt censura ligari; cum habeantur uti pueri, qui sicut sunt incapaces culpæ, ita et censuræ. Si vero nonnisi ad tempus amentes sint, ligari utique possunt; quia habitualiter capaces sunt contumaciæ, licet per accidens priventur ad tempus usu rationis. Hinc etiam ebrii et dormientes censuras incurrunt, si tempore quo erant rationis compotes, causam iisdem dederint.

Impuberes autem etsi doli capaces, ob eorum tamen infirmitatem non ligantur censura generaliter lata (imo probabilius neque ligantur reservatione casuum), nisi lex vel superior expresse exprimat contrarium: uti exprimit, si fuerint ingressi monialium, quæ sint stricte tales, monasteria [2]; vel si clericos graviter percusserint [3]. Item nemo seipsum censura ligare potest; nemo enim fit sui subditus vi coactiva, sed tantum directiva. Unde Episcopi et Cardinales non ligantur censuris a se latis: qui item ex privilegio neque suspensione et interdicto ligantur latis a jure, nisi illorum mentio fiat specialis [4].

827. Q. 8. *Quænam est censuræ materia?*

R. Censuræ materia est *culpa mortalis, propria, externa, in genere suo completa, contra legem ecclesiasticam et contumaciæ conjuncta.*

[1] Item debet esse persona particularis ac determinata, si sit excommunicanda ex c. *Romana de sent. excomm.*, in 6. Ubi etiam notandum: 1) jure sunt privilegiati Officiales Romanæ Curiæ, et Nuntii Apostolici ex cap. II *de priv.*, in 6, qui inde non possunt ab Episcopo loci censurari; 2) etiam Reges ac Reginæ, eorumque filii, quamvis in spiritualibus subjiciantur Episcopis, non possunt censura ligari, nisi a R. Pontifice ex privilegio, quod eis hodie communiter tribuunt, uti dicunt Salmanticenses cum s. Antonino, etc. *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 4; *Op. Mor.*, l. VII, n. 16.

Aliter dicendum de regiis consiliariis, de populorum repræsentatoribus, parlamentis, etc. Iis nullum privilegium; neque episcopalis potestas coercenda, nisi certa extent argumenta. Adde id Regibus datum esse non ideo præcise, quia leges ferunt; sed ob eorum sacram et excellentissimam dignitatem.

Potest Episcopus contra aliquem e suo Capitulo procedere quin Capitulum audiat; si tamen Capitulum sit exemptum, ex Tridentino nequit Episcopus contra aliquem de Capitulo procedere, nisi cum duobus Canonicis conjudicibus a Capitulo electis et habentibus unam vocem, dum Episcopus habet alteram. — *V.* Bouix, *De Capitulis.*

[2] Tridentinum, sess. II, c. 5.

[3] C. *Pueris fin. de sent. excomm.*

[4] C. *Quia periculosum de sent. exc.*, in 6

1. *Culpa;* nemo enim puniri debet, nisi peccaverit. Si quis autem esset innocens, sed ex probatis juste esset censura ligatus; etsi in conscientia obstrictus non remaneat, nec fiat irregularis ministrando in Sacris; in foro tamen externo se gerere debet uti censuratus, ad vitandum scandalum.

2. *Culpa mortalis;* pœna debet esse culpæ proportionata; porro censura, prout communiter fertur, pœna gravissima est, ergo et culpa gravis sit oportet: hinc si quid præcipiatur sub censura gravi, quod omnibus inspectis sit leve, illud non obliget ad mortale, et censura non incurritur [1].

3. *Culpa propria;* nam peccata (ideo et pœna) suos auctores tenere debent. Si vero agatur de communitate, ea quidem ob patratum crimen per modum sententiæ potest interdici; imo suspendi ob bonum commune, licet non singuli deliquerint. At quoad excommunicationem, cum sit pœna gravissima, quæ animam afficit, ut Episcopus valide in totam communitatem eam infligat per modum sententiæ, oportet ut singuli ex communitate deliquerint; imo debent singuli, qui sunt in culpa, nominatim excommunicari [2]. Si tamen feratur per modum statuti aut præcepti, in quo scilicet aliquid præcipiatur sub excommunicatione, tunc omnes transgressores eam incurrunt, etsi ea lata sit in aliquem incertum ex communitate, v. g., in eum qui tale crimen patraverit.

4. *Externa;* censura enim est actus fori externi ad externam disciplinam pertinens; nam Ecclesia non judicat de mere internis. Imo non simpliciter externum debet esso peccatum, sed etiam grave in ratione actus externi.

5. *In genere suo completa*, et quidem secundum proprietatem verborum, quæ in præcepto seu lege continentur; nam odia restringenda sunt, favores ampliandi: quare censuram latam in homicidas non incurrit qui graviter aliquem percutit cum intentione etiam eum interficiendi, si homicidium non sequatur. Eadem de causa censuram non incurrunt homicidium mandantes et consulentes: nisi censura expresse iis imposita sit, et præcise ob mandatum vel consilium; nam delictum jam esset penitus consummatum, semel dato consilio vel mandato [3].

[1] Diximus: 1) *sub censura gravi;* quia fatentur culpam venialem sufficere ad excommunicationem minorem (vel levem suspensionem aut leve interdictum), v. g. ad breve temporis spatium, et privantem aliquo tantum usu; 2) *omnibus inspectis,* nam aliquando materia ex se levis potest fieri gravis ex adjunctis, ut scandali, periculi: quod dignoscitur, si prohibita sit sub censura latæ sententiæ, etc. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 30; et *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 4.

[2] C. *Romana de sent. exc.*, in 6. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 18 et 317.

[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 38, ubi alia disputat.

6. *Contra legem ecclesiasticam;* quia censura est pœna Ecclesiæ constituta adversus eos, qui præcepta ecclesiastica violaverint.

7. *Contumaciæ conjuncta,* ut adhuc post monitionem delinquatur; secus censura non esset pœna medicinalis, sed mere vindicativa. Hinc non imponenda ob peccata mere præterita in eos, qui correcti sunt, nisi agatur de suspensione et interdicto, quæ aliquando infliguntur per modum puræ pœnæ [1] *(Q).*

CAPUT SECUNDUM

DE SOLEMNITATIBUS IN CENSURA FERENDA, DE CAUSIS EXCUSANTIBUS, AC CENSURÆ CESSATIONE.

828. Q. 1. *Quotupliciter ferri potest censura* [2]*?*

R. Ferri solet censura: 1) per *modum legis generalis:* tales sunt omnes censuræ, quæ in Jure canonico ac Pontificum Bullis habentur: 2) per *modum præcepti particularis,* ut si superior alicui minetur censuram, si tale opus agat; 3) per *modum puræ pœnæ,* seu punitionis peculiaris, ut si v. g. Episcopus Titium sacerdotem hic et nunc suspendat a celebratione, volens ita eum punire ob admissam ebrietatem; 4) per *modum sententiæ judicialis,* ut si quis, v. g., furatus sit, et judex sententiam ipsi mandet seu moneat, ut intra tot dies restituat, alias ipso facto incidat in excommunicationem.

829. Q. 2. *An censuræ sit præmittenda monitio?*

R. Generatim loquendo, admonitio delinquentis censuram præcedere debet (et quidem communius et probabilius ad validitatem); cum enim censura sit pœna medicinalis, necessario supponit contumaciam; atqui nemo contumax dici potest, nisi fuerit de errore præmonitus. Quid enim est monitio nisi intimatio, qua superior declarat eos qui legi seu sententiæ non paruerint, incursuros fore in censuram? Confirmatur ex illis Evangelii verbis: *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* [3]; ergo coercitio fieri debet *in non audientes,* id est in contumaces. Sic etiam in ipso jure habetur [4].

Diximus: *generatim loquendo;* nam excipe si censuræ sint a jure, quia lex ipsa lata et cognita satis subditos monet [5]. Item est si censura sit ab homine in particularem comminata, quia per illud præceptum jam etiam habetur facta monitio. Item si agatur de suspensione et inter-

[1] Ad contumaciam constituendam sufficit contemptus interpretativus auctoritatis ecclesiasticæ aliquid sub pœna præcipientis, qualem habere censetur qui scit quidem legis illius transgressioni adnexam esse censuram, sed eam nihilominus committit.

[2] *V.* Benedictus XIV, *De Syn.,* l. x, c. 1, n. 7; — Liguori, *Op. Mor.,* l. vii, n. 52.

[3] Matth. xviii.

[4] C. *Statuimus* de sent. excomm.

[5] Probabilius monitio non requiritur in censura a jure, non solum si sit latæ, sed etiam si ferendæ sententiæ; lex enim tam monet si infligat censuram latæ quam ferendæ. Liguori, *Op. Mor.,* l. vii, n. 55; qui monet quod in hoc secundo casu requiritur citatio rei ad censuram declarandam.

dicto, quæ ferantur tantum per modum simplicis punitionis criminis præteriti, cum tunc non induant naturam propriæ dictæ censuræ.

Si censura ferenda sit contra pluręs, generaliter sufficit ut fiat monitio in Ecclesia coram populo; si vero ponatur interdictum contra communitatem, sufficit ut moneantur qui sunt in culpa; si autem feratur censura contra particularem personam; tunc ipsa specialiter citanda est, nisi abscondatur aut fraude impediat monitionem; tunc enim sufficit si fiat monitio in ejus domo, et si domum non habeat, in Ecclesia, tribunali aut loco publico. Requiritur autem trina monitio; vel saltem una pro tribus, modo hæc abbreviatio enuntietur, et tempus tribus monitionibus æquivalens concedatur, spatium nempe duorum dierum pro singula, ideoque dierum sex [1]. — Hæc ad validitatem: ad licitatem requiritur etiam ut censura scripto authentice feratur, adnotatis persona, censura, culpa, et copia infra mensem censurando exhibita, si petat [2]; nec ferri debet diebus feriatis, nisi contumacia sit admodum evidens.

830. Q. 3. *Quænam causæ excusant a censura?*

R. Solent assignari: *ignorantia, metus, impotentia, consensus illius in cujus favorem censura lata est, et appellatio legitime interposita.*

1. Excusat invincibilis *ignorantia* tum juris, tum facti, tum pœnæ: *juris*, ut si scias a te percutiendum, v. g. esse clericum, sed nescias hanc percussionem ab Ecclesia puniri; *facti*, ut si scias hanc excommunicationem adesse, sed ignoras a te percussum esse clericum; *pœnæ*, uti si scias et percussionem clerici ab Ecclesia puniri et quem verberas esse clericum, sed invincibiliter nescias hanc punitionem esse censuram; nam semper deesset contumacia et censuræ contemptus; voluntas enim non fertur in ignoratum. Quod etiam valet si ignorantia nonnisi leviter sit culpabilis, nam tunc ignorans non potest adhuc dici vere contumax in Ecclesiam. Imo hoc currit, etiamsi ignorantia sit concomitans, ut si quis percutit clericum ignorans esse clericum, sed eo animo, ut adhuc percuteret, si sciret; nam ille licet censuram contemneret, si sciret, actu tamen dici non potest, quod contemnat, cum ipse actu censuram ignoret.

Si vero ignorantia sit graviter culpabilis seu crassa, per se non excusat a censura; quia hæc involvit summam negligentiam in veritate indaganda, grave peccatum, et virtuale Ecclesiæ contemptum. Talis esset ignorantia illius clerici qui spectaculis scenicis interesse præsumit fortiter suspicans, an id sit sub censura prohibitum, quin aliquam de dubio expurgando curam agat; si revera censura adest

[1] Sufficit si dicatur, v. g.: *mandamus ut intra sex dies restituas, alias excommunicatur ipso facto;* tunc elapsis sex diebus sine restitutione, incurritur statim ipsa comminata censura. Quod si periculum sit in mora, v. g. urgeret necessitas violentiam hic et nunc reprimendi, sufficeret una monitio, modo terminus designetur censuram incurrendi. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 52 et seqq., ubi fuse.

[2] C. *Cum medicinalis* 1 *de sent. excomm.*, in 6; et c. *Final. de feriis.*

eam incurrit: item est si generalis rumor pervadat de censura incurrenda ab eo qui tale opus reprobatum agit; attamen illud ultro aggreditur nolens veritatem inquirere cum facile possit, sed famam illam parvipendens. Diximus *per se;* nam plerumque ignorantia crassa seu supina excusat, cum plerumque in ea infligenda dicatur: *qui hoc fecerit scienter, consulto, qui præsumpserit ausu temerario,* etc.; tunc expressa requiritur censuræ scientia [1].

2. Excusat *metus,* qui sit gravis respective ad personas; metus enim levis nulla habetur ratio. Porro generatim loquendo certum est metum gravem excusare a censura, quando res vetita est solummodo Jure ecclesiastico; quia leges humanæ, etsi valeant in quibusdam rerum adjunctis, non tamen regulariter solent obligare cum gravi incommodo: hinc si quis cogeretur gravi metu ad omittendam auditionem Missæ festo die, sicut esset immunis a culpa, ita etiam a censura, casu quo omissio sit sub censura.

An vero metus gravis excuset etiam, quando res vetita est ipso Jure naturali, ut est homicidium, furtum, adhuc certum est excusare, si metus eo usque hominem perturbet, ut auferat liberum arbitrium; si vero gravis metus adhuc relinquat voluntarium sufficiens ad lethale peccatum, ut ordinarie contingit, tunc utrum gravis metus a censura excuset, non consentiunt. Nos tamen dicimus cum Suarez, Salmanticensibus, Palao, Coninchio, Bonacina et aliis valde probabiliter, quod metus gravis regulariter loquendo adhuc excusat a censura; quia mens Ecclesiæ est illos solum censurare qui animo contumaci leges canonicas transgrediuntur. At qui, non sponte, neque legem Ecclesiæ contemnendo, aut non curando, sed tantum quia gravi metu compulsus violat legem naturalem censura ecclesiastica sancitam, non censetur contumax: hinc excommunicationem non incurrunt christiani a turcis capti, præliantes ex metu mortis in bello contra christianos, etiam supposito quod sit contra Jus naturæ, et adsit censura. At excipiunt communiter: *a)* si Ecclesia sub censura rem de se jam graviter periculosam præscripserit, ut si præscriberet dispensationem Sacramentorum morbo pestifero infectis: potest enim; *b)* si res ipsa vetita sub censura cederet in animarum perniciem, ut si quis metu ductus sine jurisdictione sacramentaliter absolveret; *c)* si ageretur de tuendo bono communi Religionis, ejus independentia ac generali disciplina; vel de evitando actu qui censeretur abjuratio fidei, aut formalis vel virtualis contemptus auctoritatis ecclesiasticæ; his enim in casibus

[1] Utrum autem in hoc casu excuset etiam ignorantia affectata, negant communius: quia hæc includit dolum formalem et æquivalet scientiæ.

certum est, Ecclesiam velle sub omni hypothesi et sub præcepto et sub pœna obligare in omnium sensu [1].

3. Excusat *impotentia* sive physica sive moralis; quia *nemo potest ad impossibilia obligari.* Hinc qui non habet unde restituat, vel non possit sine gravi incommodo restituere, non incurrit censuras latas in non restituentes.

4. Excusat *consensus illius, in cujus favorem censura lata est.* Casus esset si censura lata sit in debitorem, qui intra datum tempus debitum non solvat; sed creditor ei proroget tempus [2].

5. Excusat *appellatio legitime interposita;* hæc devolvit causam ad superiorem, suspendit usum jurisdictionis in inferiore, ideo et censuram. Ut tamen appellatio sit legitima, requiritur: *a)* ut adsit causa sufficiens; nam appellationis remedium (dicente Innocentio III) *non est ad defensionem iniquitatis, sed præsidium innocentiæ institutum; b)* ut fiat ante illatam censuram, seu quando ipsa tantum comminatur; etenim si jam lata censura, hæc jure obtinet, donec a superiore cui appellatum est, cassetur [3].

831. Q. 4. *Quot modis censura deleri potest?*

R. Multipliciter: nempe *abrogatione, revocatione, cassatione, morte ferentis, morte censura irretiti, lapsu temporis et absolutione.*

1. *Abrogatione* censuræ: est cum lex nova vel legitima consuetudo revocat legem veterem, a qua censura illata erat. Abrogationis effectus non est, ut qui in censuram inciderit, statim incipiat ab eadem esse solutus (nam qui semel ligatus est, non liberatur sine obtenta absolutione); sed tantum, ut si post legem abrogatam aliquid commiserit adversus ipsam, non amplius censuram incurrat.

2. *Revocatione:* hæc contingit in censura, quando superior, causa melius perspecta, latam censuram revocat.

3. *Cassatione*, quæ fit auctoritate superioris in judicio appellationis. In hoc differt a revocatione: quod revocatio locum habeat extra judicium; cassatio vero in eo tantummodo obtineat.

4. *Morte ferentis* cessat censura, si sit ab homine. Ponamus Prælatum sub censura alicui indixisse, ut se abstineret a certa re: si præcepto illo nondum violato, Prælatus moriatur vel etiam a jurisdictione suspendatur aut ad aliam Ecclesiam transferatur,

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 46; *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 8. — Ceterum non est tam facilis inquisitio, quando res instituitur de casu aliquo particulari *V.* Frassinetti, *Compendio della Teologia* ecc., nota ad n. 1689.
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 63.
[3] *V.* Ferraris; V. *Appellatio*, a. 9.

subditus qui post ejus mortem vel suspensionem, aut translationem præceptum illud violat, nullam censuram incurreret.

5. *Morte censura irretiti:* intelligitur tamen de suspensione et excommunicatione minori; non de interdicto et excommunicatione majori, quæ durat in privatione sepulturæ, suffragiorum, etc.

6. *Lapsu temporis:* qui censuram extinguit, si per modum pœnæ ad tempus determinatum fuerit inflicta. Idem est de censura lata sub conditione, ut tandiu duret, quandiu censuratus hoc vel illud egerit: conditione impleta, censura ex se cessat.

7. *Absolutione:* hæc est relaxatio pœnæ formis ab Ecclesia præscriptis. Hæc adeo necessaria est, ut etiam præstita satisfactione et secuta emendatione (nisi interveniant causæ mox dictæ), adhuc censura etiam coram Deo maneat, quousque absolvatur. Hinc ab Alexandro VII damnata est propositio: *quoad forum conscientiæ, reo correpto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.*

832. Q. 5. *Quot modis spectari potest absolutio a censura?*

R. Triplici modo: vel ratione fori, in quo conceditur; vel ratione modo, quo datur; vel ratione personæ, cui vel a qua tribuitur [1].

1. Ratione *fori:* cum forum Ecclesiæ sit duplex, interius et exterius, cumque censuræ absolutio in utroque habeat locum, duplex ideo absolutio: alia ad forum *interius*, alia ad *exterius* pertinet.

2. Ratione *modi* est multiplex. Alia est *pura* et *simplex*. — Alia *sub conditione* vel de præterito, v. g., si jam satisfecisti, ego te absolvo; vel de præsenti, v. g., si nunc satisfacias, te absolvo; vel de futuro, v. g., si satisfacies in posterum, nunc pro tunc te absolvo (et absolutio obtinet satisfactione exhibita; hanc tamen absolutionem illicitam dicunt). — Alia *ad cautelam*, qua si forte quis ligatus est censura, ad cautelam absolvitur in foro interno. — Alia *ad reincidentiam;* quæ datur sub certo onere, quo non impleto, censura reviviscat: v. g., *si intra mensem non satisfacias, illico reincidas in excommunicationem, a qua fuisti absolutus.* Verum probabilius ad hanc reincidentiam requiritur nova culpa; nam prima censura non potest dici suspensa, cum ea non possit suspendi nisi auctoritate Pontificis; neque enim est in potestate inferioris efficere, ut censura permanens in subjecto non habeat omnes effectus quos habet ex Jure communi. Ergo fuit sublata, et ideo sine nova culpa renasci non potest. — Alia *totalis*, qua censura ex integro tollitur tam in se, quam in omnibus effectibus. — Alia *partialis*, qua non tolluntur nisi effectus partiales, ex pluribus nempe, quos censura causat; dicitur tamen hæc censuræ absolutio impropria.

3. Ratione *personæ* considerari potest ex parte illius qui absolvit et illius qui absolvitur. Qua in re maxime requiritur, ut absolvens potestatem habeat censuram auferendi; et absolvendus nullo detineatur impedimento, quo prohibeatur absolvi.

833. Q. 6. *Quinam a censuris absolvere possunt?*

R. 1: In ipso mortis articulo seu periculo, absente superiore a quo censura lata est, quilibet sacerdos etiam nondum approbatus

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 116 et seqq.; n. 125, etc.

ad Confessiones (imo etiam excommunicatus, si alii sacerdotes desint), habet facultatem absolvendi omnes a quibuscunque censuris reservatis, quæ scilicet Sacramentorum rèceptioni et ecclesiasticæ sepulturæ obstant; æquum est enim ut omnibus modis juvetur moribundus. At ab infirmo exigenda est non solum sub gravi promissio satisfaciendi parti, si fuit læsa, sed etiam se præsentandi superiori si convaluerit; quod si non se præsentet, ex jure reincidit in censuram illam, perinde ac si non fuisset absolutus. Quod quidem præceptum se superiori præsentandi (ad ejus auctoritatem agnoscendam atque ab eo accipiendam convenientem medicinam) obtinet, etsi per oblivionem vel aliam causam id non fuerit impositum [1].

R. 2: Si non agatur de casu necessitatis, tunc distinguendum: vel sermo est de censuris non reservatis, vel de censuris reservatis.

1. Si sermo sit de censuris *non reservatis*, quilibet sacerdos approbatus valide et licite tam pro foro conscientiæ quam pro foro externo et publico, absolvere potest censuratos omnes etiam de aliena Diœcesi, nec solum ab excommunicatione, sed etiam a suspensione et interdicto. Ita se habet Ecclesiæ universalis usus, ut docent communiter cum d. Thoma: colligitur ex Jure canonico [2]; et confirmat formula: *absolvo te ab omni vinculo excommunicationis*, etc., quæ absolutioni sacramentali præmittitur. Excipe nisi censura lata sit ab homine per sententiam specialem, contra determinatam personam, puta contra Titium speciatim nominatum, si choreas agat; tunc censura in communi sensu induit naturam censuræ reservatæ [3].

2. Si sit sermo de censuris *reservatis*, quarum nempe absolutionem superiores censuram ferentes sibi reservant, ne frustranea evadat hæc reservatio, dicendum est sacerdotes etiam ad Confessionem approbatos nullam habere ex se facultatem super censuras istas, nisi speciali mandato ad id deputentur. Ideo *id unum pœnitentibus persuadere nitantur*, verba sunt Tridentini, *ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant* [4].

834. Quæres: *quinam sunt superiores et legitimi judices, qui possunt a censuris reservatis valide absolvere?*

R. Generatim sunt qui possunt censuras inferre vel eorum supe-

[1] Cap. *Eos qui*, XXII *de sententia excommunicat.*, in 6. — *V.* Gury, *De pœnit.*, n. 576; — Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 91; l. VI, nn. 537 et 585; — Pavone, *La luce* ecc., n. 75.

[2] C. *Nuper*, XXIX *de sent. excomm.* — D. Thomas, *Suppl.* q. 42, a. 1.

[3] Nota: *per sententiam specialem*; etenim si censura sit quidem ab homine, sed per sententiam generalem, absque ulla reservatione lata contra personas indeterminatas, v. g. in omnes qui hoc crimen patrabunt, est communissimum eas tunc æquiparari censuris latis a jure non specialiter reservatis. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 72.

[4] Si non certo constat, censura non est habenda uti reservata (etsi ipso facto incurratur); nam in odiosis benignior interpretatio præfertur.

riores [1], successores aut delegati; nam per quas causas res nascitur, per easdem dissolvitur. Cui tamen generali principio hæc specialia subdimus:

a) Episcopi possunt ex Tridentini decreto absolvere suos subditos ab omnibus censuris occultis R. Pontifici reservatis. Modo tamen non sint reservatæ in Bulla *Cœnæ*, ut verius docent cum Benedicto XIV [2]. Item excipiendæ sunt censuræ post Tridentinum reservatæ [3]; item suspensione et irregularitate excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario [4].

b) Concessa alicui particulari facultate absolvendi a casibus Papalibus, non intelligitur concessa facultas absolvendi a casibus in Bulla *Cœnæ* expressis; quia in generali concessione non veniunt quæ superior sibi specialiter reservavit, uti sunt casus illi.

c) Concessa alicui particulari facultate absolvendi etiam a casibus in Bulla *Cœnæ* expressis, non comprehenditur facultas absolvendi ab hæresi, quamvis occulta, uti tradit Benedictus XIV in Bulla *Convocatis*. Si tamen causa ad forum Episcopi deducta sit et resipiscat hæreticus, Episcopus poterit eum tunc absolvere, uti dicunt auctores communiter.

d) Concessa confessariis amplissima absolvendi facultate in Jubilæo, ab omnibus peccatis, criminibus ac delictis quantumvis gravibus vel Ordinariis vel Papæ reservatis, *et quorum absolutio alias quantumvis ampla non intellegeretur concessa*, censetur data facultas absolvendi etiam ab hæresi externa ex responsione S. Pœnitentiariæ juxta mentem Pii IX anno 1854. Non ideo tamen ex eadem S. Pœnitentiaria 20 jan. 1865 ex illis amplissimis facultatibus data censetur facultas absolvendi qui in romanis provinciis rebellionem et earum usurpationem perpetrarunt, vel iis cooperati sunt; sed tunc recurrendum erit ad locorum Ordinarios, qui providebunt juxta instructiones.

e) Vi Juris communis potest Episcopus per se, vel per alios specialiter deputatos, absolvere suos subditos in utroque foro ab omnibus casibus (etiam publicis) Papæ reservatis a jure aut ab homine, etiam hæresis, impeditos personaliter Romam adire, ut communiter habentur senes sexaginta annorum, regulares etiam quoad censuras incursas ante ingressum in Religionem, pauperes nisi agatur de mendicis vagabundis, mulieres nisi expresse censura notentur,

[1] Archiepiscopus (item Patriarcha, Legatus a latere) licet superior Episcopo nequit suffraganeorum subditos absolvere, nisi in casu justæ appellationis aut visitationis ex officio, cum tunc tantummodo gaudeat expedita jurisdictione.
[2] *De Syn.*, l. IX, c. 4. V. *De fide*, lib. II quoad hæresim.
[3] S. C. C. 1589 penes Giraldi, *Expos. Juris Pontificii;* et 18 julii 1860.
[4] Tridentinum, cap. *Liceat*, sess. XXIV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 82.

impuberes etsi petant absolutionem pubertate adepta, pueri, filiifamilias, carceribus detenti, infirmi, milites, collegialiter viventes, obstricti cura alendi familiam vel gerendi publicum officium, et ceteri qui nequeunt Romam proficisci sine gravi damno suo vel suorum, sive temporali sive spirituali. Et tunc si impedimentum sit *perpetuum* (et tale habetur si durare possit per decennium) absoluti ab Episcopo jugiter remanent liberi [1]. Si sit *ad longum tempus*, nempe si duret per annum vel sex menses, potest adhuc absolvere Episcopus, sed emitti debet ab impedito (pueris exceptis), ut possit absolvi, juramentum de se quantocius superiori præsentando, sub pœna reincidentiæ. Si sit *ad breve tempus*, nempe per dies, potest tantum absolvere Episcopus, si urgeat necessitas celebrandi aut communicandi, ad vitandam infamiam vel scandalum, in suo statu manente censura, et cum obligatione se præsentandi superiori; nam censura non pugnat cum statu gratiæ, sed tantum Ecclesia facit pœnitentem indispositum, et prohibet a Sacramentis: quæ prohibitio desinit obligare ubi contra ipsam concurrat præceptum fortius, vitandi nempe grave suî damnum.

f) Concessa facultate ab Episcopo absolvendi a casibus reservatis, non intelligitur de iis peccatis, quibus adnexa est censura reservata. Secus si talis concessio fiat a R. Pontifice; quia omnes casus Papales sunt reservati cum censura et propter censuram, si duo excipiantur, uti videbimus de Pœnitentia agendo.

Quæres: *an impediti adire Romam in persona, teneantur adire per epistolam vel procuratorem, ut obtineant absolutionem?*

R. Negative, si impedimentum sit perpetuum, quia jus non obligat reum nisi, ut personaliter adeat Papam; unde si non potest, liber est, et satis est si ad Episcopum recurrat, vel ad delegatum ab eo; idque vi Juris ordinarii, ut cum communi docet s. Alphonsus [2]. Et Sancti Officii Congregatio interrogata: « An impediti adire Romam in persona, teneantur adire saltem per epistolam aut procuratorem ad absolutionem a casibus Sedi Apostolicæ reservatis impetrandam, respondit 8 julii 1860: *Consulat probatos auctores, inter quos s. Alphonsum Mariam de Ligorio.* »

835. Q. 7. *Quidnam requiritur in absolvendo a censura?*

R. In absolvendo a censura hæc jure requiruntur:

[1] Ex c. *De cetero*, de sent. excomm. — Vecchiotti, *Inst. Can.*, l. IV, c. 4, § 53.

[2] Quod autem ad Pœnitentiariam fiat recursus, non concludit; hoc privilegium est favorabile, quo nemo uti tenetur: vel etiam ad illam fit recursus ob temporarium impedimentum, ut eo tunc cessante, obligatio minime reviviscat. Ita probabilius et communiter cum Alasia, Milante, Roncaglia, Salmanticenses contra Lugo et Bonacina. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, n. 563; l. VII, n. 89.

1. Ut absolutionem postulet: *nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sententiam ecclesiasticam contemnere videatur* [1]. Aliquando tamen licite datur absolutio censurato adhuc contumaci, puta ob bonum publicum, vel ut reus facilius resipiscat.

2. Ut primum satisfaciat parti læsæ, in cujus damnum commissum est crimen cum censura (nisi pars remittat): quod si non possit, juret se quamprimum poterit satisfactionem daturum [2].

3. Ut primitus publice reparet scandalum propter quod censura fuit irretitus, si aliud non obstet, ut declaravit S. Pœnitentiaria 5 julii 1857. Imo si sermo sit de crimine enormi, v. g. de scandalosa Ecclesiæ violatione, gravi clericorum percussione, ante absolutionem juramentum exhibeat de tali crimine amplius non patrando [3].

Etiam absens valide absolvitur a censura; hæc enim absolutio non est Sacramentum, sed mera relaxatio vinculi ab Ecclesia impositi, quæ potest etiam in absentes pronuntiari per nuntium vel literam (sæclusa speciali prohibitione) [4]; id tamen cum sit contra praxim, fieri non debet sine gravi causa.

Diximus: *sæclusa speciali prohibitione;* qui enim potestatem habet absolvendi a censura in foro conscientiæ, ex communi sententia valide absolvere potest, absolute loquendo, etiam extra Confessionem, etsi (addunt Suarez, Sanchez, Avila, Hurtadus et Felix Potestas) facultas absolvendi data sit *in foro pœnitentiæ*, imo etsi hæc committatur *sacerdoti confessori*, aut *sacerdoti audienti Confessiones;* aut detur facultas absolvendi *audita Confessione* (cum absolutio a censura possit valide separari ab absolutione a peccatis). Excipiuntur tamen Episcopi, qui ex declaratione Gregorii XIII, quam refert Fagnanus, non possunt absolvere a casibus Papalibus occultis extra sacramentum Pœnitentiæ [5] *(R).*

CAPUT TERTIUM

DE SINGULIS CENSURÆ SPECIEBUS.

836. Ex vigenti disciplina omnis censura revocatur *ad excommunicationem*, *suspensionem* et *interdictum.* Id deducimus ab illo Innocentii III responso: *Quærenti quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi... respondemus, quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valeat intelligi* [6]. Præcipua autem quæstio est de excommunicatione. — Hinc:

837. Q. *Quid est excommunicatio et quotuplex?*

R. Ad 1: Excommunicatio, quasi *a communione exclusio*, definiri solet: *censura, per quam ab Ecclesiæ communione aliquis separatur;*

1 C. *Per tuas* de sent. excommunicat. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 14.
2 C. *Odoard. de solut.* et c. XXIII *de verb. sign.*
3 C. *De cetero;* et c. *Ex tenore*, de sent. excomm. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, n. 537; l. VII, nn. 116, 131. — Ferraris; V. *Excommunicatio*, art. 12.
4 Decr. II part., caus. 2, q. 1, c. 17 *de manifesta.*
5 *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, n. 593; l. VII, n. 126.
6 C. XX *de verb. signif.* — *V.* Ferraris; V. *Excommunicatio.*

et bonis quæ inter fideles communia sunt, vel ex parte vel ex toto privatur. Diximus: *bonis quæ inter fideles communia sunt;* quia tam Lutheri, quam Jansenistarum in Pseudosynodo Pistoriensi sedentium doctrina tradens *excommunicationem esse pœnam tantummodo externam, neque privare fidelem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus*, damnata est ab Ecclesia catholica, in Lutheranis a Leone X Bulla *Exurge*, in Jansenistis a Pio VI Bulla *Auctorem fidei;* cum enim sit pœna spiritualis, maxime spiritualia bona afficere debet.

R. Ad 2: Excommunicatio duplex: 1) una *major*, quæ semper intelligitur, cum absolute fit mentio excommunicationis, et privat excommunicatum pluribus bonis quæ in Ecclesia communia sunt; 2) alia *minor*, quæ excommunicatum privat dumtaxat ipso usu passivo, seu receptione Sacramentorum.

Art. I. — *De excommunicatione majori* [1].

838. Q. 1. *Quomodo distinguuntur excommunicatione majori irretiti?*

R. Distinguuntur in duas quasi classes: alii dicuntur *non tolerati* et *vitandi*, quos fideles sub gravi vitare tenentur; alii *tolerati* et *non vitandi*, quos non tenentur vitare. Veteri disciplina omnes excommunicati erant vitandi; sed post *Extravagantem* Martini V *Ad evitanda scandala* anno 1418, non tolerati et vitandi illi tantum habentur qui expresse et nominatim excommunicati sunt, atque uti tales denuntiati: necnon publici et notorii clericorum aut regularium percussores. Non adest ergo obligatio vitandi excommunicatos, etiam notorios, licet hæreticos, qui non sint nominatim excommunicati, expressis nomine et circumstantiis personæ, et insuper nisi sint publice denuntiati, nempe declarati excommunicati in loco publico aut scripto aut voce [2].

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 133 et seqq. Olim triplex excommunicatio major: *simplex*, *anathema* et *maranatha:* 1) solo verbo; 2) pluribus cæremoniis pronuntiabatur; per 3m excommunicatus ab Ecclesia perpetuo arcebatur, solius Dei judicio relictus. *V.* Benedictus XIV, *De Synodo*, l. X, c. 1.

[2] Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 15. — Ferraris; V. *Excommunicatio*, art. 9. Cum Pius VII celebri Bulla *Quam memoranda* 10 junii 1809 (quam refert card. Pacca, *Memorie storiche)*, excommunicasset ipso facto qui usurpaverant civilem Romanæ Ecclesiæ Principatum (quo quidem *divina providentia illum donatum voluit ad ejus dignitatem, atque ad liberum supremi Apostolatus exercitium tuendum*, ut ait Pius IX, Encycl. 17 apr. 1848), dubitatum fuit, an essent vitandi, qui in contextu Bullæ indicabantur his verbis: *mandantes, fautores, consultores, adhærentes vel alii quicumque prædictorum executionem procurantes, vel per se ipsos exequentes.*

Responsio fuit negativa: quia nonnisi generatim ipsi designabantur, nec ullus eorum erat nominatim denuntiatus, neque ipse Napoleon I, contra quem principaliter excommunicatio lata erat (V. *Correspond. Authent. de la Cour de Rome avec la France*, p. 129). Hæc tamen excommunicatio jam erat incursa, utpote jam lata in Bulla *Cœnæ* et alibi; sed iterum fuit renovata ad terrorem, etc.

Verum etsi ex juris dispositione non teneamur toleratos vitare, adsunt tamen circumstantiæ peculiares, in quibus eos vitare tenemur ex præcepto prudentiæ vel charitatis, quoties nempe eosdem non vitando adesset periculum scandali aut damni spiritualis: vel si eos fugiendo spes prudens oriretur illorum emendationis: quæ omnia in hæreticis præsertim locum habere solent. Quare Apostolus: *hæreticum hominem post unam, et secundam correptionem devita* [1]. In dubio vero an quis sit vitandus, non tenemur eum vitare; nam *odia sunt restringenda.*

839. *An* (quæres) *ipse toleratus possit cum fidelibus communicare?*

R. Vel toleratus ab ipsis fidelibus rogatur, vel non. Si non rogatur, communicare non potest sine gravi peccato neque in divinis neque in humanis: quia Martinus V facultatem communicandi concessit in favorem fidelium, non in gratiam excommunicati. Si vero rogatur ab ipsis fidelibus, tunc haud peccat cum iis communicando [2]; ex quo enim facta fuit fidelibus ab Ecclesia facultas communicandi cum excommunicato tolerato, indirecte indultum est etiam excommunicato, ut communicare valeat sine peccato cum iis, a quibus rogatur; nam si adhuc peccaret, inutilis evaderet concessio facta fidelibus, dum eis ratione charitatis prohiberetur communicatio, ne detur taliter excommunicatis occasio delinquendi.

Notandum hac de re: 1) quæ hactenus dicta sunt de excommunicato, currunt pariter de suspenso et interdicto, ita ut, usque dum non sunt publice denuntiati, possimus indifferenter communicare cum illis, quia Constantiense, in Const. *Ad evitanda*, loquitur universe de quacunque censura; 2) ex hodierna et universali consuetudine (ut scite observat Gury) censura irretiti, sed tolerati non amplius peccare dicendi sunt communicando cum fidelibus *in civilibus*, etiam ab ipsis non requisiti. Imo neque si non rogati communicent *in divinis* (ut addunt), si abstinere nequeant sine scandalo vel infamia; ratio, quia Ecclesiæ leges tunc cessant obligare [3].

840. Q. 2. *Quinam sunt effectus excommunicationis majoris?*

R. Octo sunt effectus immediati majoris excommunicationis: 1) privatio activa usus Sacramentorum, idest facultatis ea conficiendi et ministrandi; 2) privatio passiva ejusdem usus, idest facultatis ea suscipiendi; 3) privatio participationis publicorum suffragiorum et precum in Ecclesia communium; 4) privatio usus divinorum Officiorum; 5) privatio communionis forensis et civilis; 6) privatio juris-

[1] II, Tim. III.

[2] Idque non modo in humanis negotiis licet, quod omnes fatentur; sed etiam in divinis, ut fert opinio probabilior; nam facultas fidelibus concessa universum data fuit. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 140.

[3] *V.* Gury, *De Censuris*, n. 969; — Frassinetti, *Compendio* ecc., ad n. 1076.

dictionis; 7) privatio sepulturæ ecclesiasticæ; 8) inhabilitas ad obtinenda Ecclesiæ Beneficia, Officia et Rescripta.

Diximus *immediati*, seu proximi; sunt enim etiam effectus *mediati* seu remoti; ac 1) *irregularitas* [1], quam incurrit qui tali excommunicatione inodatus exercet actum alicujus Ordinis sacri, vel illicite Sacramenta ministrat; 2) *hæresis suspicio*, qui enim excommunicatus per annum in censura insordescit, contra illum, ex Tridentino, *tanquam de hæresi suspectum procedi potest* [2]; quia præsumitur male sentire de potestate Ecclesiæ; 3) *probatio delicti* [3]; qui enim annum perdurat obstinate in excommunicatione, habetur pro convicto et confesso de delicto; 4) *privatio Beneficiorum jam obtentorum;* si enim excommunicatus triennio sic perseveret, debet a judice privari Beneficiis omnibus; quia indignus est, ut fructibus Ecclesiæ gaudeat qui adversus illam ita rebellis existit [4] *(S)*.

§ 1. — *Privatio Sacramentorum, suffragiorum, precum ac divinorum Officiorum.*

841. Q. 1. *An excommunicatus valide atque licite Sacramenta conficiat et ministret?*

R. Ad validam Sacramentorum confectionem et administrationem quod attinet excommunicatus, sive toleratus sive non, ea valide conficit et ministrat: ubi enim omnia ad Sacramentum necessaria concurrunt, nequit Ecclesia illud invalidare. Excipitur *Pœnitentia* pro excommunicato vitando; nam certum est a vitando invalide hoc Sacramentum administrari, cum ad illud requiratur potestas non tantum Ordinis, sed etiam jurisdictionis, qua excommunicatus vitandus caret ex Ecclesiæ præscripto, si excipias necessitatis casum, aut nisi error communis cum titulo colorato suppleat jurisdictionem.

842. Si vero quæratur, an excommunicatus etiam licite Sacramenta conficiat atque ministret, distingue inter ipsum toleratum et non toleratum.

1. *Toleratus*, si non rogetur a fidelibus nec adsit necessitas, prohibetur sub gravi Sacramenta ministrare, et si ministrat fit irregularis [5]. Poterit tamen licite ea conficere et administrare, quotiescun-

[1] *V.* Lib. III *De Ordine*, de irregularitate; — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 157.
[2] Sess. XXV, c. 3 *de Ref.* — *V.* Ugolinus, *De Censuris.*
[3] C. *Rursus* XXXVI et seqq. XXXVII, caus. XI.
[4] C. *Cum bonæ* VIII *de ætat et qualit.* — *V.* Schmalzgrüber.
[5] C. *Apostolicæ, de cler. excomm. min*

que a fidelibus expostuletur. Imo docent complures eundem posse etiam probabiliter celebrare, tametsi non expostuletur, si dies festus occurrat, neque alius adsit sacerdos qui Missam valeat pro populo celebrare; nam tunc juste præsumitur populus Missam petere ad implendum præceptum.

2. *Non toleratus* nequit ne rogatus quidem Sacramenta conficere aut ministrare; et si ministret, gravissime peccat, cum graviter atque expresse omnis communicatio cum fidelibus ei interdicta sit [1], et irregularitatem incurrit ob censuræ violationem [2]. Excipe si non administrando grande sit passurus incommodum, v. g. jacturam famæ aut bonorum; nam Ecclesiæ præcepta non obligant cum tanto incommodo. Vel si instet necessitas proximo subveniendi: ed ideo licite valet Viaticum et Extremàm-Unctionem ministrare infirmo, quando iste nequeat rite confiteri peccata ob infirmitatis suæ indolem; quia forte illis potest omnino indigere.

843. *Quid* (quæres) *de illo, qui a vitando Sacramenta recipit?*

R. Qui a vitando Sacramenta scienter recipit sine necessitate peccat graviter, cum transgrediatur præceptum grave; et incurrit in excommunicationem minorem, quia communicat cum illo. Imo, qui scienter suscipit Ordinem ab Episcopo vitando, incurrit etiam suspensionem ab illius exercitio [3].

844. Q. 2. *An excommunicatus possit Sacramenta suscipere?*

R. Si sermo sit de valida susceptione, certum est excommunicatum sive toleratum sive non toleratum valide omnia Sacramenta, saltem quoad substantiam, suscipere, excepto sacramento Pœnitentiæ. Imo verius ne isto quidem excepto, si invincibiliter ignoret id sibi prohiberi, nec cetera desint requisita in excommunicato: cum ex una parte non sit indispositus, quia, ignorando prohibitionem, ignorat etiam suam indispositionem; et ex altera nequeat Ecclesia directe inhabiles reddere ad Sacramenta eos, qui Jure divino habiles sunt.

Si vero quæratur de licitate, cuilibet excommunicato sive vitando sive non, sub mortali prohibetur Sacramenta suscipere; suscipiens autem sine gravi causa peccat lethaliter, at nullam aliam pœnam incurrit præter suspensionem ab Ordine, si eo in statu illum suscipiat [4]. Diximus: *sine gravi causa;* excusat enim ignorantia invincibilis, metus mortis (si non sit incussus in contemptum censuræ),

1 C. ult. *de cler. excomm. min.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 170 et 171.
2 Martinus V declarat irregularem quemlibet constitutum *in Sacris, qui post excommunicationem præsumpserit quasi in officio suo agere sicut prius.* Quod vero pertinet ad Baptismum et Nuptiarum benedictionem, irregularitas non tenet, si privatim tantummodo hæc fiant; tunc enim non est proprie officium suum exercere.
3 C. *Cum illorum,* § fin. de sent. excomm.
4 C. *Cum illorum;* cap. *Si quem,* de sent. excomm.

jacturæ bonorum, etc.; quia censura per se non obligat cum tanto rigore [1].

845. *Quid si minister Sacramentum conferat excommunicato?*

R. Si minister scienter confert Sacramentum excommunicato vitando peccat graviter; quia communicat in Divinis cum indigno, incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ et excommunicationem quæ erit Papæ reservata, si Sacramenta dederit nominatim a Pontifice excommunicatis et denuntiatis [2]. Imo si isti excommunicati sint (ut hæretici, aut hæreticorum fautores), ministrans eis Sacramenta remanet etiam suspensus ab officio, donec a Papa dispensetur [3].

Si vero Sacramentum scienter conferat excommunicato non vitando, peccabit quidem gravissime contra præceptum divinum, quod prohibet Sacramenta indignis ministrari, tanto magis si aliis id notum sit, cum tunc addatur etiam scandalum: non tamen peccabit vi censuræ, idest contra legem ecclesiasticam; quia hæc probabilius non impedit communicationem cum excommunicato tolerato neque in Divinis. Hinc licet ministrare Sacramenta excommunicato, qui sit in bona fide, quia tunc non dantur indigno: vel si publice petat, et indignitas sit occulta, ne prodigatur ejus fama. Item si dubium sit, an absolutionem ab incursa censura sit consecutus, casu quo petat, maxime si affirmet se absolutum; quia non est præsumendus velle de novo delinquere.

846. Q. 3. *An possint fieri suffragia pro excommunicatis?*

R. 1. Si sermo sit de precibus suffragiisque privatis provenientibus ex bonis operibus, quæ fideles proprio nomine et persona sua particulari peragunt (uti sunt jejunia, orationes et alia, quæ a fidelibus, aut ab Ecclesiæ ministris, sed ut sunt personæ privatæ fiunt), quilibet potest pro excommunicatis etiam vitandis ea peragere; ideo orare et facere secreto suffragia etiam in Ecclesia et loco publico. Imo sacerdos potest etiam pro iis Sacrificium offerre ex sua propria privata intentione et nomine proprio (et accipere ab iis stipendium ex Billuart); vel eorum in specie meminisse in *Memento*, ad hoc ut Deus eos convertat.

Ratio quia excommunicati etiam vitandi privantur quidem communione Ecclesiæ hoc sensu, quod Ecclesia sua bona non participet iis, qui non sunt ejus membra; at non privantur communione cha-

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 160. *Perciò un confessore il quale s'imbattesse in un penitente, il quale fosse incorso in censure anche riservate al Papa e non potesse omettere di ricevere i Sacramenti, celebrare la Messa, ecc., senza infamia o scandalo* (quia occulta est censura), *dovrebbe assolverle in quel frangente, e poi dirigerlo a chi avesse facoltà di assolverlo direttamente; ovvero procurarsi esso tale facoltà.* » Frassinetti.

[2] C. *Episcopor.* VIII *de privil.*, in 6. Et c. *Significavit* XVIII *de sent. excomm.*

[3] C. *Excommunicamus* XIII, § *Credentes de hæreticis.*

ritatis, quippe quæ omnes homines amplectitur. Quare est quidem sub gravi vetitum publicam mentionem de illis habere intra sacra et publica mysteria, vel illis applicare merita Ecclesiæ, quatenus Ecclesiæ; non vero applicare opera charitatis.

847. R. 2. Si vero sermo sit de precibus ac suffragiis, quæ fidelibus proveniunt ex operibus nomine Ecclesiæ ab ejusdem ministro actis, uti sunt Missæ, Exequiæ, Officia aliaque pia opera, quæ fiunt ab Ecclesiæ ministris prout sunt tales, nempe in persona Ecclesiæ (ad quæ etiam Indulgentiæ revocantur), certum est hæc pia opera non posse valide applicari excommunicatis vitandis, uti constat ex variis juris capitibus [1], et Ecclesiæ usu. Quod longe probabilius valet, etsi taliter excommunicati contriti sint et in gratia, nec per ipsos stet quominus absolvantur; nam vinculum ab Ecclesia positum, ab ipsa Ecclesia auferendum est, ut habeantur apud ipsam absoluti.

Quid vero si agatur de excommunicatis non vitandis seu toleratis? Quæstio est, an pro ipsis (præsertim si sint manifesti), possint offerri Sacrificia, fieri suffragia et communes in Ecclesia preces fundi ac Officia decantari. Alii probabiliter negant cum Bellarmino et Suarez; tum quia concessio facta a Concilio Costantiensi communicandi cum excommunicatis toleratis est tantum in favorem fidelium, non vero in levamen excommunicatorum: at hi multum sublevarentur, si liceret hoc modo pro iis orare; tum quia hæc communicatio est tantum concessa ad vitanda scandala, et pericula et subveniendum timoratis: porro si ista suffragia fiant, nedum scandalum auferatur, potius augeretur.

Sed alii non minus probabiliter cum Navarro, Palao, Coninchio, Hurtado et Diana, docent licitum esse pro illis offerri Sacrificia, etc. etiam nomine Ecclesiæ; quia leges favorabiles cum omni amplitudine intelligendæ sunt: dum igitur fidelibus concessum fuit communicare cum toleratis, id concessum etiam fuit quoad divina Officia; ubi enim lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Nec obstat, quod Concilium non intendat per hoc sublevare excommunicatos; quia id intelligendum de sublevatione directa; nam indirecte et ex consequenti, hoc ipso quo aliis conceditur facultas cum iis communicandi, aliquâ utique sublevatio conceditur.

Quod autem additur fore scandalosum, si publice pro tolerato excommunicato Sacrificium offeratur vel aliud simile, non semper verum est: imo sæpe potest magna turbatio timeri, si id omittatur, uti esset ex Coninchio si in aliquibus locis in Sacrificio vel alia prece

[1] Cap. *Sacris*, et *a nobis de sent. excomm.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 162.

publica semper nominetur Princeps vel Episcopus, sed statim eorum nomina omnes omitterent, postquam illi aliquod fecissent prohibitum sub excommunicatione majori latæ sententiæ [1].

848. Q. 4. *An excommunicatus possit divinis Officiis interesse?*

R. Per Officia divina hic intelliguntur: Missa, publicæ processiones, Horæ solemniter decantatæ, solemnis benedictio, consecratio chrismatis, benedictio candelarum et similes cæremoniæ, quæ fiunt ex instituto Christi vel Ecclesiæ; aut quæ propriæ sunt Ordinis clericalis, ut cantus Epistolæ vel Evangelii cum ornamentis propriis, sepultura ecclesiastica, etc. Hoc posito:

Dicimus: excommunicatus prohibetur sub mortali his interesse; quia censura privat eorundem usu, nisi excuset ignorantia vel necessitas vitandi scandali. Unde excommunicatus si Sacrum faciat, et excommunicationis recordetur, tenetur illico ipsam Missam interrumpere, nisi jam consecraverit; quia tunc debet continuare Sacrificium, ne illud faciat mutilum. Duæ tamen ponuntur exceptiones:

1. *Excipitur auditio concionis;* nam eam excommunicatus potest audire, cum in hoc nulla sit communicatio proprie dicta. Sed non potest per se eam peragere, sicut nec legere publice Theologiam, aut Jus canonicum interpretari; nisi sit toleratus et ab aliis requiratur, vel ad hoc per se obligetur ex officio, quia tunc satis requiri præsumitur.

2. *Usus excipitur Sacramentalium;* quæ licet summam venerationem mereantur, inter officia divina non recensentur. Unde excommunicato non prohibetur eorum usus, non quidem ut participet fructuum, quem producunt ex benedictione Ecclesiæ; sed ut ea veneretur. Ita potest uti imaginibus, Reliquiis, acqua benedicta et aliis sacris, ut eas honorando, gratias quibus indiget, obtineat.

Hinc versus:

Missa, preces, Horæ, processio publica, quidquid
Clerus agit solemne. Sacramentalia, Verbum
Excipe; namque illis uti, hoc audire licebit [2].

[1] Ceterum si revera offendantur fideles, id non liceret; sed scandalum esset prius amovendum: quo remoto, ajunt, Parochum v. g. posse, si aliter gravissima timeat incommoda ac turbationes, excommunicatis toleratis funebres honores concedere, Sacrificia offerre, etc., in tali necessitate passive se habendo, seu patiendo actionem. Quod enim iis debeant suffragia negari, non est de Jure divino, quod tantum vetat Sacramenta ipsis ministrari, ne Sanctum detur canibus; neque de Jure naturali, cum orationes publicas agere per se bonum sit (modo tamen si agatur de suffragando defuncto, non constet ipsum esse mortuum impœnitentem).

Nam per suffragia honor Deo exhibetur, et si ea non prosunt defuncto, cedunt directe in commodum fidelium tum spirituale ob meritum charitatis, tum temporale ob stipendia, etc., quæ hi percepire possunt ex oblationibus. Unde prohibitio est tantum ab Ecclesia: porro hæc vel id non prohibet, vel si prohibet, generatim prohibitio, in præsenti gravissimæ necessitatis casu, cessat, cum lex humana non obliget cum gravi incommodo.

[2] Imo neque eidem prohibetur Ecclesiæ ingressus ad orandum private, quando divina Officia non celebrantur. Poterit etiam ingredi cum recitantur Officia divina, modo

849. Q. 5. *An obligatus ad Horas per excommunicationem liberetur?*

R. Negative sive sit vitandus sive non; nam *nemo debet reportare commodum ex propria iniquitate:* quod valet etsi teneatur ad illas sola ratione Beneficii, et fructus non percipiat; quia titulus semper perseverat [1]. Tenetur tamen excommunicatus Horas privatim recitare, et recitando non debet dicere: *Dominus, vobiscum*, sed *Domine, exaudi orationem meam;* quia illa formula importat quandam salutationem ad populum; secus venialiter peccaret. Sunt tamen qui censent, eum omnino non peccare etiam illam salutationem usurpando, si solus recitet; quia tunc est tantum privata oratio pro aliis.

Horas privatim recitare cum aliis non videtur excedere veniale vel pro ipso vitando; quia licet iste prohibeatur cum aliis communicare etiam in oratione privata; attamen, secluso scandali periculo et Ecclesiæ contemptu, non censetur materia gravis socium sibi sumere ad recitandum privatim Officium divinum vel Rosarium [2]. Imo famulus vel sacerdos jussu domini vel Episcopi excommunicati cum illo recitans, ne leviter quidem peccat; quia tunc non communicat, sed tantum obsequium famulatus præstat.

850. Q. 6. *An ecclesiastici possint sacra Officia peragere, et fideles iis interesse una cum excommunicato?*

R. Affirmative, si excommunicatus sit toleratus; quia tunc ipsis permittur cum tali excommunicato communicare. — Si vero excommunicatus sit vitandus, hoc nefas est ob rationem contrariam: hinc probabilius sub gravi prohibitum est, et incurritur minor excommunicatio assistendo cum tali excommunicato processioni, solemni benedictioni, etc., quia hæc assistentia ad officium divinum quod fit nomine Ecclesiæ, est exterior significatio mutuæ communionis. Tanto magis, si assistant Missæ sacrificio: tunc in eadem oblatione omnes conveniunt; ideo tenentur illico recedere et ab Ecclesia exire, sub culpa mortali.

Si vero fideles in eadem Ecclesia cum ipso concurrunt, at non eandem, sed diversam ab illo Missam audiant, recedere non tenentur, nec sacerdos qui pro istis fidelibus celebrat Sacrum relinquere; quia non est communicatio in eodem divino, sed illa assistentia in uno loco materialiter se habet. Item si populus ad concionem concurrat cum tali excommunicato, vel ad lectionem Theologiæ vel Juris, non tenetur recedere; per hoc enim cum illo non communicat: unusquisque namque ex illis auditoribus seorsim audit, nec ad idem opus concurrunt; idque maxime, quia concionem aut le-

id fiat justa de causa, quæ communionem in Divinis non importet cum fidelibus, v. g., ut satellitum manus effugiat. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 174.

[1] Casu quo totaliter privetur Beneficio, non tenetur ad Horas, si ad illas sola Beneficii ratione erat adstrictus, ut notant Avila, Covaruvias, Salmanticenses. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 178.

[2] Diximus: *pro vitando;* nam si agatur de non vitando, ex dictis, nullo modo peccat, si iste recitet cum alio, a quo sit requisitus.

ctionem audire talis excommunicatus non prohibetur; siquidem ad illius emendationem potest conferre [1].

851. Q. 7. *Qid agendum est, si excommunicatus non toleratus vult assistere divinis Officiis?*

R. Monendus est ut exeat; quod si obtemperare noluerit, etiam vi (attamen sine percussione et scandalo) expellendus etsi sacerdos, nec per hoc incurritur in pœnam Canonis, quia manus violentæ illi injiciuntur in defensionem ecclesiasticæ potestatis. Sed si expellendo gravius teneatur incommodum (quod hodie timendum est maxime ex parte civilis potestatis), tunc etiamsi Officia jam inchoata sint, sunt relinquenda, et alibi si fieri potest absque solemnitate finienda [1]. Et similiter sacerdos si Missam celebrat, etiam festo die abrumpat extemplo, Canone nondum inchoato. Si Canonem inchoaverit, poterit (ceteris abeuntibus) Sacrum perficere, vel in aliorum sententia æque probabili illud adhuc abrumpere. Si vero jam consecraverit, solo manente ministro, pergat usque ad Communionem inclusive; alia perficiat in Sacrario vel alio loco decenti, quia integritas Sacrificii est de Jure divino, ideo anteponenda Juri ecclesiastico.

Excommunicatus nolens ad sacerdotis monitionem ab Ecclesia egredi, incurrit excommunicationem Papæ reservatam. Idem dicendum de interdictis denuntiatis; idem de iis qui impediunt, quominus taliter censurati ab Ecclesia egrediantur.

§ 2. — *Privatio communionis forensis ac civilis; jurisdictionis et sepulturæ Ecclesiasticæ; item de inhabilitate ad Beneficia, pensiones et rescripta.*

852. Q. 1. *Quid de privatione communionis forensis?*

R. Privatio communionis forensis in eo consistit, quod excommunicatus privetur omni actu ad judicium pertinente in foro sive civili sive ecclesiastico; adeo ut nequeat esse judex, scriba, testis, notarius, advocatus, procurator, tutor, curator vel executor testamentarius; si tamen, ut communiter dicunt, a memoratis officiis repellatur a parte cujus interest. Item neque licite inire contractus, neque licite testari, etsi valide [3]. Quanquam hodie, in civili foro nulla am-

1 C. *Responso, de sent. excomm.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 177.
2 C. *Veniens, de sent. excomm.* — *V.* Salmanticenses, *De Censuris*, c. III, p. 6ª.
3 C. *Pia de except.*, in 6; et c. *Nullus*, caus. III, q. 4. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 184.

plius ratio habetur harum Juris canonici dispositionum: quod currit etiam quoad privationem jurisdictionis [1].

853. Q. 2. *Quid de privatione communionis civilis?*

R. Privatio communionis civilis importat prohibitionem communicandi cum fidelibus etiam in civilibus, ita ut nec ipse excommunicatus cum aliis; imo si sit vitandus, nec alii cum ipso communicare valeant in re civili ac politica per modum sive societatis sive conversationis, adeo ut aliter incurrant minorem excommunicationem, nisi urgeat necessitas cum tali vitando communicandi [2].

854. Q. 3. *Quid dicendum de privatione jurisdictionis?*

R. Excommunicatus vitandus pro foro tam interno, quam externo, privatur usu jurisdictionis, si quam antea habebat [3]. Unde valide nequit eligere neque præsentare ad Beneficium, tanto minus illud conferre; et qui ab eo Beneficium accipit, dicendus est intrusus. Item neque leges valide condere aut sententias dare. Diximus; *excommunicatus vitandus;* quia si talis non esset, peccaret quidem graviter non tantum ecclesiasticus, sed probabilius etiam laicus, si in re gravi jurisdictionem exerceret absque gravi necessitate; sed valide ageret, cum nullibi id invalidetur.

855. Q. 4. *Quid de privatione ecclesiasticæ sepulturæ?*

R. Excommunicatus vitandus privatur a Jure canonico sepultura Ecclesiastica, ita ut nequeat in loco sacro ejus cadaver tumulari; et si contrarium fiat, erui debeat (si adhuc possit), et locus sacer reconciliari: excipe nisi decessisset cum signis pœnitentiæ, quo in casu prius est de necessitate absolvendus, si pro eo veniam petant hæredes. Qui scienter sepelire præsumunt excommunicatum vitandum, incurrunt ipso facto majorem excommunicationem [4]: per *sepelientes* autem non intelliguntur qui funus associantur, aut canunt preces, aut deferunt crucem, luminaria, sepulcrum effodiunt, cadaver deferunt, etsi graviter peccent; sed qui de facto sepeliunt. Utrum intelligantur etiam procurantes sepeliri, qui nempe auctoritate, suasione, pecunia in causa sunt cur excommunicatus vitandus in loco sacro sepeliatur, alii probabiliter affirmant cum Suarez: quis magis reus est, quam qui impellit ad violandas Ecclesiæ leges? Alii

1 Hoc præcipue obtinuit ex quo omnia fere regna proprios Codices condiderunt, Jus commune repudiando ex romano et ecclesiastico Jure conflatum.

2 C. *Excommunic.*, caus. XI, q. 3. — Casus prohibiti hujus communionis, et necessitas quæ illos licitos facit, vide *de excomm. minori.*

3 C. *Decernimus, de sent. excomm.*, in 6.

4 *Clement.* 1 *de sepul.* — *V.* Liguori. *Op. Mor.*, l. VII, nn. 186 et seqq. Si sit impossibile, ut excommunicati vitandi eruantur, ut maxime evenit tempore belli, in quo tot confuse sepeliuntur, satis est ut totum cœmeterium postea reconcilietur. *De sepultura* plura disputantur pro praxi Lib. IV, *Append.*

item probabiliter negant cum Cajetano; quia omnis pœna est strictæ interpretationis nec extendenda ultra casum expressum.

Diximus autem *vitandus;* non vitandus enim licite sepelitur in loco sacro, si cum pœnitentiæ signis e vita migraverit: unde si ei sit deneganda sepultura, non jam esset ratione censuræ, sed potius publicæ indignitatis; etenim post *Extravagans* Martini V, vitandus non est, nisi qui sit publice denuntiatus, aut publicus clerici percussor. Ergo ceteri excommunicati sepultura, per se, non privantur; nam *quibus vivis communicamus, mortuis communicare possumus* (quamvis deceat ut prius ab excommunicatione absolvantur). Ita probabilius Navarrus, Layman Schmalzgrüber contra Avila et Engel.

856. Q. 5. *Quid de inhabilitate ad Beneficia, Officia ac Rescripta?*

R. Ad 1: Ad Beneficia quod attinet, dicimus excommunicatum etiam *non vitandum fieri prorsus inhabilem ad Beneficia ecclesiastica obtinenda.* Ita expresse in Jure [1]; adeo ut collatio, electio, præsentatio et institutio facta in favorem ejus, qui actu majori excommunicatione illaqueatur, nulla sit [2].

Diximus 1: *Etiam non vitandum;* nam etiamsi aliis concessum sit cum isto communicare, ipse tamen de se semper est incapax; non enim per se potest sua officia Beneficio adnexa præstare, cum debeat uuaquaque vice expectare, ut aliquis ea petat. Exciperem casum quo officia essent præstanda in commodum conferentium Beneficium; nam eo ipso quod conferunt, censentur postulare ab electo officia Beneficio ipsi inhærentia.

Diximus 2: *Fieri prorsus inhabilem:* unde communius docent, id quoque locum habere in illo, qui post incursam censuram illa oblitus est, adeo ut invincibiliter hic et nunc ignoret se esse excommunicatum; quia ignorantia tollit culpam, non inhabilitatem. Excipe cum Lessio, Fabro et Salmanaticensibus, nisi collatio fiat a superiore cum absolutione *ad cautelam,* ut solet fieri.

Diximus 3: *Ad Beneficia ecclesiastica obtinenda;* jam enim obtentis Beneficiis non privat excommunicatio, nisi in casu hæresis.

857. R. Ad 2: Quod dictum est de Beneficiis, idem communiter dicunt de collatione et receptione dignitatum, quibus inhæreat jurisdictio, ut sunt prioratus, guardianatus, episcopatus, etc. Idem est de pensione clerici, quæ datur in titulum Beneficii ob ministerium

[1] C. *Postulatis, de cler. excomm. min.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 179, 180.
[2] Imo conferentes ipsi graviter peccant, et præter excommunicationem minorem incurrunt etiam in suspensionem a collatione, nisi sit ipse summus Pontifex, qui scienter Beneficium conferat excommunicato; vel in ejus concessione adsit clausula absolutionis a censura ad effectus valide consequendos. At semper excepta excommunicatione lata ob hæresim; quæ quidem non comprehenditur sub generali absolutione.

ecclesiasticum; et de pensione ecclesiastica licet temporali, quæ datur ob officium ecclesiasticum, prout Vicario Episcopi, etc.

R. Ad 3: Excommunicatus sive vitandus sive non, fit ineptus ad obtinenda quæcumque Rescripta tam gratiæ quam justitiæ, ita ut quidquid fuerit impetratum, ipso jure nullum sit et invalidum [1].

858. Q. 6. *An excommunicatus jus habeat in fructus Beneficii?*

R. Si beneficiatus excommunicatus fuit ante Beneficii receptionem, non potest suos facere fructus perceptos tempore excommunicationis, etiamsi postea absolvatur et rite Beneficium obtineat; quia nec valide nec licite illud obtinebat. Attamen si eo tempore vel per se vel per alium oneribus satisfecit, Beneficio rite obtento, potest fructus omnes retinere, si vigeat usus ut fructus Beneficii vacantis cedant successori. Imo etsi non sit talis usus, si bona fide Beneficium recepit et servitium præstiterit, poterit fructus retineri qui servitio præstito correspondeant; nam dignus est operarius mercede sua.

Si vero excommunicatus fuit post receptionem Beneficii, debebit quidem fructus restituere, quia est privatus officio: fructus autem dantur propter officium, veluti merces propter opus; sed non ante sententiam judicis, casu quo vel per se vel per alium onera impleverit, nam nimis dura est pœna, qua quis debeat sponte sua se expoliare mercede pro jam præstito servitio.

Hinc commune est, ut pœnæ requirentes actionem ex parte delinquentis indigeant semper sententia judicis, saltem declaratoria [2].

859. Q. 7. *An excommunicatus teneatur curare absolutionem ad implendum præceptum Missæ, Confessionis et Communionis?*

R. Quoad Missam negant communiter excommunicatum teneri obstaculum admovere, ut eam audiat, nisi agatur de impedimento levi: quia nemo tenetur ad impedimenta extraordinaria auferenda, ut se habilem reddat ad præceptum Ecclesiasticum adimplendum, cum non obliget cum incommodo gravi. — Secus dicunt quoad Confessionem et Communionem; cum radicaliter sit unum ex præceptis divinis; nam præcepta divina magis urgent, quam humana, minusque humanam patiuntur interpretationem.

860. Q. 8. *Quot sunt excommunicationes in particulari?*

R. Jure ecclesiastico universali multæ habentur excommunicationes latæ sententiæ, quarum aliæ nemini; aliæ Episcopo; aliæ Pontifici reservantur, ut videre est penes s. Alphonsum [3]. Nobis principaliores indicare satis erit, præter eas, quæ notabimus in Tractatu *De Pœnitentia* lib. III, ubi de casibus reservatis.

a) Excommunicationes non reservatæ.

1) In extorquentem absolutionem a censuris (c. unic. *De iis quæ vi,*

[1] Ex cap. *Dilectus* XXVI *de rescript.* — Hinc in Apostolicis Literis, in quibus confertur aliqua gratia, præmitti solet absolutio a censuris ad illum effectum, nempe ad effectum gratiam illam specialem consequendi: unde non est vera absolutio, sed potius suspensio, qua conceditur, ut non obstante censura, quæ quoad alios suos effectus adhuc subsistit, possit quis frui hac vel illa gratia, cujus aliunde incapax foret utpote censuratus. Hujus rei recens exemplum habemus in Brevi *Quanquam* Pii IX dato die 6 sept. 1853, pro reductione festorum in Pedemontano Regno, ubi legitur: *Itaque omnes et singulas personas, quibus hæ Literæ favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes*, etc. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 125.

[2] Hac declaratione data, tenetur restituere, nisi sibi jam fructus applicasset ut vere pauperi. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 183; et l. III, n. 670; et l. I, n. 148.

[3] *Op. Mor.*, l. VII, nn. 208 et seqq.; et *Homo Apost.*, tract. XIX, nn. 28 et seqq.

in 6); — 2) in contrahentes intra gradus prohibitos consanguinitatis aut affinitatis, vel cum monialibus *(Clem. unic., de consang.)*; — 3) in occupantes bona Ecclesiæ vacantis (c. *Generali, de elect.*, in 6); — 4) in mandantes occisionem christifidelis per assassinos (cap. I *De hom.)*; — 5) in clericos dignitate præditos, nec non in sacerdotes sine licentia docentes legem vel medicinam (c. fin. *Ne cler. vel monachi)*. Item in sacerdotes præfecturas laicales suscipientes (c. *clerici eodem)*. Item in clericos alienantes vel locantes ultra triennium bona Ecclesiæ (Extr. *Ambitiosæ, de rebus Eccl. non alienandis)*; — 6) in ficte renuntiantes aut commutantes Beneficia *(Pius V)*; — 7) in raptores mulierum et cooperantes (Tridentinum, sess. XXIV, c. 9); — 8) in docentes non esse necessariam Confessionem ante Eucharistiam in casu peccati (Tridentinum, sess. XIII, can. 11); — 9) in ingredientes monasteria monialium sine licentia in scriptis (Tridentinum, sess. XXV, c. 5 *de Reg.)*. Item in impedientes sine justa causa sanctam voluntatem mulierum accipiendi velum, vel emittendi votum. Item in cogentes (idem de cooperantibus) quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus a jure expressis, ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendum habitum Religionis, vel ad emittendam professionem (Tridentinum, sess. XXIV, c. 9; et sess. XXV, c. 18); — 10) in religiosos dimittentes sine licentia et gravi probata causa, proprium habitum (c. *Ut periculosa*, II, *ne cler. vel monach.*, in 6).

b) Excommunicationes Episcopis reservatæ.

1) In eum, qui leviter percutit clericum (c. *Pervenit de sent. excomm.)*; — 2) in eos, qui procurant abortum fœtus animati, effectu secuto (Bulla *Sedes Apostolica* Gregorio XIV, 1591); — 3) in eos qui communicant in crimine criminoso cum excommunicatis ab Episcopo, id est in crimine, propter quod aliquis fuit excommunicatus (c. *Nuper* XXIX et *duobus* LV *de sent. excomm.)*; — 4) in eos, contra quos Episcopus tulit censuram sibi reservatam. In eos, qui in mortis periculo a non habente facultatem absoluti a censura Episcopo reservata, non se eidem præsentaverint, si convaluerint (c. *Eos qui, de sent. excomm.*, in 6); — 5) in incidentes in casus Papales publicos, si perpetuo impediantur Romam adire pro absolutione (c. *De cetero, de sent. excomm.)*; — 6) in incidentes in casus Papales occultos, qui sint extra Bullam *Cœnæ* et ante Tridentinum reservati, et juxta hanc Tridentini limitationem quæ habetur *sess.* XXIV, cap. 6 *de Ref.: Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; et in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in Diœcesi sua per se ipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari* [1].

c) Excommunicationes Romano Pontifici reservatæ.

Contra clericos ac *religiosos:* — 1) in concionantes de tempore judicii novissimi contra sensum sanctorum Patrum *(Extr. Viam de r.*, in 6); — 2) in obtinentes a Papa Ecclesias parochiales cum juramento inserviendi personaliter infra certum tempus, sed postea juramentum non implentes. Ita Pius V Bulla *Inter multiplices* (sed observat Bonacina, quod hoc obsolevit, quia hujusmodi juramentum non solet nunc

[1] Ubi viget Concilium provinciale Romanum sub Benedicto XIII celebratum, est lata excommunicatio Episcopo reservata in medicos, qui post trinam infirmi visitationem a cura infirmi non abstineant, usque dum ipse Pœnitentiam susceperit.

Parochis deferri); — 3) in moniales exeuntes claustra sine licentia obtenta *(Pius V);* — 4) in religiosos, qui sine licentia Viaticum vel Extremam-Unctionem ministrare vel Matrimonium solemnizare præsumunt *(Clem. I de priv.);* — 5) in confessarios absolventes complicem peccati turpis *(Benedictus XIV).*

Contra omnes in generali [1]: — 1) in hæreticos, eorumque fautores. In scienter retinentes, legentes, imprimentes et defendentes libros hæreticorum de Religione tractantes vel hæresim continentes. In schismaticos et apostatas. In surripientes bona christianorum naufragantium. In falsificationes Literarum Apostolicarum. In vexantes Romipetas devotionis causa, aut alios pietatis causa peregrinos. In piratas in mari Pontificio, eorumque fautores. In usurpantes jurisdictionem Beneficiorum (Bulla *Cœnæ);* — 2) in incendiarios ab homine excommunicatos et denuntiatos (c. *Tua nos, de sent. excomm.);* — 3) in communicantes in crimine cum excommunicato a Papa (c. *Nuper eod.);* — 4) in vexantes censurantes (c. *Quæcunq. de sent. excomm.*, in 6); — 5) in violantes interdictum Papale *(Extr. Etsi de pœn.).* Item in violantes interdictum, modis prohibitis *(Clem. Gravis. de sent. exc.);* — 6) in simoniacos confidentiales *(Pius IV* et *Pius V);* — 7) in docentes aut sustinentes propositiones damnatas *(Decret. S. Congr.);* — 8) in perseverantes per annum in excommunicatione lata a Delegato Papæ (c. *Quærenti, de off. del.);* — 9) in ingredientes septa monasteriorum monialium prætextu licentiarum *(Clemente XIII).* Item in violantes clausuram monialium aut religiosorum ad malum finem, nempe libidinosum *(Decr. S. C. jussu Clementis XIII).* Hanc excommunicationem Papæ reservatam incurrunt, etiam ex Clemente XIII Constit. *Ubi gratiæ,* qui monasteria monialium ingredi non tantummodo, sed præsumunt, ingressum permittunt, consulunt, etc. cujuscunque ætatis sint sexus ac conditionis. Quæ pœna ipsos etiam afficit Prælatos, Episcopos, Cardinales, quoad monasteria, quæ ipsorum jurisdictioni non subsunt; cum prohibitio sit generalis, ut patet ex Tridentino, *sess.* XXV, c. 5 *de Regul.;* ex Constit. Pii V *Cura pastoralis*, et Constitutione citata Clementis XIII [2]. Item in fœminas ingredientes clausuram religiosorum *(Benedictus XIV).* Item in dantes vel accipientes aliquid grave ex pacto ob admissionem in Religionem *(Extrav. Com.* I *de Simonia);* — 10) in defendentes praxim interrogandi nomen complicis in sacramentali Confessione *(Benedictus XIV);* — 11) in absolutos ab excom-

[1] Diximus *omnes;* igitur et quacumque fulgenti dignitate præditos; ubi enim lex non excipit, nullus excluditur. Hinc Clemens XIII et Bullam *Cœnæ* et ceteras Constitutiones ac Conciliorum statuta renovans Bulla *Pastoralis R. Pontificis* anno 1759, omnes includit, et addit: *Nullus per alium, quam per R. Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus (nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiæ mandatis et satisfaciendo cautione præstita) absolvi possit, etiam prætextu cujusvis facultatis et indultorum quibuscunque personis ecclesiasticis... nec non laicis etiam imperiali, regali et alia mundana excellentia fulgentibus... concessorum,* etc. Et Pius VII cum Napoleonem I excommunicavit (ut quoad posset gravissimam pœnam temperaret, nec illum vitandum faceret), ipsum non nominavit expresse. — V. *De immunitate ecclesiast.* Taurini, 1850. — Bonacina in Bulla *Cœnæ*, disp. 1, q. 1.

[2] Circa monasteria monialium Episcopis aut regularibus Prælatis subjecta hæc sæculares Prælati nequeunt ingredi, nisi in casibus necessariis, et a paucis (quatuor vel quinque) iisque senioribus ac religiosis personis comitati; regulares vero Prælati item tantum in casu necessitatis cum duobus sui Ordinis sociis si sit Generalis, et cum uno si alius sit a Generali, cum assistentia quatuor monialium ex senioribus, ex Alexandro VII. Si contra fecerint ingrediendo extra necessitatem, Prælati sæculares incurrunt interdictum ob ingressum Ecclesiæ prima vice; secunda contrahunt suspensionem a munere pontificalium, et a divinis pro tertia vice, dein excommunicationem ipso facto non reservatam incurrunt. Prælati vero regulares eadem ligantur excommunicatione, et privantur omnibus officiis et dignitatibus etiam pro prima vice ex Gregorio XIII Constitutione *Dubiis.*

municatione sub conditione, si eam postea non adimpleat (c. *Eos qui*, etc.); — 12) in impedientes executionem Literarum S. Pœnitentiariæ *(Julius III)*; — 13) in laicos collectores eleemosynarum pro Missis, si minora quam acceperint, stipendia tribuant *(Benedictus XIV)*; — 14) in adscriptos sectis occultis et clandestinis: in eorum fautores: item in eos non denuntiantes *(Leo XII, ceterique dein Pontifices)*; — 15) in percussores clericorum, de quibus sit:

Scholium. — *De Clericorum percussione ac Monitoriis.*

861. Q. 1. *Quid de percussoribus clericorum Jure canonico?*

R. In Lateranensi II (1139) contra clericorum percussores hic latus est Canon: *Siquis, suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrit, quod in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus Episcoporum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo), donec Apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat.* En privilegium Canonis.

Præter ipsos percussores (cujuscunque sexus, conditionis et status, licet impuberes, modo rationis compotes et doli capaces, item licet clerici [1]) ex jure excommunicationem incurrunt:

1. Quicunque percussionem efficaciter mandant, consulunt, vel in illam consentiunt, quando per mandatum, consilium, consensum graviter et efficaciter influant in percussionem, quæ de facto contigerit. Excipe (in probabiliori saltem sententia), nisi ante executionem, quoad possunt, mandatum, consilium, consensum revocaverint percussionem impediendo; quia tunc non adest contumacia.

2. Qui ratam habet percussionem, sed: *a)* si percussio facta sit ab alio quidem, sed sub nomine et in favorem ipsius, qui id postea ratum habeat; *b)* si ratihabitio patefiat aliis externe; *c)* si ratihabens actu, quo percussio contingit, aptus fuerit ad mandatum vel consilium saltem habitualiter, ut est ebrius vel dormiens; non vero amens.

3. Qui percussionem non impediunt: si ex justitia vel officio impedire tenentur, ut Principes, Prælati, judices, tutores. Qui enim tenentur tantum ex charitate, non censentur efficaciter influere [2].

862. Q. 2. *Quinam huc veniunt nomine clerici vel monachi?*

R. Ad 1: Nomine *clerici* venit omnis clericus saltem tonsuratus

[1] *An autem sit excommunicatus clericus, qui seipsum percutit ira perculsus, affirmant Layman, Navarrus, Suarez. Sed probabiliter negant Castropalaus, Toletus, Barbosa, Croix, Tournely, etc.; quia revera Canon videtur loqui tantum de diversa persona, quæ clericum tædit.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 264; *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 51. — *V.* Ferraris; V. *Excommunicatio*, art. 10.

[2] Cap. *Quantæ*, XLVII; C. *Pueris;* C. *Cum quis;* C. *Mulieres, de sent. excomm.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 271.

licet excommunicatus, suspensus, interdictus [1]: modo deferat habitum et alicui Ecclesiæ inserviat [2]. Quod si habitum dimiserit neque eundem resumpserit, privabitur privilegio Canonis [3]; sicuti privatur realiter degradatus.

R. Ad 2: Nomine *monachi* intelligitur quilibet religiosus utriusque sexus sive professus sive non, etiam conversus et novitius. Item omnes vitam agentes in communi sub Prælato, ex Pontificis auctoritate saltem tacita, quamvis eorum Religio nondum sit a S. Sede approbata. Veniunt denique heremitæ, qui voto aut pacto sese addicunt servitio alicujus loci sacri, sub Episcopi tamen obedientia et approbatione. Non tamen vagi illi, quos interdum videmus habitu singulari indutos huc illuc discurrentes ad eleemosynas colligendas, licet de Episcopi ipisius licentia alicui Ecclesiæ inserviant. Ex decisione Rotæ Romanæ.

863. Q. 3. *Quid significant ea verba:* suadente diabolo?

R. Significant ad excommunicationem requiri, ut percussio sit mortaliter peccaminosa. Hinc a censura ista communiter eximitur:

1. Qui clericum percutiendo non peccat graviter ex defectu advertentiæ ob subitam iram. Imo jure excusatur qui clericum turpiter agentem cum sua matre, filia, sorore aut uxore occidit.

2. Qui percutit jocose vel casualiter, quamvis percussio sit gravis et sanguis effundatur e naribus, et quamvis cum aliqua ira conjuncta sit, quæ tamen non pertingat ad peccatum mortale.

3. Qui percutit ad defensionem sui aut suorum, vel etiam ad defensionem propriorum temporalium bonorum.

4. Qui auctoritate potitur in clericum, uti Prælatus, magister, et etiam frater ætate major qui curam in clericum exerceat, modo percutat moderate atque ad correptionem. Quod magis valet de patre, quamvis clericus jam sit in Sacris, ut probabilius videtur [4].

[1] Imo licet sit conjugatus, modo tamen cum unica tantum et quidem virgine contraxerit et clericalem habitum, et tonsuram deferat et alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat ex cap. III *de cler. conj.*, in 6. Quia tamen apud nos clericus conjugatus non potest clericalem habitum retinere, ideo nubendo censetur clericatui renuntiasse, ideo et privilegium hoc amittit: vide supra n. 349.

[2] *V.* Ferraris; V. *Heremita.* — Ex Continuatore Tournely immunis est a censura qui in mortuum clericum desævit, quia is non est vere clerici percussor, sed clerici cadaveris. Contrarium vero docet Alasia cum Felino, quia hæc percussio est adhuc injuriosa statui clericali, ob quam rationem hic Canon latus est: et sunt qui citant declarationem S. C. Concilii.

[3] Attamen non perdunt privilegium qui habitum clericalem non gestant, quia impediti, uti in Anglia, in Helvetia et alibi, modo, qui percutit, sciat illos clericos esse; per ipsos enim non stat, si clericalem habitum non deferant.

[4] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 276; *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 52. — Dicunt autem Bonacina, Filliucius, Layman, Molina, Salmanticenses et Castropalaus, censuram non incurrere pueros tonsuratos aut in minoribus, qui se invicem pugnis percutiunt, licet sanguis e naribus emanet; quia tales percussiones non reputantur graviter injuriosæ, cum proveniant primum ex levitate jocosa. Et hoc, addit Sotus, tenent, etsi

864. Q. 4. *Quid indicant verba:* violentas manus injecerit?

R. Significant requiri, ut percussio sit violenta, sive fiat manibus, sive pedibus, sive baculo, sive alio, quocunque modo, quæ tamen cadat in personam, vel in rem ipsi personæ adhærentem. Hinc qui lapidem injicit in clericum quin eum tangat, non incurrit censuram: quia deest complementum, seu realitas percussionis. Censetur autem percussio de se violenta, ac sufficiens ad censuram, si sit graviter injuriosa ratione reverentiæ clerico exhibendæ, etsi in se percussio habeatur ut levis; nam hic interpretatio fieri debet late, utpote favorabilis cœtui ecclesiastico.

Quare docent incurrere hanc censuram eos: 1) qui vel expuant in faciem clerici, vel eundem luto contaminent, vel aqua per contemptum perfundant; 2) qui clericum in carcerem vel in locum carceri similem conjiciant; 3) qui eum insequantur, ut in foveam cadat, vel ut ab equo excutiatur; 4) fur, qui rebus clerico adherentibus vim inferret, puta vestes, quas indutas habet, lacerando, aliquid quod in manibus habet, injuriose rapiendo, nam persona ipsa læditur. Non autem incurreret hanc censuram qui actu subdolo aufert aliquid a clerico, v. g., marsupium, cingulumque quo ipse cingitur, etsi interveniat præcisio; vel qui vestes a clerico dormienti surripit aut lacerat; vel qui clericum metu cogit, ut a certo loco exeat, modo metus incutiatur solum per verba, aut actiones quæ personam ipsam non attingant; nam tunc est fraudulenta, non tamen violenta manuum injectio [1].

Si clericus in sui percussionem, vel actionem injuriosam assentiatur, percutiens adhuc incurrit excommunicationem; neque huic privilegio cedere potest clericus, cum sit in favorem totius Ordinis: et consentiens excommunicationem ferendæ sententiæ meretur [2].

865. Q. 5. *Quid de illo qui clerico venenum præbet?*

R. Croix cum Beja et Sperelli ait, venenum clerico præbentem excommunicationem statim incurrere; quia venenum de se est aptum statim lædere. Verum communior opinio, quæ nobis probabilior videtur, docet eam non incurri, nisi actu quo venenum lædere incæperit. Nam ad censuram incurrendam requiritur effectus secutus; nempe violentia illata: atqui antequam venenum lædere incæperit, non adest effectiva violentia, sed tantum actio apta ad violentiam. Ita Diana et Viva cum Squillante et Rencio [3].

percussio sit gravis; sed intelligendum modo non fuerit deliberata; ut qui ex subita passione in ludo socium suum clericum percutit.

Rationabiliter vero Suarez, Sayrius, Sylvius, Salmanticenses, etc., excusant mulierem quæ percutit clericum qui eam sollicitat, cum illa non potest alia via se liberare, etiamsi ille eam tentasset solis pravis verbis: intellige quando mulier pro tali sollicitatione est in periculo labendi.

1 *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 273.

2 Ex c. *contingit, de sent. excomm.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 264.

3 *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 280.

866. Q. 6. *Quotuplex distinguitur percussio clericorum?*

R. Triplex distinguitur: enormis, mediocris et levis [1].

Enormis est, cum magna intervenit vulneratio: vel magna sanguinis effusio, aliunde tamen quam a naribus; vel magna injuria.

Mediocris est, cum fit carnis contusio, qua sanguinis quidem copia effundatur, sed absque gravi læsione vel injuria, ut si extrahatur dens vel capillorum copia evellatur.

Levis (non ratione culpæ, sed ratione percussionis et relate ad mediocrem et enormem) dicitur ea, quæ fit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo, lapide, dummodo neque maculam ullam importet, neque carnium contusionem relinquat, neque sanguinis effusionem producat.

Levis percussio potest nonnunquam mediocris et etiam enormis evadere, nempe ratione circumstantiarum: 1) ratione personæ læsæ, si sit Episcopus, Prælatus, vel alius in dignitate constitutus; vel personæ lædentis, v. g., si officialis laicus auctoritative percutiat clericum; vel personæ, coram qua percussio contingit, v. g., si coram Prælato; 2) ratione gravis scandali, vel loci et temporis, v. g., si percussio fiat in platea, in Ecclesia, vel tempore functionum sacrarum; 3) ratione injuriæ in se valde gravis, v. g., si quis clerici vultum atramento vel stercore fœdaret, vel illum vi denudet. In dubio percussio est judicanda gravis ex ipso jure, ne occasio præbeatur lædendi statum ecclesiasticum.

867. Q. 7. *Quid requiritur, ut clericorum percussores sint vitandi?*

R. Ex variis juris capitibus et qui clericum percutiunt et qui in percussionem clerici efficaciter influunt, omnes ipso facto excommunicantur. Attamen, ex Constitutione *Ad evitanda*, solummodo ipsi percussores vitandi sunt; et quidem eo tantum in casu, quo eorum crimen sit notum non solum notorietate juris, sed etiam notorietate facti; et insuper eo in casu, quo factum non possit ulla tergiversatione celari. Ex quo deducitur:

1. Neminem teneri vitare ac fugere illum clerici percussorem, qui sibi quidem est notus ut talis, aliis tamen est occultus. Nam ut crimen sit notorium notorietate facti, requiritur, ut notum sit *vel* majori parti communitatis, *vel* magno personarum numero, *vel* saltem ut credatur in earum notitiam quamcito esse venturum.

2. Neminem regulariter teneri evitare clerici percussorem, qui nondum judicialiter sit uti talis vel per sui confessionem aut testium, vel per sententiam denunciatus. Etenim ad inducendam obligationem illum vitandi requiritur, ut constet non solum de facto

[1] Ita colligitur ex *Extrav. perl.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 277.

publice notorio, sed etiam de censura ob factum illud illata. At reus usquedum non fuerit in judicio confessus, declaratus, vel condemnatus, fere semper potest aliquatenus excusari, v. g., dicendo se id egisse ad defensionem sui vel suorum. Quare pro praxi, nisi saltem constet de facto, quod percussor advertenter voluerit censuram incurrere, probabiliter non est vitandus [1].

868. Q. 8. *Quinam potest absolvere ab hac excommunicatione?*

R. Si agitur de percussione *levi*, quamvis publica, ab illa absolvere possunt Episcopi, uti communiter docent [2]. Et cum Episcopis competat hæc potestas de Jure ordinario, eam habent etiam eorum Vicarii generales; quia unum cum ipsis tribunal faciunt.

Si agitur vero de *mediocri* et *enormi* percussione, tunc si illa non est publica, eadem inest facultas Episcopis [3]: si est publica, nemo generatim potest absolvere, nisi Papa aut Legatus a latere [4], aut etiam Legatus missus [5]. Diximus *generatim*, quia jure excipiuntur: 1) mulieres, impuberes, etsi post pubertatem petant absolutionem [6]; 2) collegialiter viventes, si percussio non sit enormis [7]; 3) alii impediti adire Romam: qui omnes ab Episcopo absolvi possunt [8].

Pro absolutione ab hac censura recurritur ad S. Pœnitentiariam, ex Bulla *Pastor bonus* Benedicti XIV *(T)*.

869. Q. 9. *Quid est Monitorium, et quid de illo?*

R. Monitorium seu publicum edictum, est *mandatum Ecclesiæ seu Judicis ecclesiastici, quo sub excommunicatione præcipitur manifestatio auctorum criminis gravis Reipublicæ, vel privato perniciosi* [9]. Obligat sub gravi, cum res gravis sit; et si delictum vergat in damnum commune, etsi occultum, est revelandum, nisi adesset firmissima emendationis spes delinquentem corrigendo. Quod si vergat solummodo in damnum tertii, tunc tantum est revelandum, cum crimen probari potest. Si tandem non vergat in ullius damnum, nemo tenetur illud revelare, nisi præcedat infamia, sive rumor de illo; quia tunc neque judex potest de eo inquirere.

Qui autem delictum noverint sub secreto ad consilium præbendum, non tenentur ad denuntiationem, uti docet Angelicus [10]; quia jus positivum non potest juri naturæ derogare.

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 144; et dicenda tom. IV, Append. *Casus.*
[2] Ex c. *Pervenit, de sent. excomm.*
[3] Ex c. *Liceat*, 6, in sess. XIV Trid.
[4] Ex c. *Ad eminentiam, de sent. excomm.* [5] C. *Pœn., de Off. Leg.*
[6] C. *Mulieres, de sent. excomm.*; et c. *Pueris*, fin. eod. tit.
[7] C. *Quoniam, de vita et hon. cler.* [8] C. *Quamvis, de sent. excomm.*
[9] Excommunicatio imponitur vi monitorii non tantum ad revelanda aliqua crimina, sed vel ad restituendum alienum et similia. — *V.* Ferraris; V. *Monitorium.*
[10] 2, 2, q. 70, a. 1. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 248; l. VII, n. 214; *Homo Apost.*, tract. XII, n. 75 ubi plura.

Art. II. — *De excommunicatione minori.*

870. Q. 1. *Quando incurritur excommunicatio minor?*

R. Una tantum est causa ex Jure canonico [1], ob quam incurritur excommunicatio minor, et est quando fidelis communicat sine legitima causa cum excommunicato vitando in casibus, qui memoriæ juvandæ causa hisce versiculis continentur:

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

1. *Os:* significat communicationem per colloquium aut literas (probabilius enim neque licet taliter excommunicato rescribere); item quodcunque benevolentiæ signum etiam privatim, ut esset osculum, missio vel acceptatio munerum, etc.

2. *Orare:* significat omnem communicationem in divinis, uti assistere publicis functionibus Missarum, processionum, funerum, etc.

3. *Vale:* significat quamlibet salutationem et honoris exhibitionem verbo, signo, amplexu; et probabilius etiam resalutationem, quamvis non improbabiliter alii resalutare concedant, ad fugiendam inurbanitatis et contumeliæ notam. Hac de causa communissime et probabiliter permittunt exhibere excommunicato alia signa urbanitatis, assurgendo, aperiendo caput, dando locum, sed sine ulla expressione verborum et animo honorandi; idque magis si sit superior, si persona publica, ut Parochus, Episcopus, Judex; quia tum signa potius dantur ad vitandum ejus indignationem [2].

4. *Communio:* significat omnem unionem, contractum, et cohabitationem per modum mutuæ societatis. Ideo non licet cum illo laborare, sedere, sub eodem tecto vivere, dormire; at intellige semper per modum societatis, nam cubare tantum ad quiescendum etiam in eodem lecto, ut si in diversorio concurrerent et non essent pro singulis lecta, non vetatur, ut probabiliter dicunt cum Suarez.

5. *Mensa:* et significat societatem in eadem mensa, quod ipse vetat Apostolus [3]. Id accidit quando excommunicatus invitat ad prandium; aut quando aliquis vitam communem agit cum excommunicato, esto non vescatur eisdem cibis, ut evenire solet in monasteriis, in seminariis, in quibus etsi diversæ sint mensæ in eodem refe-

1 C. *Excomm.*, caus. xi, q. 3.
2 *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. xix, n. 21; *Op. Mor.*, l. vii, nn. 188 et 191.
3 1, Cor. v. — *V.* Salmanticenses, *De censuris.*

ctorio, tamen omnes censentur communicare in una mensa. Secus, si id casu eveniat: mensæ communionem nemo diceretur habere, qui ederet cum excommunicato in publico diversorio, ubi quisque sibi intendit, etsi in eadem mensa sedeat.

871. Q. 2. *Quale peccatum est communicare cum vitando?*

R. Regulariter est peccatum tantum veniale communicare cum vitando, et minor tantum excommunicatio incurritur ex Jure canonico [1]. Ideo patet ad incurrendam excommunicationem minorem sufficere culpam venialem, quæ tamen sit talis ex levitate materiæ, quia v. g. communicatio parva est; non tamen ex imperfecta deliberatione, cum ad incurrendam censuram requiratur actus perfectus in genere suo [2]. Diximus *regulariter;* aliquando enim communicans cum vitando et graviter peccat, et majorem incurrit excommunicationem.

1. Peccat mortaliter: *a)* qui communicat in contemptum prohibitionis Ecclesiæ; contemptus enim semper est gravis culpa; *b)* qui communicat in divinis in re gravi, ut esset cum illo solemniter recitare Horas, eum ritu Ecclesiæ sepelire, ipsum ad Sacra admittere, illius Sacrificio assistere, ab eo Beneficium obtinere; *c)* qui communicat in crimine criminoso, nempe in crimine vel contumacia, ob quam ille fuit excommunicatus: esset si post excommunicationem latam ob furtum quis adhuc communicaret cum excommunicato, ut eidem consilium aut opem suppeditet: vel ne locum habeat restitutio, vel ne ab excommunicatione resipiscat; *d)* qui communicat valde frequenter in rebus ipsis civilibus; quia tali modo communicans in periculum animæ suæ communicat, ut si suscipiat eum in sua familia, cum eo societatem ineat, quod quidem sine mutua et continua consuetudine esse non potest [3].

2. Excommunicationem majorem incurrit: *a)* si clericus scienter communicat in Divinis cum excommunicato nominatim a Pontifice et denunciato: *b)* si excommunicatio lata est contra aliquem, et simul contra participantes, sed casu, quo facta monitione, adhuc communicent; *c)* siquis communicet in crimine criminoso.

In his casibus qui communicat, non potest absolvi, nisi ab illo, a quo est absolvendus principalis. Ita passim in jure [4].

872. Q. 3. *Quænam sunt legitimæ causæ communicandi cum excommunicato vitando?*

R. Legitimæ causæ communicandi cum excommunicato vitando sine

[1] C. *Cum excommunic.;* C. *A nobis, de exceptionibus.*
[2] Hinc licet in Confessione omitti possit veniale, non tamen illud ob quod scimus nos incurrisse excommunicationem minorem, quæ Sacramenti susceptionem impedit.
[3] C. VII *de except.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 199.
[4] Cap. *Significavit, de sent. excomm.;* et c. *Nuper, de sent. excomm.*

reatu culpæ et censuræ periculo, ex jure et communi Doctorum, quinque numerantur hoc versiculo:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse [1].

1. *Utile:* utilitas nempe tam ipsius excommunicati, v. g. ut aliquod spirituale auxilium recipiat; quam aliorum, v. g. ut ipsi ab eo recipiant opem vel spiritualem vel temporalem. Ideo licet excommunicatum monere verbis vel literis, ut resipiscat, et hac de causa ipsum salutare et signa præbere benevolentiæ. Item licet ab eo consilium pro lite exquirere, si desit alius æque idoneus; societatem prius initam cum eo continuare; medicinas aut eleemosynam ab ipso petere, ut communiter docent.

2. *Lex:* intelligitur lex matrimonialis, ob quam conjuges possunt invicem communicare et debitum conjugale petere et reddere, ut periculum incontinentiæ vitetur, et in aliis omnibus mutuo conversari. Excipe, si sint per divortium separati; quia tunc non amplius mutua obsequia debentur. Vel si excommunicatio lata sib ob dubium de matrimonii valore; vel propter compartis hæresim, vel si communicent in Divinis, ut verius dicunt.

3. *Humile:* intelligitur subjectio debita majoribus, quæ nempe adhuc licite eis exhibetur, etsi excommunicatis vitandis. Hanc igitur debent filii, etiamsi jam emancipatione donati, erga proprios parentes, licet adoptivi vel illegitimi: quod extenditur usque ad pronepotes atque in eodem genere affines, uti est nurus, privigna, etc. Idem dicatur de religiosis et clericis erga Prælatos, de militibus erga Duces, de servis erga dominos et vicissim; sed in iis rebus, quæ ex famulatu debentur. Excusantur pariter omnes servientes, etiam gratis, et tota familia excommunicati; at peccant famuli si de novo veniant in familiam excommunicati scienter et sine gravi necessitate. Famuli autem si ipsi sint excommunicati vitandi, et in eadem domo viventes, inter se nonnisi per accidens possunt communicare, quatenus nempe obligantur simul cohabitare, et aliunde inserviunt impulsi necessitate se sustentandi.

4. *Res ignorata:* intelligitur quando quis ignorat aliquem esse excommunicatum, sive ignoret ipsum deliquisse, sive ignoret tali delicto adnexam censuram. Est autem satis probabile cum Suarez, Hurtado, Holzman et aliis, contra Bonacinam et Salmanticenses, excusare etiam ignorantiam crassam, uti eruitur ex jure [2].

[1] C. *Quoniam multos*, c. XI. — D. Thomas, *Suppl.*, q. XXIII. — Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 201.
[2] C. *Quoniam multos.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. I, n. 175; et l. VII, n. 206.

5. *Necesse:* intelligitur gravis necessitas tam spiritualis quam temporalis, tam ipsius communicantis quam excommunicati et aliorum; nam Ecclesiæ leges de se non obligant cum gravi incommodo. Hinc sequitur me posse sine peccato eleemosynam tradere excommunicato vitando qui ea indigeat; vel ei vendere necessaria, aut equum tradere ad iter faciendum, cum alioquin non soleat iter pedetentim facere: sicuti etiam possum petere equum aut hospitium a sic excommunicato. Item posse communicare in ceteris rebus, etiam Divinis (ut docent cum Bonacina), si secus gravissimum detrimentum sim passurus, vel vi aut gravi metu ad id cogar, dummodo agatur de re quæ non sit intrinsece mala, neque id præcipiatur in contemptum Religionis aut ecclesiasticæ potestatis, et amoto scandalo; nam semper una est ratio, nempe Ecclesiæ leges per se non habere, ut obligent cum tanta difficultate *(U)*.

873. Q. 4. *Quinam sunt effectus excommunicationis minoris?*

R. Duo recensentur: primus dicitur directus, alter indirectus:

Effectus directus excommunicationis minoris consistit in privatione usus passivi Sacramentorum, ita ut graviter sit peccaturus qui excommunicatione minori illaqueatus ea suscipiat [1].

Effectus indirectus est inhabilitas sub gravi ad ecclesiastica Beneficia et dignitates recipiendas. Electio tamen non esset irrita, sed irritanda; cum in textu habeatur: *si scienter excommunicatus electus fuerit, ejus electio irritanda.* Quæ scientia esse debet, saltem in probabiliori sententia, ex parte ipsius electi, quatenus recordetur se esse excommunicatum, dum sibi Beneficium aut dignitas confertur.

874. Q. 5. *Quinam absolvit ab excommunicatione minori?*

R. Ab excommunicatione minori absolvit omnis sacerdos, qui ad sacramentales Confessiones excipiendas sit approbatus: ita fert usus universalis, qui colligitur ex jure [2].

Art. III — *De suspensione.*

875. Q. 1. *Quid est suspensio?*

R. Suspensio est *censura, qua clericus functiones aliquas ecclesiasticas exercere vetatur.* Ex quo patet: 1) suspensionis subjectum so-

[1] C. *Si celebr. de cler. excomm.* — Dicimus : *usus passivi;* nam commune est non peccare graviter, imo satis probabiliter nec leviter, qui ea irretitus Sacramenta ministrat; cum textus Canonicus dicat: *non videtur a collatione, sed a perceptione Sacramentorum remotus.* Excipe nisi sit sermo de eo, qui antequam Sacramentum ministret, debeat illud ipse suscipere, ut esset v. g. sacerdos ministrans in Missa; eo tamen in casu irregularitatem non incurrit.

[2] Ex c. *Nuper, de sent. excomm.* — *V.* Salmanticenses.

lum esse clericum; 2) per hanc censuram non privari clericum passiva Sacramentorum receptione, neque ingressu Ecclesiæ, neque communibus suffragiis, neque ecclesiastica sepultura. Hinc si quis sit suspensus ab audiendis Confessionibus, vel a Missæ celebratione, et hæc suspensio sit reservata, simplex confessarius non poterit quidem auferre suspensionem, sed bene poterit suspensum a peccato absolvere, atque ad Communionem admittere, si ipsum vere pœniteat de admisso scelere.

Suspensio clericum comitatur ubique cum immediate afficiat personam [1]. Si suspensio feratur simpliciter in capitulum vel collegium, ea non extenditur ad singulas personas quoad munia particularia, sed tantum ad Officia vel Beneficia, quæ pertinent ad communitatem, secundum quod illa unum corpus constituit: hinc si aliquis de illius grembio exerceat functiones communitati vetitas, nullam incurrit irregularitatem. Si vero suspensio feratur in communitatem et in singulas ipsius personas, non afficit innocentes, qui enim culpa caret in damnum non est vocandus [2].

876. Hanc pœnam, uti gravissimam, Prælati non debent infligere sine scriptura, ita ut si superior oretenus clerico suo dicat: *ego te suspendo*, hæc loquendi formula habenda sit potius uti simplex celebrandi prohibitio, quam veri nominis suspensio: et qui eam violat gravis inobedientiæ reus evadit, sed irregularitatem non incurrit [3].

Neque suspensio incurritur, nisi ob peccatum mortale; cum pœna debeat culpæ proportionari. Excipe si sit ferendæ sententiæ, nec indicta a jure; poterit tunc sufficere culpa venialis. Item sit sit data ad breve tempus.

877. Q. 2. *Quotupliciter accipi potest suspensio?*

R. Tripliciter suspensio accipi potest ex communi Doctorum.

1. *Ratione functionum*, quas clericus exercere prohibetur. Et alia est ab Ordine, alia ab Officio, alia a Beneficio, alia ab omnibus simul totalis vel partialis, prout totaliter vel partialiter afficit Ordinem, Officium vel Beneficium.

Suspensus pure, simpliciter, absolute sine absque ulla determinatione (ut si dicatur: *qui talia egerit, suspensionem incurrat)* intelligitur totaliter suspensus (nisi aliter explicet usus [4]), ita ut ipsi sit interdictus omnis usus Ordinis ac jurisdictionis et fructuum Beneficii perceptio. Hinc Parochus suspensus pure et simpliciter, nec Missam celebrare, nec prædicare, nec Officiis præesse, nec Parochiam regere, nec Sacramenta ministrare potest: nam non est ratio, cur suspensio intelligatur de uno, non de alio.

1 Glossa, *in Can.* XXIV, q. 1. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. IX, n. 64.
2 C. *Quæsivit de his quæ.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 317.
3 S. Concilii Congregatio in *Vercellen.* 18 aug. 1703, penes Monacelli.
4 Sane plerumque est de sola Missa.

Suspensus *ab Ordine* tantum prohibetur exercere omnem actum cujuscunque Ordinis tam majoris quam minoris exercitum solemniter; vel ex proprio officio, nempe modo quæ a laicis pure talibus nequit exerceri. At potest ea adhuc agere quæ sunt simplicis jurisdictionis, ut a censuris absolvere, Beneficia conferre; non tamen in Pœnitentiæ sacramento absolvere, quia talis absolutio est etiam actus Ordinis.

Suspensus ab *Officio* tantum, privatur omni usu Ordinis et jurisdictionis, alteriusve ecclesiastici ministerii quod nonnisi a Clero ut tali exerceri potest; ideo nec potest administrare Sacramenta nec celebrare, non excommunicare, absolvere, Indulgentias concedere, exercere Pontificalia. At non ideo censetur suspensus a Beneficio: quare adhuc poterit illius fructus percipere. Si tamen 1) per alios impleat onera; 2) delictum non sit enorme; 3) per annum in suspensione non *insordescat.*

Suspensus a *Beneficio*, nempe ab emolumentis et administratione Beneficii, non censetur suspensus ab Officio. Neque ab aliis Beneficiis quæ extra Diœcesim haberet, ut communius et probabilius docent (nisi suspensio sit a jure, vel etiam ab homine, si tamen exprimat Episcopus se velle suspendere ab omnibus Beneficiis: quod potest; licet enim ei non subjaceant Beneficia alienæ Diœcesis, subjacet tamen persona suspensa, ne fructus percipiat). At si suspensus a Beneficio, tempore suspensionis aliud Beneficium acquirit, prout probabilius docet Antoine, Renzi, Layman et Diana, ejus collatio non est irrita, cum nulla lege id sit expressum; ideo est irritanda tantummodo.

2. *Ratione causæ*, ob quam infligitur. Et suspensio alia est medicinalis, si ad emendationem; alia pœnalis et impropria, si detur ad vindictam; alia denique ad cautelam. Suspensio *ad cautelam* in eo posita est, ut per Episcopale præceptum clericus arceatur ab exercitio ministerii sacri, non quia criminis reus sit, aut de crimine jam convictus vel confessus; sed quia non decet sancta tractari ab illo, contra quem fama publica male refert, vel jam criminis publici accusatio aut inquisitio judicialiter fuerit instituta: idque Episcopi prudentiæ et sapientiæ relinquendum est. Postulat nempe *politiæ ecclesiasticæ* ratio, ut ad Sacrorum exercitium non accedant, nisi ii, qui integræ vitæ et bonæ famæ sint penes populum christianum: et hujus quidem censura exempla habemus non pauca in jure [1].

[1] Suspensio *ad cautelam* est a solo exercitio Ordinis, non a Beneficio. Et stricte censura appellari non potest; ideo patet non requiri ad eam formulas canonicas pro

3. *Ratione temporis*, quo perdurat. Et alia est *temporanea*, quæ ad tempus a superiore determinatum perdurat, quo elapso suspensio cessat ex se. Alia *indefinita* seu *absoluta*, quæ obtinet donec tollatur ab illo qui auctoritatem habet.

878. Q. 3. *Quænam Episcopi potestas in suspensione ferenda?*

R. Ex canonico Jure tanta est Episcopi potestas in suspensione ferenda, ut eam valeat in clericos sibi subditos irrogare non solum per modum censuræ; sed etiam per modum simplicis punitionis ob crimen præteritum, et ex causis sibi notis, sive, ut ajunt, *ex informata conscientia*, et absque prævia ulla clerici monitione: sicque clericum prohibere tam ab ascensu ad Ordines, quam ab eorum exercitio, v. g. a celebratione Missæ. Ita Tridentinum, et Benedictus XIV [1]. Idem patet ex Bulla *Auctorem Fidei*, quæ sub n. 49 propositionem Synodi Pistoriensis docentis *nullas et invalidas esse suspensiones ex informata conscientia* solemniter damnavit uti *falsam, perniciosam et in Tridentinum injuriosam.*

Imo potest etiam eodem modo Episcopus suspendere Parochum ab omni Curæ suæ exercitio: et S. Congregatio Concilii *in Sagonensi* 21 junii anno 1625 declaravit irregularitatem contraxisse Parochum, qui a proprio Episcopo *ex informata conscientia*, ab omni suæ Parœciæ exercitio indeterminate suspensus, appellatione interposita, adhuc in celebratione et Curæ exercitio manebat [2] *(V).*

879. Q. 4. *Quinam sunt effectus suspensionis?*

R. Effectus suspensionis sunt:

1. Quod peccet graviter qui suspensus exercet actum sibi vetitum per suspensionem; quia violat in re gravi Ecclesiæ præceptum. Imo suspensus ab Ordine sacro et graviter peccat et irregularitatem incurrit, si ejusdem Ordinis officium scienter et solemniter exerceat [3]. Attamen excusatur et a peccato et ab irregularitate, si gravis adsit causa functiones exercendi, et alioquin actus qui ponitur, sit validus; præcepta enim Ecclesiæ per se non censentur obligare cum tanto onere. Item excusatur tum ob censuræ ignorantiam, quia ubi nulla cognitio, nullum peccatum; tum ob materiæ parvitatem exercendo actum levem jurisdictionis, puta si benediceret mensam aut

censuris infligendis præscriptas; nec irregularitatem incurri, si violetur. At graviter obligat, cum lata sit ob gravem causam. — *V.* Berardi, *Commen. in Jus can.* — Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, nn. 214 et seqq.

[1] Tridentinum, sess. XIV, c. 1; Benedictus XIV, *De Syn*, l. XII, c. 8.

[2] *Quæ suspensio in his duobus ex Tridentino concluditur: interdicere ascensum ad sacros Ordines, et suspendere ab iisdem Ordinibus, necnon a dignitatibus, officiis, gradibus, honoribus ecclesiasticis, ideoque a Curæ exercitio. At probabilius suspensio a Beneficio hoc modo non potest ab Episcopis ferri, cum de hoc nullum verbum sit in Tridentino.* Bouix, *De judiciis*, t. II.

[3] C. *Is cui, de sent. exc.*, in 6, etc.

Ordinem non sacrum exerceret, vel Sacrum, sed non solemniter. Ita s. Antoninus, Habert, Collet, etc. quia non videtur tanta irreverentia [1].

2. Suspensus non toleratus et publicus exercet invalide actus jurisdictionis, cum jure illa privatus existat; hinc si quis nominatim suspensus sit, invalide absolvit extra casum necessitatis. Toleratus vero (vel non toleratus, sed occultus) eam exerceret quidem valide, at illicite, nisi ab aliis sit requisitus. *Valide*, quia eo ipso quod Ecclesia toleret suspensum, ei non adimit jurisdictionem, ob bonum fidelium; *illicite*, quia illius tolerantia non est in sui, sed in aliorum gratiam tantum.

Actus vero Ordinis a suspenso etiam non tolerato positi, si non dependeant a jurisdictione, sunt validi; quia Ecclesia nequit tollere potestatem Ordinis, sed tantum illius exercitium prohibere potest. Hinc si sacerdos suspensus a celebratione Missæ, celebret, verum Sacrificium facit, etsi gravissime peccet contra latam prohibitionem, grandia sacrilegia committat, et irregularitatem incurrat.

880. Q. 5. *An sit prohibitum cum suspensis communicare?*

R. Nulla lege ecclesiastica id prohibetur, et suspensio per se non retrahit a communicatione sicut excommunicatio: unde licet audire Missam etiam suspensi vitandi (nisi scandalum interveniat), prout verius et communius docent; nec cessare debent officia divina etsi ille assistat.[2].

881. Q. 6. *Incurritne irregularitatem clericus exercens actum, a quo erat suspensus, si suspensio lata sit pro tempore determinato?*

R. Alii absolute negant cum Avila; nam tunc lata suspensio habet rationem puræ pœnæ, quæ nullam inducit irregularitatem.

Alii absolute et communius affirmant cum Viva, si suspensio in scriptis lata sit, quia tunc ipsa induit etiam rationem censuræ: sic in Jure canonico quidam clericus, qui fuerat suspensus ad tempus et tamen ministraverat, fuit expresse declaratus irregularis [3].

Alii tandem (quod mihi videtur absolute probabilius) distinguunt cum Roncaglia: vel suspensio lata est ob crimen futurum, id est contra eos, qui in futurum delinquerint (uti sunt omnes proprie dictæ censuræ quæ in jure habentur); aut etiam ob crimen præteritum, quod tamen tractum habeat successivum (ut si quis pro injuria atroci jam irrogata satisfacere contumaciter detrectet, et contra tales contumaces lata sit censura). Vel suspensio lata est hic et nunc ab homine ob meram punitionem criminis omnino præteriti.

[1] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 64. — Ferraris; V. *Suspensio.*
[2] *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 313. — Salmanticenses et Holzman.
[3] C. 1 *de sent. et re jud.*, in 6. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 314.

In primo casu incurritur irregularitas, si violetur suspensio, quia revera habet rationem censuræ; in altero non incurritur ob rationem contrariam. Exemplum juris non obstat; quia ibi agitur de suspensione lata a jure ipso per edictum generale, quod quidem respicit crimina futura; et ideo illa suspensio erat vera censura.

882. Q. 7. *Quisnam absolvere potest a suspensione?*

R. Sacerdos suspensus potest absolvi a simplici confessario a peccatis antequam solvatur a censura per superiorem; quia effectus suspensionis non est privare receptione Sacramentorum. Sed requiritur, ut sit dispositus ad curandam liberationem suspensionis, et interea abstineat ab illis actibus a quibus est suspensus.

Si suspensio rationem habeat censuræ, tollitur ut excommunicatio, scilicet per solam absolutionem, et quidem ab omnibus confessariis, si non sit reservata; a superiore aut ejus delegato si ea reservata sit, vel lata ab homine in personam particularem, vel sit in totam communitatem. — Quod si lata sit ad certum tempus vel sub conditione, cessat per se, tempore illo transacto vel conditione impleta. Si autem sit imposita in perpetuum propter præteritam culpam, tollitur ut mera pœna per solam Prælati dispensationem, vel ejus delegati; nam tunc non est vera censura.

Si suspensio occulta sit, tollitur per absolutionem illa generali forma (quæ adhibetur in sacramento Pœnitentiæ): *absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis*, etc. Si sit publica, in foro interno eadem iterum adhibetur forma; in foro vero externo adhibenda est forma *Ritualis Romani*, et fieri debet ab ipso superiore vel ab ejus delegato tantummodo.

883. Q. 8. *Quot sunt suspensiones latæ in particulari?*

R. Plurimæ sunt suspensiones latæ sententiæ vel Papæ vel Episcopo reservatæ; erit de præcipuis.

a) Suspensiones Papæ reservatæ:

I. *Contra Episcopos*, qui suspensionem incurrunt: — 1° ordinantes non subditum absque licentia sui Episcopi *(Tridentinum*, sess. XXIII, c. 8 *de Reform.)*; — 2° ordinantes religiosos non professos *(s. Pius V*, Const. *Romanus Pontifex)*; item monachum sine licentia *(Decr.* part. I, dist. 55, can. 2); — 3° conferentes tonsuram conjugato aut infanti, illiterato *(Sexti*, lib. I, tit. IX, c. 4); — 4° conferentes Ordines extra Diœcesim sine licentia Episcopi loci, licet ordinatus sit subditus; — 5° conferentes Ordines sacros ante ætatem præscriptam *(Decretal.* lib. I. tit. XI, cap. 14); — 6° conferentes Ordines simoniace *(Extravag.* l. V *de simonia*, cap. 2); — 7° submittentes laicis bona et jura Ecclesiæ sine consensu Capituli et licentia R. Sedis *(Sexti*, l. III, tit. IX, c. 2); — 8° alienantes bona Ecclesiæ *(Extravag.*, *Ambitiosæ)*; — 9° non visitantes Limina Apostolorum suis temporibus *(Sixtus V*, Const. *Romanus Pontifex)*.

II. *Contra Regulares.* Hi incurrunt suspensionem: — 1° non deferentes habitum regula determinatum; — 2° recipientes alumnos ad pro-

fessionem ante annum probationis *(Sexti*, l. III, tit. XIV); — 3° suscipientes Ordines sacros in apostasia *(Decret.* l. V, tit. IX, c. 6); — 4° suscipientes Ordines sacros ante professionem *(s. Pius V*, Constit. *Romanus Pontifex);* — 5° introducentes mulieres in claustra monialium; — 6° introducentes mulieres in propria monasteria *(Pius V).*

III. *Contra Clericos*, incurrunt suspensionem: — 1° suscipientes duos Ordines majores eodem die, vel duobus diebus continuis *(Decret.* l. I, tit. XI); — 2° suscipientes Ordines sine prævio examine et sine admissione ab Episcopo facta; — 3° recipientes Ordinem sacrum post matrimonium initum, etiam non consummatum *(Joann. XXII*, tit. VI); — 4° suscipientes Ordines sacros simoniace; — 5° celebrantes Missam sine Communione (Can. *nullus de consecr.* dist. 1).

b) Suspensiones præcipuæ Episcopis reservatæ sunt: — 1° susceptio Ordinis per saltum, vel non servatis interstitiis, ut habet *Tridentinum*, sess. XXIII, cap. 14 *de Reform.;* — 2° susceptio Ordinis ab Episcopo alieno sine dimissoria proprii Episcopi; vel a proprio Episcopo extra Diœcesim, sine Ordinarii licentia *(Trid.*, sess. XXIII, c. 6 *de R.);* — 3° susceptio Ordinis sine titulo clericali, vel cum titulo ficto sine dispensatione; — 4° benedictio nuptialis a quocunque sacerdote, sine licentia Parochi sponsorum *(Tridentinum*, sess. XXIV, c. 1, *de Ref.);* — 5° interruptio totalis Missæ sine gravi causa; — 6° Ordinatio, Sede vacante, cum dimissoria accepta a Vicario capitulari ante annum elapsum *(Trident.*, sess. VII, c. 10 *de R.);* — 7° omnes suspensiones papales occultas; imo publicas, si tamen recursus ad Pontificem est moraliter impossibilis.

ART. IV. — *De Interdicto* [1].

884. Q. 1. *Quid est interdictum?*

R. Interdictum est *censura, qua prohibetur usus divinorum Officiorum, aliquorum Sacramentorum et sepulturæ ecclesiasticæ:* illud possunt ferre omnes, qui possunt excommunicare. Ad interdicendum locum vel communitatem requiritur peccatum atrox commissum a capite, vel a principalibus. Sed si sit ad breve tempus, et in ordine ad unum vel aliud usum, sufficit veniale.

Interdictum aliud est *locale*, quod immediate afficit locum; aliud *personale*, quod immediate afficit personas; aliud *mixtum*, quod immediate afficit personam et locum. Utrumque subdividitur in *generale*, quod locum generalem, v. g. totam communitatem vel regnum complectitur; et in *particulare*, quod complectitur locum peculiarem, datum Oratorium, vel personas in tali loco.

[1] C. X, XVI, XVII *de sent. exc.*, in 6. — Quando Ecclesia est interdicta, Canonici non assistentes non ideo amittunt distributiones, si non dederint causam interdicto. Idem est quando Ecclesia est polluta: non privantur distributionibus qui pollutioni causam non dederunt. Secus tamen est in cessatione divinorum Officiorum; tunc enim etiam non dantes causam privantur distributionibus ex c. *Si canonici.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 130; l. VII, n. 328; *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 68.

Ultimum interdicti generalis exemplum est illud, quod a Paulo V anno 1606 in Venetam rempublicam publicatum fuit. Lugubres cæremonias in exequenda interdicti sententia describit Hurter in *Vita Innocentii III.*

Interdicto populo, non intelliguntur interdicti qui non sunt pars populi, ut clerici, studiosi, peregrini. Item interdicto Clero, non interdicuntur laici neque religiosi, neque alii clerici, qui ibi nullum habent officium, ut cum Clero unum corpus constituant.

Quando interdictum est *generale-locale*, interdicta civitate, interdicuntur etiam suburbia et Ecclesiæ exemptæ regularium: et omnes illud tenentur servare, etiam Episcopus qui tulit, uno excepto Pontifice. Licet tamen in hoc casu iis, qui interdicto causam non dederunt, alio ire, ut divinis Officiis assistant. Si vero interdictum est *generale-personale*, excipiuntur: 1) Episcopi, qui eximuntur etiam a suspensione generali; 2) innocentes, si alibi domicilium collocant; 3) exteri; 4) infantes et amentes doli incapaces, qui tamen adhuc privantur sepultura ecclesiastica.

885. Q. 2. *Quinam sunt effectus interdicti?*

R. Sunt sequentes, tum ex Jure [1], tum ex communi Doctorum:

1. Prohibitio *divinorum Officiorum*, eorum nempe, quæ solemniter a clericis exercentur in loco designato, excepta concione. Idque singulis diebus, præter dies Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis et Conceptionis B. V., die et per octavam Corporis Christi [2], in quibus permittuntur divina Officia solemniter celebrari, admissis etiam personis interdictis (quæ tenentur iis festis Missam audire): modo qui causam interdicto dederunt, ad altare non accedant, neque ad offertorium, neque ad Communionem. Diximus: *quæ solemniter a clericis exercentur;* nam licet religiosis et clericis (si ipsi interdicti non sint) in interdicto generali Officia celebrare, sed sine campanarum sonitu et clausis Ecclesiæ januis.

2. Prohibitio *administrandi Sacramenta;* excepto Baptismo (qui potest dari etiam solemniter, sed non a specialiter interdicto); item Confirmatione et Pœnitentia (non tamen in eorum gratia, qui causam vel favorem interdicto dederunt, vel qui specialiter interdicti sunt, nisi præstet satisfactionem aut juratoriam cautionem). Item permittitur Eucharistia morituris et Extrema-Unctio; et probabilius etiam Matrimonium, cum jure habeatur illud *posse contrahi quovis tempore;* at solemnis benedictio sponsis dari nequit [3].

3. Prohibitio *ecclesiasticæ sepulturæ*, cum hoc discrimine clericos

[1] C. *Alma Mater* XXIV *de sent. exc.*, in 6. — *V.* Ferraris; V. *Interdictum.*

[2] Cap. II *de interd.* — In Ecclesiis tamen specialiter interdictis, in quibus Eucharistia servatur, fas est semel in hebdomada Sacrum facere ad renovandam Eucharistiam. Si solum interdicatur altare, prohibentur functiones in altari, non in Ecclesia.

[3] Ex c. *Alma Mater* XXIV *de sent. excomm.*, in 6.

Notat Ferraris: *Casu magnæ necessitatis et penuriæ sacerdotum etiam Sacramentum Ordinis clericis specialiter non interdictis conferri potest, ut cum multis colligunt Pirhing, Innocentius et Abbas ex* c. *Non est de sponsalibus,* in 8.

inter et laicos, quod isti sepeliendi sint in loco non sacro, etiamsi agatur de infantibus, et si sepulti fuerint, exhumari debeant; illi vero, si non sint nominatim interdicti, possint sepeliri in Ecclesia etiam cum Missa, sed sine pompa. Si vero Ecclesia illa sit nominatim interdicta, adhuc poterunt in ea sepeliri; sed sine Missa *(X)*.

886. Q. 3. *A quonam interdicta possunt tolli?*

R. Interdicta *localia* et *personalia-generalia* Jure communi imposita non reservata, possunt tolli ab Episcopo vel ab alio habente jurisdictionem in communitatem interdictam. Hinc Parochus qui solum habet jurisdictionem in foro interno nequit absolvere; quia locus et communitas foro pœnitentiæ non subditur.

Interdicta lata ab homine non possunt tolli, nisi ab eo qui illa tulit, vel a Papa, qui habet omne jus. Ab aliis vero interdictis, quæ habentur in jure, si non sint reservata, quivis confessarius potest absolvere. Attamen per privilegium absolvendi ab omnibus censuris non intelligitur potestas tollendi interdictum locale aut personale communitatis; quia illud privilegium forum internum respicit; at communitas tali foro non subjicitur. Quoad cetera applicantur interdicto, ea quæ de censuris in communi docuimus [1].

887. Q. 4. *Quid dicendum de iis, qui interdictum violaverint?*

R Interdicti violatores vel clerici sunt, vel laici.

Si *clerici*, peccant graviter, quando agatur de re gravi, et interdictum directe clericos afficiat; et ubi Ordinem sacrum exerceant, incurrunt etiam in irregularitatem [2]. Si vero ipsi interdicti non sint, sed violent interdictum locale, privantur jure sepulturæ, quod alioquin haberent [3], et voce activa et passiva electionis [4]. Si autem laicos interdictos admittant ad divina Officia, interdicuntur ipso facto ab ingressu Ecclesiæ [5]. Tandem si quem sepeliant in loco interdicto, ipso facto excommunicantur [6].

Si *laici* sint violatores interdicti, peccant mortaliter: 1) si interdictum sit personale, cum ipsos quoque directe afficiat; 2) si compellant clericos ad divina Officia publice et solemniter celebranda in loco interdicto; imo, ob illatam injuriam in clericos, incurrunt etiam excommunicationem Papæ reservatam [7]; 3) si Sacramentum, vel quid aliud in tali loco administrari prohibitum, ipsi recipiant; cooperarent enim ad id, quod sub gravi clerici prohibentur agere. Si tamen in loco interdicto ipsi non personaliter interdicti simpliciter divinis Officiis intersint, probabilius solum venialiter peccant;

1 *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, 339. — Salmanticenses, *De interdicto.*
2 C. II *de sent. exc.*, in 6.
3 C. I *de postulat. Prælator.*
4 *Clement.* I *de sepul.*
5 C. XX *de pœn. et rem.*
6 C. VIII *de priv.*, in 6.
7 Loco cit. *de sepul.*

cum enim interdictum directe et principaliter ipsos non respiciat, non videtur eos obligare sub gravi.

888. *Quid de iis qui interdicti sunt ab Ecclesiæ ingressu* [1]*?*

R. Isti nequeunt Ecclesiam ingredi, ut Missæ aliisve divinis Officiis intersint, ideo enim interdicti sunt: item neque possunt in eadem Ecclesia vel ejus cœmeterio sepeliri. Missam autem adhuc audire possunt in Oratoriis privatis, quia hæc Oratoria proprie Ecclesiæ nomine non veniunt; imo juxta plures possunt ipsam ingredi Ecclesiam extra tempus divinorum Officiorum, ut orent privatim [2].

889. *Quot sunt interdicta latæ sententiæ in jure?*

R. En præcipua quæ in Jure canonico habentur:

a) Interdicta personalia generalia: — 1) In dantes causam interdicto locali, licet sit universitas (c. *Si sentent.*, *de sent. excomm.*, in 6); — 2) in Capitulum, quod Sede vacante, dimissorias literas concedit infra annum non arctatis (*Tridentinum*, sess. VII, c. 10); — 3) in universitatem et Capitulum, quod appellat a sententiis Pontificis ad futurum Concilium (*Bulla Cœnæ*): reservatum est; — 4) in universitatem permittentem usurariis conducere domum in suis terris ad fœnus exercendum (c. *Usurar.*, *de usur.*, c. 6); — 5) in universitatem, quæ concedit rapræsalias in ecclesiasticos, si concessionem non revocet intra mensem (c. unico *de inj.*, in 6).

b) Interdicta personalia specialia: — 1) in recipientem de manu laici Episcopatum vel aliam dignitatem. Item in dantem (c. *Si quis*, 16, q. 7): ab ingressu Ecclesiæ; — 2) in violantes interdictum generale-locale (c. *Episc.*, *de priv.*, in 6): ab ingressu Ecclesiæ; — 3) in conferentes Ordines simoniace (*Sixtus V*): ab ingressu Ecclesiæ, et reservatum est; — 4) in Episcopos aliosque Prælatos recipientes Beneficia in confidentiam (*Pius V*): reservatum est; — 5) in Prælatos scholia edentes in Tridentinum (*Pius V*): ab ingressu Ecclesiæ.

c) Interdicta localia: — 1) In territorium et loca illius, qui injuriose aut temere Episcopum percutit aut rapit, vel hoc fieri mandat (*Clem I de pœn.*); — 2) in regna, terras, loca eorum, qui impedire præsumunt Legatum seu Nuncium pontificium, ne sibi subjectas terras ingrediatur (*Extr.*, *super gentes*, *de cons.*); — 3) in locum, in quo scienter sepultus fuit hæreticus aut ejus fautor (c. *Quicunque*, *de hær.*, in 6); — 4) in civitatem, quæ insequentibus hostiliter Cardinales auxilium præbet, vel delinquentes non punit intra mensem (c. *Felic.*, *de pœn.*, in 6) [3].

[1] Ut interdictum trahat post se hunc effectum, requiritur specialis sententia; non enim hæc prohibitio est absolute adnexa interdicto. Cessat autem eodem modo, quo ipsum interdictum.

[2] Cap. *Is, cui* X *de sent. excomm.*, in 6. — *V.* Salmanticenses, *De censuris*, c. VI, p. 7ª.

[3] V. *Operum Moralium*, t. III, Episcopi Martini Bonacinæ, ubi accurate auctor disserit de censuris omnibus in particulari, easque fuse explicat. In *Theologia* autem Edmondi Voit censurarum collectio habetur alphabetico ordine disposita.

Non disputamus hoc loco neque de *Irregularitate*, neque de *Cessatione a Divinis*, neque de *Depositione* et *Degradatione*. Quæ quidem censuræ proprie non sunt, sed potius quædam pœnarum aut inhabilitatum species. Erit de hisce tractatu *De Ordine*.

Scholium. — *Casus, Censuræ et aliæ pœnæ in Synodo et extra Synodum in Diœcesi Novariensi* [1].

800. *a) In Synodo:* casus duodecim reservati sunt, quos videre est cum suis notis in Tract. *De Pœnitentia*, lib. III.

Excommunicationes: — Excommunicatur *ipso facto* qui denuntiato confessario sollicitante et juramento emisso de silentio, aliquid contra ipsum revelaverit (quæ censura Episcopo est reservata: *pag.* 314). Item sacerdos, qui non approbatus ad Confessionem, hoc ministerium sibi vindicat extra necessitatem (non reservatur: *pag.* 117). Item qui neglectis denuntiationibus, aliisque omissis, coram Parocho, inscio vel invito, matrimonium contrahit (non reservatur: *pag.* 156). Sunt vero excommunicandi qui culpabiliter negligunt ultra octiduum quominus puer baptizetur (*pag.* 78).

Suspensiones: — Est *ipso facto* suspensus qui in Sacris constitutus vel comœdias agere vel in choreis publicis saltare, vel depositio habitu, per vias personatus incedere præsumpserit; item ecclesiasticus, qui in cauponis certis lusibus luserit: quæ suspensio est ab Officio (*pag.* 168); Sacerdos, qui Missas quas non celebravit, adnotat sciens et volens per fraudem, in libro videlicet quæ fidem facit de acta celebratione: hæc suspensio intelligitur a Missæ celebratione (*pag.* 112). Item civis aut oppidanus, qui scilicet in loco domicilii commorans absque veste talari celebrat: suspensio est a sola Missa ex communi acceptione (*pag.* 106) [2]. Quæ omnes suspensiones sunt reservatæ Episcopo; sed ultima tantum ad 15 dies. — Suspenditur etiam *ipso facto* ab audiendis Confessionibus, qui citra necessitatem audet mulieris Confessionem excipere extra confessionalem sedem (*pag.* 120).

Sub pœna autem suspensionis *ferendæ* ad tres menses vetitum est in prima Missa munera a novo sacerdote in Ecclesia colligi (*pag.* 104). Item sub suspensione *ferenda* vetitum est tum ne ecclesiasticus choreas sive publicas, sive privatas, et spectacula scenica adeat, vel ea permittat in ædibus ecclesiasticis etiam sub alieno nomine (*pag.* 168): tum ne Parochus agat festum Oratorii, nisi prius functionibus in parochiali Ecclesia expletis (*pag.* 102); tum ne contra incendia, vel tempestates deferatur Eucharistia (*pag.* 99).

Interdicta ferenda: — In Oratoria, si in iis agatur festum, non expletis functionibus parochialibus (*pag.* 102); vel detur benedictio Sanctissimo sine licentia (*pag.* 120); vel in iis, aut Sacrario commessatio habeatur (*pag.* 206).

Pœnæ pecuniariæ [3]: — In ecclesiasticos ludentes certis lusibus: sol-

[1] Hic notandum: 1) censura non habetur uti reservata, nisi clare id sit a legislatore expressum; 2) si censura ad tempus determinatum jam lata est, pro toto eo tempore est reservata; 3) pœna pecuniaria non solvitur, nisi post sententiam superioris declaratoriam ex communi usu.

[2] Cum lex Synodalis dicat *oppidanus*, et res admodum odiosa sit, volunt hanc suspensionem non incurri ab habitatore parvæ Parœciæ, loci, aut pagi; oppidum enim in sua genuina significatione est locus, in quem homines multi habitandi causa conveniunt ac quasi parva civitas, ubi aliquis etiam publicæ justitiæ administer, uti esset judex, residet. Ita plures.

[3] Mulcta pecuniaria saluberrima agnoscitur ad criminum coercitionem; ideo Tridentinum (sess. VI, c. 1; sess. XXV, c. 3 et 25 *de R.*) illam permittit Episcopis. At parce ad hoc remedium recurrant ex Benedicto XIV *(De Syn.*, l. X, c. 9): hinc cum Episcopus Novariensis in Synodo pecunia mulctasset qui ab Episcopo moniti trium mensium spatio non pascunt verbo plebem, S. C. C. 15 junii 1658, etsi hoc esse de potestate Episcopi non dubitaverit, tamen fieri non decuisse stabiliter in Synodo respondit. *V.* Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, t. I, pag. 216.

vendæ sunt 15 libellæ Ecclesiæ parochiali loci (*pag.* 168). In ecclesiasticos habentes ancillas 40 annis minoris: 40 libellæ in usus pios (*pag.* 167). In non interessentes Congregationibus: debentur quinque libellæ fabricæ Ecclesiæ ubi habetur ipsa Congregatio (*pag.* 37). In Reliquias contra præscriptum Rubricæ deferentes: solvuntur 30 libellæ in pium usum (*pag.* 217). In Beneficii arbores sine licentia cædentes: dupli pœna est subeunda (*pag.* 227). In beneficiatos inventarium non conficientes: debentur libellæ 25 fisco episcopali (*pag.* 225). In non adnotantes Missas, quas debent adnotare, vel non celebrantes tempore ac loco definitis: non computabitur Missa, et pro qualibet omissione solvendi sunt duo julii (L. 1, 80); (*pag.* 399). In sodalitates, quæ pro suis exercitiis, in propriis Oratoriis habendis, functiones parochiales perturbant: statuitur mulcta 15 libellarum parochiali Ecclesiæ applicanda (*pag.* 206).

891. *b) Extra Synodum casus et suspensiones:* — Suspensio ipso facto incurrenda et reservata in eos qui breviori quartæ horæ partis tempore Missam absolvere audent: est a celebratione Missæ. *Edict.* 20 junii 1849.

Suspensio ipso facto incurrenda ab illis qui ancillam tenent 30 annis minorem; nisi agatur de consanguinea vel affine in primo aut secundo gradu; vel nisi ecclesiasticus domum parentum habitet aut domum communem habeat cum illis, adeo ut famula potius a parentibus dependeat, quam a solo ipso ecclesiastico; vel nisi expresse ab Episcopo licentiam obtinuerit.

Item suspensio a Divinis ipso facto in Parochum vel Parochiæ Rectorem aut succursalis Ecclesiæ, qui sine legitima ac gravi causa omnino omittit decies in anno doctrinam christianam in dominicis, ac festis diebus; exceptis tamen iis qui suppressi fuerunt; item festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Corporis Christi, ac Titularis propriæ Parochiæ vel succursalis Ecclesiæ, modo festum Titularis celebretur eo quo currit die, nec transferatur in diem dominicam.

Suspensio ab audiendis Confessionibus ipso facto in confessarios qui per tres vices in uno anno, sine stola diebus ferialibus, sine stola et cotta diebus festis de præcepto, in publica sede confessionali (ubi nempe ordinarie excipiuntur Confessiones vel virorum vel mulierum, sive in Ecclesia sive in sacrariis, sive in capellis) Confessiones advertenter audiunt. Canonici tamen, Parochi et Coadjutores titulares uti possunt in confitendo propriis insignibus (nempe *cappa* vel *mozzetta);* item regulares satis est si habitum teneant propriæ religionis. Annus autem ad hanc suspensionem pro iis qui indigent Literis Patentibus computatur a mense aprilis ad totum martium; pro ceteris a januario ad totum decembrem. Ita *Lit.* 20 maji et 2 julii 1866.

Tandem reservatur (attamen sine censura) accessio ad protestantium cœtus, in quibus de Religione tractatur, etsi fiat sola curiositate. *Lit.* datis 2 apr. 1857.

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM QUARTUM.

(A) Pag. 554.

892. Aliqui discrimen posuerunt inter actum humanum qui soli naturali hominis rationi adversatur, et actum qui adversatur legi divinæ: 1m peccatum *philosophicum*; 2m *theologicum* nuncupavere. Verum hæc opinio merito uti erronea diris devota est ab Alexandro VIII; nam etsi non pugnet peccatum per mentis præcisionem, idest abstrahendo, considerari posse uti pure repugnans rectæ rationi; nusquam tamen potest ab offensa Dei realiter separari. Nam qui peccat contra dictamen rationis, recedendo ab ordine quem ipsa servandum esse dicit, percipit confuso saltem modo se contra hujus ordinis auctorem peccare. Ad rem Alphonsus noster: « La ragione *(della condanna di Alessandro Papa)* è chiara, perchè niuno può conoscere che offenda la legge di natura senza avere una cognizione almeno implicita e confusa del supremo Legislatore che ha fatto questa legge di natura; e ciò basta a formare il peccato teologico. » *(Apologie* ecc.). — Imo qui peccat contra rationis dictamen non tantum peccat in Deum uti *legislatorem*, cujus leges aspernatur; sed etiam uti *judicem*, cujus pœnas non pertimescit; uti *testem*, cujus præsentiam non reveretur; uti *dominum*, cujus servitutem detrectat; uti *benefactorem*, cujus beneficia contemnit; uti *ultimum finem*, ipsum in creaturis collocans. Quæ omnes sunt totidem circumstantiæ quæ, si advertantur, augent peccati malitiam in eadem specie.

Utique effective Deus lædi non potest juxta illud Jobi III: *si peccaveris, quid ei nocebit?* At effective mala hominis voluntate utique offenditur, quatenus homo sanctissima jura Dei violat, ejusque amicitiam practice contemnit.

(B) Pag. 558.

893. Hic cavenda novitas: cum de peccato originali quæstio pertineat ad ipsa Religionis principia; nam, dicente Augustino, in hoc *proprie fides christiana consistit, et hoc qui negat, ipsa christianæ Fidei subvertere fundamenta conatur* (l. I *contra Julian.*, c. 2; et l. II *de pecc. orig.*, c. 24); ideo si in omnibus theologicis disputationibus cavendum est a verborum novitate, ne inducatur confusio, errori fiat locus et offendantur fideles; in præsenti maxime cavendum. Qui amant novas in Theologia inducere voces seu technologias audiant Patres Africanos ad Theodorum Papam: *Certum est quod tales sermonum novitates de malo amore gloriæ nascuntur. Dum sibi nonnulli volunt acuti, perspicaces et sapientes videri, quærunt quid novi proferant.*

Ut aliqua exempla proferamus de periculosa verborum novitate:

a) Non probamus, qui originale *peccatum* dicunt, non vero *culpam*. « Le nozioni di *peccato* e di *colpa* (ad rem Audisio, *Introduzione agli studi* ecc., l. III, c. 8) comunque si possano distinguere in astratto, non credo però mai nel caso concreto del peccato originale, nè di veruna

altra azione che sia un fatto umano ripugnante alla legge. Epperò s. Tommaso ha chiamato indistintamente colpa, sia il peccato di origine che l'attuale: *Ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, ut patet in culpa actuali, quæ per actum personæ committitur; ad culpam vero naturæ, non requiritur nisi voluntas in natura illa.* »

c) Neque illis subscribimus qui docent per originis peccatum nos damnari, non tamen illud nobis imputari: « Dicendosi (iterum Audisio), che esso peccato ci danni senza esserci imputato, pare si offuschi l'*inest cuique proprium* del Tridentino. E di più osta a quel concetto universalissimo e giustissimo, l'imputazione dover di necessità precedere la condannazione; e nel modo, che in un individuo non vi può esser pena senza colpa, così non vi può esser condanna senza una vera e propria imputazione della medesima colpa. Quest'insegnamento è pure di s. Tommaso: *Pœna simpliciter semper habet rationem ad culpam propriam, sed quandoque ad culpam actualem... quandoque vero ad culpam originalem.* Ed ancora: *Non autem punitur aliquis in spiritualibus bonis sine propria culpa, neque in præsenti neque in futuro.* Come sarà propria la colpa senza l'imputazione divina?

« Finalmente mi pare questa essere la mente esplicita dei Padri Tridentini: *Si quis per J. C. D. N. gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi aut non imputari, anathema sit.* Apparisce: 1) doversi tenere per fede, che il peccato originale non è una semplice storturа, ma un reato che lega l'anima spirituale, e che i Teologi chiamano *reato di colpa;* 2) che questo reato con tutte le sue appartenenze di colpa e di pena eterna, vien tolto nel Battesimo; 3) ripugnare alla fede il dire che nel Battesimo questo peccato, venga solamente raso dall'anima, o a lei non imputato: *radi aut non imputari.* Ora se la intendano col Tridentino quei pochissimi, i quali con nuova foggia di parlare affermano, che nel peccato originale da noi contratto non sia nè reato di colpa nè imputazione. Dicano come sia fattibile, che il Battesimo ci sciolga da un'offesa divina, che non ci sia stata imputata; come esso sciolga ciò che non è mai stato legato; e finalmente, se il Concilio ha detto l'anátema a coloro che sostenevano non più imputarsi il peccato originale ai battezzati, dicano se sia conforme all'idea cattolica il pretendere, che niuna imputazione di quello sussista nè avanti nè dopo il Battesimo. »

891. Ab Adamo transmissum originale: ab Adamo solo fuit transmissum hoc peccatum: *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit* (Rom. v). Et definivit Tridentinum, sess. v, c. 2. Unde illud: *a muliere initium factum est peccati*, intellige occasionaliter, quia mulier induxit virum ad peccandum. Et præceptum datum Evæ de non comedendo ipsam spectabat tantum ut personam particularem, non ut caput morale generis humani. Qua pariter ratione communiter docent, quod si, non peccante Adamo, aliquis ex ejus posteris, puta Cain, peccasset, posteri Caini, non contraxissent peccatum originale; quia solus Adam erat constitutus caput morale omnium. Imo probabilius est, quod si ipse Adam solum post natum filium peccasset, iste filius cum suis posteris peccatum originis non contraxisset; quia illi tantum illud contrahunt qui ab Adamo peccatore seminaliter propagantur; at in hypothesi, quando Adam peccavit, dictus filius jam erat generatus. — *V.* Billuart, Perrone, Knoll, etc.

« Fu domandato spesso: *il perchè Dio mandi un'anima pura in un corpo brutto e contaminato dal peccato.* Il perchè, signori, voi lo avete

veduto: non è Dio che mandi le anime, siete voi che le evocate, siete voi uomini dotati di una vita trasmissibile, investiti del diritto augusto della maternità; siete voi che sull'ordine della vostra carne chiamate gli spiriti a voi, e li costringete a ricevere, insieme colla vostra immagine, la vergogna e la gloria di essere vostra posterità. Dio che voleva salvare l'umanità, vi ha lasciato la vita nella sua pienezza; egli ha mantenuto la legge della trasmissione ereditaria, senza la quale rimasti al nulla voi non interpellereste la sua sapienza: e adempiendo da parte sua tutto quel più che aveva promesso, consente alla vostra miseria di contaminar le anime, ch'egli crea per voi, e alla vostra ingratitudine di bestemmiarlo pel male, di cui voi medesimi siete autori. » Ita Lacordaire, *Conferenza* LXV.

895. Gentium testimonia: hic est audiendus Rosselly, *Della morte interiore dell' uomo*, c. III: « Rovistate gli archivi delle nazioni: sul frontispizio d'ogni storia, una misteriosa macchia ci cade sott'occhi, soggetto di tristezza e di dubbi... Le parti incivilite del globo, gli abitanti del vecchio mondo e de' nuovi continenti, delle isole e dei monti hanno serbato l'impronta del misterioso avvenimento, che mutò l'umana condizione. Gli Indiani, i Chinesi, i Persiani, gli Scandinavi, i Tartari, i Tibetani, gli Egizi, i Greci, i Romani, i Galli, i Messinii, gli Irochesi, la maggior parte delle tribù d'America e delle orde Africane, ci mostrano egualmente per castigo dell' uomo *la fatale disobbedienza, inspirata dall' orgoglio a suggestione di un essere malevole.* »

Idem auctor in libro: *Cristo al cospetto del secolo*, c. X, habet ad rem: « I Persiani ne dicono: il cielo era destinato per l'uomo, a patto che fosse umile, puro ne' suoi pensieri, nelle sue azioni. — Il serpente, questo Ahriman pieno di morte scorse Oranusd dopo di aver fatto l'Ecrimé-Véedio (il paradiso terrestre). — Ahriman e tutti i dews videro l'uomo puro e ne furono costernati. Ahriman affascinò il pensiero d'Adamo e di Eva, disordinò le loro disposizioni, ingannolli su quanto risguardava i dews, e sino alla fine quel crudele cercò solamente sedurli... I libri chinesi espongono un somigliante racconto. Al principio, l'uomo obbediva al Cielo, era tutto spirito. — La terra produceva spontaneamente frutti in abbondanza. Non v'erano allora nè malattie, nè disgrazie, nè morte. — Ma quando ebbe degenerato da un tale stato felice, gli uccelli e le bestie feroci, i vermi e i serpenti, tutti insieme ad un solo accordo mossero guerra all'uomo. — E però l'antico proverbio dice: *non prestar orecchio alla donna.* — La decadenza dei nostri primi genitori non fu dimenticata dai Tartari. Raccontano che illuminati da sè stessi, senza privazione come senza desiderii, godevano di una vita felice; che la terra produceva una pianta, la dolcezza della quale uguagliava quella del miele puro, la cui bellezza incantava gli sguardi; che non poterono resistere alla sua seduzione; che mangiarono di quella pianta funesta, e provarono lo stesso infortunio. I loro giorni furono accorciati, le loro forze si indebolirono e per la prima volta provarono il tormento della paura.

» I Tibetani attribuivano egualmente la perdita dei pregi primitivi, della morte e del corpo al peccato di aver gustato della pericolosa pianta del Chime, dolce e bianca come lo zucchero; la conoscenza dello stato di nudità fu inspirato da questo frutto. — Gli Scandinavi si ricordano l'albero della scienza del bene e del male. A detta loro un enorme frassino chiamato *idrasili* stende i suoi rami nel mondo intero e il serpente lo rode al dissotto: Sciur (il serpente) salendo e discendendo lungo il frassino proferisce l'insidiosa parola: ecc., ecc. »

V. Stevenson, *Viaggio nell'America del sud;* — Sonerat, *Viaggio alle*

Indie; — Belzoni, *Viaggio in Egitto e in Nubia;* — Bruce, *Viaggio in Abissinia;* — Gomara, *Storia generale delle Indie occidentali e di Terra-Nuova;* — *Storia generale dei viaggi;* — *Il gran Dizionario chinese;* — *Lettere edificanti* ecc.; — Bergier, *Dizionario*, Append. V. *Riparatore;* — Nicolas, *Studi filosofici intorno al Cristianesimo*, p. I, l. II, c. 4; — Gaume, *Catechismo* ecc., p. 1ª; — Martinet, *Soluzionidi gran problemi* ecc.; — C. Cantù, *Storia universale;* Documenti: *Religione.*

896. Difficultates solvuntur.

Objicies 1: *Non potest esse verum et proprie dictum nostrum peccatum, quod nullo modo pendet a libera nostra voluntate.*

R. Verum et proprie dictum peccatum est illud per quod incurrimus iram et indignationem Dei. Hæc autem incurri possunt absque libertate personali, uti cum integra civitas incurrit indignationem principis, quamvis multi sint innocentes, qui puniuntur cum improbis eo quod commune habent cum illis societatis vinculum. Multo magis itaque poterunt puniri filii privatione donorum gratuitorum propter iniquitatem parentis: et hoc dicitur peccatum *originale.*

Est utique aliud peccatum quod *personale* vocatur, ad quod utique requiritur propria uniuscujusque libertas: *Omnes homines*, ait Angelicus, *qui nascuntur ex Adam, possunt considerari, ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam a primo parente accipiunt...; ita ut multi homines ex Adam derivati sint tanquam multa membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ, quæ primo movet membrum. Unde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum se, ut divisa a corpore; sed imputatur ei, in quantum est aliquid hominis, quod movetur a primo principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio, quæ est in isto homine, ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur; sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum. Unde sicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum; ita peccatum originale non est peccatum hujus personæ, nisi in quantum hæc persona recipit naturam a primo parente. Unde et vocatur peccatum naturæ, secundum illud Ephæsiorum,* II: eramus natura filii iræ (1, 2, q. 81, a. 7).

Et s. Alphonsus: « In tanto dicesi aver noi peccato in Adamo, in quanto Adamo conteneva nella sua fecondità tutta la natura umana, e l'elezione della di lui volontà importava lo stato di essa natura prospero o infelice; e perciò egli peccando fece che tutta la sua specie nascesse colla macchia e col disordine causato dal suo peccato. Sicchè in Adamo la macchia della persona contaminò la natura, ma in noi la macchia della natura contamina la persona. »

897. Objicies 2: *Peccatum originale est in anima, anima autem nec est ab Adamo nec a parentibus per generationem; sed a Deo creatur, ut decisum est in Lateranensi sub Leone X; sess.* VIII. *Ergo dicendum est a Deo animam vitiari, si revera originale peccatum in ea est.*

R. Peccatum originale traducitur per generationem, sed quatenus semen movet dispositive ad animam et ad ejus conjunctionem cum corpore, ex qua conjunctione fit hic homo, hæc natura humana. Per generationem itaque habetur et traducitur natura ab Adam seminaliter propagata, consequenter per concomitantiam seu resultantiam traducitur et culpa; quia traducitur natura privata justitia originali. *Hu-*

mana autem natura, ait Angelicus, *traducitur a parente in filium per traductionem carnis, cui postmodum anima infunditur; et ex hoc infectionem incurrit, quod sit cum carne traducta una natura. Si enim ei uniretur non ad constituendam naturam, sicut Angelus unitur corpori assumpto, infectionem non reciperet* (De creat. q. 3, a. 3).

898. Objicies 3: *Injustus est Dominus, qui protoparentes nostros totamque progeniem obnoxios esse voluit periculo peccati, maxime cum præscius esset tristissimi exitus.*

R. Justus, imo et munificus Dominus, qui protoparentes nostros libertate donavit, et tentavit eos, ut, si vellent, ea bene utendo, inveniret illos dignos se. Noluerunt: quare duo hic habemus, libertatem et ejus abusum; libertas porro est quidem nobilissimum donum Dei; at abusus libertatis est omnino alienus a dono et a donatore, sed opus est deliberatum solius hominis, nec nisi per summam injuriam Deo imputari potest, qui potius et abusum vetat et punit. Illum utique præscivit Deus in hominibus (sicut et in Angelis); sed præscivit etiam multos ex illis bene usuros esse, bonorumque exercitio profuturos esse malos; et ideo libertatem eis non ademit, *potentius* (ut ait Augustinus) *et melius esse judicans etiam de malis benefacere, quam mala esse non sinere* (De civ. Dei, c. 22).

Tentatio autem erat facile superabilis, tum respectu *ipsorum protoparentum*, qui utpote imbuti plenitudine scientiæ ac voluntatis rectitudine, prima fronte poterant et mendacium dæmonis cognoscere et illud propulsare (Eccli. XVII); tum respectu *loci*, qui undique ipsis ostendebat magnalia Dei, ut ipsi ex corde servirent; tum respectu *rei*, ex tot enim tantisque arboribus, unam tantum eis interdixerat Creator; tum ex parte *temporis*, quo enim recentior erat divinæ legis promulgatio, eo facilior fuerat contemptus satanicæ suggestionis; tum demum ex parte *modi*, non enim primo vir, sed mulier in periculo fuit, ut si vinceret, major esset tentatori confusio; si autem vinceretur, penes caput nostrum foret adhuc humanum genus salvare, vincendo vincitorem. — *V.* Martinet, *Instit. Theol.*, t. I, l. XI. — Rohrbacher, *Storia della Chiesa universale*, l. II.

899. Objicies 4: cum Juliano, qui apud s. Augustinum (Lib. II *de nupt. et conc.*, c. XLVIII) ajebat: *Non peccat ille qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat iste (Deus) qui condidit; per quas rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum?*

Cui Augustinus: *Quid quæris latentem rimam, cum habeas apertissimam januam?... Ego istam quæstionem profundam sentio; libet me hic exclamare quod Paulus: oh altitudo divitiarum:* quibus verbis monet Julianum ut prætermissa haud necessaria investigatione de modo quo ad nos Adæ peccatum transfunditur, Apostoli auctoritate contentus sit. Neque enim ideo fas est aliquid contra illius existentiam concludere; secus eodem argumento negari posset commercium animæ cum corpore, quia minime innotescit quomodo anima in corpus, et corpus vicissim in animam agat. Item adhæsio partium in corpore, cum hujus adhæsionis modus ignoretur penitus. Unde hic *magis curandum est*, prout ait idem Augustinus, *sive in parvulis sive in grandibus quo anima sanetur auxilio, quam quo vitiata sit merito.* Sane qui cecidit, non quærit quomodo ceciderit, sed quomodo surgat. Quanquam id satis congruenter exponitur, ut patet ex dictis supra.

900. *Sed quomodo* (quæres) *voluntas nostra recte dici potest inclusa in voluntate Adæ, et nos in illo revera peccasse: in quo omnes peccaverunt? nam ex Augustino voluntas est, qua peccatur et recte vivitur?*

R. Voluntas nostra quadrifariam potest esse in aliena inclusa in ordine ad voluntarietatem:

1. Ratione *privatæ auctoritatis propriæ*, uti si Petrus matrimonium vel quemvis contractum init per procuratorem: tunc etsi Petrus dormiat aut sit omnino distractus, quando procurator perficit contractum, hic est voluntarius Petro, qui excommunicationem tunc incurrit aut aliam censuram, si forte præviderit eam adnexam illi contractui. Hic tamen intervenit aliquis actus physicus propriæ voluntatis.

2. Ratione *privatæ auctoritatis alienæ*, ut cum pater statuit filio tutorem; tunc emptiones, venditiones, etc., ob privatam patris auctoritatem sunt voluntariæ pupillo; sed nullo physico interveniente actu propriæ voluntatis. Et hoc fundatur in Jure naturali, aut in Jure gentium, aut in utroque.

3. Ratione *auctoritatis publicæ*, ut si mortuo patre sine testamento, princeps assignat tutorem pupillo, cui similiter sunt voluntarii contractus per eum initi. Et hoc exurgit ab alto dominio principis in bona quæ carent dominio proprio et capaci.

4. Ratione *auctoritatis divinæ*, quæ voluit felicitatem nostram supernaturalem pendere ab obedientia vel transgressione Adæ, eo modo quo supra jam explicatum est. Unde nullo interveniente physico actu nostræ voluntatis nobis voluntaria fuit ejusdem trangressio, propter quam natura sumus filii iræ. Est tamen discrimen, quod potestas humana nonnisi ad res humanas potest unius personæ voluntatem in altera includere; potestas autem divina etiam in ordine ad æternam salutem vel ipsius amissionem. Nam neutrum debetur aut repugnat humanæ naturæ secundum se, cum æterna salus sit donum supernaturale, quod potest concedi et auferri juxta Dei beneplacitum.

Idque recte potuit constituere Deus, ut illud penderet ex voluntate Adæ, multo magis, quam princeps possit constituere, ut multa quæ ad bonum pupilli referuntur, pendeant a voluntate tutoris; Deus enim est supremus Dominus bonorum supernaturalium multo magis quam princeps et magistratus civilis bonorum reipublicæ. — *V.* Giudice, *Dottrina teologica del peccato originale e suoi connessi* ecc. Genova, 1850.

(C) Pag. 559.

901. Quoad B. Virginis Conceptionem vide Salzano, *Corso di Storia eccl.*, l. XVII. n. 17. — Liguori, *Opus Morale.* dissert. super censuris circa Imm. B. V. Conceptionem, l. VII, n. 244. — Frassen, *Scotus Academicus*, hic. — Suarez, hac. disp. — Cerri, *Triumphus B. M. Virginis Matris Dei in originale peccatum.* — Perrone, *Prælectiones Theologicæ.* — Mazzola in ven. Seminario Novariensi olim professor, *De Beata Virgine, Disput. Historico-Theologicæ*, ubi fuse veritatem prosequitur ac solide undequaque tuetur. — Knol, *Institutiones Theologicæ*, vol. II. — Ballerini. *Sylloge monumentorum ad mysterium Conceptionis Immaculatæ Virginis Deiparæ illustrandum.* — Croisset, *Esercizi di pietà per tutti i giorni dell'anno: Il mese di dicembre.* — *Civiltà Cattolica*, ser. 2ª, t. VIII: *Definizione dommatica in che consista, Il domma e la civiltà, cenni storici;* t. IX: *Cenni storici, L'assemblea cattolica e le assemblee eterodosse.* — Lib. *Sul criterio dei dommi; Reminiscenze di Seminario e studi di un Sacerdote milanese.* Milano, 1860. — Passaglia, *De Immaculato Deiparæ Conceptu Commentarius theologicus.* — Gousset, *La croyance générale et constante de l'Église, touchant l'Immaculée Conception de la Bienheureus Vierge Marie.* — Alimonda, *Il domma dell' Immacolata.*

Quid dicam? vel ipse Lutherus catholicam veritatem agnovit; en verba quæ profert apostata ille: *Angelus Gabriel ad eam dicebat*, benedicta tu inter mulieres; *non enim ad eam dici posset* benedicta tu, *si aliquando maledictioni obnoxia fuisset. Dignum etiam et justum erat, hanc personam ab originali peccato præservari, de qua Christus sumpturus erat carnem, qua omnia peccata superaret.* (Enarrationes seu postillæ Martini Lutheri majores. Basileæ, 1546.)

902. Q. 1. *An Beata Virgo fuerit exempta etiam a debito originale contrahendi?*

R. Plures cum Galatino, Cusano, Ponte, Salazar, Catharino, Navarrino, Viva, Lugo, Egidio, Richerio tuentur, Mariam non solum a macula originali fuisse mundam, sed etiam ab ipso proximo eam contrahendi debito prorsus exemptam, quamvis ab Adamo descendat naturaliter per carnem. Ajunt nempe propter merita præcisa Christi Domini ejus Matrem Mariam fuisse exclusam a lege universali, qua omnes Adam posteri deberent contrahere maculam propter esum fructus vetiti. Censent autem hoc esse magis consentaneum tot illis privilegiis quibus beatissima Virgo Maria insignita fuit, magisque in ejus honorem id redundare.

Etsi hoc pie credi possit, et videatur probabile, nec certo repugnantiam involvat; tenent nihilominus communiter, Mariam ab ea lege exclusam non fuisse, et consequenter eam fuisse obnoxiam peccato originali, nisi in ipso instanti conceptionis propter merita Salvatoris divina gratia fuisset præventa. Neque ideo Mariæ dignitas imminuitur; quia, ut ait Augustinus, l. VI *contra Jul.*, c. 4: *Peccatum originale quatenus consideratur in actione alterius, alienum est; fit autem proprium tantum contagione propaginis*, id est per contractionem actualem: quod de Maria dici nequit. — *V.* Liguori, *Opera Dogmatica*, sess. V, n. 26; — *Civiltà Catt.*, serie 3ª, t. X: *L'Immacolata Concezione di Maria considerata come dogma di fede*, per mons. Malou.

903. Q. 2. *Quid de societate* ab aurea corona?

R. Piam societatem, cui ab *aurea corona* nomen, Immaculatæ Conceptionis B. V. M. Pius IX, die 11 sept. 1853, ad perpetuandam definitionis memoriam, ad gratias Trinitati reddendas pro singulari privilegio quo dignata fuit B. Virgo etc., libenter erexit, seque ejusdem patronum declaravit Indulgentias sociis largiendo. Constat ex celebratione Sacrorum quæ singulis mensibus ab uno et triginta sacerdotibus prætinito die in Deiparæ honorem erunt peragendæ, orando insuper juxta mentem summi Pontificis. Cui bono etiam singuli fideles partecipare possunt, sub datis conditionibus, ut videre est in Regulis hujusce novæ societatis. (Impeditus applicare Missam die prefixo, id poterit altero die, et etiam per alium.)

904. Q. 3. *Quot bonorum fuerit fons hæc definitio?*

R. Id pluribus aperit Diarium, *La Civiltà Catt.* locis cit. Id unum notamus mirabilem videlicet omnium catholicorum consensionem in obediendo et firmiter credendo, certum esse veritatis signum quo hæreticorum sectæ non gaudent. « Un domma viene nuovamente dichiarato, e 200 milioni di ragioni s'inchinano: increduli, siete persuasi che si crede ancora alla Chiesa? L'oracolo corre su tutta la terra, tutta la terra è in giubilo, in tripudio; increduli, siete persuasi che la fede non è solo un dovere che si conosce, ma un beneficio pei cattolici ch'essi abbracciano con amore e con gioja?... Sono noti, sono proverbiali fra i laici i dissensi delle scuole teologiche, nè scemarono finora, anzi crebbero per variar dei metodi scolastici, per l'ingagliardire dei partiti politici, per l'incrociarsi della morale cogli interessi,

della politica coi canoni. Nè mancarono dubbietà di prudenti o scrupoli di meticolosi, che tentassero gli uni con perversa, gli altri con retta intenzione di mettere un argine al torrente di quell'affetto tradizionale che trascinava la Chiesa sui passi del Vicario di Cristo a venerare immacolato il Concepimento dell'Eva seconda. Meditarono sopra i costoro argomenti Prelati e Dottori, parlarono, objettarono, discussero; e poi? Quando meno se l'aspettavano essi stessi, ecco repente un lampo che a tutte le menti presenta un vero medesimo; ecco ogni ginocchio piegato, ogni voce concorde, ogni sospiro unanime; e nell'unità di quei concenti armonici, maestosamente dominante l'oracolo del successor di san Pietro, che quasi non sai se segua il dettato tradizionale della Chiesa, o imponga alla Chiesa il dettato di Pietro. Ma il vero è l'uno e l'altro ad un tempo. Il Pontefice parla ripetendo il domma che da ben diciotto secoli echeggia su tutte le vie delle generazioni novelle; e la Chiesa è certa di quel domma, perchè l'oracolo del Vaticano lo assicurò....

» Vedi potenza dell'autorità. Non dubitiamo, che avranno ad assiderarne attoniti que' tanti che ci diceano finita l'epoca del credere, tramontato il Papato, morto il Cattolicismo. Qual tramonto, Dio buono! qual morte, quando l'autorità cattolica dettando sol poche sillabe fa abdicare ad un tratto mille antiche opinioni e inchinarsi a ciò che ha l'uomo di più inflessibile, di più gelosamente indipendente, l'ossequio della intelligenza. Fabbricatori di società, confessatelo: se poteste avere ai vostri comandi un fiorellino soltanto di questa autorità che voi eterodossi rinnegaste, fabbrichereste l'unità sociale assai più vera e durevole senza tanti fracassi e tanti contrasti. Or bene, ella è questa appunto la maniera con cui l'unità sociale si fabbrica, sotto qualunque forma ella nasca fra le genti sinceramente cattoliche. Uno statuto qualsivoglia, purchè fra cattolici offra il marchio di religiosa legittimità, più non abbisogna di altra tutela a sicurarlo dagli assalti. La sua tutela è nel Decalogo, e il Decalogo parla alle coscienze. »

Hinc merito percelebris Bulla *Ineffabilis* tot bonorum fons, versa fuit, cl. abbate Sire procurante, in tercentum linguas, quibus totus terrarum orbis nunc loquitur. Quod monumentum splendido compactum volumine sub titulo *Ricordo linguistico monumentale*, auro, argento, gemmis atque pictura mire exornatum, Pius Pp. IX grato animo excepit, Ipsi exhibitum anno 1867, 29 junii, memorando illo die quo magno sacrorum Antistitum cœtu, incredibili sacerdotum frequentia, civium et advenarum jubilantium turma, sacra solemnia Petri Apostolorum principis splendidiori pompa Romæ agebantur anno millesimo octingentesimo, ex quo martyrio coronatus est. — V. *Civ. Catt.*, ser. 6ª, vol. VIII, pag. 729; et vol. XI pag. 361.

905. Q. 4. *Quid de ss. Thoma et Bernardo in hac re?*

R. Opponunt auctoritatem ss. Thomæ et Bernardi *(qui uti quidam dicunt)* Immaculatam Virginis Conceptionem negabant.

a) Cum tanti sit d. Thomæ auctoritas *(quem*, ut graphice ajunt, *si solum scias, omnia scias, etsi cetera omnia ignores; si solum ignores, ignores omnia, etsi cetera omnia scias;* et de quo Lutherus ajebat *tolle Thomam et Ecclesiam dissipabo)*, præstat ut illius sensus bene percipiatur. Qua de re videatur p. Angelo Bigoni, ministro generale dei Minori conventuali, *In lode di Maria Ss. senza macchia concetta*, Dissertazione panegirica; Roma, 1845. Is primis Patribus testimonium s. Doctoris addit proferens hæc genuina verba illius Opuscoli, *Expositio Salutationis Angelicæ*, quæ quidem ipse suis oculis perlegit in Codice membranaceo Vaticanæ bibliothecæ: *Ipsa* (Virgo) *fuit puris-*

sima quantum ad culpam, quia nec originale, nec veniale peccatum incurrit (Amico Cattolico, vol. x, pag. 62; *Mem. Modenesi*, serie 3ª, fasc. 4). Unde non immerito ex antiquis etiam ac sincerioribus Codicibus probant, recentiores præsertim, textum qui habetur, 3 p. q. 22, a. 2 contrarius, fuisse corruptum.

Adde: quo utitur argumento Angelicus in citato loco, nostram firmat sententiam; nam ibi probat Mariam fuisse in utero sanctificatam, quia Ecclesia celebrat ejus Nativitatem. Quid ergo nunc temporis dixisset, quo etiam celebratur Festum Conceptionis? dicere debuisset hac ipsa de causa et Virginis Conceptionem sanctam esse atque immaculatam. (vide Opusculum Nicolai Cichovii, *Angelici Doctoris s. Thomæ de B. V. M. Deiparæ Immaculata Conceptione sententiæ*. Patavii, 1720). Adde objecta verba d. Thomæ explicari posse de debito peccatum originis contrahendi, ut clarius ipse indicat 4, dist. 45, q. 1, a 4, ad 3. — *V.* Joannes a s. Thoma, *Tractatus, de approbat. et auctoritate doctrinæ angelicæ d. Thomæ.* — Mariano Spada dell'Ordine dei Predicatori, *Esame critico sulla dottrina dell'angelico dottore s. Tommaso circa il peccato originale relativamente alla B. V. Maria.* — Gaude dell'Ordine dei Predicatori, *De Immaculato Deiparæ Conceptu ejusque dogmatica definitione, in ordine præsertim ad scholam Thomisticam.*

b) Quoad d. Bernardum in celebri Epistola ad Canonicos Lugdunenses, aperte videtur negare hoc Virgini Privilegium. Sed respondemus cum p. Perrone; in confesso est: 1) s. Bernardum Canonicos illos redarguisse quod, inconsulta Sede Apostolica, festum de Virginis Conceptione adoptaverint; 2) ipsum ex eo Virginis ortum sanctum fuisse deducere, quod solemnitas ejus Nativitatis in universa Ecclesia celebraretur; 3) impetivisse Conceptionis cultum eo quod careret objecto: siquidem ex ipsius mente Virgo sancta esse non potuit priusquam conciperetur, quum nequiverit *ante sancta esse, quam esse.* Sed nec in ipso Conceptionis momento id potuit; *quomodo namque*, pergit, *aut sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut Sancto Spiritui societas cum peccato fuit ubi libido non defuit? nisi forte quis dicat de Spiritu Sancto eam, et non de viro conceptam fuisse: sed hoc hactenus inauditum.* Nempe ideo s. Doctor inficiatur sanctam Virginis Conceptionem, quia maritali complexu genita est. Unde patet, ipsum esse locutum de prima Virginis Conceptione, quam *activam* dicunt, de ea nempe, in qua sancti B. Virginis parentes opere maritali invicem convenientes, præstiterunt ea, quæ maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organizationem et dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam. Non autem de Conceptione *passiva*, seu de animationis momento, de quo hic agimus (de hac distinctione vide Benedictus XIV, *De festis*, l. II, c. 5). Reapse hoc sensu auctores s. Bernardo suppares *conceptionis* vocabulum usurpasse ostendit Mabillonius *(nota* 141 *in Epist.* 74 *s. Bernardi*, col. LXII): unde legitime colligitur s. Doctor piæ sententiæ haud infensus. Imo cum ipse ex celebritate Festi de Natali Virginis die, quæ jam in Ecclesia ubique vigebat, intulerit sanctam eam extitisse ante Nativitatem, merito concludimus sanctam ipsam pariter Conceptionem propugnaturum fuisse, si idem festum ubique celebrari, ut nunc fit, cognovisset. Quanquam apud criticos certum est hodie objectam epistolam non esse genuinum d. Bernardi opus. — V. *Civiltà Cattolica*, serie 3ª, vol. x: *L'Immacolata Concezione di Maria.*

906. Dices: *in ipsa Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est:* verba

sunt Lirinensis universim admissa. Hoc porro non potest dici de Immaculato B. Virginis Conceptu.

R. Cum Perrone: *Celeberrimum Vincentii Lirinensis effatum*, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est, tenendum, *non intelligendum nisi in sensu, ut dicunt*, positivo, *quatenus nempe quod semper, ubique et ab omnibus creditum est, non possit non esse verum aut non ex traditione Apostolica descendere. Non autem in sensu* negativo, *ita ut verum aut certum non sit censendum quidquid semper, ubique et ab omnibus creditum saltem explicite minime fuerit; alioquin actum esset de authenticitate et canonicitate omnium Librorum quos deutorocanonicos dicimus: quod prorsus absurdum est atque a Vincentii Lirinensis mente omnino alienum, qui profecto non ignorabat agitatas adhuc sua ætate, vel paulo ante, controversias circa ss. Librorum canonicitatem; et aliunde constat sexcenta fuisse ab Ecclesia definita, quæ prius nondum ortis hæresibus, quæ solemnes hujusmodi definitiones provocaverunt, nonnisi implicite credebantur:* prout erat fides de Immaculato Virginis conceptu. — *V.* Opus, *Cosa è Giansenismo;* it. *Sul criterio dei dommi*, par. 1ª.

« Il solo argomento decisivo, invincibile, di cui i difensori dell'Immacolata Concezione potevano disporre, era la tradizione vivente della Chiesa che attribuiva a Maria una santità indefinita ed una purità più perfetta che quella degli Angeli... Spinti dalla forza di questi sentimenti i servi di Maria impresero la difesa della sua Immacolata Concezione... Lo Spirito Santo dirigeva i loro sforzi, l'intimo senso della Chiesa che proteggevali. con la sua tacita approvazione, li guidava. Egli è di questo modo che camminavano all'acquisto della verità... Il domma dell' Immacolata Concezione spunta dalla tradizione cattolica, come spunta un fiore dal suo fusto. » *Malon.*

(D) Pag. 562.

DCCCV. Incerta est futura conditio eorum, qui cum solo originali moriuntur: exules erunt a patria cœlesti; sed quænam sors æterna?

Alii cum Sylvio, Petavio, Gregorio Ariminensi, qui ideo dictus fuit *tortor parvulorum*, una cum Augustino, Fulgentio et latinis Patribus docent parvulos solo originali maculatos pœna ignis, mitissima tamen, esse cruciandos. Et probant ex Concilio Florentino, ubi habetur: *Credimus.... illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas* (quanquam verba *inferni* ac *pœnarum* hic nimis generalia sint: sic per se *infernus* est locus inferior; definitio autem Concilii non cadit in qualitatem pœnarum, sed in illud *mox).* Quod dicunt Scripturæ, pluribus Patribus et fidelium persuasioni conformius. — *V.* Bergier, *Dizionario;* V. *Bambini.* — Berti, *Theol.*, l. XIII. — *Analecta*, anno 1862.

Alii cum Valentia, Bellarmino, et græcis Patribus docent, tales infantes pœna sensus non esse plectendos; cum a Scriptura iis solum comminetur, qui actuali peccato tenentur. Attamen docent eos habituros perpetuam tristitiam de amissione beatitudinis, ad quam ab origine erant destinati; talis enim exclusio non potest esse sine dolore. Hanc sententiam communiorem appellat Bouvier, et ei videtur probabilior. — *V.* Bellarminus, *De amissione gratiæ*, l. VI, capp. 6 et 7. — Frayssinous, *Difesa del Cristianesimo;* conferenza: *La salute degli uomini.*

Alii cum Petro Lombardo, d. Bonaventura, Innocentio III, d. Thoma censent tales parvulos esse prorsus immunes a pœna sensus; *quia*, ut ait Angelicus *(De malo*, q. 5, a 2), *pœna sensus respondet conversioni ad creaturam, et in peccato originali non est conversio ad creaturam, et ideo peccato originali non debetur pœna sensus.* Imo docet tales pueros nullam percepturos tristitiam de amissione gloriæ; *nam sicut nullus sapiens*, ait (2 *Sent.* d. 33, q. 2, a. 1), *affligitur de hoc, quod non possit volare sicut avis, vel quia non est rex vel imperator, cum sibi non sit debitum; ita pueri non dolebunt de amissione visionis beatæ, cum non sit debita, nec ad illam habeant proportionem.* Imo tradit, quod illi infantes partecipabunt de bonis naturalibus, *et de Deo gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione.* Quod tamen Billuart explicat de dilectione naturali necessaria (eo enim amore quo quis necessario diligit seipsum, diligit etiam suum essendi principium); non autem de amore libero et amicabili. « Del resto (ad rem s. Alphonsus, *Opera dogmatica*, sess. v), prescindendo da questo godimento naturale, è molto equa, ed a me probabile secondo la divina Misericordia, la sentenza, che essi nell'altra vita non ricevano nè premio, nè pena; e da questa sentenza non è discorde lo stesso s. Agostino, l. III, *de lib. arb.*, c. XXV.... Tanto più che s. Gregorio Nazianzeno e s. Gregorio Nisseno scrissero lo stesso. »

Alii cum Catharino docent, eos parvulos post Judicii diem esse in quodam paradiso terrestri collocandos, ubi sua sorte optime contenti beatitudine naturali perfruentur in Dei cognitione et amore fundata; qui amor erit liber, efficax et perfectus in genere suo. Id ex parte defendit cardinalis Sfondrati in libro, *Nodus prædestinationis dissolutus.* Romæ, 1696. Item liber cui titulus *Delle cose divine, e specialmente degli ultimi tempi del mondo*, Ammonimenti di Giovanna Le-Royer Suora ecc. Rovigo, 1852. Quæ opinio etsi non sit communiter admissa, non est tamen confundenda cum hæresi Pelagianorum: isti quoque illis pueris naturalem beatitudinem concedunt, sed sine morte animæ: unde juxta ipsos exclusio ab intuitiva Dei visione non habet rationem pœnæ, quod negant catholici. — *V.* Perrone, *Prælectiones Theologicæ.* — Franco, *Risposte popolari alle objezioni più comuni contro la Religione.* — Martinet, *Instit. Theol.*, vol. III, lib. 4°.

Alii tandem eo usque progressi sunt, ut credant Deum in ultima Judicii die gratiam Baptismatis illis infantibus elargiturum fore. Ita in libro, *Considerazioni sullo stato dei bambini morti senza Battesimo.* Lugano, 1839. Quid de hoc singulari medio videant sapientes.

Quidquid sit, ad rem monet liber *Metodo per la direzione delle anime*: « Non domandate mai al popolo se i figli morti senza Battesimo soffrano il fuoco; ma nè tampoco asserite che non lo soffrono. Ciò potrebbe dare occasione a qualche figlia disonorata di mandare in perdizione il figlio che ha concepito, nel pensiero che (sebbene morto senza Battesimo) ei non andrebbe dannato. Ne risulterebbe ancora che molte donne non si risparmierebbero più che tanto nella loro gravidanza; e che molti padri non si darebbero alcuna premura di procurare il Battesimo dei loro figliuoli. Se voi veniste interrogato sulla sorte di questi bambini, potreste rispondere che sono dannati, che non vedranno mai Dio, che non entreranno mai in cielo; ma che non si conosce con bastevole certezza lo stato, l'estensione di loro certa dannazione. »

(E) Pag. 563.

908. Quæres: *ad peccatum personæ actuale requiraturne actualis in agente libertas; an vero præter peccatum* liberum *admittendum sit etiam peccatum actuale* necessarium?

R. Si de fide est, ad merendum vel demerendum in præsenti naturæ lapsæ statu non sufficere libertatem a coactione, sed requiri libertatem a necessitate, clarissime hæc sequuntur: 1) ad omne peccatum personæ actuale constituendum necessario requiri actualem in agente libertatem; 2) ad hæreticas Jansenistarum Scholas prorsus esse amandandam illam *peccati necessarii* doctrinam. *Sane nullus spiritualiter moritur* (inquit Angelicus) *nisi propria voluntate peccando. Ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, ut patet in culpa actuali quæ per actum personæ committitur. Peccatum consistit in actu liberi arbitrii: incipit genus morum ubi primum dominium voluntatis invenitur* (1, 2, q. 73, 1 et 85; in 2, dist. 30, q. 2). Quare merito Alexander VIII diris devovit illam Jansenistarum propositionem: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali et libertate Adami peccantis.*

Accedit ratio theologica: communi catholicorum sensui repugnat illud ipsum *peccati necessarii* vocabulum; quippe quod rationi ipsi naturali adversetur. Quid enim est peccatum actuale *liberum*, nisi illud quod provenit a voluntate hominis non coacta ab ulla necessitate neque intrinseca, neque extrinseca antecedente? Quid vero erit peccatum *necessarium*? certe erit illud e contrario, quod provenit a voluntate hominis coacta ab aliqua necessitate intrinseca vel extrinseca? atqui nullum penes catholicos datur peccatum hujusmodi. *Quis enim peccat* (cum d. Augustino rogamus) *in eo, quod nullo modo caveri potest?* Quare a Sede Apostolica jure damnatæ fuere duæ illæ Michaelis Baji propositiones: 1) *homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit;* 2) *ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium.* — *V.* Audisio, *Introduzione agli studi ecclesiastici*, l. III, c. 8.

(F) Pag. 566.

909. Tentat diabolus: vaferrimus sane hostis, qui ut s. Leo Magnus (Serm. XVI *in Nat. Domini)* ait: *Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus; et ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari.* Sed ne concidamus animo: qui sane futurorum cupidine succensus fortiter resistit, nedum jacturam, *sed faciet etiam cum tentatione proventum; fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* (I, Cor. X). Hinc ad rem ajebat Cæsarius Arelatensis de dæmone tentatore (Serm. XVIII): *Alligatus est tanquam canis innixus catenis... latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino nisi volentem non potest; non enim cogendo, sed suadendo nocet: non extorquet a nobis consensum, sed petit.* — *V.* Opusc. *Il diavolo esiste egli, e che cosa fa?* C. XXIV.

Hæc etiam notamus cum Stapf agenda post pugnas maxime graviores. Qui infeliciter decertavit, ne concidat animo; sed sincere doleat, strenue ac viriliter acturus in posterum: *filioli mei, hæc scribo vobis,*

legitur I, Joann. II, *ut non peccetis ; sed et siquis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.* Qui vero victor extitit, ne sibi fidat, sed Deo agat gratias, atque ad nova bella se præparet; non enim cessat ab insidiis suis serpens antiquus.

910. Tentat mundus: alter metuendus adversarius, qui quoad essentiam semper idem est voluptatibus inhians, æternitatis immemor, Dei inimicus, et varias pro diversis temporibus formas induens. Quænam porro sit præsens forma spiritus mundani, quam alio nomine appellamus *genium sæculi*, aperte declaravit Pius IX, tot machinationibus apta remedia suggerens. De hisce erit Lib. IV, *Append.;* et Lib. II *De Justitia* et *Virtutibus Theologicis.*

Hæc iterum admonemus cum laudato Stapf (§ 125): « Maxima calamitas in Ecclesiam Dei redundat, si ipsi Sacrorum ministri genio sui temporis turpiter assentiantur. Cum enim mundus spiritum veritatis non possit accipere *(Joann.* XIV, XVII), ille qui hominibus placere gestit, Christi servus non est *(Gal.* I, X)... Equidem quod ad animi cultum et morum comitatem attinet, sacerdos ea neutiquam aspernabitur, quæ *ævum* nostrum vere commendant; attamen, ut veterum aliquis monet, *nimium ne crede colori ; fallit enim vitium specie virtutis et umbra.* Revera tentatio sectandi genium temporis non est minima, præsertim pro viris junioribus; egoismo enim vix aliud magis arridet, quam placere illis, qui ex moderno genio sentiunt. »

911. *Nonne* (dices) *etiam Deus est externa peccati causa?*

R. Deus nedum causa peccati esse possit, imo illud summopere detestatur; *non Deus volens iniquitatem tu es*, ait R. Psaltes (Ps. 2). Et Jacobus : *nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur ; Deus enim intentator malorum est* (cap. I). Quare merito Tridentinum habet contra Novatores, qui efficientem peccati causam in Deo impie collocabant: *Siquis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera ita ut bona Deum operari non permissive solum, sed etiam proprie et per se, ita ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit* (sess. VI, c. 6). Sane peccatum consistit in ordinis perversione; non ergo esse potest ab eo qui ordo est, et universa ordinavit (vide d. Thomas, *De malo*, q. 5, a. 4). Absit ergo, ut Deum nos faciamus peccati causam et auctorem. Hoc hæreticorum est, qui plura opponunt ex Scripturis, in quibus Deus dicitur *excæcare, in reprobum sensum tradere*, etc. Sed facillime refelluntur, si totus contextus attendatur; Deus enim id non facit agendo, vel movendo ; sed potius deserendo, non impediendo, permittendo. Hodie tamen protestantes hanc impietatem rejiciunt. — *V.* Bergier, *Dizionario;* V. *Permettere.*

Item Deus *tentare* dicitur, sed non ad seducendum, bene vero ad probandum. Hinc ex Augustino Lib. II *De consensu Evangelistarum*, duplex tentatio distinguitur, videlicet *probationis* et *seductionis.*

912. *Quid de peccatis alienis quoad nos, ac de illis quæ dicuntur contra Spiritum Sanctum vel etiam in cœlum clamantia?*

R. Ad 1 : Regius Psaltes (Ps. XVIII) etiam de alienis timet : *ab alienis parce servo tuo.* Quod tamen non ita accipiendum est, quasi nempe ad ea committenda non debeat concurrere nostra voluntas; quæ sola est peccati sedes. Sed eo sensu, quia illa sub aliqua ratione etiam nobis debent imputari. Hæc imputatio incurritur dupliciter :

1) *Positive*, quando quis alium ad peccatum inducit imperio, consilio, plausu vel per illecebras, ut si qui perversos libros evulgent, turpes imagines exponant, etc.; 2) *negative*, si ob desidiam nostram alii peccatis libere indulgent. Ex qua parte parentes, magistratus, Paro-

chi, Episcopi, qui suis non invigilant, horrendum judicium expectent: ex his patet, hanc peccatorum alienorum imputationem immensum non raro orbem describere, prout notat Stapf, § 122. Hac de re plura apud Voit.

R. Ad 2: D. Thomas (2, 2, q. 14) de alia specie peccatorum agit, quæ majorem quam cetera præseferunt deformitatem, et ideo ceteris difficilius remittuntur, sunt:

a) Peccata in Spiritum Sanctum, quibus ex contemptu abjiciuntur media et beneficia, per quæ homo a peccatis potuisset abstinere: sunt *præsumptio*, *desperatio*; *agnitæ veritatis impugnatio*, ea animi perversitas quæ contra veritatem evidenter cognitam obduratur; *fraternæ charitatis invidentia*, ut cum quis contristatur graviter de donis proximi, quibus fit conspicuus; *obstinatio* et *impœnitentia*, sumpta pro proposito non pœnitendi. Qui talibus se maculant, patet ex proposito fieri rebelles lumini, et in profundum jam venisse.

b) Peccata in cœlum clamantia, quæ nempe in hac vita et in altera divinam ultionem provocant, cum adeo abominandam contineant malitiam: sunt *homicidium voluntarium* (Gen. IV), *sodomia* (Gen. XVIII), *oppressio pauperum*, *viduarum* et *pupillorum* (Exod. XXII): denique *defraudata operariorum merces* (Deut. XXIV et Jac. V).

913. Huc revocatur: 1) *excæcatio* (ex parte intellectus), et est pertinax adhæsio animi ad malum, ita ut illuminationes et instructiones tam internas quam externas recipere nolit; 2) *obduratio* (ex parte voluntatis), et est pertinax adhæsio animi ad malum, qua resistit gratiæ et monitionibus tam internis quam externis, ita ut cor nec precibus nec minis emolliatur.

(G) Pag. 575.

914. Q. 1. *Unde petenda differentia inter mortale et veniale?*

R. Non conveniunt inter se Theologi. Censet Scotus in eo peccatum mortale discerni a veniali, quod prius sit contra præceptum, alterum contra consilium; sed errat, quia quod est solummodo contra consilium, peccatum non est; *ubi enim non est lex, nec prævaricatio* (Rom. IV). Alii putant in hoc differre peccatum mortale a veniali, quod mortale sit contra legem, veniale præter legem; sed etiam hallucinantur, quia omne peccatum eo ipso, quo peccatum est, est contra legem, ut patet in mendacio jocoso, furto rei levis, etc. Alii opinantur mortale esse contra finem, veniale contra media, quæ sunt ad finem; sed falluntur, quia plura sunt venialia, quæ sunt contra ipsum finem, uti motus non pleni infidelitatis; et sunt plura mortalia peccata, quæ versantur circa media, uti furtum, detractio, etc. Alii communius peccatum mortale in eo a veniali distingui volunt, quod prius sit aversio a Deo, et conversio ad creaturam, tanquam ad ultimum finem; posterius vero peccatum sit conversio ad creaturam, salvo tamen aliquo ordine ad Deum, tanquam ad ultimum finem. Alii demum cum Gerdilio, fortasse clarius, differentiam ex eo repetunt, quod peccatum mortale sit contra legem et etiam contra finem legis, nempe charitatem: dirimatque propterea conjunctionem illam, qua homo charitate Deo adhæret, ut fini; veniale, vero tametsi sit contra legem, non repugnet tamen fini legis, possitque ideo cum charitate, qua Deo jungimur, rite consistere.

Sic optime ratiocinatur Gerdil: quæ contra alium fiunt in duplici sunt differentia; alia quippe consistere possunt cum amore et benevolentia erga illum, contra quem fiunt; alia vero cum tali amore et benevolentia consistere nullomodo possunt. Fac filium aut servum aut amicum, parentem, dominum, amicum debito amore, ac reverentia prosequi, si aliquantulum fuerint negligentes in gerendis eorum rebus, si leve quoddam damnum eis attulerint, si leviusculum quoddam eorum erratum quod ipsorum famæ non noceat, patefecerint; hæc certe talia sunt, ut conciliari possint cum vera benevolentia erga parentem, dominum et amicum; hæc namque ab iis ipsis admittuntur, qui sincere et ex animo diligunt. Contra vero si filius ille, famulus aut amicus gravem aliquam injuriam parenti, domino, aut amico afferant, si debitam obedientiam, et fidem proterve negaverint, si fortunæ, famæ, aut vitæ insidias struxerint; profecto necesse est ipsos exuisse omnem amorem et benevolentiam; neque enim cum hoc animo amatur, neque fieri potest, ut quis eum amet, contra quem talia facit. Est ergo in ipsa rerum natura, et communi hominum sensu constitutum et fixum discrimen, ut quæ fiunt contra aliquem, alia omnem erga ipsum amorem excludant, alia cum debito amore consistant: quamvis per ea quis aliquantulum ab isto amore deflectat.

Peccata itaque mortalia censenda sunt, quæ ita sunt contra legem, ut sint etiam contra ipsius legis finem, charitatem nempe, quæ cum iis consistere nullatenus potest. Venialia vero peccata ea habenda sunt, quæ sunt quidem contra legem, sed non contra finem, seu charitatem non tollunt, cujusmodi sunt mendacium jocosum, furtum rei levis, motus non deliberati etiam circa objecta gravia; hæc enim committi possunt adhuc ab iis qui sincere Deum diligunt, in eumque tanquam in ultimum finem conversi sunt. — *V.* Talento, *Institutiones Theol.*, t. I. — Liguori, *Opus Mor.*, l. v, n. 11.

915. Q. 2. *Quomodo dignoscenda gravitas in iis quæ parvitatem materiæ admittunt?*

R. « In iis quæ parvitatem materiæ admittunt, regula prorsus exacta ne datur quidem; quia materia non simul et simul et quasi per saltum, sed successive ingravescit, ita ut ex communi sententia objectum legis nunc leve, nunc gravius atque sensim ponderosius fiat, donec tandem materia impliciter gravis videatur. In dimetienda quantitate morali idem nobis evenit quod in quantitate physica: dum, e. g. aliquis in sporta nuces in urbem defert, edic, quæso, quot præcise nuces requirantur, ut pondus istud grave censeri possit. Eodem modo desipiunt, qui, e. g., furti gravitatem ad ultimum usque obolum determinare conantur; cum tamen materia sensim tantum ingravescat, adeoque inter pondus et pondus simpliciter leve et grave materia intermedia quasi in ancipiti relinquatur. » *Stapf*, § 106.

916. « Perciò (ad rem Gousset) quando si consultano i ministri della Religione o al tribunale della Penitenza od altrove, non si deve richieder sempre da essi che determinino con precisione il grado di enormità dei peccati, onde taluno si accusa, o intorno a cui li consulta. Quello che si ha diritto d'aspettarsi si è che decidano con esattezza, se la cosa è buona o cattiva, permessa o proibita, pericolosa o no. Questo conoscimento è necessario per saper quello che si debba fare o evitare, ed è sufficiente per regolare i costumi dei fedeli. Dal momento che sanno che una cosa è prescritta o proibita, spesse volte basta per indurli a farla o a lasciarla; quantunque non si possa dire precisamente, se v'abbia peccato mortale o veniale solamente. » Hæc dicta sint pro pœnitentibus; pro confessariis autem duo notanda sunt:

1. Cum s. Alphonsio *(Opus Mor.* l. VI, n. 627): *Licet in aliquo casu confessarius non discernat quæ sint gravia quæ lævia; si tamen bona fide pœnitens dicit peccatum suum, Confessio valet; et quamvis postea advertatur fuisse mortale, non est cur repetatur in alia Confessione.*

2. Cum Gersone *(De vita spirituali,* c. 4): *Doctores non debent esse faciles ad asserendum aliqua esse peccata mortalia, ubi non sunt certissimi de re; nam per hujusmodi assertiones rigidas in rebus universis nequaquam eriguntur homines a luto peccatorum; sed in illud profundius, quia desperatius, demerguntur:* « nam error, quo creditur esse mortale quod non est mortale, ait Angelicus *(Quodl.* 9, a. 15), ex conscientia ligat ad peccatum mortale. » Hinc non bene se gerunt concionatores illi et confessarii, qui facile homines damnant de mortali, etsi gravis malitia evidenter non dignoscatur; vel eadem facilitate odiosam laxitatis notam tribuunt sententiis illis, quæ non apparent aperte improbabiles.

(H) Pag. 579.

917. Q. 1. *An explicandi tactus, qui copulam statim consequuntur?*

R. An explicandi sint hujusmodi tactus, alii affirmant, quia non amplius ad copulam referuntur; alii item affirmant, sed tantum si in eis tanquam in nova voluptate sistatur. Sed non minus probabiliter alii cum communi dicunt omnes hos actus non esse de necessitate explicandos semper ac tactus (idem est de complacentia, quæ habetur de copula) statim post copulam habeantur, et non dirigantur ad novam copulam; quia tunc verisimiliter tactus illi adhibentur ad primæ copulæ obtentæ complementum, et in ea includuntur.

918. Q. 2. *An explicanda media ad peccandum adhibita?*

R. 1: Si quis habens oscula, tactus, etc., noluisset ab initio copulam, sed postea ob libidinem auctam perfecerit, non sufficit si tantummodo copulam confiteatur; tunc omnes actus tanquam distincta peccata debent explicari, quia cum illic sistitur, quivis actus habet in se malitiam suam consummatam. Et idem dicendum de eo qui animum habuit tantum hostem vulnerandi, et inde ira accensus occidit; is duo peccata committit. Item si quis ex intentione furandi centum aureos centenis vicibus moraliter interruptis eos subripiat, tunc centum peccata committit, dicit Croix; quia singuli actus habent in se consummatam malitiam. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. v, nn. 41 et seqq.

R. 2. Explicanda sunt tanquam distincta peccata omnia media posita ad peccatum consummandum, si postea illud reapse non consummetur, ut ait Viva valde probabiliter cum communi; et hoc non solum si dicta media per se sint mala, ut sunt tactus et sermones inhonesti, sed etiam si sint indifferentia, uti carpere viam, ascendere domum ad mulierem cognoscendam, parare arma ad homicidium, etc.; quia tunc peccatum non manet tantum internum, sed externatur sufficienter in illis actionibus, quæ omnes malæ deveniunt; cum a malitia pravi finis omnes informentur.

Cum tamen omnes istæ actiones tendant ad unum actum, ideo alii cum Lugo docent non esse de necessitate singulatim illas aperiendas quasi distincta peccata; sed sufficere si aperiatur, quod fuerunt media parata et adhibita; cum omnes illæ actiones habeant unicam ad unum peccatum connexionem, *De Pœnitentia,* disp. XVI, n. 566.

919. Q. 3. *Quomodo interrogandus est pœnitens, ut numerus suorum dignoscatur peccatorum?*

R. Exemplum sit de pœnitente, qui, v. g., confitetur se tribus diebus continuis gravi odio proximum fuisse aversatum.

Confessarius: quale malum optasti proximo? — *Pœnitens:* optavi æternam damnationem ob gravem injuriam mihi illatam.

Confessarius: quoties illud odium prorupit in actus externos? — *Pœnitens:* non processit ad actus externos: sed fuit mere internum.

Confessarius: an odium illud fuerit retractatum vel interruptum et quoties? — *Pœnitens:* primo die per integrum fere tempus ista aversio mihi repræsentabatur; eique voluntarie adhæsi, decies plus minus; secundo die circiter per medium tempus de eo cogitavi, et affectum malum forte vigesies iteravi; tertio die ista cogitatio septies plus minusve rediit cui adhæsi singulis vicibus per quadrantem circiter, bis iterum reflexe optando ejus damnationem: sed vespere, antequam decumberem, omnia ista retractavi. — Ceterum hæc ita minutim indagare fere impossibile est maxime in consuetudinariis, qui a longo tempore non sunt confessi. Tum satis erit de mora consuetudinis exquirere, interrogando de lapsibus circiter in die, in hebdomada, mense, etc.; et sic in confuso apprehendendo numerum, ex dicendis *De Pœnitentia.*

(I) Pag. 581.

920. Quoad cogitationes malas ad rem Balmes *(Il Protestantismo comparato al Cattolicismo,* l. XIII): « Se penetriamo nel sacrario del pensiero ove non giugne pupilla d'uomo, aperto solo agli occhi di Dio, che significa *libertà di pensare?* Forsechè il pensiero non ha sue leggi, alle quali necessariamente dee assoggettarsi, quando non voglia perdersi in un caos? può forse dipartirsi dalle norme di una sana ragione? non udire i consigli del buon senso? scordarsi che il suo soggetto è il vero? disconoscere gli eterni principii della morale? »

a) Dices: *ex moderno adagio: facultas cogitandi est in homine essentialiter libera; quomodo ergo quis poterit cogitatione sua peccare?*

R. Retorquendo argumentum: facultas volendi est in homine essentialiter libera; quomodo ergo quis poterit voluntate sua peccare? Sed directe respondendo dicimus: triplici sensu objectum adagium accipi potest: 1) pro *immunitate a coactione*, id est a violentia extrinseca; 2) pro *immunitate a necessitate*, idest a violentia intrinseca; 3) pro *immunitate a quacunque lege morali*, quatenus homo possit se sine culpa malis etiam cogitationibus libere sordidare.

Si accipiatur priori sensu, adagium est verum; quia verum est cogitandi facultatem in hominem immunem esse *a coactione*, cum sit rationali hominum naturæ intrinseca. Sed nobis non nocet, quia non impedit, quominus homo circa suam cogitandi facultatem leges habeat a superioris auctoritate, quas iccirco transiliendo peccabit; non enim superioris auctoritas est violentia extrinseca, seu *coactio.*

Si accipiatur secundo sensu, adagium nec a Philosophis nec a Theologis admitti poterit; unanimiter docent hominis intellectum esse facultatem per se imperatam, quæ nempe in operationibus suis necessitatem patitur. Voluntas videlicet est, quæ in intellectus operationes dominatur, si primas objectorum apprehensiones excipias: *voluntas* (ait Angelicus) *movet alias potentias animæ ad suos actus; utimur autem aliis potentiis, cum volumus* (1, 2, q. 9, a. 1).

Si adagium accipiatur tertio sensu, quasi homo nulla morali lege quoad operationem intellectus teneatur, ideoque nulla in eo admittenda

peccata interna, tunc illud declaramus: 1) *prorsus absurdum;* quia docet recta ratio leges honestatis afficere etiam interiores hominis potentias; 2) *legi naturæ* et *divinæ contrarium,* quia lex de non concupiscendis rebus malis et inhonestis in ipsa naturali et divina lege fundatur: *non concupisces;* 3) *catholicæ Fidei subversivum,* quia doctrina est Ecclesiæ catholicæ, cogitationes malas *nonnunquam animam gravius sauciare et esse periculosiores iis, quæ in manifesto fiunt* (ex Tridentino, sess. XIV, cap. 5); idque vel quia facilius perpetrantur, vel quia minoris curantur. Hoc advertant tum pœnitentes, qui de illis leviter se accusant; tum confessarii, qui de illis vix interrogant. — *V.* Careno, *Delle regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti,* Esami X et XI.

Hinc legimus in Evangelio Christum Dominum Scribas et Pharisæos, qui dicebant nullam habendam esse rationem eorum quæ in corde hominis latent, sic indignanter locutum fuisse (Matth. XXV): *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia; sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.* En quo nos ducunt moderni: ad ætatem Scribarum et Pharisæorum! Progressus mehercule valde præclarus!! Quis non videt doctrinam hanc pullulare ab hæreticorum systemate *sensus,* ut vocant, *privati?* — *V.* Bergier, *Dizionario;* V. *Libertà di coscienza, Tolleranza.* — *Saggio elementare di diritto pubblico ecclesiastico,* vol. I. — Franco, *Risposte popolari alle objezioni più comuni contro la Religione.* — Segur, *Risposte brevi e familiari alle objezioni più diffuse contro la Religione,* § 27. — Spezi, *Conferenze di Religione.*

b) Dices: « Deus fecit hominem liberum in cogitationibus suis, dicente sacra Scriptura: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui.* »

R. Deus fecit hominem liberum in cogitationibus suis, *libertate physica,* concedo; *libertate morali ad malum,* nego. Latum adest discrimen inter unam et aliam libertatem: libertas *physica* in eo sita est, quod hominis voluntas in exercitio facultatum suarum non patiatur violentiam extrinsecam neque intrinsecam; libertas autem *moralis ad malum* consistit in hoc, quod homo careat in actibus suis quacumque lege morali, et sic inculpabiliter (ac ideo sine imputabilitatis periculo) tam cogitare quam agere possit quidquid sibi magis arriserit, et omne *libitum* suum habere *pro licito:* illa *libertatis,* ista autem *licentiæ* vocabulo nuncupatur.

Primam utique Deus homini largitus est, cum eum *constituit et reliquit in manu consilii sui,* ut sic merito et demerito in ejus actibus daretur locus; sed alteram expresse denegavit. Sane ille homini negat hanc libertatem *moralem,* qui eidem imponit morum præcepta et normam agendi, præmia promittens obtemperantibus, et pœnas minitans refragantibus. Ille paterfamilias non dat filiis suis libertatem marte proprio vivendi, qui eis præscribit quæ pro bono domus ordine putat expedire, et contraria vetat; atqui ita se gessit cum homine Deus. Sic enim legitur in eo ipso Scripturæ textu nobis objecto: *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui:* en libertatis *physicæ* concessio; sed cito eidem *adjecit mandata* (dicens): *si volueris mandata servare, conservabunt te:* ecce libertatis *moralis* negatio ad malum. Quis ignorat decem illa gravissima præcepta quæ *Decalogi* nomine tam in Veteri quam in Novo fœdere nobis omnibus a Deo imposita sunt et manu quasi sua in cordibus nostris insculpta?

Si vis ad vitam ingredi (inquit Christus), *serva mandata;... vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Quæ porro moralis ad malum libertas ubi tot leges habentur, tot præcepta gravissima pro recta vivendi norma?

c) Instabis: « Libertas agendi *(libertà di azione)* et libertas cogitandi *(libertà di pensare, libertà di opinione),* valde differunt; esto primam a Deo minime hominibus concessam; sed non idem est de altera dicendum. »

R. Nego utramque propositionem: primo quidem libertas cogitandi et libertas agendi sunt duo *correlata* inter se, ita ut una sine altera nec esse nec concipi possit; radix enim actus vere et proprie humani est in intellectu, quia ex communi adagio *nihil volitum quin præcognitum;* ergo si intellectui conceditur libertas moralis cogitandi, negari non poterit voluntati libertas agendi, nisi impiam, scelestissimam et totius humanæ societatis deletricem hypocrisim inducere velimus. « Se si dà all'uomo la *libertà di opinione,* non gli si può negare la *libertà di azione,* a meno che non si pretenda che l'uomo altro pensi ed altro faccia, che sarebbe un elevare in sistema l'ipocrisia. Se l'uomo è libero di credere che la bestemmia ed il furto sono opere buone, dev'essere anche libero di bestemmiare e di rubare. Se ha la facoltà di pensare e di credere che Dio è una cipolla, un serpente, deve essere libero anche di adorarli pubblicamente. » (Periodico, *Il Piemonte,* anno 1859, 27 luglio.)

Falsa est etiam altera propositio, cum certum sit Deum prohibere, sicuti actiones malas, ita malas ipsas cogitationes: *abominatio Domini cogitationes malæ; — non concupisces rem proximi tui; — cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio; — qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Hæc profecto sunt totidem divina oracula ad nostram instructionem *(Prov.* XXVI; *Deut.* V et XV; *Psal.* X).

d) Dices: ex Jure canonico *cogitationis nemo pœnam* patitur.

R. Cum distinctione: *cogitationis nemo pœnam patitur,* coram homine qui non intuetur cor, transeat; coram Deo, qui est *scrutator cordium et renum Deus,* nego. Hæc est differentia inter legem divinam et legem mundanam, quod lex mundana judicet facta et dicta; divina autem non hæc tantum, sed etiam cogitata. Et ratio hujus discriminis est, quod illa sit per homines, qui judicant ea quæ apparent exterius; sed divina est a Deo, qui interius exteriusque conspicit: ita ratiocinatur Angelicus *(Opusc. de* X *præc.)*

921. Quæres: *an dari possit conscientia invincibiliter erronea in eo qui cupit aliquod patrare malum, puta fornicationem, furtum, judicans per errorem solum desiderium fornicandi, furandi non esse mortale, si ipsa fornicatio, si ipsum furtum non sequatur?*

R. Affirmant uti probabilius Sanchez et Cardenas dicentes, hunc peccare tantum materialiter; quia licet velit malum illum objectum, tamen invincibiliter credit desiderium suum injuriam Deo non irrogare. Hanc opinionem nunquam probabilem censere potui; nunquam intelligere valui, quomodo *qui vult deliberate* actionem exercere, qua scit Deum offendi, possit inculpabiliter credere Deum non offendere, dum efficaciter cupit illam exequi, quam quidem exequendo certe agnoscit averti a Deo.

Sed (dices) *quomodo iste peccabit formaliter illo suo desiderio, si ejus malitiam penitus ignorat?*

R. Quamvis detur quod ignoret malitiam illius actus interni, certo tamen agnoscit malitiam actus externi; si ergo vult illum exequi, jam cognitum uti malum, quomodo a peccato excusabitur? Omnes quidem

ex ipso lumine naturæ dignoscunt, se teneri ad obediendum suo Creatori: quando igitur *quis deliberate vult* agere id quod scit a Deo sibi vetitum, necessario simul agnoscit quod male agit; et quamvis reflexe tunc non peccet, putando solum actum externum esse peccatum; exercite tamen et in facto jam peccat, volens negare Deo, tempore quo cogitat consummare peccatum, debitam obedientiam.

Instabis: *plures rustici ideo non confitentur de his pravis desideriis, quia credunt tunc tantum peccare, cum peccatum externe consummant.*

R. Isti potius falso decipiuntur in credendo, quod non tenentur confiteri peccata quæ non consummant; sed prudens confessarius judicare debet quod, cum consenserunt in peccatum consummandum (etsi non consummaverint), tamen vere et formaliter peccaverunt, voluntate prava se a Deo avertentes. Ex quibus omnibus opinionem contrariam cum aliis doctis recentioribus parum probabilem censeo. Hactenus Liguori, *Opus. Mor.*, l. I, n. 9.

Diximus: *qui vult deliberate;* si enim agatur de desiderio sub conditione *si liceret*, vel de quadam tantummodo velleitate quam qui habet, nollet in praxim deducere, dari talem ignorantiam invincibilem in rudibus contendit Frassinetti in suo *Compendio*, Dissertat. I.

(J) Pag. 582.

922. Ad rem Careno quoad eos qui occasionem ponunt malis cogitationibus *(Delle regole* ecc., Es. XI):

« Si può dare occasione al pensiero cattivo con un atto innocente, o indifferente, per esempio, col conversare moderato o circospetto; col passeggiare e andare per le strade, sebbene s'incontrino oggetti di pericolo alla castità, quando se ne ritiri prontamente lo sguardo; col leggere libri non cattivi, o vedere qualche rappresentazione per sè onesta. Se tutto ciò mi sveglia pensieri immondi, ma col divino ajuto so di resistere, non sono colpevole, perchè ho diritto a quelle azioni indifferenti. Potrei non guardare in faccia a persone di altro sesso; potrei sequestrarmi onninamamente da loro; ma ciò non è che un consiglio. Così praticavano un san Brunone, un san Luigi Gonzaga, ed alcuni altri Santi e Sante; ma essi avevano anche il corredo delle altre virtù, ed era in loro ammirabile ed edificante un tal contegno. Ma se un ecclesiastico, e ancor più un secolare, non avesse quasi altra virtù, che di tenere gli occhi a terra, quando vi sono femmine, sarebbe un'affettazione. Questi Santi tenevano gli occhi a terra; ma i loro pensieri ed affetti erano in cielo.

» Posso dare occasione colpevole alla tentazione, e l'atto mio che vi porge occasione, può essere o leggermente, o gravemente colpevole. Un atto di sfuggevole curiosità, o nel guardare o nell'ascoltare, o nell'interrogare, ben può dipingermi delle turpi immaginazioni; ma so altronde, che se col divino ajuto resisto, non mi fo reo che di colpa veniale. Qualora però un atto per sè leggermente colpevole riuscisse a me un prossimo pericolo di rea compiacenza, attesa la mia fragilità su tale materia, allora sono colpevole di grave peccato per ragione del pericolo prossimo relativo, a cui mi espongo.

» Posso dare occasione gravemente colpevole al pensiero cattivo. Fisso lo sguardo in una donna immodestamente vestita. Dico *fissare:* perchè se fosse un correre d'occhio accidentale, che poi si ritirasse prontamente, non sarebbe il caso nostro: allora diverrei reo di grave

peccato, perchè questa indecente libertà di un guardare fisso è annessa e connessa col prossimo pericolo di rea compiacenza. Fissare l'occhio, e non accendersi il cuore da fuoco impuro, sarebbe quel caso sì raro della polvere di un archibugio, che alle volte piglia fuoco al di fuori sull'acciarino e non si comunica colla polvere al di dentro. »

(K) Pag. 585.

923. Non est negandum, quod adhuc sit speculative loquendo valde probabilis sententia, quam tenent Layman, Lugo, Roncaglia, Frassinetti aliique, qui docent delectationem speciem suam sumere ab objecto dumtaxat in mente repræsentato: ac ideo si quis delectetur de copula cum conjugata ita cognita quidem, sed delectatio non sit *qua conjugata*, sed *qua pulcra*, non committit adulterium; quia tunc circumstantia adulterii ex se non intrat in delectationem. Ad diversitatem desiderii et complacentiæ, quæ in omnium sententia objectum totum, prout in se est, ordinarie absorbent, sese ferendo in illud uti tale. Verum in praxi non recedendum a contraria sententia, ac ideo semper explicandæ sunt quoad delectationem omnes objecti circumstantiæ, quia saltem adest periculum proximum objecto secundum se toti consentiendi; cum vix uno gradu delectatio et desiderium inter se distent. Quia tamen sæpe difficile est obtinere a pœnitentibus, ut circumstantias objecti cogitati aperiant; tunc prudentes confessarii priori opinione innixi, ab importunis interrogationibus abstinent. *Billuart.*

Notandum tamen, quod delectatio sæpe versatur circa objectum generale, v. g., circa fœminam in genere, non cogitando ullam qualitatem: an sit virgo, conjugata, etc.; quo casu non occurrunt speciales circumstantiæ objecti exprimendæ; sed solum simplex committitur peccatum venereum, quantum est ex parte objecti. Ideo si adolescens delectetur de fornicatione mere uti tali cum muliere, non determinando aliquam in particulari aut certæ qualitatis, contrahit malitiam simplicis fornicationis. *Dens.*

(L) Pag. 588.

924. Pœna damnatorum: pœna æterna damnatorum (cujus consideratio saluberrima est justis, ut a peccatis deterreantur; pœnitentibus, ne in illa iterum labuntur; peccatoribus, ut ad pœnitentiam impellantur) est duplex: *damni* et *sensus*. Prima habetur illis verbis: *discedite a me, maledicti.* Secunda illis: *in ignem æternum.* Porro ut habet d. Hieronymus: *in uno igne omnia tormenta sentient damnati in inferno.* Quæ pœna erit damnatorum peccatis proportionata, juxta illud Apoc. XVIII: *quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Quamvis nos lateat quomodo ignis animas cruciare possit, tenent tamen catholici cum Augustino *(De Civ. Dei,* l. XXI, c. 10) revera illum ignem esse materialem; nimis clara sunt verba Deut. XXXII, Job. XX, Is. XXXIII et LXV, Jud. XVI, Matthei X, Lucæ XVI, etc. S. Antoninus diversas refert opiniones hac de re.

Hic referri possunt varii errores eorum qui dixerunt per ignem purgari etiam eos qui in mortali peccato post hanc vitam inveniuntur. Quod de omnibus tam dæmonibus quam pravis hominibus sensisse Ori-

genem refert Epiphanius, etc. Alii non quidem de dæmonibus, sed de omnibus pravis hominibus id dixerunt. Alii non de omnibus hominibus, sed de omnibus baptizatis, etiamsi postea in infidelitate seu hæresi moriantur. Alii de his tantum hominibus qui cum fide Christi etiam mortua decedunt. Alii nec de his omnibus; sed de his qui cum fide habuerunt opera misericordiæ, etiamsi alia habuerint peccata mortalia in quibus mortui fuerunt. Hæc doctrina variis in locis a Theologis impugnatur ut hæretica et aperte fidei contraria. Ita Suarez, *De Sacram.*, p. 2ª, disp. XXXXVII. — V. *Civiltà Cattolica*, ser. 5ª, t. XII: *Il purgatorio dei reprobi*, etc.

925. Q. 1. *Quomodo fieri potest ut per unum lethale, quod plerumque per unicum durat instans vel saltem ad brevissimum tempus, infligat Deus æternam pœnam?*

R. 1. Etiam pro homicidio in instanti patrato humani legislatores damnant reum ad pœnam per se æternam, nempe ad mortem; tamen non queruntur novatores de sævitia pœnæ. Quod si morti damnatus resurrecturus sit, est præter intentionem ipsarum legum.

2. Pactum est æquale; nam etiam contritio perfecta unicum durat instans; attamen ex Apostolo *æternum gaudii pondus operatur in nobis* (II, Corinth. IV).

3. Etiamsi peccatum actuale duret brevi, habituale tamen seu impœnitentia illius durat in æternum; unde in æternum perseverat in audacia offendendi Deum; quare juste potest Deus exigere ab illo æternam pœnam; cum enim æterne in anima damnatorum perseveret, æterne puniendum est. Addunt peccatum mortale habere quandam infinitatem malitiæ ex parte infinitæ personæ quæ offenditur, cum a læso sit mensuranda culpa juxta axioma: *honor est in honorante, injuria in injuriato;* ergo infinite puniendum saltem (si aliter non possit) extensive, nempe quoad durationem.

Neque dicas, quod damnati non habent a Deo auxilium supernaturale ad pœnitentiam agendam; hoc enim sibi imputent, quia voluntarie se projecerunt in hunc statum, et non tenetur Deus subvenire creaturæ rebelli et audaci contra legem suam auxilio supernaturali ideoque indebito. Imo hæc est una ex pœnis debitis peccato, negatio scilicet auxilii ad pœnitentiam. Sane peccator dum dormit, dum est phræneticus aut ebrius, est impotens agendi pœnitentiam; num propterea non poterit Deus illum juste punire? etiam homicida non valet amplius vitæ restituere a se occisum, juste tamen punitur a judicibus.

926. Hanc veritatem vel ipsi ethnici non pauci solo ipso lumine naturali cognoverunt; sic Tullius ajebat: *Justis quidem reditum patere ad supremam felicitatem, improbis vero devium quoddam iter esse, seclusum a concilio Deorum* (L. I, *Tuscul.* quæst.). Imo hæc veritas omnium populorum consensu firmatur, dicente ipso Seneca: *Quum de animorum immortalitate loquimur, non leve momentum apud nos habet consensus hominum timentium inferos* (Epist. CXIV).

« *I cristiani* (diceva il pagano filosofo Celso) *hanno ragione di pensare che coloro i quali vivono santamente, saranno ricompensati dopo morte, e che i cattivi saranno condannati ad eterni tormenti: questo loro sentimento è del resto comune a tutto il mondo.* Dopo Celso de' grandi sforzi si sono fatti per liberarsi dalla credenza dell' inferno, ma senza pro; la verità resta. Un empio di cervello leggero scriveva un bel dì a Voltaire: *Sono riuscito a dimostrare che l' inferno non esiste;* gli rispose Voltaire: *Gran fortuna è la vostra! io ne sono molto lontano.* » Ita Opusc. *Il diavolo esiste egli?* c. IV. — « Virgilio (ad rem item Causette, Sermone: *De inferno)*, danna Prometeo ad una pena eterna, sotto

il rostro di un avvoltojo, che non si sazia mai. Platone condanna lo scellerato ad una eternità dolorosa. Celso dichiara questa credenza comune ai pagani ed ai cristiani. Lucrezio non si piglia il carico di formare la felicità del mondo, se non allorquando sarà passato in codice universale questo articolo di fede. Finalmente Voltaire medesimo è costretto di proclamar questo domma un'opinione di tutti i tempi e di tutti i paesi....

» Certamente che v'ha, se volete, dell'infinito nella pena del riprovato; ma vi aveva pur l'infinito nella Redenzione ch'egli calpestava, l'infinito nel Cielo ch'egli dispregiò, l'infinito nell'assoluzione ch'egli ricevette, l'infinito finalmente in tutti i Sacramenti ch'egli profanò. Ora, aggiungete tutti questi infiniti da un lato, mettete dall'altro l'infinito della pena, e ditemi chi li vincerà, se la giustizia o la bontà? Non si vogliono lacerare i dommi discutendoli, perocchè l'è un attentato contro la verità: prendete la verità della pena nel suo mezzo naturale, vale a dire in faccia della Redenzione e dell'Eucaristia, e ditemi ciò che è assorbito, se la giustizia o la bontà? No: la bontà non è assorbita. È vero che Dio creò l'inferno; ma questa creazione, il dico sulla fede di un Santo, fu un atto di amore perchè era nell'intenzione di preservarvi dal male. Un giorno la tentazione vi sorrise: voi avete detto a Dio col peccato mortale: *Ritirati!* Dio se ne andò; da poi quel momento non fu scagliato colpo di tuono all'anima vostra per toccarla. No: solamente la morte giunse, e quel giorno Dio non era con voi, e pel solo fatto, fu l'inferno: a tal che l'inferno non è altro che il peccato mortale continuato sino alla morte, e che per conseguenza, alla morte, non è più imputabile a Dio del peccato di tutti i giorni, che voi non fate alcun pensiero di imputargli. » Hæc autem est doctrina Gregorii M. Lib. IV, *Dialog.* c. 44, et Angelici, 1. 2, q. 87, a. 3. Quæ quidem ipso hæretico Læibnitio in suo *Systh. Theol.* adeo vera visa fuit, ut scripserit: *Quotiescunque anima a corpore descedens in actu est peccati mortalis, adeoque male affecta erga Deum, sponte quadam sua (quemadmodum pondus semel abruptum, neque ab externa causa denuo retentum atque exceptum) in exitii baratrum delabitur, atque a Deo abalienata sibi ipsi damnationem irrogat.*

V. Lacordaire, *Conferenza* LXXII. — Nicolas. *Studi filosofici intorno al Cristianesimo*, vol. III, in fine, Opus a Pio IX benigne acceptum. — Rusca, *De inferno et statu dæmonum ante mundi exitium*, libri quinque, in quibus tartarea civitas, paratorum ibi cruciatuum genera, ethnicorum etiam de his opiniones. etc., varia eruditione describuntur. Mediolani, 1621. — Patuzzi, *De futuro impiorum statu.* — Liguori, *Dissertazioni Teologico Morali*, Dissertaz. VIII; it. *Verità della fede*, p. II, c. 19; it. *Breve dissertazione contro gli errori dei moderni increduli.* — — Passaglia, *De æternitate pœnarum, deque igne inferni.* — Martinet, *Soluzione de' gran problemi;* it. *Institutiones Theol.*, vol. III. — Ventura, *La Ragione filosofica e la Ragione cattolica*, Confer. XXI: *Eternità delle pene.* — Segur, *Risposte brevi e familiari* ecc., § 31. — Ferraris; *V. Infernus.*

927. Q. 2. *Cum anima possit separari a corpore in gratia, sed cum culpa veniali, quomodo tollitur istud veniale peccatum?*

R. Sunt qui docent peccata venialia paullatim et successive remitti per pœnam ignis purgatorii; et pro talibus sic morientibus non potest illico tota plenaria indulgentia applicari, quia, nondum culpa remissa, remittitur pœna. Sed hæc sententia Medinæ et Gabrielis non est recepta; quia solutione pœnæ reatus quidem tollitur, non culpæ. Alii cum Soto docent veniale in purgatorio remitti non per solam pœnam,

sed et per actus bonos quos tunc anima exercet, præsertim per voluntariam acceptationem et patientiam in tolleranda illa pœna. Sed hoc quoque rejicitur; quia animæ purgantes sunt extra statum merendi.

Communis evasit sententia Angelici, qui docet venialia in morte ipsa remitti virtute meritorum præcedentium; quod sic probat: *Causa impedibilis dum est impedita, non ponit effectum; dum vero non est impedita ponit; sed merita istius morientis in charitate, essent causa sufficiens deletionis venialium istius vel relata ab ipso, vel a Deo acceptante in ordine ad istud. Sunt autem impedita dum iste vivit, si semper actu manet in peccato veniali; post mortem vero tunc non sunt impedita, quia tunc non contrahit actum peccati venialis; igitur per illa delebuntur venialia post hanc vitam, hoc est in instanti separationis animæ. Ex quibus inferuntur duo:* 1) *quod in instanti mortis remittuntur venialia, quia tunc non manet actus peccati venialis, et per consequens tunc cessat impedimentum;* 2) *quod omne peccatum veniale morientis in charitate, remittitur in hac vita, nisi ille continuet actum peccati venialis usque ad mortem vel ad instans mortis.* Ita in 4. dist. 12, q. 1; et q. 7 *de malo*, n. 16. — *V.* Suarez, *De Pœnitentia.* — Frassen, *De Pœnitentia.* — Liguori, *Opera Dogmatica: Del purgatorio.*

928. Q. 3. *An pœna temporalis debita venialibus in hac vita non remissis quoad culpam, fiat æterna in damnatis ratione illorum status?*

R. Flatel, Scotus, Navarrus negant; quia veniale quod de se non est dignum pœna æterna, non est ratio quod dignum fiat propter conjunctionem cum mortali, quia per hoc non mutatur ejus natura aut vis demeritoria. Adde: ad extinguendum debitum pœnæ non requiritur status gratiæ nec ullus Dei favor, sed sufficit ut pœna ab ipso decreta solvatur. Verum communiter affirmant cum d. Thoma, d. Bonaventura, Suarez, Cajetano, Valentia, Paludano, etc. Sane si veniale in hac vita non fuit remissum quoad culpam, illud nunquam in inferno potest tolli, quia nullum est medium quo tollatur, cum ibi nullus actus bonus, quo veniale peccatum retractetur, esse possit; at durante culpa, durat et meritum pœnæ. Utique veniale per se non est dignum pœna æterna; sed fit tale per accidens, quatenus damnatus constituitur in statu in quo non potest amplius expellere culpam venialem, ideoque neque solvere ejus pœnam. *V.* Angelicus, in 4, diss. 22, a. 1, ad 5. — Suarez, *De Pœnitentia*, diss. XI, q. 87, art. 2, sect. 2.

Peccatum veniale probabilius (docet d. Thomas, 3 p. q. 86, a. 4) remitti nequit, non remisso mortali conjuncto; quia quæcunque remissio culpæ fundatur in amicitia Dei et gratia sanctificante: inde consequitur, quod in damnatis culpa venialis, in qua mortui sunt, perseveret in æternum. Practice interim certum est, nullum posse sacramentaliter absolvi ab uno veniali, manente culpa mortali, ob incompatibilitatem gratiæ sanctificantis cum peccato mortali; etsi possit peccator deponere affectum unius peccati et manere in affectu alterius peccati. *Dens.*

(M) Pag. 596.

929. Q. *Quotupliciter ex vanægloriæ cupiditate peccari potest?*

R. Dupliciter ex d. Thoma: directe et indirecte (2, 2, q. 132, a. 3):

1. *Directe* peccatur tam verbis, quam factis. *Verbis*, dum quis inordinate de se ipso prædicat, quod laudem et gloriam sibi comparet. Hæc dicitur jactantia, et est mortalis, si cedat in grave proximi damnum, aut in gravem Dei injuriam, aut sit de rebus graviter malis;

nam approbatio operis eandem cum illo speciem induit. *Factis* vero, dum quis agit res novas et peregrinas ad laudem sibi comparandam: et dicitur *inventio novitatum*, quæ si ad mores corrumpendos confert, erit mortalis; si in nullius damnum vergat, erit venialis.

Ad hanc refertur *hypocrisis*, qua nempe quis simulat sanctitatem quam non habet: erit saltem peccatum veniale, cum sit mendacium facti, mortale, si eidem conjungatur *vel* contemptus virtutis, *vel* grave proximi damnum, *vel* si ad finem graviter malum dirigatur: ut siquis sanctitatem simulet ad proximum in re gravi decipiendum, ad Beneficium acquirendum, etc. (*V.* Stapf, § 109) — Hinc versus:

Si jactes tua facta; velis novus esse videri.

2. Indirecte *peccatur*, dum nempe quis alteri non vult nec esse, nec inferior videri. Huc spectant:

1° *Pertinacia intellectus*, qua quis mordicus adhæret propriæ opinioni: erit mortalis si oppugnetur veritas magni momenti, vel si grave proximo damnum obveniat, ut si medicus cum gravi ægroti periculo firmus maneat in sententia propria.

2° *Discordia* seu *dissentio voluntatis*, nempe voluntatum contrarietas in rebus illis præsertim, in quibus oportet nos esse concordes. Hæc licet sit venialis ex levitate materiæ, ex genere tamen suo est mortalis, quia directe opponitur charitati, cujus defectus a regno Dei excludit. Quod si tenemur quidem consentire, non tamen ex charitate, sed ex alia virtute, et dissentimus, tunc dissentio nostra non est contra charitatem, sed contra aliam virtutem: sic dissentire a voluntate superioris præcipientis, erit contra *obedientiam*.

Diximus *voluntatis;* nam charitas subsistit in discordia intellectus, sive in discrepantia opinionum, quarum usus licet, ut fuit dissensio inter Paulum et Barnabam (Act. v); *nam concordia quæ est charitatis effectus, est unio voluntatum, non unio opinionum* (Angelicus, 2, 2, q. 37, a. 1). Et plures hujusmodi dissentiones refert Benedictus XIV, Bulla *Postquam*, 1 julii 1748, et *De Canoniz. SS.*, l. II, capp. 41 et 42, ut inter sanctos Siricium et Paulinum ob non servata temporum interstitia, inter ss. Hieronymum et Augustinum circa alicujus textus scripturalis intelligentiam; inter ss. Willelmum et Bernardum, unus enim alium intrusum dicebat; inter ss. Leonem M. et Hilarium Arelatensem circa cujusdam depositionem; inter ss. Epiphanium et Chrysostomum ob modum agendi cum Origenistis; etc. *Nihil tamen* (concludit laudatus Pontifex in Bulla, § 84) *illustrium Virorum virtuti ac probitati quidquam inde decedit; aliud namque est simultates intercedere, aliud controversias excitare: illud charitatem infingit ac in odium erumpit; hoc in sola opinionum dissensione versatur, quæ voluntates non dissociat, cum ingenia committit.* At non dissimulandum, non raro in hisce opinionum dissensionibus charitatem infringi, quia modus non servatur, vel contra adversarium victoria quæritur, non vero ipsa veritas.

3. *Contentio* est *pugna verborum*, impugnatio nempe veritatis cum altercatione verborum. Hæc pariter mortalis erit aut venialis, prout grave aut leve Dei honori et bono proximi damnum infertur.

4. *Inobedientia*, qua quis nempe ex contemptu exequi recusat illud, quod ex præcepto debet. — Unde versus:

Durities mentis, cordis discordia, et oris
Jurgia; mandatis nolles abesse probis.

930. De vanagloria habet d. Bernardus in Ps. xc: *Ambitio est malum subtile, secretum virus, doli artifex, virtutum ærugo, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languores.* Cujus quidem ex d. Chrysostomo (Hom. *in Matth.* xv) *ratio est, quia omne malum a malo nascitur; vana autem gloria de bono procedit; et ideo non extinguitur per bonum, sed magis nutritur.* Ex quo patet in extirpando hoc vitio quanta sollicitudine opus sit.

V. Liguori, *Opus Mor.*, l. v, n. 66. — Descuret, *La medicina delle passioni*, art. *Superbia ed ambizione*, ubi plura exempla ponit (non omnia tamen, quæ leguntur in hoc libro, probamus).

(N) Pag. 617.

931. Ignorantia circa luxuriam: cum ea quæ honestatem respiciunt sint per se nota et a synderesi dictata, contendunt vix dari ignorantiam invincibilem in actibus turpibus qui illam lædunt, idque magis si agatur de peccato externe consummato. Unde qui peccata sua pluries confessus, crimen hoc reticuisset, et diceret se id ex ignorantia peccati fecisse, non de facili meretur fidem, sed potius videtur teneri ad iterandas Confessiones; si enim eum interroges, videbis homines ac lucem semper defugisse ad turpitudinem illam consummandam: quod satis probat, ignorantiam illam vere vincibilem fuisse. *Continuator Tournely.*

Dices: *non valet ratio, ideo ipsum reum esse, quia se occultavit; nam homines ab omnium conspectu se subducunt quando res est de mingendo vel alveo evacuando: quæ mala non sunt, sed naturæ necessitates.*

R. Non tenet illa allata paritas: in secundo enim casu quisque interrogatus non refugit honestis verbis indicare, se in tenebris occultasse ad mingendum vel ventrem exonerandum. At numquid iste eadem facilitate aperiet, se homines et lucem fugisse ad pollutionem procurandam? Hinc Stapf: *Quamvis cum pueris delinquentibus generatim non sit instituenda tam severa imputatio, cum ejusmodi homunculi adhuc dum solo fere sensu ac phantasia ducantur; plerumque tamen hæc judicii mitigatio tunc exceptionem patitur, ubi ab hac ætate graviter contra pudorem peccatur. Nam ejusmodi pueri puellæque perbene sciunt tales spurcitias sub gravi prohiberi: tum vero innatus pudor vehementer reclamitat, et in plerisque qui ab ignorantia vel aliena seductione excusationem non merentur, multa animi perversitas detegitur.* Hic etiam gravissimum monitum pro parentibus sit, nempe sedulo curare debent, ne una simul pueros puellasque ad animalium custodiam mittant; desides enim et otiosi cum sint, non raro evenit, ut talibus indulgeant, quæ vel tunc vel postea in apertas turpitudines erumpent. Qua in re a Parochis ipsis est maxime invigilandum.

Supradicta tamen doctrina non ab omnibus ita probatur; si enim in spirituali directione peritos interroges, habebis non raro forsan aliquos adesse, maxime pueros, qui saltem ad tempus (habita ratione capacitatis, indolis, educationis, etc.), laborant invincibili circa mollitiei malitiam ignorantia. Hinc monet Parochum Frassinetti (*Manuale pratico del Parroco novello*, n. 395): « di non insegnare quella severa dottrina che pretende in materia turpe non darsi ignoranza invincibile, e che perciò se alcuno avesse peccato d'immodestia nella sua adolescenza senza conoscerne la malizia, venutone in cognizione, sia tosto obbligato a confessarne, e che altrimenti fa sacrilegio. A chi

pensa che i fanciulli si tengano più che è possibile all'oscuro sulla malizia di questo peccato, e che si vorrebbe ne ignorassero persino l'esistenza, dovrà parere molto strana questa opinione. Se i fanciulli infatti dovessero ad ogni costo conoscere la malizia della disonestà da dover peccare assolutamente e gravemente ogni volta che commettono azioni indecenti, vorrebbe la carità, vorrebbe la giustizia, che si istruissero sollecitamente su questa materia, che loro si dessero tutti gli avvisi opportuni, che si mettessero su tutte le avvertenze per prevenirne i peccati.

» Che se si opponga essere i fanciulli bastantemente avvisati, dalla malizia di quelle azioni, dalla verecondia che loro cagionano, di modo che non vorrebbero commetterle alla vista delle persone; per disciogliere così frivola difficoltà basterà osservare che altre azioni innocue, quali sono quelle di soddisfare ai bisogni naturali, sono accompagnate da verecondia. È poi un fatto che i buoni giovinetti dell'uno e dell'altro sesso, i quali per ignoranza commettono azioni immodeste, messi sull'avvertenza da qualche Istruzione sentita, o da qualche avviso loro dato, subito che conoscano essere quelle azioni peccaminose, se ne emendano perfettamente, facendosi anche quello sforzo straordinario che si richiede per resistere al prepotente impulso dell'abito contratto. Or sarebbe da credere che questi giovinetti così ben disposti per emendarsi al primo avviso, se morissero prima che lor fosse dato, andrebbero dannati? e dovrebbero andar dannati infallibilmente, se non si desse quell'ignoranza invincibile.....

» Che se nonostante al Parroco rigoroso restasse ancora qualche scrupolo, facilmente lo dimetterà pensando, che s. Alfonso de' Liguori non dubitò d'insegnare alle stesse monache la dottrina contraria. Ecco le sue parole: *Parlando di leggerezze o sieno burle immodeste fatte in tempo di fanciullezza, ma senza cognizione della loro malizia, non v'è obbligo di confessarle. Ned è argomento certo della malizia il pensare che siensi fatte di nascosto; perchè certi atti naturali anche da' fanciulli si fanno di nascosto; con tutto ciò non sono peccati. Onde di tali cose non siam tenuti a confessarci particolarmente, se non quando ci ricordiamo di averle commesse con coscienza di colpa grave, o almeno con dubbio che fossero colpe gravi* (Monaca Santa, c. XVIII, n. 14). Per il che, secondo la dottrina del Santo, ancorchè il giovinetto o la fanciulla avessero conosciuto che quelle azioni erano colpevoli; se però le avessero creduto leggerezze e burle che non eccedessero il peccato veniale, nemmeno in questo caso sarebbero obbligati a confessarle, quando poi crescendo nel giudizio venissero in cognizione della loro gravità. » Hoc etiam urget in suo *Compendio Theologiæ*. Attamen notandum est, quod s. Alphonsus loquitur de quibusdam tantum levitatibus immodestis, non autem de actibus aperte turpibus; ideo illius auctoritas non ita urgeri potest.

Parvitas materiæ in luxuria: « Observandum est (ait Frassinetti, *Compendio* ecc., nota 56) hucusque non posse evidenter demonstrari quod absolute non detur hæc parvitas materiæ: hinc pluribus Theologis illam dari visum est; nec Ecclesia contrariam sententiam aliqua definitione sancivit. Negari interim non potest plures reperiri homines qui aliquando levissime se complacent de tactu manus fœminæ, brachii, etc., etsi cum aliqua delectatione carnali hoc faciant: qui homines persuasum habent, has complacentias levissima esse peccata et paradoxum reputarent contrariam sententiam... »

Verum est quod non sit hæc opinio damnata; at contraria est probabilissima et communissima, quæ docet cum Viva non solum oscula

esse graviter peccaminosa si deliberate fiant ob carnalem delectationem, quæ ex osculis oritur, etiam secluso periculo ulterioris consensus et pollutionis, ut constat ex propositione 40 damnata ab Alexandro VII; sed etiam amplexus, tactus et verba amatoria proxime ad eandem delectationem provocativa, si deliberate quæsita inter personas quæ mutuo non sint matrimonii vinculo copulati. Imo sententia contraria nobis videtur satis vulnerata a declaratione Sacræ Romanæ Inquisitionis confirmata a Benedicto XIV Bulla *Sacramentum;* nam in propositione secunda legitur: *cum in rebus venereis non detur gravitas materiæ* etc. *V.* De Pœnitentia, ubi *de sollicitat.* in adnotationibus. — Cozza, *Dubia selecta circa sollicitationem;* dub. III.

932 Fornicatio: fornicatio fidelis cum infideli, cum hebræa aut mahumetana, in communi sententia longe gravior est; quam cum catholica. Imo hæc infidelitatis circumstantia (ex Continuatore Tournely) speciem mutat; quia sicut ab Ecclesia nubere prohibitum est christianis cum infideli in honorem catholicæ fidei et ad removendum perversionis periculum; ita eadem de causa prohibita censetur ab Ecclesia quævis copula cum infideli, quæ semper vergit in dedecus Religionis: ideo non est solum contra castitatem, sed etiam contra Religionis virtutem. Hanc tamen specialem circumstantiam mortalem esse alii negant.

933. Concubinatus: Jure civili concubinatus tunc tantum putatur, quando concubinarii habitant eandem domum. Non ita tamen Jure canonico. uti constat ex stylo Curiæ Romanæ, et ex Tridentino, sess. XXIV, c. 8 *(vide* Salmanticenses, tract. XXVI, c. 2). Concubinatus idem est ac *simul cubitum ire;* fornicatio vero deducta est a verbo *fornicor*, sumpta denominatione ab eo, quod meretrices in fornicibus, hoc est locis concameratis seu ad modum arcus fabricatis, honestatem nundinabantur. Nomen *concubinæ* non semper in malo sensu usurpatur: in veteri Lege hoc nomine (tunc permissa uxorum pluralitate) vocabatur uxor secundaria, quæ honorem et domus administrationem non habebat. — *V.* Veith, *Scriptura sacra contra incredulos vindicata;* expositio *in Job.*

934. Sodomia: perfecta est sodomia in quacunque parte corporis fiat congressus, quia ordinarie semper tunc adest affectus ad indebitum sexum. Ideo non est opus explicare in Confessione, an pollutio fuerit intra vel extra vas præposterum; quamvis ad incurrendam reservationem requiratur seminatio intra vas, ut ait p. Mazzota.

« Pollutio habita tangendo puerum vel mulierem dormientem, absque concubitu sive conjunctione corporum, non habet nisi simplicis pollutionis malitiam, ut probabilius dicunt Salmanticenses, Cajetanus, Azor, Bonacina, etc. Item qui polluitur tactibus alienis, jam dupliciter peccat cooperando peccato alterius; non tenetur tamen explicare, an tactibus maris vel fœminæ, nisi ista habeat virum aut votum castitatis. » Liguori, *Homo Apost.*, tract. IX, nn. 24 et 25.

Hic notandum etiam: « Non refert in quo vase coeant masculi aut fœminæ inter se, vel in anteriori vel in posteriori, vel in alia corporis parte; cum malitia sodomiæ in affectum ad sexum indebitum consistat, atque in genere suo completa sit, dum fit applicatio membri genitalis ad partem corporis ejusdem sexus per modum concubitus. Si autem fieret tantum applicatio manus, pedis vel oris ad partes genitales alterius, etsi pollutio ex utraque parte sequatur, non reputaretur tamen sodomia; quia non esset concubitus. »

935. Bestialitas: tactus impudici cum bestia, licet proprie non sint peccata bestialitatis, tamen habent aliquam specialem turpitudi-

nem, uti ait Elbel, saltem venialem. De bestialitate caute, sed semper interrogandi libidini multum dediti; quia plures istorum æstimant illud sufficienter pollutione declarari. Aliunde quot inveniuntur qui cum illud semel aut iterum commiserint (forsan solum in prima adolescentia et potius ex quadam puerili, quam ex vehementi libidine) de illo diutissime in Confessione taceant! — *V. Examen raisonné.* — Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 475.

936. Congressus cum dæmone: hic congressus, ajunt communissime, reducitur ad bestialitatem; nam est congressus cum individuo alterius speciei, in quo est malitia bestialitatis. Imo est etiam culpa superstitionis, quia est societas cum dæmone. Imo habetur etiam malitia fornicationis aut sodomiæ affectivæ, si dæmon appareat in forma pueri aut mulieris; et etiam adulterii aut incestus, si quis delectetur de coitu cum dæmone uti cum parente vel conjugata. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. IX, n. 28.

937. Turpia verba: quoad hæc verba proferentem audiatur Stapf, § 310: « Qui turpia proferre amat, hoc ipso depravatum animum et immunditiam cordis testatur, quandoquidem *ex abundantia cordis os loquitur* (Matth. XII). Tum vero in semetipso non minus quam in aliis sensum pudoris hoc firmissimum integritatis munimen subvertit ac destruit: unde irrumpenti libidini jam facilis accessus panditur. Denique neminem latere potest quot scandala inde oriantur, dum per hujusmodi verba salacia phantasia turpissimas imagines concipit, stimulus venereus irritatur, et nefandorum flagitiorum horror sensim abstergitur. Præsertim res est luctuosissima, si juventus adhuc incorrupta talia auribus usurpet, sicque pudendas illecebras, quas hucusque feliciter nescivit, pessime edocetur. Quamobrem jubet Apostolus: *omnis immunditia nec nominetur in nobis, sicut decet Sanctos; aut turpitudo aut stultiloquium aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet* (Eph. V). »

938. Theatra: quoad theatra observandum, quod aliquando scenici ludi rure obtinent, et ab ipsis rudibus instituentur vel ad ipsum divinum cultum augendum. De his habet Stapf, § 318: *Equidem hucusque nonnisi spectacula religiosa, et insuper non de nocte, sed tempore pomeridiano edi consueverunt. Sed præterquamquod per hæc spectacula tum in ipso loco, tum in vicinia cultus divinus et christiana institutio multum defraudentur, tot etiam abusus, et morum corruptelæ inde resultant, ut Pastores animarum de illis nonnisi dolere possint. Etenim* actores ipsi *exinde vanæ ostentationi, petulantiæ, ebrietati, aliisque vitiis assuefiunt; ex numero autem* spectantium *plurimi hac occasione corrumpuntur, dum præcipue utriusque sexus juventus liberius sibi indulget, finita comœdia ad tabernam divertit, et tum ibidem tum in reditu plurimis peccandi periculis exponitur.* Videat tamen Parochus, ne obstando majora provocet mala: curet, si fieri possit, ut partes fœminarum excludantur, et nullus vir veste fœminea utatur.

939. Remedia contra luxuriam: remedia in genere sunt *fervens oratio, frequens Confessio, otii, mollitiei* ac *periculorum fuga.* Specialia autem hæc compendiose adnotamus cum Dens inspiciendo ejus radicem et causam:

1. Si peccata, sensationes et commotiones carnales oriantur ex causa externa, uti sunt consortium, alloquium, visus vel aspectus, tactus, deliciæ, otium, nimius somnus, lecti mollities aut calor, locus, persona aliqua, lectio librorum, specialis vel nimius cibus, potus, etc., remedium promptum et aptum est omnino abrumpere illas causas, sive occasiones. Rigor adhibeatur.

2. Si carnales tentationes proveniant ex causa interna, ex lubrica complexione naturali, passione concupiscentiæ dominante, vel pruritu carnis, ex abundantia seminis, spirituum et humorum; remedium afferunt maceratio carnis, abstinentiæ, jejunia, fames, sitis, frigus, sensuum pœnalitates, vigiliæ, surgere e lecto, non decumbere super dorsum sed in latere, manibus super pectus in modum crucis, etc.

3. Si tentationes carnis exurgant ex incidentibus cogitationibus impudicis, ex phantasia, imaginatione, vel ex memoria recurrente, aut a diabolo immundo; congrua remedia sunt oratio ad Deum, invocatio B. Virginis, Angeli custodis, etc.; meditatio passionis Christi, præsentiæ Dei, quatuor Novissimorum; item mentem et corpus intense applicare ad alia objecta et negotia, etsi temporalia; sic enim clavis clavo pellitur. — *V.* Frassinetti, *Compendio della Theologia* ecc. nota 59 : *De rigore necessario.*

940. Loquendo specialissime *De pollutione*, nullum vitium est tam forsan emendatu difficilius et tam noxium sub omni respectu juvenibus et præsertim masculis, quam habitus se polluendi. Etenim prava hac consuetudine deprehensi obdurantur, hebetantur, virtutes fastidiunt, Religionem contemnunt; eorum indoles fit tristis, fortitudinis incapax, nullius propositi tenax: vires corporis deficiunt, graves nascuntur infirmitates, advenit caducitas præmatura, et sæpe mors ignominiosa; medicis et esperientia quotidiana testibus. Invigilent genitores, prudenter invigilent collegiorum institutores, educatores; hoc peccatum contagiosum est, et si semel radices egerit, difficile eradicatur. — *V.* Tissot, *L'onanismo* ovvero *Avvertimento al popolo sopra le malattie cagionate dalle polluzioni volontarie;* — Debreyne, *Essai sur la Théologie morale; Il maestro della solitudine* ossia *breve saggio dei gravi danni che esercita sull'uman genere;* Marietti, Torino; — *L'amico segreto dei giovinetti.* Firenze, 1864.

Præ ceteris autem studeant confessarii eos, qui sibi creduntur, adversus tanta mala præmunire, vel ab infami habitu jam contracto retrahere. Execrandus *masturbationis* habitus, si inveteratus sit, confessarios in quandam disperationem conjicit; nam si (pœnitentes) *severius* tractentur, timendum est, ne deinceps non redeant et pejores fiant; si *nimia indulgentia* suscipiantur, in cœno vitii torpentes manebunt. Summa igitur prudentia magnoque zelo curare oportet, ut infelices isti pœnitentes ad sacrum Pœnitentiæ tribunal sæpe, v. g., singulis hebdomadis accedant, de culpis admissis doleant, et propositum amplius non peccandi frequenter renovent, orent, orent et iterum orent; frequenter et semper sincere confiteantur, nullum siquidem remedium validius est, quam sæpe confiteri, si credere est Philippo Nerio, b. Leonardo, etc. S. Alphonsus *(Praxis*, n. 77) docet eos, qui hoc remedio non utuntur, emendationem sperare non posse, nisi per miraculum.

Liber autem *Il Sacerdote santificato*, n. 94 habet: « Rimirate pur con buona speranza per valide quelle Confessioni, dopo cui il penitente ha diminuito notabilmente le colpe, ancorchè sia poi ricaduto. Altrimenti questo sarebbe un confondere il frutto di una sola Confessione col frutto di molte, come chi non volesse distinguere il vantaggio di un buon rimedio preso una sol volta, dal vantaggio del medesimo preso a lungo tempo. Come adunque si dice efficace quella medicina, che presa oggi arresta di fatti e leva la febbre, benchè ritorni dopo qualche giorno; e il levarla costantemente è riservato alla continuazione del rimedio, che oltre la febbre leva i cattivi umori, che tornerebbero a generarla di nuovo; così Dio non ha dato a ciascuna Confessione una forza illimitata per ogni maniera di effetto.

Ogni Confessione ben fatta leva il reato di tutte le colpe accusate con buon dolore, ma non leva tutte le loro reliquie, la debolezza e proclività a ricadere; diminuisce, ma non doma del tutto la forza del mal abito. Questo ulterior effetto è riserbato, dal corso ordinario della presente provvidenza, alla sola continuazione delle Confessioni, che a poco appoco purgano anche dalle reliquie del peccato, e fortificano così, che poi dura costante e soda la sanità dell'anima. E per questo *il Rituale Romano* suggerisce per rimedio specifico ai recidivi la frequenza dei Sacramenti; e tutti i Santi e Maestri di spirito convengono ad inculcarla. » — *V.* Stapf, *Theol. Mor.*, § CCCXII; — Gousset, *Giustificazioni della Theol. di s. Alfonso*, c. IX; — P. Ventura, *Le donne del Vangelo:* Appendice all'Omelia: *La donna malata* o *la pietà: Il rimedio contro il vizio della carne*, ubi maxime commendatur etiam frequens Eucharistiæ susceptio: omnium maxime cœlesti hoc robore indiget juventus quæ, sui incuria, et ætatis suæ levitate simul et ardore lapsui est adeo propinqua.

941. Hic venit etiam summopere juvenibus commendanda devotio erga angelicum juvenem Aloysium Gonzagam, quem Benedictus XIII Sanctorum fastis adscripsit, atque innocentiæ et castitatis exemplar simul et patronum studiosæ præsertim juventuti dedit. Qua in re cumulatissime faciet notissima oratio: *O Luigi santo* etc., pro qua Pius VII et partiales et plenarias Indulgentias concessit. — Item extollenda maxime pro studiosis juvenibus devotio erga s. Thomam, qui fortiter dimicans ad tuendam suam puritatem, meruit sacro cingulo ab Angelis constringi, quo perpetuæ virginitatis gratia donatus fuit. Hinc nata devotio, et sub nomine *Militiæ angelicæ* instituta de hoc sacro cingulo pia societas, quam Pontifices Indulgentiis cumularunt. V. *Il giglio della purità conservato con vari mezzi, e specialmente con la divozione del sacro Cingolo dell'Angelico Dottore san Tommaso d'Aquino.*

Juverit etiam terrefacere impudicos periculo damnationis: etenim vitium turpe cor indurat; cor autem durum male habebit in novissimo; vide *I Comandamenti della Legge di Dio illustrati da esempi;* Modena, 1861; ubi inter ceteros hic enarratur casus: « Un gentiluomo spagnuolo dopo essere stato schiavo del demonio d'impurità, fu colpito da mortale malattia. Invano si tentò persuaderlo a lavare le sue colpe nell'acque salutari della Penitenza: il solo nome di Confessione gli tornava insopportabile. S. Francesco Borgia, che era allora in Ispagna, venuto in chiaro di quest'ostinazione, si prostra dinanzi a un Crocifisso, e colle lagrime agli occhi prega il Salvatore a non lasciar perire un'anima da lui riscattata col prezzo di tutto il suo Sangue. Qual prodigio! ascolta una voce, che gli dice: *Va, Francesco, a trovare questo ammalato, ed esortalo a penitenza.* Il Santo va, ma inutili sforzi! il malato già presso a morte non vuole che gli si parli di Confessione. Francesco si ritira, e novellamente prostrato dinanzi al Salvatore crocifisso, lo scongiura pel suo sangue e per la sua morte ad ammollir questo cuore indurito. La stessa voce gli ripete: *Ritorna all'ammalato e porta con te il Crocifisso: egli è certamente risoluto di perdersi, se non si converte alla vista di un Dio che lo ha amato fino alla morte, e morte di croce!* Ah mio Salvatore, qual misericordia non è la Tua nell'offrire ancora il perdono ad un peccatore che incanutì nel delitto! Ah peccatore, qual non è la tua ostinazione, se non ti rendi agli amorosi inviti del tuo Dio! Ei ciò nullameno ricusa di arrendersi. Francesco gli mostra il suo Crocifisso, che per un portento parve di repente coperto di piaghe e di sangue: inutili tocchi della grazia! Il Santo impiega tutto l'affetto del suo zelo e della sua carità;

lo abbraccia, lo scongiura per le piaghe di Gesù crocifisso, e pel sangue onde lo vede coperto, ad aver pietà della sua anima. Ma egli è più insensibile dei massi che sfasciaronsi allo scorrere di questo sangue sul Calvario, e muore bestemmiando e rinnegando il suo Creatore. Si può immaginare cosa più funesta e più terribile? » *Dal processo di canonizzazione di san Francesco Borgia.*

(O) Pag. 621.

942. Si quis advertenter sumat tantum vini potionem, quæ sit apta ad se inebriandum, non excusabitur a mortali, etiamsi antequam sensibus destituatur, somno se tradat et vini effectum effugiat. Tunc enim potio illa jam de se est intrinsece mala; cum de se apta sit ad privandum hominem usu rationis, et non sit nisi per accidens, quod ipse per somnum sensibus destituatur. — Idem est dicendum, si non statim privatio usus rationis sit eventura, sed post unam vel alteram horam, cum nempe vini potator ad aerem prodibit; nam semper haberetur causa deliberate posita. — Item peccant graviter, qui diu noctuque potantes ebrietatis periculo se exponunt: vel si multum bibentes alios ad æquales haustus provocant cum præviso ebrietatis periculo; vel si experti sint se inebriari in illis consortiis, tamen adhuc in iis versantur. — Item qui prætextu patrii moris, aut boni effectus convivas urgent ac quasi ad bibendum necessitant cum ebrietatis periculo; secus si tantum liberalior potus offeratur. — *V.* Liguori, *Opus Moralis* l. v, n. 78.

Quod dictum est de vino, paritate rationis valet de alio liquore inebrianti: cum deformitas sistat in amissione usus rationis.

943. Consectaria et remedia ebrietatis: vitium hoc præ reliquis formidandum est, quod præter dissipationem bonorum, plerunque etiam officiorum neglectum, complura scandala, et sat numerosam catervam peccatorum pedissequam habere soleat, et quod in diram consuetudinem abeat, quæ semel contracta ægerrime corrigitur. Hinc d. Hieronymus hominem ebriosum non solum mortuum, sed etiam sepultum dicit. Et plerunque aliud remedium non restat, quam ut per longius tempus ab omni potu inebriante prorsus abstineant; si enim dulci huic veneno labia denuo admovent, omnium propositorum immemores se iterum concitato naturæ pruritui permittunt. Sunt etiam omnino prohibendi ab ingressu cauponarum. Periti hæc remedia suggerunt: 1) longe fieri a sociis qui ad tabernam invitant; invitant enim ad grande peccatum (fiat in honorem Jesu); 2) longe fieri a taberna, nam occasio est funiculum triplex (idque sit in honorem M. Virginis); 3) vel aquam, vel vinum cum aqua, vel saltem vinum moderate et semper in domo propria simul cum familia bibere, toties illud mercando (idque fiat in honorem Angeli custodis). Hæc qui per aliquod temporis spatium adimplet, a suo vitio certo curat

Considerent qui hoc turpi vitio inficiantur, terribilia etiam in hac vita consectaria: luxuria et ebrietas consociantur facillime. Hinc Prov. XXIII: *Luxuriosa res vinum et tumultuosa ebrietas; cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus; ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet; oculi tui videbunt extraneas et cor tuum*

loquetur perversa, etc. Et Stapf, § 283: « Generatim omne vitium cui quis indulgere pergit, præter alios pessimos effectus etiam corporis vigorem et incolumitatem subvertere consuevit, dum ei vel necessaria fomenta subtrahuntur, v. g., per avaritiam; vel dum illud præmature exsuccum et languens redditur, scilicet *qui delinquit in conspectu ejus qui fecit eum, incidet in manus medici* (Eccli. xxxviii). Præ reliquis, teste experientia, vinolentia atque luxuria ipsas quasi radices et prima vitæ stamina venenare solent. Exinde enim corporis maxime juvenilis robur omne pessumdari, nervorum vigor et ipsa ossium medulla exhauriri, atque, ut de nefanda lue quæ frequenter contrahitur, taceam, vita lenta morte tabescere consuevit, etc. » (*V.* Eccl. xxxi.)

« L'osteria piaga delle nostre campagne, e disperazione dei poveri Parrochi. L'osteria dovunque si pianta fa concorrenza colla Chiesa ; a misura che quella si riempie, questa si vuota. È colpa dell'osteria che in molti luoghi la domenica, che esiste per le donne, più non esiste per gli uomini. Quanto male non ce ne venne! l'aria che i nostri campagnuoli vi respirano è letale; tutti gli istinti buoni vi si sperdono, tutti i cattivi ricevono perfidi incoraggiamenti e forti eccitazioni. La maggior parte dei drammi che si svolgono alle Assise e alla polizia correzionale hanno il loro prologo all'osteria. » Monnin, *Il Curato D'Ars*, l. II, c. 5. — *V.* Raineri, *Istruzioni: Rimedi contro l'ubbriachezza;* — P. Gaetano da Bergamo, *Esame pratico sopra il vizio volgarmente detto dell'Osteria;* it. *Esortaz.* xvi. — Franco, *La scuola dei delitti aperta nell'osteria.*

« Sonvi in Francia, dietro un calcolo presentato alle Camere dei rappresentanti, un 360,000 bettole; supponiamo che in ciascuna entrino venti persone la domenica; che ciascuno spenda una lira; sono questi i minimi termini; sommano per ogni domenica a fr. 7,200,000; e il lunedì e il martedì, e gli altri luoghi di piacere, e il tempo perduto, senza dire il disamore al lavoro, dei pensieri satanici, della rabbia onde si riempiono in questi luoghi, formano per certo oltre a un miliardo all'anno; e questo frutto, generalmente, delle classi disagiate e laboriose! Egli è vero che i pratici affermano esser ciò proficuo al commercio: ma se questo danaro fosse speso nel dare del pane, degli abiti, delle calzature a' propri figli, nel procurare un po' più di agiatezza alla moglie, nel comprare delle buone vestimenta, o della legna a' vecchi genitori che tremano pel freddo, nel pagare i fornitori e i proprietari, non sarebbe questo egualmente promovere il commercio, la giustizia, la pace, il buon costume? » Mullois, *Il Manuale di carità*, c. ix.

914. Ebrietas ecclesiastici: præ reliquis hoc vitium in sacerdote, præsertim Pastore animarum, atrocitatem fere portentosam acquirit, dum nempe illi infra conditionem brutorum dejecti conspiciuntur, quos populi christiani duces et angelos esse oportet. Hæc sacerdotum perversitas jam ab Isaia (cap. xxviii) inter præcipua incitamenta computatur, quibus populus ad omnem impietatem, Deus vero ad acerbissimam vindictam provocetur. Qui vitæ decursu ab hoc pessimo vitio vinci non vult, juvenis utatur modico vino, et sollicite caveat ab occasionibus. Sæpe pia quidem, ast et malesana ruricularum liberalitas sacerdotem præcipue juniorem ad hoc vitium deflectit, dum nempe eidem ad suas ædes divertenti vinum adustum non tantum offerunt, sed obtrudunt etiam. Iterum Stapf, § 294.

915. Q. 1. *An liceat ad valetudinem curandam in morbo gravi potum sumere, si ex eo prævideatur secutura ebrietas?*

R. Valde laborant in hac quæstione. Satis probabiliter, imo proba-

bilius id affirmant licere Layman, Lessius, Salmanticenses, Sylvester, Sylvius, Sporer, Toletus aliique; hoc enim non est velle ebrietatem, sed tantum illam permittere. Ita licet matri sumere pharmacum directe tendens ad servandam suam vitam, quamvis indirecte eveniat et prævideatur expulsio fœtus. Ita licet medicamen sumere ad expellendum semen morbiferum, etsi inde præter intentionem cognoscatur materialiter secutura pollutio, uti docent communius cum Billuart. Ita licet membrum læsum abscindere, etsi certo prævideatur sensus in illo casu sopiendos, amittendumque usum rationis. Huic sententiæ favet Angelicus, qui docet non licere, quod *homo absque necessitate reddat se impotentem ad utendum ratione* (1, 2, q. 88, a. 5); ergo in necessitate, si videlicet fiat indirecte, per consequens licet.

Diximus: *si fiat indirecte;* nempe si potus indirecte adhibeatur ex medicorum præscripto ad corrigendos humores pravos. Directe enim ebrietatem intendere est prorsus illicitum; cum ea sit intrinsece mala (s. Thomas, 2, 2, q. 150). Hinc bene docet Croix nunquam permitti se inebriare ad sensus sopiendos, ne cruciatus sentiantur; quia in hoc casu directe intenderetur ebrietas, tanquam medium removendi doloriferam operationem, vel morbi aut vulneris cruciatus.

Non est damnanda praxis medicorum, qui *opium* exhibent sensus sopiendi causa; cum virtus ejus primaria sit soporifera, nam sic intendunt somnum vel gravem soporem inducere, non ebrietatem. Idem de æthere aspiratione hausto dicendum; novum ac mirum inventum (periculosum tamen), quod physici *inspirationem ætheris* appellant: quo fit, ut tanto sopore obtorpescant nervi (græce *narcosi* a *narcé* sopor), ut infirmus dolorosissima chirurgicas operationes sustineat, quin molestiam patiatur.

946. Q. 2. *Quid dicendum si quis alicui mortem minetur, nisi bibat ad ebrietatem usque?*

R. Audiatur d. Augustinus: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: aut bibas aut morieris, melius erit ut caro tua sobria occideretur quam per ebrietatem anima moreretur* (Serm. CCXXXII). Sane privare se directe usu rationis est intrinsece malum. Ita probabilius Azorius, Cajetanus, Tournely, Wigand aliique. Neque tunc adest, uti recte dicunt, causa excusans sicuti in casu præcedenti; quia ibi vinum est medium natura sua ordinatum ad morbum expellendum, seu medium quod natura expostulat; adest enim in hoc casu periculum ab intrinseco, sive a morbo vexante. Quod autem licite quærit natura, licite ipsi conceditur; quamvis per accidens sequatur alia ex parte malus effectus. Alii tamen id permittunt; nam vini excessus sumitur non animo se inebriandi, sed uti medium ad mortem fugiendam; supponitur enim quod non cogatur in contemptum virtutis. « Il Gury si manifesta pure del medesimo sentimento dicendo: *quia privatio usus rationis ad breve tempus ex gravi necessitate non videtur quid intrinsece malum....* Il Ballerini poi mette in nota: *S. Thomas ebrietatis vitium in potu superfluo* sine necessitate et ex sola vini voluptate reponit. » Frassinetti. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. v, n. 76.

947. Q. 3. *An liceat aliquem ad ebrietatem inducere, si aliter impediri nequeat a graviori malo, a sacrilegio, ab homicidio, ab adulterio?*

R. Alii cum Lessio affirmant; hoc enim esset malum, quod amplius impediri non potest, diminuere. Alii cum Laymano dicunt licitum quidem esse ei apponere vinum meracissimum, ut ita se inebriet; non tamen ad ebrietatem eum inducere; etenim licet quidem malum permittere, non vero illud directe suadere. Alii cum Tournely neutrum concedunt; quia cum talis neutiquam de vino cogitet, est verum ac

positivum malum curare, ut ipse se inebriet. *His tamen non obstantibus*, concludit s. Alphonsus, *prima sententia satis probabilis videtur mihi, et aliis viris doctis a me consultis, sive ebrietas sit materialis, sive formalis* (sive nempe simpliciter eam permittamus, sive ad eam inducamus); *quia licitum est inducère alterum ad minus malum, ut impediatur a majori.* Tunc non est consulere malum; sed bonum, scilicet electionem minoris mali *(Opus Mor.*, l. II, n. 57; l. V, n. 77).

Certum tamen esset mortale alicui *sine justa causa* vinum quantum ipse velit suppeditare, si inde prævideatur ebrietas seecutura, cum sit rei graviter malæ cooperari. Ceterum ex rationabili causa illud ministrare liceret: sic licitum est cauponi dare vinum aut cervisiam se inebriaturis, si secus notabiliter læderetur in diminutione concurrentium, uti docent probabilius et satis communiter cum Billuart, qui *de Temperantia* hæc verba ponit s. Thomæ: *Licite possumus uti malitia alterius, vel etiam materiam, qua abuteretur, non subtrahere, sed præbere pro aliquo incommodo vitando.*

(P) Pag. 623.

948. *Quot modis* (quæres) *quis potest de proximi bono tristari?*

R. Quinque modis potest quis de bono alterius tristari:

1. Cum quis contristatur de bono alterius absolute, quia proximi bonum est: et dicitur *odium inimicitiæ*, vel simpliciter odium seu aversio personæ, cui volumus malum, quatenus ejus malum est. Quod quidem ex genere suo mortale est; cum directe opponatur præcepto diligendi proximum, alteri ex maximis Dei mandatis.

2. Cum quis contristatur de bono proximi relative; quia nempe ab eo timet aliquod malum: et dicitur *timor*. Qui erit licitus, si malum sibi vel suis timeat inferendum injuste: sic Esther et Mardochæus contristabantur de exaltatione Amani; quia malum ingens tam sibi quam universo Judæorum populo pertimescebant.

3. Cum quis contristatur de bono proximi, non quia illud proximus habeat, sed quia eodem ipse careat Hæc tristitia si sit circa bona spiritualia, dicitur *æmulatio*, et est laudanda, dicente Apostolo: *æmulamini spiritualia* (I, Corinth. XIV). Si circa bona temporalia erit bona vel mala, prout bonum vel malum erit ejusdem objectum.

4. Cum quis contristatur de bono alterius; quia talis boni eundem putat indignum: et est indignatio seu abominatio qua aversamur personam ex displicentia ejus qualitatum, quia sunt malæ aut noxiæ, aut ingratæ vel in se, vel nobis vel aliis. Unde dicitur *odium abominationis*. Potest esse bonum, si a justitiæ vel boni publici amore proficiscatur: ut cum quis dolet, quia improbi promoventur ad dignitates ob damnum publicum, quod inde evenire potest. Erit tamen peccatum et quidem blasphemiæ, si quis serio contristetur de Dei providentia, quod impiis bona largiatur.

5. Cum quis ideo contristatur de bono alterius, quia per illud ipse timet, ne æquetur; vel quia jam æquatur aut superatur, et sic imminuatur ejus excellentia. Hæc est *invidia* proprie dicta, de qua Augustinus: *Amando quisque excellentiam suam vel paribus invidet, quod ei coæquentur; vel inferioribus, ne sibi coæquentur; vel superioribus, quod eis non coæquetur* (De Gen. ad lit. c. 14). Ad hanc revocatur gaudium de malo proximi, quatenus per illud ejus vulneratur et minuitur excellentia, et nostra augetur et fulget. Quare si pœnitens de invidia se

accuset, interrogandus qualis fuerit ejus tristitia de bono alterius; cum quælibet res e suo objecto specificetur. Item docendus in quo invidia sita sit, ne forte peccet ex conscientia erronea putans esse invidiam, ubi invidia non est. Etsi autem invidia sit grave malum in se; non est tamen *omnium* peccatorum in proximum gravissimum; nam plus aliquis nocet proximo per furtum, homicidium, etc.

949. Invidiam ad vivum pingit Ovidius, l. II *Metamorph.*

> Pallor in ore sedet, macies in corpore toto;
> Nusquam recta acies; livent rubigine dentes;
> Pectora felle virent; lingua est suffusa veneno;
> Risus abest, nisi quem visi movere dolores;
> Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis;
> Sed videt ingratos, intabescitque videndo
> Successus hominum; carpitque et carpitur una,
> Suppliciumque suum est . . . .

(Q) *Pag.* 633.

950. Quoad censuram, quæ *ipso facto* incurritur, notamus:

1. Etsi censura latæ sententiæ illico suum sortiatur effectum; aliquando tamen, si agitur de magna re, Pontifex eam incursam esse declarat, ac quasi de novo infligit. Quod non est de necessitate; sed fit, ut sic magis terreantur homines, vel ut omnis tergiversatio de medio tollatur. Sic Pius VII excommunicavit Principatus Romani usurpatores; at certum erat, ab istis excommunicationem jam fuisse incursam, quia latam jam in Bulla *Cœna* et Tridentino.

2. Qui facto ex omni parte jam consummato, cui censura latæ sententiæ adnexa est, subscribunt vel illud approbant ac laudant simpliciter, non ideo censuram et ipsi incurrunt. Excipe nisi ipse superior etiam simplices approbatores includat: ita Pius Pp. IX Encyclica 26 julii 1855 excommunicavit usurpatores bonorum ecclesiasticorum, nec tantum qui legem proposuerunt et probarunt, sed etiam illorum *fautores*, *consultores*, *adhærentes*. Quæsitum fuit an sub hoc nomine veniant etiam illi qui dictam legem approbarunt vel approbant verbis, et S. Pœnitentiaria, 1 sept. 1855, respondit: *affirmative*, facta relatione Pontifici et juxta ejus mentem

3. Hac præclusa declaratione, censura illi tantum ligantur, qui efficaciter ad factum illud concurrerunt, sive opus jam materialiter consummatum proprio voto legaliter, ut ita dicam, ratihabendo; sive illud nondum consummatum laudando, approbando: vel pecunias aut nomen dando ad hoc, ut locum habeat, esto quod parvam pecuniæ quantitatem conferant, ansam tamen tribuunt, ideoque etiam efficaciter concurrunt vel ad illud efficaciter ponendum, vel ad illud efficaciter exequendum. Non est tamen dubitandum, quod in omni casu omnes laudatores ac subscriptores peccent, cum opus malum approbent; et si forte primitus valeant excusari putantes id sibi exemplo aliorum licere, cessat tamen hæc bona eorum fides, statim ac Ecclesia per suos Prælatos loquitur. Neque tunc amplius excusantur, sed eorum peccatum ex materiali in faciem Ecclesiæ fit formale, si admissum publice non corrigant. Sane actum esset de magisterio Ecclesiæ docentis, si quis tuto se egisse contendat, quia dictamen suæ conscientiæ secutus fuit: hoc est spiritum privatum velle sequi; hoc est Protestantium placita adoptare.

951. Q. 1. Quinam veniunt nomine *adhærentis*, *consulentis*, *consentientis*, *approbantis*, *cooperantis* et similium, quos plerumque Pontifices una cum principali agente censura reservata percutiunt?

R. Hanc regulam tradit Bonacina agendo de censura lata contra invadentes et occupantes terras, civitates, loca, aut jura Ecclesiæ Romanæ, vel jurisdictionem in illis usurpantes aut vexantes. Duplicis generis actiones distinguit: aliæ nempe sunt *principales*, aliæ *minus principales* et *accessoriæ*. Illæ primæ sunt octo: 1) per se vel per alium directe vel indirecte sub quocumque titulo et colore, vel in totum vel in partem, cum præsumptione invadere terras, loca aut jura ad Romanam Ecclesiam pertinentia, ipsique mediate vel immediate subjecta; 2) destruere; 3) occupare, hoc est rapere aut usurpare; 4) detinere, hoc est rem injuste occupatam non restituere; 5) de facto usurpare supremam jurisdictionem Romanæ Ecclesiæ; 6) præfatam jurisdictionem de facto perturbare; 7) eandem retinere; 8) eandem vexare. Nullum enim est dubium, quin actiones istæ dicantur sub lata censura cadere.

Actiones *minus principales* et *accessoriæ* sunt quinque: 1) adhærere delinquentibus; 2) favere; 3) auxiliari; 4) consulere; 5) defendere. Porro actio minus principalis et accessoria *per se* non sufficit ad incurrendam censuram, nisi actio aliqua principalis sequatur (adde, vel nisi aliud declaret superior). Sic, v. g., qui equos, arma, milites, victualia, opes, pecunias, aut res alias voluntarie præbet; aut consulit, suadet, hortatur; aut transitum per sua loca concedit ad faciendam aliquam actionem principaliter prohibitam, afficitur excommunicatione, quia isti non solum adhærentes, verum etiam sequaces et factores vocantur. (In ejus *Summa*, de censuris Bullæ *Cœnæ*).

952. Q. 2. *Quo sensu animalia et homines jam defuncti aliquando excommunicantur?*

R. Ad 1: Animalia nociva, ut locustæ, etc. dicuntur excommunicari vel anathemizari, ad significandum videlicet quandam adjurationem seu orationem in illorum interitum et expulsionem; non autem in sensu genuino et proprio.

R. Ad 2: Etiam *mortui* excommunicari dicuntur, sed improprie: hoc intelligitur vel de quadam execrationis specie; vel de excommunicationis declaratione, quam ante mortem incurrerint; vel tandem de excommunicatione indirecta, qua nempe Ecclesia prohibet, ne orationes pro iis effundantur, aut alia iisdem præstentur externa ac publica christianæ charitatis officia. Proinde absolutio impertita excommunicatis qui cum signis pœnitentiæ mortui sunt, directe non ad ipsos, sed ad vivos porrigitur, quatenus solvuntur ab obligatione ne cum defunctis sepultura vel publicis precibus communicent.

953. Q. 3. *An censura nova sit in Ecclesia?*

R. Etiamsi concederetur censuræ nomen sæculis recentioribus in Ecclesia fuisse inductum, nihil inde consequeretur; cum sit indubitatum semper in usu fuisse rem eo nomine significatam. Semper in usu fuerunt in Ecclesia tum Latina tum Græca vocabula *canonicæ destructionis*, *pœnæ et gladii spiritualis*, *mucronis medicinalis*, etc.: quæ idem sonant ac censura. Verum falsum est censuræ nomen recenter fuisse inductum; Gratianus citat canonem Concilii Toletani anno 675, ubi legitur: *Quisquis autem horum decretorum violator existerit, sex mensibus communione privatus... sub pœnitentiæ censura permaneat corrigendus*. Quis autem dicere audeat recenter inductum nomen, quod ut notissimum, atque vulgare legimus usurpatum a VII sæculo? (*Decr.* parte 1ª, dist. 12, c. 12). — *V.* Scotti, *Teoremi* ecc., part. 2ª, teor. VII.

— Pierini, *Errori ed imposture delle Missioni protestanti.* — *Saggio elementare di diritto pubblico ecclesiastico,*

« La Chiesa (ad rem *Saggio intorno al Socialismo)* coscienziosa non può assistere impassibile a ciò che ella dice esser la rovina dell'anima; sarebbe *vender Dio, trafficare i suoi propri figli.* Quindi i suoi Pastori alzano la voce, minacciano e poi colpiscono; « *la politica se ne può affliggere, la ragione non ha che ad applaudire.* » Così il Lamartine, in occasione delle collisioni insorte negli ultimi anni del regno di Luigi-Filippo fra alcuni Vescovi e il poter civile, intorno alle dottrine che insegnavansi a nome dello Stato nelle scuole, alle quali scuole essi ricusarono il ministerio sagro. »

Marsilius Patavinus docuit, ad censuram inferendam requiri civilis Principis vel Reipublicæ auctoritatem; sed hæretica semper hæc doctrina in Ecclesia catholica habita est. Sane Christus non principibus, non reipublicæ civili, sed solis Apostolis, imprimis d. Petro hæc potestatem tradidit. Et ea semper tam Pontifices, quam Episcopi usi sunt absque ulla dependentia ab auctoritate civili. Adde Tridentinum solemniter ad rem hoc tulisse Decretum: *Nefas autem sit sæculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico judici, ne quem excommunicet, aut mandare ut latam excommunicationem revocet;... cum non ad sæculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.* (Sess. XXV, c. 3 *de R.)* — *V.* Devoti, *Inst. can.*, lib. IV, § 12. — Muzzarelli, *Il buon uso della logica* ecc. Opusc. IX: *La Scomunica.* — Zaccaria, *Comandi chi può, ubbidisca chi dee,* p. 177. — Bianchi, *Polizia della Chiesa*, t. III.

Etiam iis in regionibus, ubi Romani Pontifices concesserunt, ut ipsorum decreta nonnisi post principis acceptationem seu visionem publicentur et obtineant, placitum hoc nullimode requiritur in rebus fidei ac morum. Harum enim rerum potestas est ipsi Ecclesiæ intrinseca et independens, cum ejus tantum sit docere, regere, tueri et pascere fideles salutaribus pascuis, a noxiis eos arcendo. Cum porro censura respiciat rectam vivendi normam, sitque res spiritualis et ecclesiastica juxta ipsos etiam adversarios, et ejus comminatio dirigatur ad continendos fideles eorumque religiosos mores tuendos, certo certius, nullibi regio placito indiget, ut vim habeat suam; et in hoc omnes consentire debent, qui sunt firmo ac sano judicio præditi. Hoc adeo verum est ut Napoleon I, ad vim excommunicationis in ipsum latam enervandam, illam irridebat quidem, at de necessitate placitationis nullum verbum fecit. Adde: quæ identidem infliguntur censuræ a Pontificibus, non tam novæ sunt, quam noviter prolatæ ac renovatæ ad majorem terrorem; cum jam aliunde vigeant, utpote insertæ in Corpore Juris canonici, aut in Tridentino ab omnibus utique generatim recepto: uti est v. g. censura lata in usurpatores bonorum Ecclesiæ, in laicos ecclesiasticorum carcerarios, percussores, quæsitores, punitores, etc. Ergo tanto minus *hoc placitum* requiritur ad monitoria quæ aliquando dictis censuris præcedunt; sunt enim præambula ad illas; qui porro jus habet ad rem, jus etiam habet ad illius accessoria, et necessarias solemnitates. — *V.* Bouix, *De Principiis*, part. 2ª, sect. II. — Riccardi, *Gemiti* ecc., *Convers.* IV. — *Civiltà Cattolica*, ser. 1ª, vol. VII: *L'Exequatur* per le dottrine. — *Apologista,* anno 1863: *Rimostranze al re dell'Episcopato Toscano.*

Tandem *Allocutio* Pii IX habita in Concistorio 3 nov. 1855 aperte tradit *falsam opinionem, perversam, funestissimam, oppositam aperte divino Primatui et jam damnatam, quæ docet placitum regium necessarium esse pro rebus spiritualibus et ecclesiasticis negotiis.* V. supra nn. 316 et seqq.

954. Q. 5. *An Parochi possint ferre censuras?*

R. Negative et certum est contra Thomassinum. Audiatur d. Thomas: *Quia per excommunicationem* (id est per censuram; nomen enim *excommunicationis* primitus generatim sumebatur) *homo a communione fidelium separatur; ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet. Et illi solum possunt excommunicare, qui habent jurisdictionem in foro judiciali. Et propter hoc soli Episcopi propria auctoritate, et majores Prælati possunt excommunicare; non presbyteri parochiales:* quippe qui non habent, nisi administrationem ad rectum Parochiæ ordinem, cum potestate tantum cognoscendi causas hominis ad Deum. (In 4, dist. 18, a. 6 —.) *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 107.

Quod autem de Parochis dictum est, illud a fortiori de simplicibus sacerdotibus ceterisque clericis inferioribus erit affirmandum.

Q. 6. *An sæculares valeant censuras inferre?*

R. Certum est fœminas non posse censuras valide ferre, quia illæ sunt jurisdictionis ecclesiasticæ prorsus incapaces: imo neque ipse Pontifex probabilius potest cum illis dispensare, ut docent Salmanticenses, Sotus et d. Thomas contra Croix, Suarez et alios. Nam potestas hæc data est Apostolis et eorum successoribus, quibus nempe traditæ sunt claves Ecclesiæ. At potestas clavium nullo modo mulieribus tradi potest: *Mulier*, ait s. Thomas, *non potest habere aliquam jurisdictionem: quia non habet neque clavem Ordinis neque clavem jurisdictionis* (Suppl. q. 19, a. 3).

Quoad viros sæculares, pariter certum est, quod neque ipsi de potestate ordinaria valent censuras inferre; quia hæc potestas tantum residet in Ecclesiæ superioribus. Communiter tamen docent Continuator Tournely et Salmanticenses, posse Pontificem sæcularibus viris delegare hanc facultatem ex ea, qua præditus est plenitudine potestatis: cum radicitus non habeantur incapaces uti fœminæ.

955. Q. 7. *An Episcopus, extra Diœcesim, possit censurare suos diœcesanos?*

R. Ut res plenius intelligatur, præmittimus cum Ferrante: Censuras ferre est de potestate jurisdictionis; jurisdictio autem alia est *voluntaria*, alia *contentiosa:* illa exercetur in volentes, nullamque exigit formam judicii, ut est potestas vota dispensandi, peccatores absolvendi, etc.; hæc igitur cum fiant sine contentione, possunt in subditos ab Episcopo exerceri, etiam si sit extra Diœcesim. Sicut ipse potest exercere potestatem Ordinis, cum sit ad instar voluntariæ (si tamen usus non requiratur Pontificalium, qui extra Diœcesim penitus interdicitur sine licentia Ordinarii loci). — Contentiosa vero jurisdictio, quæ cum exerceatur in invitos, id est judicio contendentes, judicii formam exigit, regulariter extra Diocesim absque Ordinarii licentia nequit exerceri; esset enim turbare publicum ordinem, et imperium in imperio ponere.

Dicimus *regulariter;* in jure enim excipitur: 1) Si contumacia sit tam manifesta, ut non egeat cognitione causæ; tunc enim ipsa res per se interpellat. Vel si causa jam sit cognita in proprio territorio; jam enim Episcopus jus acquisivit. 2) Si censura feratur per modum præcepti aut statuti ad vitanda delicta communia; cum nullus tunc interveniat strepitus judicialis. 3) Si Episcopus sit injuste expulsus a sua Diœcesi (modo ab Ordinario loci licentiam petat, ne videatur dominium agere ubi dominus non est, licet eam non obtineat); neque enim sine culpa est jure suo privandus. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 21.

956. Q. 8. *An Episcopus, in propria Diœcesi existens, possit ferre censuras in suum subditum, qui in aliena Diœcesi delinquit; vel in non subditum, qui delinquit in propria Diœcesi?*

R. Ad 1: Si censura feratur per præceptum particulare, subditus ligabitur etiam in aliena Diœcesi delinquens, ut probabilius tuentur Croix, Layman, Sporer et Suarez contra Continuatorem Tournely, Roncaglia, Avila et Holzman: ratio est, quia præceptum immediate afficit personam ubicumque sit. Necesse tamen est, ut ipse ante transgressionem fuerit monitus, nempe ut sciat datum esse tale præceptum sub pœna censuræ, ut sic dici possit contumax: quod quidem satis fit per particulare edictum. Esset si Episcopus speciali mandato typis dato sacerdotibus sub pœna suspensionis ipso facto vetuerit, ne Missam absolvant breviorem horæ quadrante. — Si vero lata sit per modum statuti seu legis generalis, quæ quidem afficit locum, non ligatur uti patet (quo sensu Bonifacius VIII, ait, non incurrere excommunicationem latam contra furantes a suo Ordinario eum, qui extra ejus territorium furaretur). Excipe: nisi delictum censeatur commissum in propria Diœcesi, uti est de censura lata in eos, qui non resident, vel ad Synodum non accedunt; vel si Episcopus censuret clericum, qui tali Ecclesiæ assistere debeat, et extra Diœcesim sit, et renuat assistere: ratio autem est, quia peccatum non residentiæ intra proprium territorium censetur consummari. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tr. XIX, n. 5, et *Op. Mor.* l. VII, n. 26.

R. Ad 2: Etsi peregrini, qui peccant in aliena Diœcesi, non incurrant censuram, quam illius Diœcesis Episcopus jam inflixit in taliter peccantes, cum non sint ejus subditi; possunt tamen hic et nunc censura puniri: quod jure merito constitutum est, ut sic coerceantur mali. Sed requiritur, ut non agatur de persona exempta: item ut Episcopus eum antequam e territorio discedat, citatione præveniat; tunc enim non subditus ratione judicii inchoati subjectus illi remanet.

Prælati regulares possunt censurare suos subditos quocumque loco existentes; quia eorum jurisdictio est magis personalis, quam territorialis. Excipiunt, nisi censura lata sit per statutum a superiore qui speciale habeat territorium, v. g. provinciam; tunc ex Croix (l. VII, n. 28) habetur ratio loci.

Etiam Episcopi uti delegati ab Apostolica Sede possunt censurare regulares licet exemptos in iis in quibus a Jure communi, a Tridentino et Constitutionibus Apostolicis tributa est Episcopis jurisdictio, uti quoad festa servanda, vel si religiosi extra claustra delinquant, nisi nominatim speciali gaudeant privilegio, ut nihilominus nequeant ab Episcopo censurari. — *V.* Benedictus XIV, *De Synodo*, l. IX, c. 16. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 241 et 591; et *Homo Ap.*, tr. XX *De privilegiis*. — Bouix, *De judiciis*, p. I. — Pignatelli, *Consultationes*, t. III, cons. 46. — Barbosa, *De officio et potestate Episcopi*, p. 3ª, alleg. 105. — Ballerini apud Gury in Adnotat. *De censuris*, n. 949.

957. Q. 9. *An censura possit esse injusta, sed valida?*

R. Si injustitia censuræ se teneat tantum ex parte excommunicantis, uti si censuram ferat ob verum crimen, quod revera censuram meretur, sed id superior agat ex odio, ex invidia, ex privata vindicta, etc.; censura servanda est et timenda: *sententia pastoris*, ait s. Gregorius Magnus, *sive justa sive injusta sit, timenda est* (Homil. VI *in Evang.*). Sane tunc deficit solummodo in accidentali.

Si vero censura injusta sit, quia deficit in substantialibus, nullius est roboris; si tamen in foro externo valida appareret, esset exterius servanda, ad vitandum scandalum et judiciorum perturbationem. Non negamus aliquando in censuris modum non fuisse servatum, qua de re conquerebatur s. Petrus Damiani; at hoc est vitium hominis, non rei; et semper censura timenda foret, quia nostrum non est superiorum actis

obsistere, sed iis obtemperare. Ceterum ad rem Tridentinum (sess. XXV, cap. 3 *de R.): Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticæ disciplinæ et ad continendos in suo officio populos valde salutaris; sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est; cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere, quam salutem.* — *V.* Muzzarelli, *Il buon uso della logica;* Opuscolo: *Istoria eccles.*, § 2: *Uso ed abuso delle censure.*

958. Q. 10. *Quid in dubio de materiæ gravitate vel justitiæ causa?*

R. 1. Si dubitetur de materiæ gravitate, tunc si censura lata sit a judice hic et nunc contra talem personam in illa facti specie, possidet censura, quia possidet judicium superioris in specie determinante: v. g. superior suspensione te multavit, quia clericalem habitum deposuisti; suspensio tenet etsi dubitas de gravitate culpæ. Aliter vero est, si jam sit lata censura in jure, et dubites num factum tuum illam attingat, ut si dubites, an tua percussio in clericum sit gravis, non teneris te gerere ut censuratum; hoc est conforme doctrinæ d. Thomæ; quia non adest superioris aperta determinatio.

R. 2. Si dubitetur de justitiæ causa, possidet superioris præceptum, neque injustum supponendum est, nisi id certo probetur. Hinc cui mandatur hujus censuræ executio, eam exequi tenetur; quia ad inferiorem non causæ cognitio, sed executio pertinet. Quod valet, licet privatim sciat talem esse innocentem; si tamen secundum allegata et probata innocens non sit, ne scilicet ordo judicii pervertatur. Ex c. *Pastoralis*, de off. et potest. jud. deleg. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 67.

959. Q. 11. *Quomodo se gerere debet qui dubitat an sit censuratus?*

R. Cum distinctione: vel dubitat utrum censuram incurrerit; vel utrum ab ea sit absolutus, aut si appellationem interposuerit.

Si 1, præcluso scandalo, si dubium vinci non possit debita inquisitione, dubitans de censura se gerere potest perinde ac si eam minime incurrerit; quia ipse possidet in hoc casu propriam libertatem, et *in dubio melior est conditio possidentis.* Ita Layman, Roncaglia, Mazzotta, Holzman, Salmanticenses, Sanchez, etc. Si 2, haberi debet tanquam censura innodatus ob contrariam rationem; cum possessio in hoc casu stet pro censura. Idem dicendum si dubitetur de potestate superioris, qui illam jam pacifice teneat. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, nn. 66 et 67.

960. Q. 12. *An quis possit censuris pluribus simul innodari?*

R. Affirmative; sicut enim potest quis plura perpetrare peccata specie, numero et gravitate diversa, ita et diversis ligari censuris; est commune cum d. Thoma (p. 3, q. 22, a. 6). Imo probabilius propter unum delictum potest quis ligari a diversis, a jure et ab homine, a Papa et Episcopo, ita ut ab utroque debeat absolvi. Sicuti reus catenis obstrictus ab uno, nihil prohibet quominus possit devinci novis catenis ab alio. Hinc si quis clericum occideret in loco, ubi homicidium sub censura Episcopali est prohibitum, esset censuratus a Papa et ab Episcopo; a Papa ob injuriam in clericum, ab Episcopo ob homicidium patratum in hominem. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 28, ubi plures casus.

(R) Pag. 641.

961. Bulla Cœnæ: hæc celebris Bulla (quæ incipit *Pastoralis Romani Pontificis vigilantia)* est antiquissima, de cujus origine certo non constat; et est opus plurium Pontificum. Quidem dicunt eam initium habuisse sub Martino V, 1420; alii sub Clemente V, vel Bonifacio VIII qui fuit electus 1294; quanquam aliquod ejus vestigium habemus vel ante ætatem Gregorii Magni. Paulus III absolutionem censurarum in ea contentarum sibi reservavit 1536; et Pius V anno 1568 præcepit ut per universam Ecclesiam publicaretur. Et hæc jugiter publicabatur Romæ singulis annis feria v in *Cœna Domini;* ac propterea dicta fuit Bulla *Cœnæ.* Quæ tamen, uti dicunt, nunquam fuit recepta in Hispania, neque in Germania (neque Venetiis juxta aliquos); neque in Gallia, quod tamen alii merito negant. Lata est propter tria: tum ut servetur *integritas fidei catholicæ et Romani Principatus;* tum *unio fidelium cum Christo* ejusque *Vicario;* tum *societas* inter ipsos fideles. Bullam exponunt inter ceteros Bonacina, Duardus, Palaus et Abreu, *Instructio Parochi.* — *V.* Bouvier, *De Censuris*, art 2; — Bouix, *De Curia Romana*, par. 3ª; — Ferraris; V. *Excommunicatio;* et V. *Bulla Cœnæ* (artic. novus Cassinensis).

Casus autem his versibus contrahuntur:

Hæretici; a Papa appellantes, atque piratæ;
Augens vectigal; vel Breve falsificans.
Hostibus arma ferens; seu victum qui amovet urbe;
Quos Papa aut pietas aut sua causa ciat.
Præsulibus gravis, ad laicos et sacra trahentes;
Prælati, Ecclesiæque usurpans jura, onus et qui
His statuit; laicus Clerum si crimine damnat.
Sedis Apostolicæ terras quique occupet atrox:
Hos omnes *Domini Cœnæ* anathema ligat.

Etsi a tempore Clementis XIV non amplius Romæ publicetur Bulla *Cœnæ*, ut prius erat in more singulis annis; adhuc tamen pergit obligare, et passim ab omnibus citatur pro iis locis, ubi jam erat in vigore (neque sane ulla positiva ac contraria lege fuit abrogata). Et summi Pontifices passim adhuc eam citant, ultimo Pius IX contra usurpatores Romani Principatus. Unde temeritatem non fugeret qui id negaret, cum sit contra universalem Episcoporum, et Theologorum vigentem sententiam atque sanam doctrinam. Illa enim publicatio non erat necessaria conditio ad Bullam, cum id nullibi legatur præscriptum, sed quædam tantum solemnitas ideo inducta, tum ut nullus illius oblivisceretur, tum ut magis terrerentur mali. Sic plura quotannis contra sectas occultas, bonorum ecclesiasticorum usurpatores, decimarum detentores, etc., in Ecclesia Dei repetuntur Constitutiones ac Decreta, quæ si non repeterentur, non ideo vim amitterent suam, in omnium judicio. Neque ullibi invenitur, quod leges Ecclesiæ debeant publicari singulis annis, ut obligent.

962. Censuræ absolutio: ex *Rituali Romano*, si agitur de absolvendo in foro interno, usurpanda est communis forma quæ adhibetur in ipsa sacramentali absolutione cum intentione manifestata pœnitenti eum absolvendi a speciali illa censura. Si vero absolutio sit pro foro externo, tunc si a superiore præscribatur forma, ipsa adhibenda erit; sin autem ordinarie hac forma detur absolutio: *Dominus N. J. Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius et SS. Domini Nostri Papæ*

N. (vel Reverendissimi Episcopi N.) mihi concessa absolvo te a vinculo excommunicationis, quam incurristi propter talem causam N. et restituo te communioni et unitati fidelium et sanctis Sacramentis Ecclesiæ; in Nomine etc. Diximus *ordinarie;* si enim agatur de gravissimo et enormi crimine, pro cujus absolutione expresse præscribatur solemnis ac communis Ecclesiæ forma, tunc præmittitur psalmus *Miserere,* et ad singulos versus pœnitentis humeri denudati leviter percutiuntur (nisi justa ex causa talis cærimonia videatur omittenda, ut omittitur in fœminis), et adjectis precibus absolvitur et in Ecclesiam introducitur, etc., ut videre est in *Rituali Romano.*

Ceterum ad validam absolutionem non requiritur ut exprimatur causa ob quam censura fuit incursa; neque determinata verborum formula, cum satis sit voluntas absolventis, aliquo signo tamen externe manifestata; item neque solemnitates supra adnotatæ, ut cum communi docent Salmanticenses. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 116.

963. Quod pertinet ad collegiorum directores ac confessarios si ipsi facultatem habeant, et eveniat casus, quo alumnum debeant ab incursa censura absolvere, notent:

1. Si agatur de censuris a jure latis nec reservatis, etsi alumnum possint etiam extra Confessionem absolvere, id tamen non agant, nisi in Confessione juxta hodiernam praxim, adhibendo formam consuetam: *Absolvo te ab omni vinculo* etc.: hoc valet etiam pro foro externo.

2. Si censura est reservata, sed Director sit vel ab Episcopo vel a S. Pœnitentiaria ad absolvendum delegatus (ut solet delegari in casu percussionis alicujus clerici), tunc nonnisi secreto et in Confessione absolvere potest: utatur autem supradicta forma.

3. Ad solemnem et publicam absolutionem, prout ea describitur in *Rituali*, procedere non debet sine mandato Episcopi, qui id tantum præcipere solet, quando nempe crimen toti communitati maximo scandalo fuit.

964. Q. 1. *An valida sit absolutio extorta per metum?*

R. Si metus ille juste incussus est, v. g., si absolutio extorta sit a judice, qui recusat absolvere eum, quem ideo censuravit, ut parti læsæ satisfaceret, si jam integre et ex animo satisfacit, tunc metu extorta absolutio valida est; quia cogitur superior ad quod jam tenetur. Si vero metus sit injuste incussus, absolutio illa erit invalida: imo qui metum incutit, nova excommunicatione irretitur (cap. *De his qui vi,* in 6). Pariter nulla est absolutio data ob falsam causam, quæ sit principalis. *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 119.

965. S. Congregationis declaratio: huc faciunt duæ decisiones Congregationis S. Officii.

a) Ad quæsitum: « Utrum casus qui novis Pontificum Constitutionibus post Tridentinum fuerunt Sedi Apostolicæ reservati, comprehendantur in c. 6, sess. XXIV *de R.*, saltem si in novis Constitutionibus non sit clausula derogatoria; ita ut si ejusmodi casus sint occulti, Episcopi ab eis absolvere possint, sive per se sive per alios sacerdotes ab ipso delegatos? — Respondit 18 julii 1860: *negative, et dentur decreta S. C. C., quorum unum anno* 1589, *nempe* reservationes casuum de novo post Concilium, non comprehenduntur in c. 6, sess. XXIV *de R. et præsertim de clausura monialium; et alterum anno* 1595 *scilicet*, nosse debet Episcopus facultatem absolvendi sibi tributam decreto (c. 6, sess. XXIV), non extendi ad casus qui novis Pontificum Constitutionibus post Tridentinum fuerint Sedi Apostolicæ reservati. »

b) Quæsitum fuit: « 1) utrum Episcopus habeat in sua Diœcesi extra Italiam facultatem, sive per se sive per delegatum, absolvendi ab excommunicatione occulta quam confessarius contraxit absolvendo extra articulum mortis complicem in crimine turpi? 2) utrum saltem habeat præfatam facultatem in casu quo propter imminens periculum scandali aut alterius gravis mali recursus ad S. Sedem fieri nequit opportuno tempore? — Respondit 18 julii 1860: Ad 1: *negative, et dentur decreta annis* 1589, 1595 *S. C. C.* (nempe jam citata). Ad 2: *consultat Decretales Clementis III relatas* c. 15: Cum desideres; *et* c. 26: Quod de his de sent. excomm.; *et probatos Auctores, inter quos s. Alphonsum de Ligorio,* l. VII, c. 1 *de Censuris,* n. 84 ad 92. » (Sententia s. Alphonsi supra n. 834 videri potest.)

c) Nuperrimum Decretum Pii IX: « SS. D. N. Pius Pp. IX in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, auditis suffragiis Em. Patrum Cardinalium Inquisitorum generalium, attentis rerum et temporum circumstantiis, decrevit ut facultatibus quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus S. Sedi reservatis, excipiendos semper in posterum et exceptos habendos esse casus reservatos in Bulla Benedicti XIV quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ.* Et S. Congregationi de Propaganda Fide injunctum voluit, ut in expediendis facultatibus formulorum post verba *absolvendi ab omnibus casibus Apostolicæ Sedi reservatis in Bulla Cœnæ,* addatur: *exceptis casibus reservatis in Bulla Benedicti XIV* Sacramentum Pœnitentiæ, 27 junii 1866. » Casus reservati in dicta Bulla sunt: 1) sacerdotis attentantis absolutionem personæ complicis in materia turpi; 2) personæ cujuscunque sexus falso denuntiantis sacerdotem aliquem de sollicitatione. V. *Acta ex iis, quæ* etc., vol. II, pag. 673.

966. Q. *Quandonam crimen dicitur deductum ad forum contentiosum; et quandonam casus criminosi reputantur occulti?*

R. Ad 1: Crimen habetur *deductum ad forum contentiosum,* quando ibi probatum est saltem per unum testem; si tamen reus se purgavit a crimine in judicio, etiam malis artibus, poterit ab Episcopo absolvi tanquam de delicto occulto.

R. Ad 2: Illi casus reputantur *occulti,* qui in judicio non fuerunt probati, et aliqua tergiversatione celari possunt in vicinia, uti si paucis, v. g. tribus aut quatuor personis discretis innotescat tantum, aut si factum appareat dubium. Verum aliquid specialius dicendum de verbo *occultum* cum Leone in sua: *Praxis ab literas majoris Pœnitentiarii,* p. 2ª; cum dispensationes et absolutiones plurimæ sub hac clausula concedantur.

1. Aliquid potest esse materialiter publicum, sed formaliter et secundum quid occultum; v. g. Missa celebrata a sacerdote excommunicato occulto coram universo populo est actus publicus et est delictum, non tamen est delictum publicum; tunc res habetur uti occulta.

2. Potest aliquod delictum esse publicum, et tamen ejus pœnam et effectum occultos, v. g. si in aliqua villa Parochus publice excommunicatus coram populo suæ villæ Missam celebret, et populus notet id fieri non posse et esse delictum; nihilominus ignoret ex dicta celebratione contrahi irregularitatem. Et propterea ista Missæ celebratio erit actus publicus et delictum publicum, tamen quoad irregularitatem erit delictum occultum; et a S. Pœnitentiaria in similibus fuit dispensatum ut in occultis.

3. Aliquod delictum potest esse simul publicum et occultum re-

spectu locorum diversorum; v. g., si quis committat homicidium præsente populo Novariæ, et postea se conferat Matriti; istud homicidium est publicum in primo loco, sed in secundo esset occultum ob non divulgationem illius: et tale occultum sæpius admisit S. Pœnitentiaria. Et probabiliter contra Suarez docent Sanchez, Collet, Barbosa aliique quod crimen in uno loco publicum potest absolvi ab Episcopo in alio loco ubi occultum est; modo locus ubi crimen est notum, ita distet, ut non sit timor quod publicetur ubi occultum est. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, n. 593; et l. VII, n. 78.

4. Non implicat quod aliquid a sui origine et principio fuerit publicum et tractu temporis fiat occultum; tempus enim omnia devorat. Hoc autem genus occultorum etiam pluries meo tempore (concludit Leo) S. Pœnitentiaria admisit, sed non eodem modo in omnibus casibus: in dispensationibus matrimonialibus per decennium, in irregularitatibus per viginti vel triginta annorum spatium dumtaxat præsumpsit publicitatem originalem obliteratam fuisse.

967. Onus se præsentandi: An absolutus a reservatis in articulo vel periculo mortis a simplici confessario non delegato ad reservata, teneatur se sistere superiori casu quo convalescat, nega si agatur de simplici reservatione sine censura; nam tunc vere directe peccatum fuit absolutum, cum eo casu ex Tridentino cesset omnis reservatio, nec ulla contraria lex citari possit ex dicendis Lib. III *De Pœnitentia*, ubi de reservatione. Vide Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 91.

Si vero agatur de censuris reservatis, an adsit tale comparendi grave onus, non tam facilis videtur solutio ad normam sacrorum Canonum, hodie maxime cum satis communiter confessarii illud imponere non curent, quin tamen arbitrentur muneri suo deficere. Alii universim et absolute affirmant adhuc obtinere hanc obligationem: quod probant ex c. *De ceetero* II; c. *Quod de his* XXVI *de sent. excomm.*; c. *Eos.* XXII eod. tit., *in* 6, ubi id oneris expresse imponitur sub conditione reincidendi in censuras. Alii id limitant tantum pro casibus omnino gravibus, uti si res sit de enormi clericorum percussione, vel de casibus publicis, vel saltem de casibus deductis ad forum contentiosum. Alii vero tantummodo hoc admittunt pro iis casibus, qui speciatim excipiuntur, uti sunt casus Bullæ *Cœnæ*; item Pius IX Lit. Apostolicis *Cum catholica Ecclesia*, 26 martii 1860, declarat censuras in quas incurrerunt qui nefariam in Pontificiæ ditionis provinciis rebellionem et eorum usurpationem, occupationem patraruut; itemque mandantes, fautores, adjutores, consiliarios, adhærentes, etc., reservatas esse, nec posse absolvi nisi a R. Pontifice præterquam in articulo mortis; sed tunc *cum reincidentia* in easdem censuras, eo ipso quo convaluerint. Pro reliquis autem casibus, non exceptis specialiter a superiore, obligatio illa (ajunt) vel a Tridentino fuit sublata in quo habetur in articulo mortis nullam omnino adesse reservationem; vel illi per contrariam vigentem consuetudinem derogatum fuit.

In hac tam difficili et etiam tam practica quæstione mentem suam aperit, et pluribus probare nititur cl. Bertagna in Opusc. *De casuum reservatione*; ait enim: *Illud onus comparendi imponendum esse non solum in casibus ad forum externum contentiosum deductis, sed insuper imponendum in casibus in quibus censuræ (quas in articulo mortis inferior absolvit non delegatus) contractæ fuerint ob delicta publica et notoria, etsi ad forum contentiosum res adfuerit deducta, saltem si illa delicta ex gravioribus sint, ob quæ solet Ecclesia de juribus suis violatis conqueri et reclamare, et pœnas reservatas in illa inflictas reno-*

vare vel commemorare. Posse vero omitti in casibus occultis, et probabiliter etiam in publicis minus gravibus, et ob quæ jam non solet Ecclesia publicas protestationes emittere, nec jura sua per pœnarum reservatarum renovationem vel saltem recordationem tueri, nisi fortasse in hisce casibus per accidens onus illud esset imponendum, quatenus scilicet satisfactio Ecclesiæ esset præstanda tanquam parti læsæ, et cum qua proinde in persona superioris reservantis se componere deberet ipse pœnitens.

Quanquam plerumque, pro hisce casibus in quibus est imponendum onus comparendi, dantur instructiones ab ipso superiore, quibus servatis, jam nullum amplius adest onus se præsentandi superiori, si infirmus convaluerit. Huc faciunt responsa S. Pœnitentiariæ (a nobis relata Lib. IV) data ad mentem Pontificis 5 julii 1857, ex quibus qui bona ecclesiastica usurparunt vel usurpationi sunt cooperati armis, pecunia, conspiratione, libellis, etc., ut in articulo mortis a censuris reservatis absolvantur, præscribenda est retractationis forma, ut nempe scripto fiat, testium fide fulciatur, et Episcopo tradatur, qui illum servet et valeat publicam facere post mortem infirmi. Quod valere dicunt de causis similibus, de publicis apostatis, hæreticis, de iis qui immunitatem ecclesiasticam aliquo modo violarunt, qui rebellionem, invasionem, usurpationem, occupationem Pontificiæ Ditionis aliquo modo culpabili, ac publico attentarunt.

Quia tamen se conformare hisce S. Pœnitentiariæ responsis videtur potius privilegium, ideo qui huic non cupit se conformare, illi adhuc est imponendum onus comparendi, si convaluerit, coram superiore. Excipe (concludit laudatus Bertagna), nisi secus sufficienter nequeat reparari scandalum, quatenus nempe alioquin suspicio haberetur in populo quod infirmus renuat se submittere illis S. Pœnitentiariæ instructionibus ad debitam pœnitentiam declinandam, quam neque tunc neque postea vellet exequi; et addimus semper securius esse illis se tenere, et moraliter consulendum, item et utile, ut statim liberetur pœnitens ab ulteriori obligatione, uti Suarez, Salmanticenses aliique docent in re simili.

(S) Pag. 644.

968. Excommunicationis justitia et æquitas: qui in excommunicationem incidit, ideo est, quia Ecclesiam non voluit audire; sed qui Ecclesiam non audit, ex Christi verbis, est habendus ut ethnicus ac publicanus. At numquid poterit ethnico Sacramentum ministrari, sepultura ecclesiastica donari, et alia bona Ecclesiæ ei tribui? qui renuit Ecclesiæ præsulibus se subdi, neque Ecclesiæ bonis frui meretur. Necesse ergo est, ut primum se retractet a sua pervicacia: vel privatim, si ejus delictum occultum sit; vel publice, si delictum fuerit publicum.

Neque sufficit protestari, se velle catholice vivere et mori; Ecclesiæ non verbis tantum, sed maxime operibus obtemperandum est: unde quando Ecclesia aperte loquitur, absoluta et absque ulla conditione submissio nostra esse oportet.

Norma hæc esse solet, ut requiratur tum generalis fidei professio, tum et maxime expressa retractatio erroris, in quem quis lapsus merito creditur. Hinc refert Lucchesini *(L'Incredulità convinta dai suoi*

stessi seguaci), quod ab Archiepiscopo Parisiensi Beaumont, uti insufficiens fuit declarata hæc Voltarii retractatio: « Io sottoscritto dichiaro che da quattro giorni essendo attaccato da vomito di sangue all'età d'ottantaquattro anni, e non avendo potuto andare alla Chiesa, il signor curato di S. Sulpizio essendosi compiaciuto d'aggiungere alle sue buone opere quella d'inviarmi il signor abate Gauthier sacerdote, io mi sono confessato da lui, e che se Dio dispone di me, muojo nella Religione cattolica in cui sono nato, sperando nella Misericordia divina che si degnerà perdonarmi tutti i miei falli, e che se mai avessi scandolezzato la Chiesa, ne domando perdono a Dio e a Lei. 2 marzo 1778. In casa del signor marchese di Villette alla presenza del signor abate Mignot mio nipote, e del signor marchese Villevieille. *Segnato* VOLTAIRE. Si sottoscrissero pure il Mignot e il Villevieille. Dietro poi allo stesso foglio aggiunse:

PS. *Il signor abate Gauthier avendomi avvertito che si diceva fra certa gente, che protesterei contra tutto quello che avessi fatto alla morte, dichiaro che questo è un antico scherzo attribuito da lungo tempo a molti più illuminati di Voltaire.*

969. Hic etiam notare non abs re erit, jansenianum esse dicere excommunicationem non incurri ab illo qui intentionem non habet eam incurrendi, imo habet intentionem contrariam, servandi scilicet unionem cum Ecclesia per charitatem, qua etiam expulsus non intendit ab ejusdem sinu disjungi. Hæc fuit tristissima et fallax Paschasii Quesnelli argutia ad eludendam Ecclesiæ potestatem in censuris ferendis: *Nunquam nos* (inquiebat iste) *eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo et ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus:* quæ propositio sub numero 91 a Sancta Sede damnata fuit. Et jure merito, nam quid, quæso, discriminis est (in re quidem, si non in verbis) inter dictam Quesnellianam sententiam et illam Martini Lutheri: *excommunicationes sunt pœnæ externæ?* Atque ut discipulos suos ad conculcandas Ecclesiæ excommunicationes inflammaret magister audacissimus, hæc addebat pravitatis hæreticæ plenissima verba: *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo officio nostro. Pati potius iniquam excommunicationem et anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra auctoritatem aut scindere unitatem.* Pro Deus! *Apage hæc immitia poma* e scholis nostris in æternum et ultra!

970. Hæc pœna apud Gentiles et Judæos:

1. Vel apud gentiles hæc pœna obtinebat; absit ergo, ut eos audiamus, qui ideo Ecclesiam insectantur. *Siquis privatus aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdictum* (ita de Druidibus sacerdotibus scribit Cæsar, *de Bell. Gall.*, l. VI, c. 5). *Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdicunt, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur; ab iis omnes decedunt; aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant; neque iis petentibus jus redditur, neque honor ullus communicatur.* Similia habet Tacitus, *Hist.*, l. V, c. 5.

2. Apud Judæos autem triplex erat excommunicatio: alia minor *separatio (niddui)* nuncupata, in qua triginta diebus usus Sacrorum erat interdictus; alia *anathema (cherem)*, quæ reum Synagoga et civili commercio extorrem faciebat; alia *excisio (schammata)*, quæ 400 tubis promulgabatur, omnemque in Synagogam regressus spem præcidebat;

imo juxta plures, sententiam mortis involvebat. — *V.* Calmet, *Dictionarium histor. cronol. Sacræ Scripturæ;* V. *Excommunicatio.*

971. Effectus excommunicationis timendi: si tot sunt excommunicationis effectus, certe illam irridere non possunt qui sunt ex animo catholici. Excommunicatio nullam utique directam corpori coactionem infert. Qui inde? animam ligat; quanquam et in hoc mundo censurarum contemptores non raro punit Deus.

« Ottone di Sassonia nel 1209, essendosi gettato sulle terre della S. Sede, contro le leggi più sacre della giustizia, ed anche contro le sue più solenni promesse, venne scomunicato dal Papa. E Dio onnipotente confermò la scomunica: e Ottone ebbe contro di lui la Francia e tutta l'Allemagna, e finì per perdere il suo trono mentre aveva tentato d'usurpare l'altrui. — Federico Barbarossa pretendeva la sovranità di Roma e dell'Italia, e fu scomunicato da Alessandro III; Dio onnipotente confermò la scomunica, e da quel punto le cose di Federico volsero al peggio, e fu costretto umiliarsi e spedire ambasciatori al Papa per ottenere l'assoluzioue. — Poichè Pio VII nella sua celebre Bolla *Quam memoranda*, ebbe fulminato la scomunica contro il primo Napoleone, questi finse bensì d'aver quell'atto in conto di celia; ma gli restava fisso nella mente, e non gli dava requie nè di giorno, nè di notte. Ad uno dei più valenti capi del ministero degli affari esteri Napoleone I ordinò un elenco di tutte le scomuniche pronunziate dalla S. Sede incominciando dai tempi più remoti. Costui attese al lavoro senza però affrettarsi gran fatto; e Napoleone, simulando molta indifferenza, ne chiese una seconda volta l'elenco, e gli venne presentato dal signor de Chomagny. Erano ottantacinque: la prima, quella fulminata nel 398 da sant'Atanasio I, Pontefice, contro il governatore della Libia, e poi le altre fino all'ultima del 10 giugno 1809, che per ispirito di cortigianeria venne tralasciata. Ebbene, di quelle ottantacinque scomuniche nessuna era stata proferita invano, ecc. » L'*Armonia*, 2 ott. 1859.

Et in Opuscolo, *Pio VII e Pio IX, Reminiscenze e confronti* del conte Ignazio Costa della Torre, etc. Torino, 1860, legitur ad rem: « Alle minaccie di Napoleone egli (Pio VII) rispose: *Se V. M. ha la coscienza del suo potere, noi sappiamo che sopra i monarchi della terra v'ha un Dio vendicatore della giustizia e dell'innocenza, a cui è sottoposto ogni potentato umano.* Napoleone ed i suoi cortigiani tridevano, come ora molti ridono d'una simile risposta data da Pio IX all'ipocrita autore dell'Opuscolo *Il Papa e il Congresso* (che Pio IX nella risposta al generale Goyon, nel ricevimento del capo d'anno definì: *un monumento insigne d'ipocrisia ed un ignobile quadro di contraddizioni).* Il generale Miollis invadea Roma, faceva appuntare otto cannoni contro il Quirinale; e dopo vari negoziati e cento pretesti, l'opera era consumata; un Decreto del 17 maggio 1809 riuniva all'impero francese gli Stati della Chiesa; assegnava al Papa una rendita di due milioni di franchi, oltre le sue proprietà ed i suoi palazzi, e dichiarava Roma città libera e imperiale. Pio VII protestava e fulminava la scomunica. Ed il Bonaparte sogghignando scriveva al vicerè d'Italia: *Ignora forse che i tempi sono mutati? o mi tien forse un Luigi il Buono? o crede che le sue scomuniche faranno cadere le armi dalle mani dei miei soldati?...* Pio VII venne imprigionato, e in quel medesimo giorno Napoleone I guadagnava la battaglia di Wagram. Allora un celiare sulla scomunica, un ridersi del Papa e della Chiesa, come se Dio pagasse sempre il sabbato. Mi suonano ancora alle orecchie le bestemmie dei tristi, e i piagnistei della gente di poca fede!

» Giunge il 1812, e Napoleone I marcia contro la Russia con cinquecento mila soldati. Passa il Niemen, sorpreso di non ritrovar resistenza, ei grida: *Castighiamo questo Czar, ed andiamo a farci rendere ragione del suo procedere.* Ma la vendetta di Dio lo attende per *castigare* lo scomunicato, *farsi rendere ragione* delle lagrime e dei dolori cagionati al suo Vicario sulla terra. Napoleone s'avanza in cerca d'una battaglia, ma non trova che fame e malattie. Giunge a Witepsk, ed è vuota; arriva a Smolensko, e il paese va in fiamme; sta lungi ancora ottanta leghe da Mosca, e già centomila dei suoi soldati son morti. Kutusof assale i Francesi a Borodino sulla Moskova, e cadono ventisette generali di Napoleone. Ma lo scomunicato, passando sui cadaveri, entra in Mosca, e sedendo nel Kremlin detta i regolamenti dei teatri di Parigi. Fra breve sarà egli stesso argomento della più tremenda tragedia. — Passano tre giorni, e Mosca è in cenere; Napoleone e il suo esercito divorati dalla fame. Offre la pace, e trova il furore d'una guerra popolare. Vorrebbe assalire Pietroburgo; ma i generali sono stanchi; non v' ha altro da fare che battere in ritirata, e l' incomicia sopra Smolensko, e qui pure incomincia la vendetta di Dio.

» Contava ancora Napoleone 100mila fanti, 569 cannoni, 2070 carriaggi. I Russi l' inseguono senza dargli requie, nè di giorno, nè di notte. La confusione entra nell'esercito; il freddo scoppia terribile; si marcia colla neve negli occhi; dalle mani intirizzite cadono i fucili, dopo i fucili, i soldati pria sepolti che morti. I cavalli rosicchiano le gelate scorze degli alberi, poi si sdrajano sfiniti, e l'esercito s'affretta a scannarli per isfamarsi e scaldare nelle loro viscere le mani e i piedi. *Neppur oggi*, osserva Cesare Cantù, *dirà senza effetto la scomunica, chi si ricordi quanto pesasse a Napoleone nel colmo di sua potenza e gloria* (Storia Universale, v. x). I bivacchi divennero cimiteri; i soldati coricavansi la sera abbracciandosi l'un l'altro per intiepidirsi; ed al mattino il più robusto abbracciava un cadavere, rigettandolo da sè senza compiangerlo. Un manipolo di paglia disputavasi colla spada; e se il camerata moriva se gli strappava la pelliccia di dosso per vestirsene, mentre era ancor tiepida. Guai allo stesso Napoleone, se la sua guardia non si teneva unita! Lo scomunicato, partito per conquistare un impero con mezzo milione d'uomini, tornava quasi solo nel lutto universale.

» E poi? e poi Pio VII rientrava glorioso nella sua Roma, e Napoleone era condctto in prigione; e pativa a Sant' Elena tanti anni di carcere quanti n'aveva fatti soffrire al Pontefice. E l'unico suo figlio moriva a Vienna di fresca età, in quel palazzo medesimo nel quale il padre aveva sottoscritto il decreto che spogliava Pio VII. Così *pagava lo scotto* delle afflizioni cagionate al Papa: la frase è di Massimo d'Azeglio. »

« Ce ne appelliamo alla storia (ad rem item legitur in Opusc. *Del poter temporale dei Papi* del visc. G. De-La-Tour): qualunque mano parricida s'avventa contro la Chiesa, è presto o tardi colpita dalla vendetta divina. Noi non troviamo un sol potente nemico di Roma e del suo poter temporale, che non abbia chiusi miseramente i suoi giorni. Dal VI secolo infino a noi, li veggiamo tutti perire colpiti di sventure, e spesso in modo straordinariamente terribile. Ne volete gli esempi? Anastasio I, l'avversario del Pontefice Simmaco, muore percosso dalla folgore; l'imperatore Costanzo, il carnefice del s. Papa Martino, è assassinato dai suoi; Giustiniano II, dopo d'aver tentato di strappare Papa Sergio dalla Sede Romana, è detronizzato egli stesso

e decapitato; il quarto Enrico, con tutti i suoi partigiani contro s. Gregorio VII, finisce miserabilmente la vita; Federico II, scomunicato da Gregorio IX, ruina nel fondo d'ogni sventura, e il re Enzio suo primogenito muore nel carcere ov'era stato gittato dal padre, lasciando dopo sè un figlio che finisce di morte violenta; Enrico, a cui Federico donò la corona della Sardegna, spira l'anima serrato in una gabbia di ferro dopo 25 anni di prigionia; Ezzelino muore prigioniero, dissanguato e consumato di rabbia; Taddeo di Suessa muore mutilato; a Pier delle Vigne sono strappati gli occhi per ordine del suo signore, ed egli disperato si svena; e Federico muore egli stesso da ultimo, se la fama dice il vero, soffocato dal suo bastardo Manfredi; Corrado è ucciso di veleno, a quanto pare, da questo stesso fratello bastardo; e trucidato anch'esso più tardi; finchè la loro razza prepotente e maledetta si spegne sopra un patibolo colla morte del giovane Corradino. Luigi di Baviera muore d'un subito colpo, e di lui non rimane che una figliuola, Isabella di Baviera; Filippo il Bello è balzato di cavallo da un immondo animale, e spira nel vigor dell'età; e anch'egli non lascia dopo di sè che una figliuola, una nuova Isabella, la quale per laida memoria fa degno riscontro alla prima...

» E se ci fosse in piacere di allungare questa funebre lista, non ci verrebbero mai meno di età in età fino alla nostra, esempi di terribili punizioni contro violenze sacrileghe. Ei par proprio che la divina Provvidenza siasi quaggiù mostrata inesorabile su questo punto; non risparmiando i colpi di sua giustizia neanco a riguardo di meriti precedenti. *Napoleone se la piglia col Papa* (esclamava il conte di Maistre nel 1808), *da questo punto mi tengo certo di sua ruina.* Poche settimane prima della sua tragica morte l'intrepido ed infelice Murat tramava la distruzione del potere temporale del Papa. Non è mestieri aver la fede del cattolico, basta un po' di superstizione (e tutti gli scredenti ne hanno qualche dose), per convincersi essere temerità voler combattere nei diritti suoi temporali il Pontificato Romano. » — *V.* Cerri, *Avvertimento ai popoli ed ai principi ossequenti od infensi al Papato;* Torino, 1860; it. *Morte infelice dei Principi infensi ed oppressori della S. Chiesa Romana.* — Clair, *I Papi nell'esiglio.* — Segur, *Il Papa; questioni del giorno.* — *Civiltà Catt.*, ser. 5ª, t. III: *L'ultimo dei re Longobardi, Le giustizie di s. Pietro;* t. VIII: *Delitto e pena della parte avversa al dominio temporale della S. Sede.* — Menochio, *Le stuore*, t. II, centuria VIII, c. 46. — Mencacci, *La mano di Dio nell'ultima invasione contro Roma.* 1868, Roma.

« Giorni fa, trovavasi in Parigi la regina dei Paesi-Bassi, protestante inviperita, la quale entrata in colloquio col signor Thiers gli disse: *Non è vero che il Papato è una cattiva cosa?* E Thiers di ripicco: *Così cattiva, Maestà, che quanti ne mangiarono, tutti ne ebbero a morire...* Re Carlo Alberto lasciò scritta in lingua francese una storia della pessima fine dei persecutori del Papa, e conchiude con Zaccaria (c. XIV, v. 12): *et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnaverunt adversus Jerusalem.* La nuova Gerusalemme è Roma. (*Armonia*, anno 1862, n. 124; 29 maggio.)

Et Pius VII celebri Bulla *Quum memoranda*, lata in invasores patrimonii Romanæ Ecclesiæ, ad rem ajebat: « *Nos vero tot amaritudinibus ab iis a quibus minus exspectare talia debebamus, jamdiu repleti omnique prorsus ratione conflictati; non tam præsentem nostram, quam futuram persecutorum vicem dolemus;* si enim nobis propter increpationem et correptionem Dominus modicum iratus est, sed iterum re-

conciliabitur servis suis. At qui inventor malitiæ factus est in Ecclesiam, is quomodo effugiet manum Dei? (Mach. II, c. VII). Non enim subtrahet personam cujusquam, Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit; fortioribus autem fortior instat cruciatio (Sap. VI), etc. »

(T) Pag. 660.

972. Quoad percussionem clericorum en nonnulla responsa S. Congregationis Concilii, quæ non omnino videntur conformia doctrinæ, quam tradunt Theologi.

a) Titius religiosus sacerdos, cum Sempronio etiam sacerdote, prius clara die verbis collidit; dein Titius vespere Sempronium in tenebris expectat, eum invadit et impactis iteratis sat vehementibus alapis in faciem, taliter cædit, ut copiosissimus sanguis e naribus effluereet, et vestigium ac notam aliquot diebus a toto conventu visam retineret, idque duobus sacerdotibus præsentibus, et ulteriorem violentiam cohbentibus.

Q. 1. An Titius sit habendus pro notorio clerici percussore? 2) an talis percussio sil levis, vel gravis et enormis? S. C. C. 8 aug. 1682 respondit: ad 1: *negative?* ad 2: *esse levem.*

b) Vicarius generalis Paterbonen. *(Paderborna)* a Papa quæsivit: — 1) an duobus regularibus sacerdotibus in præsentia plurimorum testium inter se acriter contendentibus, quorum tandem unus habens poculum præ manibus illud elevat volens alteri caput collidere prout collisisset, nisi per adstantes impeditus, iste inciderit in pœnam Canonis: *si quis?* — 2) an duobus sacerdotibus verbis inter pocula et in præsentia testium contendentibus, quorum unus poculum cervisiæ effudit in caput alterius ejusque vestimenta dilacerat, ille inciderit in pœnam Canonis? S. C. C. respondit ad 1: *negative;* ad 2: *negative quoad incursum in Canone:* Si quis suadente.

c) « Anno 1828 facta Episcopo Lublinensi potestate a Leone XII, S. C. Immunitatis tribuit facultatem plænarie absolvendi, juxta præscriptum *Ritualis Romani*, sacerdotem N. ab excommunicatione majori Pontifici reservata, in quam incidit ob violentam alterius sacerdotis percussionem, illumque ab irregularitate dispensandi. Absolutioni præmittendæ conditiones in hujusmodi casibus servari solitæ, sunt jurata in scriptis obligatio in episcopali cancelleria servandæ de se abstinendo in posterum a similibus, partis offensæ ob illatam injuriam satisfactio, gravis demum et tanto excessui respondens admonitio; inde salutaris pœnitentia imponenda. Ad aliorum exemplum et Scandali reparationem absolutioni adsint omnino plures clerici ab Amplitudine tua seligendi; adstent etiam nonnulli viri graves laici, nisi, aliter Amplitudo sua censuerit; quod tamen S. Congregatio arbitrio et prudentiæ tuæ relinquit: 11 nov 1828. » — V. *Analecta Juris Pontificii*, anno 1865: *Priviléges du Clergé.*

(U) Pag. 664.

973. Communicatio cum tolerato: en *Extravagans* Martini V in Concilio Constantiensi, vi cujus licet fidelibus communicare cum excommunicato tolerato: *Insuper ad evitanda scandala et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, omnibus christifidelibus tenore*

præsentium misericorditer indulgemus quod nemo deinceps a communione alicujus, Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis vel extra: prætextu cujuscunque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ a jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere vel aliquem vitare aut interdictum ecclesiasticum observare. Nisi sententia vel censura hujusmodi fuerit in, vel contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam, communitatem, aut locum certum, vel certa, a judice publicata vel denuntiata specialiter et expresse. Constitutionibus Apostolicis et aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque: salvo si quem pro sacrilegio et manuum injectione in Clerum, sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari. Nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri, juxta canonicas sanctiones. — *V.* Bonacina, *De excommunicatione*, disp. 2, q. 2, punct. 2, § 2, ubi clare et fuse pro suo more.

Et inde additur ex Bulla Leonis X Lateranensi V inserta: *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos et interdictos seu prohibitos, non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VII, n. 135.

974. Communicatio cum vitando: Joseph Frassinetti hoc ad hodiernam maxime praxim resolvit:

Q. 1. « *Quid resolvendum de excommunicato vitando, si ejus condemnatio canonice publicata non sit in ejus loco ob temporum iniquitatem; attamen ex publica fama id notum esset, adeo ut nullus omnino sit dubitandi locus?* »

R. « Ille esset habendus a nobis ut vitandus; nam nihil amplius requiritur quam certitudo moralis, quod talis sit. »

Q. 2. « *Quid agendum, si ejiciendo vitandum ab Ecclesia, vel ideo interrumpendo divina Officia timeantur valde gravia mala?* »

R. « Videtur quod talis timor sit per se ratio sufficiens ad excusandum, si neque expellatur vitandus, nec interrumpantur Officia. Sane est principium certum, quod leges humanæ etsi ecclesiasticæ, cessant obligare, quando illarum executio sit causa gravium damnarum ac perturbationum. Quoniam vero hic loquimur de publicis damnis ac perturbationibus, ut notum est; timor horum malorum, utpote publice notus, auferret ipsum scandalum quod alioquin evenire potest in populo videndo violationem legum Ecclesiæ; tunc populus sat intelligit quod Ecclesia cedit vi.

» In quodam loco Parochus merito fuit excommunicatus et uti talis denuntiatus, servatis omnibus necessariis formulis ut etiam vitandus declareretur. Factum publicatum fuit a Diariis bonis et malis, et incolarum nemo de hoc dubitare poterat. Interim Episcopus non *officialiter* sed *officiose* monitus fuit, quod si aliquo modo talem condemnationem publicasset, vel etiam probusset, illico fuisset in carcerem inclusus, inquisitus, etc. Vitandus Parochus in suo officio permansit, Missam ipse celebrando, et aliis celebrantibus assistendo; et molestias graves passuri fuissent illi sacerdotes qui manifeste, ipsum uti vitandum haberent: et quidam sacerdos incriminatus fuit, quia id asseruit coram aliquibus personis. Episcopus divexatus consilium petiit a quo erat expostulandum; et responsio fuit ut patienter sustineret, et impium Parochum tolleraret, sicut tollerabat eum Dominus. Et ita factum est per notabile tempus; at benemorati christiani illius loci scandalum non sunt passi; lugebant temporum tristitiam, sed rem totam Domino commendabant, cujus providentia occurrit illi enormitati. Si res re-

soluta fuisset juxta rigorem sacrorum Canonum contra Parochum, Diœcesis suum amisisset Pastorem, et quot alia spiritualia damna essent lugenda! quæ tamen omnia fuerunt devitata. Verum est quod in illa Parœcia Sacramenta profanata sunt, et ipsum Missæ sacrificium; sed non erat in potestate Episcopi illa impediendi; et ideo de illis respondere non debebat; neque ea impedire potuisset, si ex Canonum præscripto egisset, imo plura alia et gravissima mala fuissent lugenda.

Observandum est, quod omnes Ecclesiæ leges sunt in ædificationem, et ideo non obtinent quando vergerent potius in destructionem. Cum civilis auctoritas jura Ecclesiæ recognoscit, tunc Ecclesia non timens sacrilegas oppositiones, prudenter exigit quod suæ leges observentur; at quando civilis auctoritas non recognoscit Ecclesiæ jura, et determinata est ad vim inferrendam, tunc Ecclesia, ne inutiliter delicta et damna gravissima provocet, sustinet et tollerat clamando ad Dominum: *judica causam tuam.* » *(Compendio della Teol.*, t. II, nota 183.)

975. Tempora mutata sunt; et ipsa Ecclesia mitius nunc agit in delinquentes, maxime si potentes sint, ne malum augeat; semel amoto scandalo, atque Religionis contemptu, ad indulgentiam et misericordiam inclinat, quin tamen ullo modo malo conniveat. Ad rem episcopus Lefranc in Opere, *La Divozione riconciliata collo spirito del Governo:* « La divozione intrepida nei suoi pericoli, conosce i mali che può cagionare l'implacabile risentimento d'un colpevole potente ed offeso. La Chiesa già provò il contraccolpo dei fulmini lanciati sopra teste illustri. E ben dice Agostino: *In hujusmodi causis ubi per graves dissensionum scissuras non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat* (Ad Bonifac. n. 45). Imo illos *Filios* adhuc appellat, quia revera illi sunt Ecclesiæ filii, etsi rebelles; *charissimos* etiam, quia Ecclesia ipsos genuit, et adhuc gratiæ regenerare vellet; nonne Christus Dominus Judam traditorem *amicum vocavit?*

» Che cosa in sostanza desidera e cerca la Chiesa? il maggior bene: se dunque essa lo trova nei riguardi che abbiam notato, perchè non dovrà ella valutarli? perchè vorrà contro le sue massime più sante rendersi risponsale al giudizio di Dio delle funeste conseguenze d'un rigore esagerato?.... Lasciamola fare; se fia d'uopo (e ne abbiam prove) darà esempi memorandi di vigore e di fermezza. È chi meglio di essa può disprezzare tutte le umane considerazioni, sostenere i più violenti assalti, e portare al delitto, potente e temuto, degli attacchi tanto più decisivi, quanto la venerazione ch'essa attirasi, ne assicura il successo?... *Non disturbiamola, non critichiamola, non avversiamola; la sapienza, il consiglio e la deliberazione Dio le pose nelle sue mani; preghiamo ed aspettiamo con calma il suo giudicato.* »

Ad quæsitum: « Come debbano gli Ordinari regolarsi intorno a qualche sacerdote, il quale caduto nelle censure non si curasse di essere riconciliato colla Chiesa, nè potesse dichiararsi sospeso *a divinis* dall'Ordinario senza timore di gravi scandali ed inconvenienti? » — S. Pœnitentiaria 10 dec. 1860 respondit: *Curandum pro viribus ejusdem sacerdotis resipiscentiam, prout boni et prudentis Pastoris officium exposcit; et si vocem Ordinarii non audierit, recurrendum esse ad S. Concilii Congregationem.*

(V) Pag. 667.

976. Suspensus *pure* et *simpliciter* in omnibus censetur suspensus; excipe tamen cum Suarez casum quo vel ratione materiæ vel ratione causæ, ob quam suspensio lata est, eruatur, ipsam esse tantummodo partialem. Sic, inquiunt, suspensio lata in male celebrantes, esset intelligenda de sola suspensione a celebratione Missæ: vel in male administrantes Beneficium, esset suspensio a solo Beneficio, ut sic in eo puniatur in quo quis deliquit. Verum si ex textu legis, legislatoris mente vel usu id clare non eruatur, si imponitur suspensio absolute, universim intelligenda est; ubi enim superior vel legitimus usus non distinguit, neque nos distinguere debemus.

Suspensus *ab Ordine superiori*, non censetur suspensus ab inferiori et vicissim. Hinc suspensus a Presbyteratu potest adhuc canere Epistolam vel Evangelium; hinc confessarius suspensus a diaconatu potest adhuc absolvere, etc.

« Suspensus *a Beneficio* tenetur ad officia præstanda, etsi ab ipso Beneficio proveniant; hinc tenetur ad Horas et cetera onera, quamvis fructus non percipiat, quia id sibi debet imputare. Non tamen privatur commodo quod provenit ex anniversariis, stipendiis Missarum, nec eo quod datur ob onus personale clerici; quia hæc non sunt fructus Beneficii. Quoad distributiones quotidianas disputant.

» Suspensus a Beneficio si pauper, et suspensio sit in crimen omnino præteritum, uti dicunt Suarez et Renzi cum communi, potest fructus sibi retinere. Imo dicunt Tournely et alii, quod si beneficiatus est occulte suspensus et onera adimplet, potest retinere partem, quam deberet substituto; quia esset stipendium laboris. — Suspenso a Beneficio non est interdictum præsentare et conferre alia Beneficia, licet jus ei competat ratione ipsius Beneficii; ratio quia isti actus non sunt actus Beneficii præcise, ut sic; sed potius officii et jurisdictionis. » Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 316.

977. Q. 1. *Quid importat* suspensio a Divinis *sine alio addito?*

R. Suspensio *a Divinis* juxta Fagnanum importat suspensionem ab omnibus divinis Officiis, una excepta concione (in v *Decret.* c. *Responsio).* Juxta aliquos solam indicat suspensionem a celebranda Missa. Hac de re Goritia scribit: *Suspensus a Divinis nequit in choro recitare Psalmos, neque iis interesse; aut officia divina audire tanquam clericus. Quod si intersit tanquam clericus et minister ex officio, fit irregularis* (intellige, si solemniter Ordinem sacrum exerceat); *secus si id faciat tanquam laicus. Et hinc potest tanquam laicus audire Sacrum; non vero celebrare, aut coram se facere celebrare, etsi esset Episcopus.*

Verum (nisi alicubi forsan ea verba aliter explicet usus) ex Maynardi, Rotario, Suarez, Ursaja aliisque colligitur, suspensionem *a Divinis* eandem esse ac suspensionem *ab Officio.* Idque sane est canonico Juri conformius, ubi ea verba indiscriminatim videntur sumi ad unum significandum (c. 1 *de sent. et re judic.*, in 6). Unde sic intellecta suspensio a Divinis importat suspensionem ab omni Officio ecclesiastico, sive illud ab Ordine, sive a jurisdictione dependeat. Quare sic suspensus prohibetur celebrare Missam, audire Confessiones, vel alios ad Confessiones approbare; item prædicare, solemniter benedicere et baptizare, canere Evangelium, imo etiam Epistolam cum vestibus sacris (licet sine vestibus eo plane modo, quo laici Epistolam cantant, adhuc

possit). Item Beneficia conferre, excommunicare, divinis Officiis interesse ut clericus, sive in choro sive extra, v. g., processionibus, funeribus, etc. Item quascunque functiones agere nomine Ecclesiæ.

Poterit tamen divinis Officiis interesse ut laicus, et canere ut laici faciunt: an vero eo in casu possit distributiones accipere affirmat Avila, quia illæ dantur præsentibus; sed negat Bonacina, quia esto, quod iste sit præsens, non tamen est talis ex officio: porro distributiones dantur tantum ex officio præsentibus, qui nempe præsentes sunt tanquam viva membra Capituli. Alii autem probabiliter volunt cum Sanchez quod iste, etsi peccaret assistendo et merito deberet privari distributionibus et fructibus, nullibi tamen constat hanc privationem ipso jure impositam esse.

Qui abest a choro ob excommunicationem vel suspensionem, non amittit distributiones, si injuste (modo curet absolvi), amittit vero si juste sit censuratus. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. IV, n. 130.

978. Q. 2. *Quid speciatim de suspensione* ex informata conscientia?

R. Ante Tridentinum Episcopi facultatem non habebant clericos sive excludendi sive suspendendi ab Ordinibus extrajudicialiter, sed tantum ob publica comprobata crimina, nempe per processum: hac facultate tunc fruebantur dumtaxat regulares erga suos (ex cap. *ad aures de temp. Ordin.).* Sed Tridentinum in Cleri reformationem sapientissime intendens facultatem ipsam dedit etiam Episcopis indiscriminatim (sess. XIV, c. I *de R.)*, ut nempe clericos suos possent ab Ordinibus tum excludere tum suspendere *ex quacunque causa*, *etiam ob crimen occultum*, *quomodolibet*, *extrajudicialiter*, idest nullo formato processu, videlicet *ex informata conscientia*, nempe ex causis ab ipsa Episcopi conscientia perpensis et cognitis. Quæ verba licet proferantur a Patribus solummodo in prima capitis parte, ubi agitur de exclusione; certum tamen est ea esse etiam intelligenda de suspensione, uti docent communiter Fagnanus, Barbosa, Gonzales, De Luca, Giraldi cum Benedicto XIV, et pluries declaravit S. Congr. Concilii. Item hæ exclusiones et suspensiones possunt etiam esse perpetuæ ex eadem S. Congr. Imo declaravit: *Episcopum in hujusmodi pœnis decernendis non teneri dicere causam suspensionis seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicæ, si reus ad eam recursum habeat.* Patet igitur, nullam dari appellationem ad Metropolitam in suspensionibus vel exclusionibus latis *ex informata conscientia*, cum tunc detur tantummodo recursus ad supremam Sedem. (*V.* Benedictus XIV, *De Synodo Diœc.*, l. XII, cap. 8.)

Potest autem Episcopus in hac censura ferenda formalitates ordinarii vel summarii processus judicii ex toto vel ex parte adhibere; nam Tridentinum ait posse *quomodolibet* censurare. Attamen in ferenda sententia exprimendum est, se agere vigore citati cap. 1, sess. XIV Tridentini; ne censeatur via ordinaria procedere, quo in casu essent necessariæ plures solemnitates. — *V.* Opusc. *Intorno ai giudizi* ex informata conscientia; Torino, Marietti, 1850; — Ferraris; V. *Suspensio*, art. 1, n. 16; — *L'origine e l'equità delle sospensioni* ex informata conscientia; Bologna, 1863; — Pallottini, *Pugna Juris Pontificii statuentis suspensiones extrajudicialiter seu* ex informata conscientia, *et imperii easdem abrogare molientis;* Vienna, 1863; — *Analecta Juris Pontificii* citata; anni 1854 et 1864, ubi plura; et plura apud Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. I, pag. 386.

Item videndus Bouix, *De judiciis*, t. II, p. 2ª: qui multis conatur tueri, Episcopum posse suspendere ex informata conscientia etiam quando delictum est omnino publicum; nam Tridentinum ait Episco-

pum posse procedere *extrajudicialiter ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen;* porro illud *etiam* aperte supponi posse id quoque quando crimen non est occultum. Idque necessarium omnino; etsi enim delictum sit fama vulgatum, contingere potest, aliquibus in locis, ut formalitates servari nequeant absque difficultatibus, vel ob populi commotionem vel ob gubernii minas, vel ob temporum calamitatem. Id quoque tuetur Episcopus Lucionensis (Tract. *Des sentences épiscopales dites* de conscience informé).

Etsi autem huic adversetur vigens apud romanos Canonistas contraria opinio, qui volunt Episcopum non debere ob publicum delictum extrajudicialiter procedere; attamen sic censuratus judicium sui superioris revereri debet, dicente d. Gregorio (Hom. VI, *in Evang.): sententia pastoris sive justa sive injusta sit, timenda est;* idque magis, quia alioquin talis inobedientia maximo scandalo esset fidelibus. Et ideo sententia episcopalis taliter lata possidere debet ac firma esse, quoadusque fiat recursus ad S. Concilii Congregationem, a qua illa rescindatur, si in aliquo substantiali forsan peccaverit, prout actum est in causa Sanctæ Agatæ Ghotorum 26 febr. 1853.

An Episcopus possit suspendere extrajudicialiter a Beneficio, affirmat Episcopus Lucionensis; Bouix vero negat, cui adhæret cl. Vecchiotti. An vero Episcopus possit ex informata conscientia infligere etiam suspensiones perpetuas ex jure, affirmat Bouix. Quod autem de Episcopo dicitur aptatur etiam ad Prælatum regularem quoad suos subditos. An vero idem dici possit de Vicario generali Episcopi, merito dubitari potest ex Giraldi.

979. Q. 3. *An censuratus peccet et fiat irregularis, qui ex gravi metu ministrat in Sacris vel assistit?*

R. Ad rem Continuator Tournely: *Non fieret irregularis homo censuratus, si ex gravi metu ministraret in Sacris; quia censura aufert quidem usum Ordinis, at eum vero inhabilem non facit. Unde infert Navarrus, homicidam post debitam contritionem et Confessionem, etiam nondum obtenta dispensatione, posse Sacrum facere, si probabiliter timeat se homicidii hujus suspectum fore, nisi celebret.*

Idem tum de excommunicato occulto in simili periculo infamiæ, tum de moniali, quæ occultissime in censuram reservatam incidisset: ea enim, inquit, ante moram petendæ absolutionis posset choro interesse et communicare, cum aliæ ad id tenentur, si ab iis abstinendo fama ejus aut Monasterii periclitaretur. Idem cum aliis dicunt Sayrius, Bonacina, Auctor Collat. Andeg. Unde etiam colligunt excommunicatum occultum posse, sine peccato et irregularitatis metu, audire Sacrum, celebrare, absolvere, etc. ad vitandum grave scandalum vel infamiam, vel detractionem, vel grave proximi periculum aut necessitatem. Nomine scandali, ait Suarez, non intelligo admirationem hominum cum frequenti sermocinatione de ea re; sed occasionem peccati, ut detractionis et judicii temerarii.

(X) Pag. 672.

980. « Nomine *divinorum Officiorum* tempore lati interdicti prohibitorum (ex c. *Si sententia* XVI, *de sent. excomm.*, in 6; et cap. *permittimus* LVII h. tit.), intelliguntur celebratio publica Missæ, publica recitatio Horarum canonicarum in choro, processiones publicæ, benedictiones publicæ templi, fontis baptismalis, cinerum, palmarum, candelarum, nuptiarum, solemnis aspersio aquæ lustralis, professio solemnis in

Religione et similia. Excepta *privata recitatione Horarum*, ad quam omnes obligati tenentur, licet interdicti; et *concione*, ad quam et per campanæ pulsum possunt convocari interdicti, ut ad resipiscentiam inducantur, ex c. *Responso de sent. exc.* » Ita L. Ferraris; V. *Interdictum.*

981. Quæres: *quid si interdictum sit latum ex sententia injusta?*

R. Si certo sit injusta, quæ tamen videbatur justa ex probatis in externo foro, servari debet; non tamen in interno et ideo præcluso scandalo possunt audiri Sacra, recipi Sacramenta. Si tamen dubitetur tantum de injustitia, tenet interdictum, quia superior est in possessione suæ auctoritatis.

Dices: *Per generale interdictum puniuntur etiam innocentes: quod injustum est.* — Audiatur Devoti: « Novum atque insolens non est, quod pro alicujus crimine tota familia puniatur, quod multis ex sacris Literis petitis exemplis ostendit Gratianus initio *qu.* 3, *caus.* 24. Et in l. v, *cod. ad. l. jul. majest.* Etiam filii pro patris scelere pœna afficiuntur. Confer etiam Herodotum, l. III, c. 118 et 119; Q. Curtium, *Hist. Alex. M.*, l. VI, c. 11, n. 20; et l. VIII, c. 6, n. 28.

» Fac duas esse respublicas, quarum altera sese alteri res quasdam, quibus ea caret, daturam promiserit, modo ipsa certa servet pacta, quæ mutuo conventa sunt. Negligunt hæc pacta ii, qui reipublicæ sunt præpositi; quare altera respublica nihil præstat eorum, quæ servatis pactis præstare debuisset. Magnum exinde capiunt detrimentum non solum reipublicæ præfecti, qui pacta contempserunt, sed etiam ceteri, qui eadem republica continentur, quoniam carent rebus, quibus omnino indigent; et hi quidem quanquam nulla propria culpa teneantur, pœnam tamen perferunt propter culpam præfectorum suorum. Quis jure reprehendat rempublicam, quæ alteri non dedit res necessarias, quas tantum servatis pactis, dare debuisset? Omne vitium est præfectorum, qui pactis defuerunt, quo omnes eorum reipublicæ subjecti, quanquam insontes, damnum capiunt; sed nullum est vitium alterius reipublicæ, a qua spretis contemptisque pactis, nihil dandum est. — Simili modo inter ecclesiasticam, civilemque rempublicam pactum conventum videtur, ut altera alteri præbeat Sacramenta, et cetera ad æternam salutem necessaria, modo hæc sacros ministros alat, Ecclesiæ legibus obediat, cetera absolvat, quæ ad æternam salutem consequenda ab Ecclesia necessaria judicantur. Si ii, qui præsunt civili reipublicæ eamque repræsentant, Ecclesiam contemnunt, neque mutuis pactis obtemperant: reprehendendam putabimus Ecclesiam quod neget civili reipublicæ ea, quæ tantum sub certis pactis danda sunt, præsertim cum id faciat Ecclesia, ut populi salutem curet? Adde: ut generale interdictum minus lædat innocuos, provisum ut pueri atque ad vitæ exitum properantes habeant quæ ad æternam salutem necessaria sunt. »

982. Sint nonnulla ex 19 responsis datis a cardin. Bellarmino septem Theologis, qui conabantur infirmare celebre interdictum Pauli V contra Venetam rempublicam ob jura Ecclesia violata: quod quidem ad similia applicari potest.

a) « *Il precetto del Papa, dal quale probabilmente si vede nascere scandalo e perturbazione nello Stato della Chiesa, non debb'essere eseguito dagli ecclesiastici, ancorchè lo comandasse sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.* »

« Questa proposizione ha bisogno di glossa; per il che è necessario sapere che lo scandalo è di due sorta: uno si chiama *scandalo attivo* o *dato*, l'altro *passivo* o *preso*. Lo scandalo attivo, secondo s. Girolamo *(In* XV *Matth.)*, consiste in parole o in opere men buone, cioè male, o che hanno specie di male, pei quali si dà ad altri occasione

di peccare; lo scandalo passivo consiste in pigliar dalle parole od opere di altri occasione di peccare. Così lo scandalo attivo è peccato in quello che lo dà; lo scandalo passivo è peccato in quello che lo prende. E può occorrere che talvolta siano congiunti lo scandalo attivo col passivo, e talvolta il passivo senza l'attivo. Quando uno canta versi lascivi, e quello che ode s'accende ad amore impudico, l'uno e l'altro pecca, il primo con scandalo dato, l'altro con scandalo preso, e di questo parla il Signore (Matth. XIX): *Qui scandalizaverit unum de pusillis qui in me credunt,* etc. Quando uno fa quanto può per indurre il prossimo a peccato, ma quello fondato nelle virtù cristiane non si muove, allora si trova lo scandalo attivo senza il passivo, e di questo dice il Salmo CXVIII: *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum;* e anche s. Giovanni (Ep. I, c. 2).

» Quando uno parla ed opera bene, e con intenzione buona, e nondimeno l'altro per sua malizia o imperfezione, piglia occasione di far male, allora si trova lo scandalo passivo senza l'attivo; e di questo disse il Signore a s. Pietro, quando intese che i farisei si scandalizzavano delle sue opere: *sinite illos, cæci sunt et duces cæcorum.* A tutto questo si deve aggiugnere, che non solo conviene all'uomo di ben guardarsi dallo scandalo con parole o con opere men buone; ma anco gli convien di lasciare o differire le parole e le opere buone, purchè non sieno necessarie, quando vede che il prossimo per sua incapacità sia per prenderne scandalo, come disse s. Paolo (I, Cor.): *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Ma quando la dottrina o l'opera è necessaria, non si dee lasciare per qualunque scandalo che gli altri ne pigliano; così dice s. Gregorio (Hom. VII *in Ezech.*): *In quantum sine peccato possumus vitare proximorum scandalum, debemus: si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.* Dunque conforme a questa dottrina, se il precetto del superiore sia in sè scandaloso, non si dee osservare, ancorchè venga comandato sotto pena di scomunica, e similmente se in sè sia buono, ma da quello pigliano scandalo i deboli e incapaci, e se non sia allora necessario, si dee tralasciare o differire: ma se è buono e necessario, si dee adempire, nonostante qualsivoglia scandalo e perturbazione. E così s'intendono le verità allegate di Silvestro, dell'Abbate, del Cordubense e il Canone di Alessandro III con la sua glossa, e le ragioni aggiunte; e in questo non crediamo si possa far difficoltà, essendo tutta dottrina di s. Tommaso (2, 2, q. 23) seguìta da Silvestro, Navarro e dagli altri Dottori così teologi che canonisti. Ma però il giudicare, se dal precetto del Papa sia per nascere scandalo, non tocca certo agli inferiori...

b) « *Dall'obbedire al Pontefice servando l'interdetto nella città e dominio di Venezia nascerebbero scandali, pericoli e mali innumerabili.*»

« Non è dubbio che l'interdetto (idem dic de excommunicatione, etc.), è un flagello spaventoso, e che porta seco molti mali, come racconta Papa Bonifacio VIII (cap. *Alma mater, de sent. excomm.*, in 6). Ma è parso allo Spirito Santo che governa la Chiesa, usare di simile flagello per tor via mali molto maggiori. Così i principali secolari talvolta fanno giustizie orribili, dalle quali seguono ruine di case ed altri mali grandissimi; ma si compensano coll'acquisto della quiete e tranquillità pubblica; così i medici pare che incrudeliscano contro i poveri infermi con fuoco e ferro, oltre le amarissime bevande e rigorose astinenze; eppure ognuno confessa che quella non è crudeltà, sì pietà, poichè il fine è conservare la vita all'infermo. Però siccome la colpa dei mali che accompagnano la giustizia eseguita contro i rei,

alcuna volta tocca il giudice, il quale non ha saputo, o non ha voluto trovare la verità; ma per ordinario tocca ai malfattori che con i loro eccessi hanno costretto il giudice a dare così rigorosa sentenza; e la colpa dei travagli che si danno agli infermi talvolta tocca al medico che, per esser poco dotto o poco pratico, ordina rimedi non necessari; ma per l'ordinario tocca all' infermo che con il suo disordinato vivere ha necessitato il medico ad usare con lui sì duri rimedi. Così dei mali che vanno in compagnia dell'interdetto, può essere che la colpa sia dell'imprudente Prelato; ma per ordinario è di quelli che con la loro disobbidienza e ostinazione sforzano il Prelato a venire a questi severi gastighi. Onde i sette Dottori indarno si affaticano con raccorre gli scandali, pericoli, perturbazioni, che in Venezia possono succedere per l'interdetto; dovendo piuttosto affaticarsi in provare che questi scandali siano attivi e dati, e non più tosto passivi e presi; e similmente che la colpa di questi pericoli e perturbazioni sia del sommo Pontefice, e non piuttosto di quelli che con la disobbedienza loro e lunga ostinazione hanno costretto la mansuetudine Apostolica a pigliare il flagello in mano, come fece Cristo N. S. contro di quelli che avevano fatta la casa di orazione spelonca di ladri. E perchè di questo, che importa più d'ogni altra cosa, i sette Dottori non dicono niente, nè manco noi diremo altro, essendo la presunzione per il giudice quando non si prova il contrario. Solo questo aggiugnerò che dovrebbero considerare questi Dottori, che se essi od altri in Venezia si scandolezzano dell'interdetto, per il contrario tutta la Cristianità si scandolezza di loro che non lo hanno osservato, anzi arditamente si voltano contro del Vicario di Cristo ed in dispregio della santa Sede Apostolica consigliano le persone a prevaricare gli ordini suoi, e scrivono libri in difesa della disobbebienza. »

c) « *Il timor grave e giusto scusa dall'osservazione e obbedienza di ogni precetto umano, ancorchè per altro i precetti fossero legittimi, giusti e obbligatorii.* »

« Sebbene di questa materia scrivano i Dottori variamente, nondimeno tutti convengono in un punto, che il timore non iscusa mai dall'osservanza del precetto umano, quando dal non osservare il precetto umano, ne segue la prevaricazione del precetto divino naturale, come, p. e., il non mangiar carne il venerdì è comandamento umano, e nondimeno se alcuno fosse costretto dagli eretici a mangiar carne il venerdì in dispregio della nostra santa fede, o in segno e protestazione di essere della setta luterana, non potrebbe mangiarla, ancorchè gli fosse minacciata la morte. Nè il timore sarebbe giusto, nè scuserebbe in modo alcuno, poichè il dispregio della fede e la protestazione dell'eresia è contro il precetto divino naturale; e così la S. Chiesa riceve nel numero dei gloriosi martiri li sette fanciulli Maccabei con la loro madre, e col venerando vecchio Eleazaro, che vollero prima morire di acerbissimi tormenti che gustare la carne, perchè proibita nella legge vecchia, se bene quella era legge positiva, non naturale. Similmente il precetto che proibisce il matrimonio nei gradi remoti di consanguineità e affinità, massime nel terzo e quarto, è precetto umano: e nondimeno non dee nè può nessuno, per qualsivoglia timore indursi a fare il matrimonio, e molto meno a consummarlo con persona congiunta in terzo o quarto grado senza dispensa; perchè sebbene quell'impedimento è introdotto per legge umana, nondimeno rende la persona inabile al matrimonio, e congiungersi con persona inabile per parentela, non è matrimonio, ma incesto, il quale è proibito per legge divina naturale. All' istesso modo l' interdetto è

censura di precetto umano; e nondimeno non si può per qualsivoglia timore lasciare di osservarlo, quando chi costringe a ciò lo faccia per dispregio della potestà ecclesiastica, perchè il non dispregiare la potestà ecclesiastica è precetto divino naturale. Finalmente, per non moltiplicare più esempi, non è lecito per qualsivoglia timore disobbedire al precetto umano, se da quella disobbidienza ne segue scandalo, perchè lo scandalo è proibito per legge divina naturale....» — V. *Risposta del cardinal Bellarmino al Trattato dei sette Teologi di Venezia, sopra l'interdetto della Santità di N. S. Papa Paolo V; e alle opposizioni di frà Paolo servita contra la prima scrittura dello stesso Cardinale.* Roma, Milano, 1607. — *Esortazione agli scomunicati* del ven. card. Baronio. Roma, tip. Aureli, 1860. — *Civiltà Cattolica*, ser. 4ª, t. XII, pag. 473. — Steccanella, *Il Clero negli attuali rivolgimenti politici*, c. II, a. 7; et c. III, a. 8. — Zaccaria, *Dissert.* III: *Della forza obligatoria della disciplina*, n. 37. — Benzonius, *De justitia Pontificii interdicti.* — Opus, *Conférences ecclésiastiques d'Angers pour l'année* 1772, t. I.

FINIS LIBRI ET TOMI PRIMI.

INDEX LIBRI PRIMI

Epistola PII PAPÆ IX ad Auctorem . . . . . *Pag.* 5
Auctoris Allocutio ad PIUM PAPAM IX . . . . . » 7
Auctoris præloqium . . . . . » 9
Quæstio prolegomena, ac totius Operis partitio . . . . . » 13
Monita studiosis . . . . . » 17

TRACTATUS PRIMUS.

DE ACTIBUS HUMANIS ET DE CONSCIENTIA.

DISPUTATIO I. De actibus humanis . . . . . » 19
Cap. I. De intellectu et voluntate, ejusque actibus et impedimentis . . . . . » 22
Art. 1. De violentia et metu . . . . . » 27
Art. 2. De ignorantia et concupiscentia . . . . . » 31
Cap. II. De libertate, moralitate ejusque speciebus . . . . » 35
Art. 1. De moralitatis fontibus, nempe objecto, fine et circumstantiis . . . . . » 42
Art. 2. Quomodo objectum, finis et circumstantiæ influant in actionum moralitatem . . . . . » 44
DISPUTATIO II. De conscientia . . . . . » 53
Cap. I. De conscientiæ natura et obligatione . . . . . » 53
Cap. II. De conscentiæ divisione . . . . . » 55
Art. 1. De conscientia vera, falsa atque perplexa . . . » 55
Art. 2. De conscientia scrupulosa et laxa . . . . . » 58
Art. 3. De conscientia certa et dubia . . . . . » 61
Art. 4. De probabilitate, de opinione et conscientia probabili » 65
Animadversiones, et conclusio. . . . . » 83
A. Auctores, qui in dubio stant (plus vel minus) pro sententia favente legi . . . . . » 87
B. Auctores qui in dubio stant (plus vel minus) pro libertate » 88
Adnotationes ad Tractatum primum . . . . . » 92

TRACTATUS SECUNDUS.

DE LEGIBUS.

DISPUTATIO I. De legibus generatim . . . . . » 123
Cap. I. De legis natura generatim et ejus divisione . . . » 123
Cap. II. De lege æterna, naturali atque divina positiva . . » 126
Cap. III. De legis humanæ natura, auctore ac necessitate . . » 135

Art. 1. De auctore legis ecclesiasticæ . . . . . *Pag.* 136
Scholium. De temporali Romani Pontificis potestate . . . » 150
Art. 2. De auctore legis civilis . . . . . » 154
Cap. IV. De legis humanæ materia atque subjecto . . . . » 158
Cap. V. De legis humanæ vi et obligatione. . . . . » 166
Art. 1. De obligatione legis pure pœnalis et mixtæ . . . » 170
Art. 2. De obligatione legis irritantis et inhabilitantis . . » 173
Cap. VI. De conditionibus ad legis vim . . . . . » 175
Art. 1. De materiæ capacitate, superioris intentione et legis justitia . . . . . » 175
Art. 2. De legis promulgatione . . . . . » 178
Cap. VII. De legis observantia et executione . . . . . » 181
Cap. VIII. De legis interpretatione et mutatione . . . . . » 188
Art. 1. De legis dispensatione, deragatione, abrogatione et cessatione . . . . . » 190
Art. 2. De privilegio et consuetudine . . . . . » 199
DISPUTATIO II. De Præceptis Ecclesiæ . . . . . » 206
Quæstio præambula . . . . . » 206
Cap. I. De primo Ecclesiæ præcepto seu Missæ auditione . » 207
Cap. II. De secundo Ecclesiæ præcepto, seu Jejunio ecclesiastico . . . . . » 212
Art. 1. De abstinentia e carnibus et laticiniis, et unica refectione . . . . . » 215
§ *unicus.* De collatiuncula vespertina . . . . . » 222
Art. 2. De causis a jejunii præcepto excusantibus . . . » 223
Cap. III. De ultimo Ecclesiæ præcepto, seu de decimis . . » 228
Scol. De juribus stolæ, primitiis, oblationibus, Obolo S. Petri » 230
Adnotationes ad Tractatum secundum . . . . . » 233

TRACTATUS TERTIUS.

DE OBLIGATIONIBUS.

QUÆSTIO PRÆAMBULA . . . . . » 310
DISPUTATIO I. De obligationibus in Societate religiosa . . » 310
Cap. I. De obligationibus Laicorum . . . . . » 310
Cap. II. De obligationibus Clericorum . . . . . » 311
Art. 1. De obligationibus Clericorum communibus . . . » 312
§ 1. De iis quæ Clericis generatim ac communiter præscripta sunt . . . . . » 312
§ 2. De iis quæ Clericis generaliter et communiter prohibentur . . . . . » 320
Art. 2. De obligationibus Ecclesiasticorum in particulari . » 327
§ 1. De Episcopis, Vicariis generalibus et Canonicis . . » 327
§ 2. De Vicariis foraneis et Parochis . . . . . » 335
N. 1. De Parochi moribus et residentia . . . . . » 337
N. 2. De Parochi studio relate ad parochialem Ecclesiam, ac functiones sacras, ac de populi cura . . . . . » 344
Scholium. De Parochorum Coadjutoribus, de Capellanis, Vice-parochis, et Œconomis parochialibus . . . . . » 356
§ 3 De Presbyteris simplicibus ac ceteris Clericis . . . » 357
Cap. III. De obligationibus Religiosorum . . . . . » 362
Art. 1. De natura, origine et præstantia Status religiosi . » 362

Art. 2. De vocatione et novitiatu . . . . . *Pag.* 367
Art. 3. De professione religiosa, ejusque effectibus . . . » 371
§ 1. Votum paupertatis . . . . . » 378
§ 2. Votum castitatis ac clausura . . . . . » 381
§ 3. Votum obedientiæ . . . . . » 384
Scholium. De religioso de una in aliam Religionem transeunte, de sæcularizzato, ejecto, fugitivo, apostata, disperso et reformato . . . . . » 385
Corollarium. De monialium Superiorissa et Visitatore, de educandis, de Congregationibus virorum ac mulierum votis solemnibus carentium . . . . . » 387
DISPUTATIO II. De obligationibus in societate civili . . . » 389
Cap. I. De obligationibus publicis . . . . . » 389
Art. 1. De obligationibus Principum et Subditorum . . . » 389
Art. 2. De personis ad Forum spectantibus . . . . . » 390
§ 1. De obligationibus Accusatoris et Rei, Judicis et Testis » 390
Scholium. De juratis, arbitris et apparitoribus . . . . . » 399
§ 2. De Advocatis, Procuratoribus, Referentibus, Secretariis ac Notariis . . . . . » 400
Art. 3. De Medicis et Pharmacopolis . . . . . » 403
Scholium. De obligationibus artificum et opificum, operum susceptorum et vectorum . . . . . » 406
Cap. II. De obligationibus privatis . . . . . » 408
Art. 1. De obligationibus in societate paterna . . . . . » 408
§ 1. De obligationibus parentum et filiorum . . . . . » 408
§ 2. De obligationibus tutorum et minorum, magistrorum et discipulorum . . . . . » 415
Art. 2. De obligationibus in societate conjugali et herili . » 419
Corollarium. De obligationibus superiorum et inferiorum generatim erga se invicem . . . . . » 423
Scholium. Præcipua quæ *Synodus Novariensis* præscribit quoad diversorum obligationes . . . . . » 424
Adnotationes ad Tractatum tertium . . . . . » 428

TRACTATUS QUARTUS.

DE VITIIS ATQUE DE PECCATIS IN GENERE ET SPECIE AC DE CENSURIS.

DISPUTATIO I. De vitiis atque de peccatis in genere . . . » 553
Cap. I. De peccato originali . . . . . » 555
Cap. II. De peccato personali . . . . . » 562
Art. 1. De peccato actuali ratione causæ occasionalis . . » 563
Corollarium. De tentationibus . . . . . » 566
Art. 2. De distinctione specifica peccatorum, et eorum differenti gravitate . . . . . » 567
§ 1. De peccato mortali . . . . . » 570
§ 2. De peccato veniali . . . . . » 575
Art. 3. De distinctione numerica peccatorum, et de peccato commissionis et omissionis . . . . . » 577
Art. 4. De peccati actualis effectibus . . . . . » 586
DISPUTATIO II. De peccatis in specie, seu de vitiis capitalibus . . . . . » 589

Cap. I. De superbia et avaritia . . . . . *Pag.* 589
Cap. II. De luxuria . . . . . » 593
Art. 1. De luxuriæ definitione, natura et divisione . . . » 594
§ 1. De luxuria perfecta et naturali . . . . . » 594
§ 2. De luxuria perfecta non naturali, seu contra naturam » 602
§ 3. De luxuria imperfecta . . . . . » 608
Art. 2. De luxuriæ filiabus et remediis . . . . . » 615
Cap. III. De gula, ira, invidia et acedia . . . . . » 617
DISPUTATIO III. De censuris . . . . . » 626
Cap. I. De censuræ nomine, natura, divisione ac iis qui censurare possunt et censurari . . . . . » 626
Cap. II. De solemnitatibus in censura ferenda, de causis excusantibus, et censuræ cessatione . . . . . » 633
Cap. III. De singulis censuræ speciebus . . . . . » 641
Art. 1. De excommunicatione majori . . . . . » 642
§ 1. Privatio Sacramentorum, suffragiorum, precum et divinorum officiorum . . . . . » 644
§ 2. Privatio communionis forensis atque civilis, item jurisdictionis et sepulturæ ecclesiasticæ ; et inhabilitas quoad beneficia, pensiones et rescripta . . . . . » 650
Scholium. De clericorum percussione ac de Monitoriis . » 656
Art. 2. De excommunicatione minori . . . . . » 661
Art. 3. De suspensione . . . . . » 664
Art. 4. De interdicto . . . . . » 670
Scholium. Casus, censuræ et aliæ pœnæ in Synodo et extra Synodum in *Diœcesi Novariensi* . . . . . » 674
Adnotationes ad Tractatum quartum . . . . . » 676

2172

239.02
SC/92

SCAVINI, Peter

AUTHOR
Theol Moralis Universa - Vol I
Ed 11a

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	FR. DONNELLY	
	Fr. [redacted]	

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

2172